R. P. F.
LEANDRI
DE
SS^{MO} SACRAMENTO
OPERVM MORALIVM
PARS VIII.
In Quartum Decalogi Præceptum.

R. P. F.

LEANDRI

DE SS^MO SACRAMENTO,

NAVARRI, OPPIDI DE VILLA-FRANCA,

ORDINIS DISCALCEATORVM SANCTISSIMÆ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, olim in Complutensi & aliis Hispaniæ Academiis Theologiæ Professoris; postmodùm dicti Ordinis Prouincialis, & Definitoris Generalis, ac totius suæ Religionis Ministri Maioris, ac Generalis.

QVÆSTIONVM MORALIVM THEOLOGICARVM.

IN DECEM DECALOGI PRÆCEPTA,
Pars III. & in ordine VIII. circa quartum eiusdem Decalogi Præceptum.

Cunctis Opus perutile, duplici Indice locupletatum: Primo Tractatuum, Disputationum, & Quæstionum: Altero verò Sententiarum, rerumque notabilium.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



506.

LVGDVNI,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IOANNI BAPTISTÆ, VIRGINI, ET MARTYRI,

Sanctissimo Incarnati Verbi Præcursori.

TIBI Patrono meo Sanctissimo, & colendissimo, quod meum est, per diuinam beneficentiam, quamquam alienum: hoc, inquam, Opus Clarissimi Authoris posthumum, feliciter in manus meas delatum offero libens, dico, & consecro. Et iuuat debere plurima huic, quem in mortalibus sanctissimum Christus prædicauit: scilicet innocentiam priùs adeptus, quàm lucem, tenebricoso matris conclusus vtero, assertus es in libertatem filiorum Dei, & sanctus ante quàm natus, salutasti Seruatorem exultans, tota corporis inclinatione. Nascens quot gaudia cœlitibus, parentibus, & affinibus peperisti? Nuncupatus à muto Ioannes, & statim loquelam restituens, vt effusus pater in Dei maximi laudes, tuæ vitæ præcineret, & futuram felicitatem auspicaretur. Nempe circumcisio quid tibi præter patientiam contulit? Iam sanctus nihil debebas mysterio: culter habuit quod doleret, non quod purgaret; quodque in aliis necessitas erat, in te fuit obedientiæ signum, & tolerantiæ causa. Iam vita in

eremo

eremo traducta, tot inter ærumnas, procul ab humano commercio, belluas inter Angelica, nihil condonans corpori, nisi vt viueret, in terris quidem acta, sed more cœlitum; quantum ipsa miraculum est, & quanta cœlitibus admiratio! Hinc progressus in publicum Iesu Christi Præcursor, munus ad quod natus eras, suscepisti, voce, baptismo, exemplo pœnitentiam suadens, & oraculo comparans fidem, quo statim Iesum monstrans, Filium Dei, & Saluatorem hominum prædicas. Itaque gratulor tibi, diei Phosphore, solis antecessor, lucis crepusculum, aurora gratiæ, quòd honorem à te abdicatum, in vnum confers Dominum, neque luces, nisi vt præluceas, ac tuæ sanctitatis gloriam in Auctorem refundis. Id oro, & obsecro, in animum meum penitus insere, vt qui tui cultor addictissimus sum, æmulator sim sedulus; quidquid in me est, totum transcribam in gloriam Dei; operam meam, tenues si quæ sunt opes, spémque omnem meam conferam in peculium Iesu; tuísque inhærens vestigiis, discam Domino meo vitam agere, & ponere, modo & tempore, quem constituerit, quodque præscripserit. Sic orat, & optat

Tuus addictissimus, & obsequentissimus seruus,

IOANNES COVRONNEAV.

FACVL

FACVLTAS ORDINIS.

FR. PETRVS AB ASCENSIONE, Maior ac Generalis Minister Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, &c. De consensu nostri Definitoris, præsentium tenore facultatem concedimus vt octaua & posthuma Pars Quæstionum Moralium Theologiæ in quartum Decalogi præceptum à R.P.N.Fr. LEANDRO de Sanctissimo Sacramento, quondam nostræ Sacræ Religionis Meritissimo Generali elaborata, & à grauioribus eiusdem Religionis Theologis recognita, & approbata typis mandetur, & ad communem vtilitatem in lucem prodeat. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarij chirographo subscriptas, sigillique nostri Officij impressione munitas, in hoc nostro Matritensi Conuentu concessimus, die nona Mensis Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octauo.

Fr. PETRVS AB ASCENSIONE, Minister Generalis.

Locus sigilli.

Mandato P.N. Ministri Generalis.

ILDEPHONSVS A S. MICHAELE, Secret.

Approbatio Doctorum sacræ Facultatis Parisiensis.

OCtauam Partem quæstionum Moralium Theologiæ à Reuerendo admodum P. Leandro de Sanctissimo Sacramento Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum conscriptam, attentè legimus, & dignam prælo iudicauimus: cùm nihil fidei obnoxium contineat, & plurima passim scitu vtilissima, imò & necessaria circa bonos mores & Ecclesiasticam Disciplinam doceat, in quorum fidem manu propria subscripsimus. Lugduni die 5. Augusti anni Domini 1669.

Fr. PAVLVS LANDRY, Ordinis FFr. Prædicatorum.

Fr. ELIAS VIAT, Carmelit.

PRIVILEGE

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu, Roy de France, & de Nauarre, A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous nos Iusticiers, & Officiers qu'il appartiendra; Salut. Nostre bien aimé Iean Couronneau Marchand Libraire de nostre Ville de Bayonne, Nous a exposé qu'il desiroit faire imprimer vn Liure intitulé *R.P.Fr. Leandri de Sanctissimo Sacramento, Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Quæstiones Morales, &c.* s'il auoit sur ce nos Lettres de Priuilege & permission necessaires, humblement requerant icelles: A ces Causes, desirant fauorablement traicter ledit Suppliant, Nous luy auons permis & permettons, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Liure en tous les lieux de nostre obeyssance, en telle marge, & caracteres qu'il voudra, durant le temps & espace de vingt années entieres & accomplies, du iour que ledit Liure sera acheué d'imprimer, pour la premiere fois; & faisons tres-expresses defences à toutes personnes de quelque qualité ou condition qu'elles soient d'imprimer, faire imprimer, ny de vendre & distribuer ledit Liure, en aucun lieu de ce Royaume, autre que de l'impression dudit Exposant, ou de ceux qui auront droict de luy durant ledit temps & espace, soubs pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, à peine de trois mille liures d'amende, payables sans depost, par chacun des contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages, & interests, à condition qu'il sera mis deux exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres cher & feal Cheualier Chancelier de France le Sieur Seguier, auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles Nous vous mandons que vous fassiez ioüir plainement, & paisiblement ledit Exposant, & ceux qui auront droict de luy, sans qu'il leur soit fait aucun trouble, ny empeschement. Voulant qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chacun dudit Liure copie, ou extraict des Presentes, elles soient tenuës pour signifiées, & que foy soit adjoûtée, & aux copies Collationnées par vn des nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original: mandons aussi au premier nostre Huissier, ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploits necessaires sans demander autre permission: Car tel est nostre plaisir, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans prejudice d'icelles: Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. Donné à Paris le dernier iour de Iuillet, l'an de grace mil six cens cinquante-six, & de nostre Regne le quatorziéme.

Par le ROY en son Conseil.

CRAMOISY.

Ledit Sieur Couronneau à faict part du droict du susdit Priuilege à Sieurs Philippe Borde, Laurent Arnaud & Compagnie, par Traitté faict entre eux le huictiéme Iuin mil six-cens soixante-trois.

Hæc prima editio desiit excudi die 14. Augusti 1669.

TRACTA

INDEX
TRACTATVVM,
DISPVTATIONVM,
ET QVÆSTIONVM,
Quæ in hac octaua Parte in quartum Decalogi præceptum, continentur.

TRACTATVS I.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO II.

De Amore, quo filij tenentur parentes prosequi? p.4

DISPVTATIO III.

De obedientia, quæ parentibus debetur. ibid.

DISPVTATIO IV.

De necessitatibus spiritualibus, in quibus filij tenentur parentibus subuenire. p.14

DISPVTATIO V.

De necessitatibus corporalibus, in quibus filij coguntur parentibus succurrere. ibid.

DISPVTATIO VI.

De obligationibus, quas in rebus spiritualibus parentes erga filios suos habent. p.19

§. I.

De amore parentum erga filios.

§. II.

De cura, quam in erudiendis filiis in rebus spiritualibus debent habere parentes. p.21

DISPVTATIO VII.

De potestate, quam habent parentes ad corrigendos, & puniendos filios delinquentes. p.28

VIII. An

VIII. An parentes peccent mortaliter, si puniant filios pœna, aut supplicio atroci? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic; quia non habent potestatem, nisi ad moderatè castigandos filios, l. 9. tit. 3. part. 7.* ibid.

IX. An etiam possint parentes sine metu excommunicationis latæ *in cap. si quis suadente 17. q. 4.* punire filios in minoribus Ordinibus constitutos? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic, dummodo id faciant non ira, aut odio, sed gratiâ correctionis; quia hæc potestas conceditur patribus in cap. cum voluntate, de sentent. excommunic. §. vltimo.* ibid.

X. An item possint patres punire filios constitutos in sacris, sine metu dictæ censuræ. ibid.
℞. *Probabiliùs, quod sic, gratiâ correctionis; quia sic colligitur ex cap. 1. de sent. excommunic. Et etiam quia correctio pertinet ad patrem ratione patriæ potestatis, à qua etiamsi filius fiat Sacerdos, non liberatur.* ibid.

XI. An saltem incurrat dictam excommunicationem pater, qui percutit filium in sacris constitutum, non correctionis causâ, sed ex ira, aut odio, aut sine vlla iusta causa? p. 30
℞. *Vt certum, quod sic; quia solùm est ei licitum punire dictum filium causa correctionis.* ibid.

XII. An licitum sit parentibus, nulla inopia coactis, filios suos vendere? ibid.
℞. *Vt certum, quod non, l. 1. & 2. de patribus, qui filios suos distraxerunt.* ibid.

XIII. An saltem licitum sit patribus filios suos vendere, aut pignori dare, ob famis necessitatem? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic, l. 1. & 2. tit. de patribus, qui filios suos distraxerunt, & l. 8. tit. 17 part. 4.* ibid.

XIV. An sicut licet patri vendere filios ob famis necessitatem, ita & liceat ob aliam similem causam, præter illam? ibid.
℞. *Æquè probabiliter, quod sic; quia dicta lex Cæsarea per epikeiam ad casus, in quibus par, vel maior ratio adest, extendenda est: v. g. si pater sit occidendus, aut mutilandus, vel in seruitutem adducendus, nisi vendito filio se redimat.* p. 31

XV. An item hæc facultas vendendi filios in casu maximæ necessitatis, competat non solùm patri, verum etiam matri? ibid.
℞. *Quod non, attento iure Cæsareo, quia filius iure Cæsareo non est sub matris potestate. Attento tamen iure naturæ idem, quod pater potest circa venditionem filij, potest & mater.* ibid.

XVI. An auus possit vendere suum nepotem, sicuti potest pater filium, ob nimiam suam famem? ibid.
℞. *Quod non, quia id ex iure solùm competit patribus, quia filius est res quædam patris, non aui; & sic voluntas patris reputatur voluntas filij.* ibid.

XVII. An hanc potestatem vendendi filios habeat pater, etiam erga filios emancipatos? ibid.
℞. *Vt certum, quod non; quia iam non sunt sub patria potestate.* ibid.

XVIII. An pater possit vendere filium coniugatum in casu extremæ necessitatis? ibid.
℞. *Vt certum, quod non (attento iure Castellæ;) quia filius coniugatus exemptus manet à patria potestate.* ibid.

XIX. An si filius sit Sacerdos, possit etiam vendi à patre, ob famis pressuram? p. 32
℞. *Vt certum, quod non; quia hoc est priuilegium à iure concessum filiis constitutis in sacris.* ibid.

XX. An saltem filius non Sacerdos, sed Subdiaconatu, aut Diaconatu insignitus, possit vendi à patre in dicta necessitate famis? ibid.
℞. *Quod non, propter dictum priuilegium.* ibid.

XXI. An filius à patre venditus, vrgente dira fame, possit cogere ipsum patrem, vt eum redimat, casu quo pater ad pinguem fortunam venerit? ibid.
℞. *Quod sic; quia hoc iure Cæsareo conceditur filiis.* ibid.

XXII. An licitum sit patri vendere filium hostibus, vt seipsum liberet à morte; etiam casu, quo probabiliter timeat, quod filius traditus vitæ periculum incurrat? ibid.
℞. *Quod non, quia non licet patri inedia presso filium necare, vt eius carnes edat: ergo neque hostibus cum periculo vitæ tradere, vt vitam suam seruet, hoc enim esset impium.* ibid.

XXIII. An quotiescumque Pater offerat emptori pretium iustum pro filio vendito, teneatur emptor ipsum manumittere? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic; quia sic habetur part. 4. tit. 17. l. 9.* ibid.

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam parentes alendi filios legitimos, & expositos habent. p. 32

QVÆST. I. An parentes teneantur præstare alimenta filiis legitimis, & quo iure? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic; & hoc iure naturali. Quia cui est proprium vitam conferre temporalem, etiam est illi proprium conferre quæ sunt necessaria ad eam tuendam.* ibid.

II. An etiam iure naturali teneantur parentes alere filios, qui iam sunt extra patriam potestatem? p. 33
℞. *Esse duplicem in hac quæstione sententiam, vtramque probabilem. Prima asserit, quod obligatio alendi filios non ex patria potestate, sed ex iure naturali, quod etiam post emancipationem permanet, oritur. Secunda dicit, non teneri alere filios iure naturali, nisi vsque ad tempus, quo ipsi filij possint ali per se. Quia sic cernitur in aliis animalibus, quæ solùm alunt filios vsque ad dictum tempus: vltra illud tamen tempus tenentur alere lege charitatis, si ipsi indigeant, necnon & iure positiuo canonico.* ibid.

III. An peccet mortaliter pater, qui negat alimenta filio sine graui causa? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic, quia tunc pater facit contra ius naturale, aut canonicum, aut legem charitatis, in re graui.* ibid.

IV. An pater teneatur præstare alimenta filio, qui authoritate Principis est proscriptus? ibid.
℞. *Vt certum, quod sic, si filius sit in extrema, aut graui necessitate; si tamen habeat filius aliunde, vnde sustentetur, et si pater debeat ei alimenta, potest patri præcipi iustis de causis, ne ea conferat filio.* ibid.

V. An filio pœna excommunicationis affecto teneatur pater alimenta præbere? ibid.
℞. *Primò, quod sic, loquendo de alimentis simpliciter necessariis, si aliunde filius non habet. Quia hæc sunt de iure naturæ debita.* ibid.
℞. *Secundò, si per filium ipsum stet vt in excommunicatione persistat, poterit ei pater negare de æquitate naturali, statui, & personæ filio congruentia, licet ad hoc non teneatur; quia nullibi est de*

tali

DISPVTATIO IX.

DISPVTATIO X.

De obligatione parentum circa alimenta, & alia filiis ſpuriis præſtanda. p. 48

vltra quintum suorum bonorum? p.57

℞. *Probabiliùs, quod sic, casu quo pater non habeat descendentes legitimos, & quintum non sufficiat ad indigentiam naturæ, & status spuriæ, ex q. 18.* ibid.

XXXI. An si pater det filiæ spuriæ dotem excedentem quintam partem bonorum, quæ erat sufficiens ad alimenta, possit excessus ille reperi à patre dotante, constante matrimonio? ibid.

℞. *Primò vt certum, quod sic, attento iure Hispaniæ, l. 29. Taur. quæ est l. 3. tit. 8. lib. 5. noua recop. si maritus quando contraxit matrimonium, sciebat esse spuriam. Quia tunc sibi debet imputare.* ibid.

℞. *Secundò probabiliùs, etiam quod sic, attento eodem iure; etiam in casu, quo maritus ignoret suam vxorem esse spuriam, si pater qui dotauit, habeat filios legitimos; quia iuxta dictam l. 29. Taur. dos inofficiosa, quæ tangit legitimam filiorum, potest reuocari constante matrimonio: at in hoc casu dos tangit legitimam filiorum legitimorum, cùm horum legitima sint omnia bona, dempto quinto. Contrarium autem est dicendum casu, quo non habeat filios legitimos, & vir ignorabat vxorem esse spuriam.* ibid.

XXXII. An etiam attento iure communi, possit repeti à filiis, vel à patre dotante, constante matrimonio, ille dotis excessus? p.58

℞. *Probabiliùs, quod possit repeti excessus, in quo tangitur legitima filiorum legitimorum; quia iure communi cautum est, dotem inofficiosam esse reuocandam, l. vni, C. de inoffic. dot.* ibid.

XXXIII. An pater solus dum viuit, non cæteri legitimi, & fratres spuriæ, possit reuocare, & auferre à marito illum excessum dotis? ibid.

℞. *Vt certum, quod viuente patre solus ipse possit excessum illum reuocare, mortuo autem illo possunt & alij filij legitimi; quia legitima non debetur illis viuente patre, sed mortuo: ergo viuente illo non possunt exigere illum excessum, sed eo mortuo.* ibid.

XXXIV. An possit pater dare filio spurio vltra alimenta aliquid propter benemerita ipsius spurij? ibid.

℞. *Quod sic, propter benemerita filij, seu seruitia exhibita ipsi patri, quia aliàs ad illa exhibenda nullo iure spurius tenebatur, dummodo de seruitiis, & meritis constet, & remuneratio non excedat. Quia hæc non est absoluta donatio, sed remuneratio, quæ non prohibetur.* ibid.

XXXV. An ex consensu filiorum legitimorum possit pater aliquid vltra quintum relinquere filiis spuriis? p.59

℞. *Vt certum, quod non; quia prohibitio relinquendi aliquid vltra quintum spuriis, non est in fauorem filiorum legitimorum; nam pater carens legitimis, nequit spuriis aliquid vltra quintum relinquere, sed est in odium delicti paterni.* ibid.

XXXVI. An in casu, quo pater præcipiat in testamento sua distribui inter pauperes, vel coniunctos, possit executor testamenti eligere filium spurium testatoris pauperem, & illi conferre aliquid ex illis bonis vltra quintum? ibid.

℞. *Vt certum, quod non; quia spurius est incapax bonorum patris vltra quintum: atqui hæc sunt bona patris, non executoris, qui nomine patris dat: ergo.* ibid.

XXXVII. An saltem possit executor testamentarius, cui commissum est aliqua bona inter pauperes distribuere, aliqua ex illis filio suo spurio pauperi conferre? ibid.

℞. *Quod sic, quia tunc non dat de bonis suis, nec nomine suo, quod est prohibitum, sed de bonis alienis, & nomine alterius.* ibid.

XXXVIII. An filij Clericorum, vel Religiosorum, sint capaces recipiendi aliquid (præter alimenta) à patre, via donationis, vel testamenti, vel ab intestato? ibid.

℞. *Vt certum, quod non, ex l. edita in ciuitate Soria, quæ est l. 6. tit. 8. lib. 5. nou. recopilat.* ibid.

XXXIX. An saltem filij spurij secularium possint recipere aliquid à suis parentibus carentibus descendentibus legitimis, via testamenti, aut ab intestato, aut donationis vltra quintum? ibid.

℞. *Vt certum, quod non; & si recipiant, teneri ad restitutionem, l. si quis incestis, C. de incestuos. nupt. & l. 1. C. de natural. liber. & clariùs l. 10. tit. 13. part. 6.* p.60

XL. An saltem spurius sit capax recipiendi aliquid à patre per fideicommissum; vel, quod idem est, an si pater bona sua fidei amici committat, vt det filio spurio, tunc hic spurius possit talia bona ab amico illo recipere, & retinere; & amicus teneatur, aut possit dicta bona dare spurio? ibid.

℞. *Primò vt certum, quod casu, quo ille amicus receperit illa bona, nulla ab eo præstita fide de dando ea spurio, licet conceperit fiduciam certam, quod dantur vt det spurio, tunc potest illa bona sibi retinere; quia fit dominus illorum, & consequenter potest illa dare spurio, & hic ea accipere; quia recepit illa à vero domino, & non à patre. Idem dicendum est, etiamsi recipiat illa bona vt hæres institutus, præstita fide restituendi spurio hæreditatem, hac conditione sibi relictam. Quia talis conditio habetur pro non apposita, cùm sit inhonesta, & contra leges; licèt peccent mortaliter pater, & hæres in apponendo, & admittendo talem conditionem; quia faciunt contra leges iustissimas prohibentes talem fidem præstare.* ibid.

℞. *Secundò vt certum, quod si amicus ille, qui fuit institutus à clerico, vel seculari patre spurij, det bona illa dicto spurio, existimans se ad id teneri ratione promissionis à se patri factæ, tunc non erit valida talis donatio, vel legatum; quia voluntariè non dat, cùm sit ignorantia in substantia ipsius actus, dum existimatur debitum, quod debitum non est.* ibid. & seq.

XLI. An data sententia, vt restituatur hæreditas, quam pater amico reliquit sub fideicommisso, vt daret filio spurio, sit restituenda fisco Ecclesiastico? p.61

℞. *Quod sic, casu quo hæres fideicommissarius sit Clericus: si autem sit laicus, fisco seculari. Quia hæc pœna imponitur à iure propter delictum hæredis amici præstantis dictam fidem: ergo necessariò debet applicari fisco suæ iurisdictionis.* ibid.

XLII. An dictus amicus hæres, qui fidem dedit testatori de restituendis bonis spurio, iuramento præstito de non reuelando id cuiquam, teneatur vocatus à Iudice, & interrogatus, an præstiterit fidem, verum dicere? p.62

℞. *Quod non, nisi præcedente infamia contra ipsum tacitæ fidei; quia in hoc casu non rogat iudex iuridicè, nisi præcedente infamia contra illum, qui fidem præstitit.* ibid.

§. II.

De ratione, qua filij spurij possint succedere matri. p.67

℞. Vt

§. III.

De obligatione, quam habet mater alendi, & educandi filios spurios, & naturales. p.71

℞. Quod

DISPVTATIO XI.

De causis, ob quas parentes filios exhæredare possunt, & è contra. P 77

§. I.

De causis, ob quas parentes possunt suos filios exhæredare. ibid.

℞. Vt

§. II.

De causis, ob quas filij parentes exhæredare possunt, eique alimenta negare. ibid.

DISPVTATIO XII.

De obligatione quam habent parentes, & aui, ad dotandas filias, & neptes. p. 86.

§. II.

De quantitate dotis, quam pater tenetur filiæ assignare. p. 89.

§. VI.

De bonis è quibus coniuges suis filiabus dotem designare debent. p.95

§. VII.

De causis, ob quas pater excusetur à dotandis filiabus. p.98

DISPVTATIO XIII.

De obligatione parentum erga filios adoptiuos. ibid.

§. II.

De personis, quæ adoptari, & adoptare valent. p.10

§. III.

De obligatione alendi filios adoptiuos? p. 102.

TRACTATVS II.

De obligatione coniugum inter se. pag. 105

DISPVTATIO PRIMA.

De obligatione mariti erga vxorem. ibid.

§. I.

De obligatione, quam habet maritus alendi vxorem. ibid.

§. II.

De obligatione, quam habet maritus dotandi vxorem, vbi & de donationibus inter illos. p. 111.

DISPVTATIO II.

De obligatione vxoris erga maritum. p.113.

§. I.

De obligatione, quam habet vxor alendi maritum. ibid.

§. II.

De obligatione, quam habet vxor obediendi marito. p.114.

DISPVTATIO III.

De peccatis coniugum contra hoc quartum præceptum. p.119

TRACTATVS. III.

De fratrum, sororumque obligatione mutua p. 122

DISPVTATIO I.

De obligatione fratrum alendi suos fratres, & sorores. ibid.

DISPVTATIO II.

De obligatione fratrum dotandi sorores p. 123

TRACTATVS IV.

De obligatione dominorum in seruos, & è contra. p.128

DISPVTATIO PRIMA.

De varijs seruorum generibus, de eorumque conditione, & licita fuga. ibid.

in

DISPVTATIO II.

De potestate dominorum in seruos. p. 136

DISPVTATIO III.

De obligatione, quam habent domini alendi seruos, & spiritualiter illos instruendi. p. 139

DISPVTATIO IV.

De obligatione seruorum, & mancipiorum erga dominos. p. 143

domus cura commissa est. Quia seruus, seu famulus, non ex eo quod talis sit, tenetur res domini, vel heri custodire ex iustitia, neque à domesticis, neque ab extraneis, nisi ad id speciali officio obligetur. ibid.

XV. An serui, vel famuli peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem, si furentur à suis dominis, aut heris aliquid in magna quantitate? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic.* ibid.

XVI. An etiam peccent serui, vel famuli, qui cibos ordinarios ex domibus dominorum, vel herorum ad comedendum furantur? ibid.

℞. *Probabiliter, quod non peccent mortaliter, etiamsi sensim perueniat furtum ad notabilem quantitatem; quia dominis non omninò displicet, vt hæc capiantur; & hora consueta minùs comedunt: si autem quæ auferuntur, vel sint modica, & in parua quantitate; vel si in magna, id faciunt casu quo domini eis de sufficienti cibo non prouideant, nec venialiter peccabunt; quia totum in vtilitatem dominorum resultat, qui tunc irrationabiles sunt. Peccabunt autem mortaliter, si hæc accipiant in magna quantitate ad vendendum, vt expendant in ludis, & aliis inhonestis actionibus. Quia tunc talis acceptio est verè furtum.* ibid.

XVII. An item immunes sint à mortali, & à restituendi onere, si famuli, aut serui, quibus tribuitur certa portio, id est, *se les da racion*, furentur dicta comestibilia communia è domô dominorum ad ea comedendum? p.147

℞. *Quod non, si accipiant quantitatem notabilem; quia tunc præsumitur hoc esse quoad substantiam tunc contra domini voluntatem.* ibid.

XVIII. An serui peccent, si furentur aliquid ad medicinam emendam, quando eis à dominis negatur? ibid.

℞. *Quod non; quia medicinam negando irrationabiles sunt domini.* ibid.

XIX. An eadem quantitas, quæ in furto facto ab extraneo sufficit ad mortale, sufficiat & in furto facto à seruo, vel famulo? ibid.

℞. *Probabiliùs, quod non, sed requiri maiorem; quia sic præsumitur ex voluntate dominorum, qui non ita durè sustinent furtum factum à seruo, quàm ab extraneis factum.* ibid.

XX. An seruus, & famulus teneantur operas suas præstare domino, & hero, aut illis operarii? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic, quia tenentur suis dominis, & heris seruire.* ibid.

XXI. An si quis legauit alicui vsumfructum sui serui, censendus sit legasse illi operas ipsius serui? p.148

℞. *Vt certum, quod sic, l. in hominis, ff. de operis seruor.* ibid.

XXII. An item, si quis legauit alicui vsum serui, censeatur etiam legasse illi operas serui? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic; ita tamen, vt ipse vsuarius vtatur, non vt locet, l. in hominis, l. fructus, ff. de oper. seruor.* ibid.

XXIII. An quidquid seruus, seu mancipium acquirit, domino, cuius est, acquirat? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic (exceptis aliquibus casibus, vt infra) §. 1. Instit. de iis, qui sunt sui, vel alieni iuris, & aliis iuribus.* ibid.

XXIV. An dictæ ciuiles leges disponentes, seruos non habere aliquid suum, vel proprium, obligent illos, non tantùm in foro externo, verùm & in foro interno, seu in conscientia? ibid.

℞. *Quod sic, in casibus, in quibus vigent, & non sunt legitima consuetudine abrogatæ, nec contrariantur Cæsareo iuri; huic autem non est contrarium quod in aliquibus casibus serui habeant dominium imperfectum aliquarum rerum.* ibid.

XXV. An seruus possit aliquid proprium sibi acquirere, casu quo inter ipsum, & dominum pactum aliquod interueniat? p.149

℞. *Quod sic, quia per tale pactum capax fit illius rei dominij.* ibid.

XXVI. An seruus acquirat dominium illius rei, quam dominus expressè, vel tacitè ei condonat, aut permittit? ibid.

℞. *Quod sic, quia sicut per pactum dictum fit capax dominij, ita & per donationem.* ibid.

XXVII. An item comparet seruus dominium illarum rerum, quæ pro damno, aut iniuria sibi illata ei sunt largitæ, aut restitutæ? ibid.

℞. *Probabiliùs, quod sic, non solùm quando à domino, sed etiam quando ab alio tertio restituitur; quia datur pro damno illato in his, quæ potestati domini non subiacent.* ibid.

XXVIII. An ancilla acquirat dominium illius rei, quæ ab amasio ob illicitum corporis vsum data est? ibid.

℞. *Probabiliùs, quod sic; quia hic casus non comprehenditur sub legum vniuersitate?* ibid.

XXIX. An seruus acquirat sibi, non domino, quidquid bonis propriis suis, non domini, ludo aut alia negotiatione lucratus? p.150

℞. *Probabiliùs, quod sic; etiamsi lucrum sit magnum; si id faciat sine vllo præiudicio obsequiorum, quæ domino debet.* ibid.

XXX. An si quid seruus ex his, quæ sibi dantur ad victum, parcimonia subtraxerit, illud sibi, non domino, acquirat? ibid.

℞. *Quod sibi acquirat, si subtraxerit sine domini incommodo, hoc est, non notabiliter minuendo vires; quia sic vsus pactum seruitutis declarauit.* ibid.

XXXI. An iter agentes, qui ob certum pretium ex cibis appositis ad satietatem manducare possunt, possint etiam subtrahere, & reseruare aliquid ex illis? ibid.

℞. *Quod sic, quidquid comesturi aliàs ex appetitu erant; quia hoc possunt ibi comedere, & parum hospitis interest, quod ibi, vel alibi consumant: si autem ex accidenti careant ferè appetitu, possunt ob compensationem pretij dati reseruare aliquid ad posteà comedendum.* ibid.

XXXII. An bona, quæ seruus ante captiuitatem, vel seruitutem habebat, acquirantur domino? p.151

℞. *Quod sic, loquendo de bonis, quæ secum portabat; non tamen de his, quæ in patria, aut alibi habebat: hæc enim sub dominio serui manent; quia sicut qui bellum commisit, non est factus seruus, donec ab aduersariis capiatur, sic nec bona quæ habebat, fiunt hostium, donec capiantur.* ibid.

XXXIII. An in bonis serui morientis succedat dominus? ibid.

℞. *Quod sic, loquendo de bonis, quorum solum vsum reuocabilem habet; non autem de bonis, quorum dominium habet seruus: quia de iis potest testari, quia dominus potest de re sua disponere liberè in vita, & causâ mortis.* ibid.

XXXIV. An si bona aliqua sint seruo donata, legata, seu relicta, ea conditione expressa, vel tacita, vt non acquirantur domino, tunc seruus sibi ipsi ea acquirat? ibid.

℞. *Probabiliùs, quod sic; quia tota incapacitas serui*

DISPVTATIO V.

De modis, quibus serui, seu mancipia à seruitute liberantur. p.153

TRACTA

TRACTATVS V.

De obligatione herorum erga famulos; & viciſſim famulorum erga heros. p.157

DISPVTATIO VNICA.

De obligatione herorum erga famulos, & è contra. ibid.

TRACTA

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO IV.

DISPVTATIO V.

De priuilegiis Episcoporum. ibid.

DISPVTATIO VI.

De obligatione, quam habent Episcopi residendi in suis Ecclesiis. p. 188

DISPVTATIO VII.

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam habent Episcopi circa diuinũ cultum, & christianam religionem augendam, & conseruandã p. 206

DISPVTATIO IX.

Compendiosa de potestate, auctoritate, & iurisdictione, quam habet Episcopus. p.207

DISPVTATIO X.

De obligatione Clericorum erga suos Episcopos.

DISPV

TRACTATVS VII.

De Parochis, & Parochiis. pag. 225

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO II.

De electione canonica Parochorum. pag. 229

XXIV. An

DISPVTATIO III.

De professione fidei à Parochis facienda. pag. 239

DISPV

DISPVTATIO IV.

De Parochorum residentia in suis Ecclesiis. pag. 245.

DISPVTATIO V.

De causis excusantibus Parochos à residentia in suis Ecclesiis. p. 253.

V. An

DISPVTATIO VI.

De pœnis, quibus Parochi non residentes afficiuntur. p. 263

XI. An

DISPVTATIO VII.

De præcedentia Parochorum. p.267

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam habent Parochi docendi, & prædicandi populo verbum Dei. p.269

DISPVTATIO IX.

Compendiosa de authoritate, & iurisdictione, quam habent Parochi. pagina 275

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

§. VII.

De Missis per Parochos ex obligatione celebrandis. p. 282

℞. Vt

cedere, nec orare, nec similia statuta nostræ regulæ obseruare, peccaret mortaliter? ibid.

℞. *Quod non, per se loquendo; bene tamen per accidens, quia causat talis graue damnum sibi; & Religioni, & fit dignus vt expellatur.* ibid.

XXI. An si quis Religiosus ieiunia Ordinis ad culpam non obligantia, ex gula, vel delectatione frangat, peccet venialiter? p.293

℞. *Quod sic, quia frangit ex causa inducente veniale.* ibid.

XXII. An peccet venialiter Religiosus, qui ex negligentia frangit statutum eundi ad chorum, refectorium, recreationem, &c. ibid.

℞. *Vt certum, quod sic, quia sine causa, ex solo animi torpore dicta frangere, pugnat cum recta ratione: ergo saltem veniale est.* ibid.

XXIII. An etiam peccet venialiter Religiosus, qui regulam, aut constitutiones sub peccato ex se non obligantes, transgreditur aliquo fine vel causa, quæ tunc videatur illi honesta? ibid.

℞. *Quod non, quia ex fine honesto accipit talis transgressio honestatem, licèt sit minus bonum, quàm seruare regulam.* ibid.

XXIV. An Religiosus transgrediens Regulam, aut constitutiones, ad nullam culpam obligantes, contra formalem obedientiam, seu præceptum Prælati, peccet mortaliter? ibid.

℞. *Quod sic, quia violat votum obedientiæ, ex quo tenetur adimplere quidquid à Superiore præcipitur conforme Regulæ, & constitutionibus.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Prælatis quibus Religiosi ex vi voti obedientiæ tenentur obedire. p.294

QVÆST. I. AN Religiosi ex vi voti obedientiæ teneantur Deo obedire? ibid.

℞. *Vt certum, quod non; quia finis huius voti est, vt homo per hominem dirigatur in his, quæ spectant ad perfectionem.* ibid.

II. An Religiosi teneantur ex vi voti obedientiæ obedire omnibus suarum Religionum Prælatis? ibid.

℞. *Vt certum, quod teneantur obedire Generali, Prouinciali & Prælato sui Conuentus; quia hi sunt, quibus per votum se subdiunt.* ibid.

III. An Religiosi ex vi voti obedientiæ teneantur obedire solùm Prælatis, quibus pro tempore subiiciuntur? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic, quia solùm tenentur obedire proprio Prælato.* ibid.

IV. An deinde teneantur Religiosi ex vi voti obedientiæ obedire Pontifici? ibid.

℞. *Vt certum, quod sic; quia emittunt votum obedientiæ per se primò Pontifici, tanquam supremo omnium Religionum Generali.* ibid.

V. An Religiosi potiùs debeant obedire Pontifici, quàm suis Prælatis Regularibus? pag. 295

℞. *Vt certum, quod sic; quia potestas, siue iurisdictionis, siue dominatiua, quam Prælati habent respectu Religiosorum, principaliùs residet in Pontifice.* ibid.

VI. An posito præcepto Prælati Superioris, teneatur adhuc Religiosus obedire præcepto contrario Prælati inferioris? ibid

℞. *Vt certum, quod non; quia promittit obedientiam cum debita subordinatione, quam ordo prælationis petit; & sic primò debet obedire Generali, secundò Prouinciali, tertiò Prælato conuentuali, nisi in Religione sit lex hoc aliqualiter modificans.* ibid.

VII. An Regulares ex vi voti obedientiæ teneantur obedire non solùm Prælato Monasterij immediato, sed etiam Superiori, Vicariόve eiusdem Monasterij? ibid.

℞. *Quod non, attento iure communi; quia votum obedientiæ propriè non respicit dictos Prælatos secundarios, sed solùm primarios.* ibid.

VIII. An Regulares ex vi voti obedientiæ teneantur obedire ei, cui Prælatus proprius delegauit potestatem præcipiendi? ibid.

℞. *Quod sic, quia indifferenter se obligant ad Prælatum, tam ordinarium, quàm delegatum.* ibid.

IX. An Religiosi teneantur ex voto obedientiæ obedire præceptis à Prælato sibi impositis, casu quo ipsi Religiosi extra eius territorium, hoc est, extra sua Monasteria, & Prouincias existant? p.296

℞. *Vt certum, quod sic; quia potestas Prælatorum Regularium est in ordine ad personas subditas secundum se, & vbicumque sint; cùm ratione voti obedientiæ se illis absolutè subiecerint.* ibid.

X. An Religiosi teneantur ex voto obedientiæ parère suo Prælato excommunicato tolerato? ibid.

℞. *Quod sic; quia talis Prælatus retinet adhuc sine detrimento suam potestatem integram, secundum quam præcipere potest: ergo tenetur subditus illi obedire.* ibid.

XI. An item teneantur Religiosi ex voto obedientiæ obedire suo Prælato excommunicato publico, seu non tolerato? ibid.

℞. *Quod sic, in iis, quæ pertinent ad potestatem eorum dominatiuam, & superioritatis. Quia excommunicatus vitandus non priuatur potestate dominatiua, & superioritatis. Non tamen tenetur obedire in iis, quæ pendent à iurisdictione propriè dicta; quia hac iurisdictione priuatur: immò nec potest illi obedire.* ibid.

XII. An rursus teneantur Religiosi obedire suo Prælato ab officio suspenso? pag. 297

℞. *Quod sic, in his, quæ spectant ad potestatem superioritatis, non verò in his, quæ spectant ad iurisdictionem propriè dictam; quia quando Superior suspendit alium Prælatum inferiorem, non priuat illum officio, sed solùm suspendit quoad exercitium illorum actuum, qui dependent à iurisdictione.* ibid.

XIII. An deinde teneantur Religiosi obedire Prælato, quem constat publicè incurrisse in aliquam

TRACTA

TRACTATVS PRIMVS, DE OBLIGATIONE FILIORVM ERGA PARENTES, ET E CONTRA.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Exod. 20. & Deuter. 5.

Aduerte, MI LECTOR, quod de tertio præcepto Decalogi, latè egimus *part. 3. tractatu primo, de obseruatione Festorum*, & ideò de illo nihil est in præsentiarum dicendum, eo quod superfluum sit, iterum ibi dicta repetere. Quapropter tractatu de tertio præcepto Decalogi prætermisso, ad quartum tractandum transimus.

DE hoc agunt S. Thomas 2.2.*q.*101. *per tot. & q.* 122. *art.* 5. Alex. de Ales *in summa part.*3.*q.*33. S.Bonau.Ricard. & alij Scholastici *in* 3. *d.*37. Sotus *lib.* 2. *de iustitia,q.*4.*art.* 5. Nauar. *in Man c* 14. Catechismus Roman. *in explicat. quarti præcepti* Valentia *tom.* 3. *disp.*7.*q.* 1.*punct.*1. Toletus *lib.*5. *sum. cap.*5. Ludou. Lopez *part.*1. *instruct. conscientiæ, cap.* 53. Medina *lib.* 1. *instruct. cap.*14. §. 13. Philiarcus *de offic. Sacerd. par.*2 *lib.*4. *cap.*20. Sayrus *in Claui Regia lib.*7. *à cap.* 4. Azorius *tom.* 2. *instit. Moral. lib.* 2. *à cap.*1. Iacob. de Graffiis *lib.*2. *decis. aurearum, à cap.*54. Bonac. *tom.*2. *circa quartum præceptum Decal. disp.*6.*q. vnica.* Trullench *tom.* 1 *lib.*3. *in Decal. à cap.*1. Filliucius *tom.* 2. *tract.*28. *in* 2. *part. tract. à cap.* 1. Thom. Tamburin. *lib.*5 *in Decal. à cap.*2. Rocaffull. *in Decal. par.*3. *lib.*2. Fagundez *lib.*4. *in* 4. *Decalogi præceptum, à cap.* 1. Carolus Mallettus *tom.*2. vbi *de præcep. Decal. malleatione.*8. Angelus Siluest. Caiet. & alij Summistæ *in verbo filij.* Villalobos *tom.*2. *tr.*14. *per tot.*

DISPVTATIO PRIMA.

De honore & reuerentia, quibus parentes à filiis honorandi sunt.

QVÆSTIO PRIMA.

Quare inter præcepta secundæ Tabulæ, primò posuerit Deus hoc præceptum honorandi parentes.

RESPONDEO dicendum, quod (loquendo in probabiliori sententia, quam sectati sumus *part. 6. tract. 1. disp. unic. quæst. 4.*) ideò posuit Deus Opt. Max. hoc præceptum primo loco secundæ Tabulæ, vel quia inter proximos, respectu quorum sunt huiusmodi secundæ Tabulæ præcepta, proximiores sunt parentes, vt vult Rocaffull. *lib.*2 *in Decalog. cap.*1. *num.* 1. vel quia, vt vult Acacius March. *tom.* 2. *resol. moral. verb. hijos, resol.* 29. cùm in prima Tabula conscripta essent præcepta de honore Deo exhibendo agentia; per consequentiam in secunda, præcepta honorem parentibus debitum tangentia subnectuntur, vt inde appareat honorem Deo exhibendum, honori parentibus debitum coniungi, parentesque in hac vita vices Dei erga filios agere, honoremque, ac obedientiam, quam filij parentibus exhibent, in eo quem ipsi Deo exhibemus, radicari. Acacij propria verba *cit. loc.* hæc sunt: *Porque hauiendo escrito Dios en la primera Tabla los preceptos que tocauan à su honor, escriuiendo en la segunda, los que tocauan al del proximo, empeçò por este de honrrar à los padres, con que parece, que quiso enlazar esta honrra que se deue à los padres con la que se deue al mismo Dios. Y porque el padre*

tiene

tiene las vezes de Dios para con sus hijos en la tierra; y el honor, y obediencia que los hijos dan à sus padres, es vna semenja del que damos à Dios, &c. Sic March. citans pro se D. Thomam *opusc.* 4. *de decem præceptis*: sed certè D. Thomas ibidem potiùs assignat rationem assignatam à Iosepho Rocaffull. quàm illam, quam adducit Acacius, illis verbis: *Inter omnes autem propinquos, sunt nobis propinquiores pater, & mater, & ideò dicit Ambrosius; Primo debemus diligere Deum, secundò patrem, & matrem; & hoc est, quod dicit: Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Hæc Angelicus Doctor.

QVÆSTIO II.

Quid verbo Honora; *quidve nomine* Honoris, *intelligatur in hoc præcepto.*

RESpondeo dicendum, quod honorare, nihil aliud sit, quàm de aliquo honorificè sentire, & quæ illius sunt, maximi putare omnia. Sic Catechismus Pij V. vbi de quarto præcepto Decal. *num.* 7. & ex illo Rocaffull. *suprà num.* 3. Vel vt alij volunt, honorare, est exhibere honorem alicui propter aliquam eius excellentiam. Vnde honor, definitur, quod vel sit, signum & testimonium quoddam alicuius excellentiæ, quæ est in honorato: vel, cultus, aut protestatio de excellentia bonitatis alicuius. Legantur D. Hieronym. *in Matth. cap.* 15. D. Thom. 1. 2. *q.* 2. *art.* 2. & 2. 2. q. 63. *art.* 3. vbi ex Arist. *in* 1. *Ethic. cap.* 5. ait, quod honor nihil aliud sit, quàm reuerentia quædam alicui exhibita in testimonium virtutis. Grassius *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 55. *num.* 1. Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 5. Bonac. *tom.* 2. *in* 4. *præcept. Decalogi, disp.* 6. *q. vnica, punct.* 1.

QVÆSTIO III.

Quibus actibus continetur honor, qui parentibus exhibendus est?

RESpondet Catechismus Romanus *num.* 7. *cit.* quod quatuor; nempe, amore, obseruantia, obedientia, & cultu. His quatuor actibus (ait Rocafful. *loc. cit.*) addit Azor quintum, nempe auxilium, vt subueniamus parentibus. Sed certè Azor non enumerat nisi quatuor actus, licet diuerso modo. Ait enim sic. *Quatuor potissimum eo nomine,* (nempe honoris) *significari, amorem, obseruantiam, & cultum, obediendiam, auxilium, & opem in necessitate parentum sublenanda.* Hæc Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 3. ex Alexandro 3. *p. q.* 33. & S. Thoma 1. 2. *q.* 122. *art.* 5. Angelo, Siluestro, Tabiena, Armilla, & Nauarro. Sic sentit etiam nouissimè Cornel. à Lapide *in cap.* 5. *Deuteronomij, vers.* 16. vbi ita ait: *Honora patrem tuum, & matrem.* Honora primò, amando; secundò reuerentiam internam & externam exhibendo; tertiò, obediendo; quartò, iuuando, & subueniendo. Hæc enim quatuor complectitur honor, hæcque parentibus sunt debita. Hæc Cornelius, & omnes communiter. Licèt Filliuc. *tract.* 28. 2 *p. cap.* 1. tribus actibus id complectatur, nempe, amore, reuerentia, & obedientia: idemque sentit Tambur. *lib.* 5. *cap.* 2. §. 2. *num.* 1.

QVÆSTIO IV.

Quare in hoc præcepto, posita est honoris vox, non amoris, aut metus?

RESpondeo cum Catechismo Romano *num.* 7. *cit.* rationem esse, quia etiamsi valdè amandi, ac metuendi parentes sint; tamen qui amat, non semper obseruat, & veneratur; & qui metuit, non semper diligit: quem verò aliquis ex animo honorat, item amat, & veretur. Hæc Catechismi Romani sunt verba, quæ desumpsit ex D. Thoma 1. 2. *q.* 122. *art.* 5. *ad* 3. non Azorij *loco cit.* vt malè refert Rocaffull. *cap.* 1. *cit. num.* 4.

QVÆSTIO V.

Quinam Patris nomine, hoc præcepto intelligantur.

RESpondeo dicendum, quod præcipuè, & primo loco intelligantur patres, qui secundùm carnem nos genuerũt, & procrearunt. Sic omnes DD.

Secundò intelliguntur, qui mediatè nos genuerunt, vt sunt auus, abauus, & proauus. Bonac. cum aliis *loco citato, punct.* 1. *num.* 2.

Tertiò, intelliguntur Ecclesiæ Præsules, & Sacerdotes, qui etiam Patres dicuntur, per doctrinam, & exemplum fidei, iuxta illud Apost. 1. *Corinth.* 4. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et *in Ecclesiast.* 44. scriptum est: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.*

Quartò appellantur patres ij, quibus, aut imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, & Rempublicam gubernant. Sic Naaman à famulis suis pater vocabatur. 4. *Reg.* 5.

Quintò, patres eos dicimus, quorum procurationi, fidei probitati, sapientiæque, & curæ tradimur, & commendamur. Eiusmodi sunt tutores, curatores, pædagogi, & magistri. Quare Eliam, & Eliseum filij prophetarum patres vocabant, 4. *Reg.* 4.

Sextò denique patres dicuntur senes, & ætate confecti, quos colere, & reuereri debemus, iuxta illud *Deuteron.* 32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores natu, & dicent tibi.* Et *Leuit.* 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Sic Catechismus Roman. *num.* 8. & ex illo (omninò ferè) non citato, Azor *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 1. Legantur S. Thom. *opusc.* 4. *de decem præceptis*, Nauarr. *in Man. cap.* 14. *num.* 1. Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 5. Bonac. *punct.* 1. *citato num.* 2. Rocaffull. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. & *cap.* 3. *per totum.* & alij. Quiidem dicunt, proportionabiliter loquendo, de nomine matris. Lege Alphons. Tostatum *cap.* 20. *Exodi, q.* 17. *vers. Et matrem tuam*: vbi probat, quod omnia, quæ de patre dicuntur, de matre etiam intelligenda sunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An præceptum honorandi parentes, sit affirmatiuum?

RE ſpondeo vt certum, primò, & per ſe eſſe affirmatiuum, ſecundariò verò negatiuum. Primum demonſtrant verba affirmatiua illius in lege poſita, nempe; *Honora Patrem tuum, &c.* Et ita peccatur contra hoc præceptum, per omiſſionem exhibitionis amoris, obſeruantiæ, obedientiæ, & cultus, quæ ſunt honori coniuncta, vt habitum eſt *q. 3.* Secundum etiam conſtat, quia ex præcepto poſitiuo dicto, naſcitur negatiuum præceptum, nempe non dehonorandi parentes; contra quod peccatur peccato commiſſionis, vt verbis contumelioſis, aut probris, conuitiis parentes afficiendo, &c. Sic Rocaffull. *lib. 2. cap. 2. dub. 3.* Legatur Sayrus *in Claui Reg. lib. 7. cap. 5. à num. 1.* non *lib. 11. cap. 8.* vt refert Rocaffull.

QVÆSTIO VII.

An hoc præceptum honorandi parentes, ſit iuris naturalis, & diuini?

RE ſpondeo vt certum, eſſe vtriuſque iuris. Quia omnia præcepta Decalogi ſunt iuris naturalis, & diuini, vt probauimus cum omnibus Doctoribus *part. 6. tract. 1. q. 5.* at hoc præceptum eſt quartum Decalogi: ergo. Legatur D. Thom. *1. 2. q. 98. art. 2. & 3. & q. 100. art. 2.* & Rocaffull. *loco cit. cap. 2. n. 6.* qui id ſpecialiter loquendo de hoc præcepto, probat ex illo præcepto generali: *Quod tibi fieri vis, alteri fac.* Sed filij vellent, vt ſui filij eos honorarent: ergo ipſi debent parentes honorare. Sic ille. Lege meipſum *loco citato quæſt. 6.* vbi cum communi omnium dixi, hoc, & alia Decalogi præcepta vigere adhuc nunc in lege gratiæ.

QVÆSTIO VIII.

An huiuſmodi præceptum honorandi parentes, ſit virtutis pietatis?

RE ſpondeo dicendum, quod ſi nomine parentum intelligantur parentes naturales, qui nos genuerunt, necnon cognati, patria, & amici, hoc præceptum ſit virtutis pietatis, quæ impellit homines ad colendum præfatas perſonas, tanquam principia quædam ſecundaria, quibus ſubſiſtimus, & conſeruamur. Sic Nauarr. *cap. 14. n. 1.* ex D. Thoma *2. 2. q. 101.* Azor *lib. 2. cap. 1. q. 4.* Rocaffull. *lib. 2. cap. 2. num. 7.*

Si verò nomine parentum intelligantur (vt poſſunt, iuxta dicta *q. 5.*) Præſules Eccleſiæ, in dignitate conſtituti, tunc hoc præceptum eſt virtutis obſeruantiæ, quæ ſecundùm D. Thom. *2. 2. q. 102. art. 1.* eſt virtus qua dictos veneramur, tanquam principia, non quidem exiſtentiæ noſtræ, ſed gubernationis. Sic Nauar. Azor, & Rocaffull. *loc. citatis.*

Si autem nomine parentum intelligantur Superiores, quibus tenemur obedire, eo quod ſint nobis aliqua poteſtate, & auctoritate præfecti, tunc hoc præceptum eſt virtutis obedientiæ, de qua agit S. Thom. *q. 104. & 105.* & nos infrà *tract. 8.* Legantur Azor *loco citato.* & Rocaffull.

Si tandem nomine parentum intelligantur benefactores, tunc hoc præceptum eſt virtutis gratitudinis, qua gratias habere, & agere debemus iis, qui de nobis benemeriti ſunt, aut in eo, quod in nos boni aliquid contulerint. Sic S. Thom. *loco cit. q. 108.* & ex illo Azor *loco cit. q. 4.* Rocaffull. *num. 7. cit.* Baſſeus *tom. 2. verb. parentes, num. 1.*

QVÆSTIO IX.

An hoc præceptum de honorandis parentibus, non ſolùm obliget filios reſpectu ſuorum parentum, verùm etiam ipſos parentes reſpectu ſuorum filiorum?

AFfirmat abſolutè Bonacina *diſp. 6. q. vnică, punct. 1. num. 5.* eo quod ratio naturalis dictet, parentes debere filiis ſubuenire, illiſque multa præſtare. Et quamvis in hoc præcepto non fiat expreſſa mentio amoris, & honoris parentum in filios, nihilominus ſubintelligitur: nec enim opus erat hoc debitum exprimere, cùm natura ipſa ſufficienter inclinet parentes in honorem, & amorem filiorum. Facta verò fuit mentio expreſſa honoris filiorum in parentes, quia filij non ita propendent in honorem parentum, ſicut parentes in amorem, & honorem filiorum rapiuntur. Ita ille ex D. Antonino *1. p. tit. 14. cap. 4. §. 5.* Reginaldo *lib. 20. cap. 1. num. 5.* & Molfeſio *in ſum. de precep. Decal. tract. 2. cap. 18. num. 18.* & ex aliis.

Sed clariùs reſpondeo dicendum, quod præfatum præceptum, primò, & per ſe obliget filios reſpectu ſuorum parentum, ſecundariò verò, & minùs principaliter obliget parentes reſpectu ſuorum filiorum. Sic ſentit Nauarr. *cap. 14. num. 1. fine,* his verbis: Quibus addimus, quod licet prædicta virtus pietatis præcipuè animum inclinet ad honorem exhibendum ſupradictis perſonis, tanquam principiis noſtris ſecundariis, à quibus noſtrum eſſe accepimus, & in eo conſeruamur; tamen ſecundariò, & minùs principaliter etiam inuitat parentes ad honorandum proprios filios, & maritum, & vxorem ad mutuò ſe honorandum. Sic meus Nauar. & ſic etiam hiſce verbis Rocaffull. Primò, & per ſe impoſitum eſt præceptum filiis honorandi parentes; quia maior eſt obligatio, quam habent filij erga parentes, quàm parentes erga filios: vnde præceptum hoc quartum Decalogi mentionem facit filiorum; *Honora patrem tuum, & matrem tuam:* & non parentum. Hæc Rocaffull. *lib. 2. cap. 4. num. 10.* Vel dic cum Sayro *in Claui Reg. lib. 7. cap. 4. num. 7.* in dicto præcepto tacitè contineri debitum, quod parentes debent filiis.

QVÆSTIO X.

Quare in iſto ſolo præcepto honorandi parentes ponitur præmium longæ vitæ, dicendo: Hõnora Patrem, *&c.* vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

RE ſpondeo cum Abulenſi, quia æquum eſt, quod ille, qui patrem, qui principium vitæ eſt, honorat, in habendo vitam longam præmietur:

è contrario autem, filiis, qui patrem non honorant, vita breuietur, incidantque in magna infortunia. Sic ille *in cap. 20. Exodi, q. 20.* Huius autem promissionis exempla adducit Sayrus *lib. 7. cap. 4. num. 8.* ex Sacra Scriptura, inquiens: Abimelech enim fratrum interemptor, sicque patrem suum inhonorans, indecora morte muliebri vulnere periit, *Iudic. 9.* Et filiis Heli, scilicet, Ophni, & Phinees, celer contigit interitus, vtpote patri inobedientibus, *1. Reg. 4.* Apsalon. item impietas in Dauidem patrem, inulta non fuit, in ipso namque iuuentutis flore extinguitur, & tribus hastis transfixus occiditur, *2. Reg. 18.* Legatur Catechism. Rom. vbi *de 4. precepto, à num. 18. vsque ad 20.*

QVÆSTIO XI.

An semper hi, qui parentes honorant, vita longiori viuant: & contrà, qui illos dehonorant, citò moriantur?

RESpondeo, quod non semper, sed regulariter loquendo. In his namque (ait Abulens.) occulta Dei dispositio latet. Quia fortè, qui parentes honorant, & boni sunt, citò rapiuntur, ne à malitia perturbentur. Sic dicitur *Sapient. 4. cap.* de bonis: *Placuit Deo, factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est, raptus est, ne malitia permutaret intellectum eius; & ne fictio deciperet animam illius.* De malis autem, & dehonorantibus parentes, si multùm viuant, dicendum est, quod fortè ex miseratione Dei euenit, expectando eos de die in diem ad pœnitentiam. Sic dicitur *Isai. 13. cap. Ideo expectat nos Deus, vt misereatur nostri.* Vel fortè ad damnationis suæ cumulum fit, vt non habeat, quo excusetur, qui tam diu expectatus ad pœnitentiam, non mouetur. Sic Abulens. *q. 20. cit.* Et latiùs Sayrus *num. 8. cit.* necnon & Bonac. *punct. 1. cit. num. 4. in fine,* Catechis. Rom. *loco cit. num. 19.*

Addit tamen, & rectè Abulens. *ibi*, quod adhuc de illo, qui honorat parentes, & citò mortuus est, dicere rectè possumus, & debemus, quod ille multis diebus vixit. Nam tempus est spatium concessum ad agendum; si autem aliquis in triginta annis fecit opera tanta, atque tam magnifica, quanta alius fortè non potuisset facere in 100. annis, dicitur vixisse plusquam ille qui vixit 100. annis. Sic ille, qui id latè sequitur, adducens in confirmationem illud *Sapientia 4. Consummatus in breui expleuit tempora multa:* idest, in paucis diebus compleuit multos dies. Sic ille, & sic S. Thom. *opusc. 4. de decem præcep.* Sayrus *num. 8. cit.* & alij: ex quibus iam liquet, quomodo intelligenda sint illa præcepti verba; *Vt sis longæuus super terram.* Et hæc quasi in genere dicta sufficiant, modò ad agendum speciatim de obligationibus filiorum, nempe de amore, obseruantia, obedientia, & cultu, quæ erga suos parentes exhibere debent. Sit ergo.

DISPVTATIO II.

De amore, quo filij tenentur parentes prosequi.

QVÆSTIO PRIMA.

An filij teneantur parentes suos diligere.

RESpondeo vt quid certum, teneri illos diligere, non solùm amore, & dilectione interna, verùm etiam externa, hoc est, ostendendo parentibus externa beneuolentiæ signa. Ratio sit, quia omnes tenemur proximum diligere, tam præcepto naturali, quàm diuino, vt latè diximus *part. 6. tract. 4. de charit. disp. 3. q. 3. & sequentib.* ergo à fortiori eisdem præceptis tenebimur diligere parentes, cùm nobis sint magis proximi. Sic omnes. Legantur Bonac. *disp. 6. cit. punct. 3. n. 1.* Thom. Tamburin *lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 2.* Azor *tom. 2. lib. 2. cap. 2.* & alij citati à nobis *part. 6. vbi suprà.* Legantur etiam Sayrus *lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. n. 8.* Baptista Fulgosius *part. 3. lib. 1. disp. 2. §. 8. à num. 223.* Basseus *tom. 1. verb. filius.*

QVÆSTIO II.

An hoc præceptum diligendi parentes consistat in tribus, nempe in dilectione interna, necnon & externa; & etiam in fuga odij, quod est dilectioni contrarium.

RESpondeo vt certum, in his tribus consistere. Debent namque filij amore interno nonnunquam amare parentes: quia vt *p. 6. tract. 4. disp. 3. q. 6. & 7.* diximus, præceptum dilectionis internæ erga proximum, obligat nos aliquando: ergo à fortiori obligabit erga parentes. Deinde debent filij diligere parentes amore, & dilectione externa, hoc est, debent ostendere parentibus signa beneuolentiæ, quando casus occurrit: & ratione horum hoc præceptum est affirmatiuum. Denique filij obstringuntur ad non odio habendum parentes. Et quia ratione huius hoc præceptum est negatiuum, ideò nullo tempore, nec vllo in casu, aut propter vllam causam licitum est filiis parentes odio habere. Legantur Sayrus. Bonac. Azor, & alij supra citati.

QVÆSTIO III.

An filij, qui ex odio mortem parentum desiderant, peccent mortaliter?

RESpondeo vt certum, peccare mortaliter: quia certum est, quod optare ex odio aliquod graue, aut notabile damnum animæ vel corporis alicui, est peccatum mortale; ergo & exoptare ex odio mortem parentibus erit mortale, & grauissimum. Excusari enim minimè potest filius à grauissimo scelere, qui pro bono accepto à parentibus, malum;

malum; pro amore, odium illis reddit exoptans mortem eisdem. Id enim contra naturam est, & ab ethnicis summopere reprehensum, iuxta illud Ouid. *libro primo Metam. Filius ante diem patrios inquirit in annos, victa iacet pietas.* Sic omnes. Legantur Syluest. *verb. filij, quaest.* 22. Nauarr. *cap.* 14. *n.* 12. *&* 13. Graffius *lib.* 2. *cap.* 55 *n.* 12. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 7. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. Reginald. *lib.* 20. *num.* 8. Molfes. *tract.* 11. *num.* 1. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 3. *num.* 3. Tambur. Iesuita *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. §. 2. *n.* 2. Rocafful. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *num.* 27. Azor *tom.* 2. *lib.* 2 *c.* 2. *quaest.* 2. March. *tom.* 2. *verb. hijos, resol.* 29. *num.* 6. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. *num.* 1. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 3. Bassæus *tom.* 1. *verb. filius, n.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 41. *diff.* 6.

QVÆSTIO IV.

An saltem sit immunis à peccato mortali, qui non ex odio, sed ex aliquo fine honesto parentibus mortem exoptat?

NEgant communiter Doctores, existimantes, non vacare culpa graui, exoptare mortem parentibus, ex aliquo fine, etiam honesto. Quia tunc reuerà eligit filius velle malum parentibus, quamvis ob finem aliquem honestum, verbi gratia, ob causam sui commodi: ergo tali velle, seu voluntati necessum erit malum inesse culpæ. Ideò ita sentit Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *circa* 4. *precep. Decal. q. vnica, punct.* 3. *num.* 3. His verbis. Secundò sequitur, illum grauiter peccare, qui aliquod malum animæ, vel corporis parentibus exoptat, exempli gratia, cupiendo illis mortem, vt quàm primùm in hereditatem succedat. Ita ille, qui & citat Siluestrum, Nauarrum, Graffium, Reginald. Toletum, Sayrum, & Molfesium, locis nuper à nobis citatis. His addo ego Trullench, Bassæum, & Rocafful. *loc. cit.* Fagundez *vbi suprà, n.* 2.

Alij contrà affirmant, immunem esse tunc à culpa graui illum, qui parentibus suis exoptat mortem, ob bonum aliquod temporale ipsi inde sequuturum; nempe vt quàm primùm in hereditatem succedat, vel vt liberetur à dura eorum custodia. Quia huiusmodi desiderium de morte parentum, tunc non tam est desiderium de malo illorum, quàm de bono inde secuturo: ergo non habet malitiam peccati, cùm illam habere non possit, nisi finis illius malus sit, cùm tota species actus inefficacis ex fine desumatur. Sic tenet Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *de charitate, punct.* 1. *num.* 11. qui & confirmat dictam rationem sic: Quia tibi licitum est hereditatem optare, honorem appetere ad actus virtutis præstandos. Item carere molesta infirmitate, inopia, aliisque malis, vt liberiùs Deo seruire possis. Cognoscis autem hæc omnia consequi te non posse, nisi Deus è vita præsenti proximum tollat; poteris ergo ex supradicto fine, & ob illius consecutionem, proximi mortem desiderare, & de illa succedente gaudere; quia non gaudes de illa, quatenus proximo mala est, ibi sistendo (hoc esset malum:) sed gaudes de illa, quatenus est causa tui emolumenti, & secundum hanc rationem bona esse videtur, & appetibilis. Sic Palaus, qui & citat pro se Emman. Sà *verb. Charitas, num.* 8. Azorium 1. *p. lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 2. & Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *punct. vltimo, num.* 7. & Ioannem Sanchez *disp.* 2. *select. num.* 9. Ex quibus Bonacina contrarius sibi videtur. Nam vt vidimus loco à nobis pro prima sententia adducto, expresè negatiuam tenet sententiam. Hic affirmatiuam tuetur iis claris verbis: Ex dictis (inquit) sequitur primò, eum grauiter peccare contra Charitatem, qui alicui malum exoptat ex displicentia personæ, & non ob bonum ipsius, vel alterius. Et paulò post: Secus si gaudeat de malo, vel tristetur de bono, ex bono motiuo; actus enim inefficax specificatur à motiuo, ab eoque bonitatem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicuius tristatur, quia ex recta valetudine occasionem sumit peccandi. Et post pauca: Idem dicendum videtur de matre, quæ mortem filiabus exoptat, quia occasione ipsarum, malè secum agitur à marito, aut iniuriis afficitur; non enim propriè detestatur filias ex displicentia ipsarum, sed in detestatione proprij mali. Hæc Bonacina. Propter quæ optimè dixit Thom. Tamburinus, illum sibi aduersari, & meritò Castropalaum pro se citare eum potuisse. Legatur adhuc Bonac. *loco citato, num.* 11. vbi repetit, non esse peccatum velle alteri malum ex honesto fine.

Sed ego respondeo dicendum, quod ex his duabus sententiis, prima sit valde probabilis, secunda verò non minùs; & quia fauorabilior est pœnitentibus, illa in casu occurrenti, ne in peccatum ex fragilitate irruant, est eis consulenda. Ideóque dico, quod si quis absolutè desideret in hunc modum. *Exopto, & cupio mortem patris mei, non vt malum patris mei est, sed vt bonum meum, seu vt causa mei boni; nimirum, quia ex illius morte ego eius hereditatem adibo.* Tunc sic exoptans minimè peccet mortaliter; quia tale desiderium est de bono fine, non de malo. Sic sentit Thom. Tamburinus, sequutus Palaum *lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. §. 3. *à num.* 31. & alij Doctores pro secunda sententia adducti. De qua materia latiùs dicemus circa quintum præceptum Decalogi.

QVÆSTIO V.

An filij peccent mortaliter, si parentes toruis oculis ferè semper respiciant?

REspondeo vt certum, quod sic, etiamsi aliàs eos non odio habeant, (imò & potiùs diligant.) Quia reuerà tenentur eos diligere non solùm corde, sed signis, & operibus. Sic Angel. *verb. filij, num.* mihi 29. (Nauarro 30.) ibi: Et non sufficit quod amor consistat in corde, sed oportet quod ostendatur in signo, nec debet esse amor, quo obligamur omnes diligere, sed specialis, & præcipuus. Et propterea non excuso à mortali filios, qui nunquam signum amoris ostendunt parentibus, imò semper loquuntur durè, & videntur eos habere exosos. Sic ille, & ex illo clariùs Nauarrus *cap.* 14 *num.* 10. Graffius *lib.* 2. *decis. c.* 55. *num.* 5. Sayrus *lib.* 7. *Clauis Reg. cap.* 5. *num.* 8. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 41. *diff.* 6. *num.* 2. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 3. *in fine*, Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. & omnes communiter, apud Fulgosium 3. *part. lib.* 1. *disp.* 2. §. 8. *num.* 224.

QVÆSTIO VI.

An item peccent mortaliter filij, qui suos parentes ita asperè loquuntur, ac si eos odio haberent?

RESpondeo vt certum, quod etiam peccent mortaliter; quia (vt diximus) non solùm corde, sed ore etiam eos amare tenentur. Sic Angel. Nauarr. Graffius, Sayrus, Bonac. Trullench *loc. cit.* & Villalobos iis verbis: *Aunque el hijo ame à sus padres interiormente, si exteriormente siempre les muestra ceño, y les habla asperamente, como si los aborreciesse; peccara mortalmente.* Sic ille, necnon & Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. Medina *lib.* 1. *cap.* 14. §. 14. Thom. Tambur. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. §. 2. *num.* 4. & omnes.

QVÆSTIO VII.

An deinde peccent mortaliter filij, qui suos parentes, etiam leuiter percutiunt, aut verberant.

NEgare videtur Graffius *lib.* 2. *decis. cap.* 55. *num.* 5. indicans, non peccare plusquam venialiter, casu quo leuiter filij parentes suos percutiant. Ait enim sic: Debita veneratione filios non prosequi parentes, imò eis notabiliter (nota hoc aduerbium) iniuriare, aut verberare, aut eis absentibus detrahere, procul dubio mortale peccatum impietatis est. Caiet. *in sum. in verbo, filij peccata.* Nauarr. *cap.* 14 *n.* 13. Ita Graffius.

Sed vt certum mihi respondeo peccare, & mortaliter, non solùm si notabiliter, verùm etiam si leuiter percutiant, aut verberent suos parentes. Quia reuerà quæuis percussio, aut verberatio inflicta parentibus, reputanda est grauis, & nimia, si cum animi deliberatione fiat. Sic sentit Nauarrus eodemmet loco à Graffio adducto, *num. mihi* 12. (illi 13.) vt dicunt hæc eiusdem verba: Quintò peccat (mortaliter intellige) filius, qui parentes, etiam leuiter percutit, secundùm Ricard. *in* 3. *d.* 37. vel contumeliosis verbis ipsos cum animi deliberatione incessit, vt meritò illos ad iracundiam notabilem prouocet. Alex. *in* 3. *p. de* 4. *precep.* & Ricard. *vbi suprà.* Hæc meus Nauar. & bene certè. Quia notabilis percussio, aut verberatio, cuicumque infligatur, mortalis est: vt differat igitur ab hac communi, si parentibus fiat, etiam leuis pro notabili est habenda, ratione paternæ circunstantiæ. Lege Villalob. *loc. cit. n.* 1. & Trullench, & alios mox citandos.

QVÆSTIO VIII.

An rursus peccet mortaliter filius, qui licèt non percutiat, eleuat tamen manum ad percutiendum parentem.

NEgare aliquos DD. indicat, nec reprobat Tamburinus infrà citandus.

Sed respondeo vt certum mihi, etiam peccare mortaliter, si id faciat cum sufficienti deliberatione Quia talis ad percutiendum parentes manum eleuatio, grauis iniuria, & irreuerentia reputatur. Sic Trullench *l.* 4. *c.* 1. *dub.* 2. *n.* 5. his verbis: Hinc sequitur primò, peccare contra reuerentiam paternam filium, qui parentes percutit, etiamsi percussio leuis sit in ratione nocumenti; imò etiamsi filius tantùm eleuet manum cum sufficienti deliberatione ad percutiendum. Sic ille, qui & citat Nauarrum *cap.* 14. *num.* 13. Sayrum *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 7. & 8. Reginald. *lib.* 20. *num.* 24. Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 6. *q. vnica punct.* 2. *n.* 4. & Filliuc. *tract.* 28. 2. *p. cap.* 1. *q.* 8. *n.* 17. Sed ex his, quos citat, Doctoribus, Nauarrus id non exprimit, vt constat ex eiusdem verbis, nuper quæstione antecedenti allatis. Imò nec Sayrus, nec adhuc Filliucius id docet ex propria sententia, sed ex aliorum; ait enim peccare filios contra reuerentiam patris: Primò si percutiant, etiamsi percussio sit leuis in ratione nocumenti, vel (attende Lector) secundùm aliquos, etiamsi tantùm attollatur manus ad percutiendum, nec sequatur percussio. Hæc enim iniuria, eo quod fiat parentibus, habet magnum malitiam. Hæc Filliuc. & eisdem ferè verbis id tenet Tamburinus *lib.* 5. *cap.* 2. §. 2. *n.* 12. Primò enim (inquit) si filius parentem percutiat, etiamsi percussio sit leuis, imò secundùm aliquos, etiamsi solùm attollatur manus ad verberandum, piaculum mortale committit. Sic ille. Solùm igitur nostram tenent sententiam Bonacina *loc. cit.* qui & citat pro se, vltra Nauarrum, Sayrum, Reginaldum, & Filliucium, vbi suprà, Graffium 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 56. (lege 55.) *num.* 6. Sed hic Author solùm dicit, quod peccaret filius mortaliter, si impias manus in patrem iniiceret, vel attentaret illi inferre vitæ periculum, etiamsi effectus non sit secutus, veluti ponendo insidias, vel dando venenum. Quod certè nullus negat, nec audebit. Non ergo loquitur Graffius de nostro casu, cùm in illo non omnes conueniant. Tenet etiam nobiscum Rocafful *lib.* 2. *in* 4. *precep. cap.* 4. *num.* 27. & Gambarupta *de casib. reseruatis pag.* 111. March. *verb. hijos, resol.* 29. *num.* 7. Basseus *tom.* 1. *verb. filius. n.* 4.

QVÆSTIO IX.

An saltem immunis sit à peccato filius, qui ad se defendendum legitimè, patrem percutit?

NEgandum adhuc videtur, eo quod absolutè dicitur *Exodi* 21. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur.*

Sed respondeo dicendum, quod tunc immunis sit à mortali: quia percussor non est, qui se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, alium percutit, vt constat *ex l. qui percussorem, ff. de sicar.* Sic tenet Couarr. *in cap. Raynutius, de testam. num.* 9. *pag. mihi* 130. & apud illum Ripa *in l. final. C. de reuoc. donat. q.* 19. & Gerard. *singul.* 2. Sic etiam Filliuc. *tract.* 28. 2. *p. cap.* 1. *q.* 8. *num.* 17. Dicastillo *lib.* 2. *de iust. tract.* 1. *disp.* 10. *dub.* 3. *n.* 30. Vbi ita ait: Colligitur vlteriùs, licitum esse filiis contra parentes, seruis contra dominos, vassallis contra Principes, vim vi repellere, quando actu inuaduntur iniustè, cum prædictis conditionibus. Idemque de Monachis, aut subditis, contra Abbates, & Superiores. Est communis sententia. Hæc ille. Rocafful. etiam *cap.* 3. *cit. n.* 30. March. *num.* 7. *citato.* Azor *cap.* 2. *q.* 14. Villalob. *diff.* 6. *citata, num.* 8.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An item possit licitè filius percutere, aut occidere patrem sumentem arma contra Patriam, vel Rempublicam?

AFfirmant absolutè Filliuc. *loco cit. n.* 17. & Couarru. *n.* 9. iis verbis: Idem erit, si filius patrem percusserit defendens ipsam patriam, *l. minimè ff. de relig. & sump. funer.* Abbas *in cap. peruenit, de immunit. Eccles.* Ripa *in d. l. fin. q.* 23. Decius *in cap. qua in Ecclesiarum, num.* 14. *de constit.* Fortun. *in l. veluti, ff. de iust. & iure, col.* 9. Siquidem patriæ potiùs subueniendum est, quàm parenti in pari periculo, & necessitate, vti nostrates tradunt *in d. l. veluti, ff. de iust. & iure*, & potissimùm Fortun. *ibi col. penult. & fin.* Idem admonet Plato *in Critone*, cuius, & aliorum in hanc rem pulchra verba congessit Strobæus *serm.* 37. Optimus text. *in l.* 1. *§. & generaliter, ff. de vent. in poss. mittend.* dum dixit: *Qui etsi non tantùm parenti, cuius esse dicitur, verùm etiam Reipublica nascitur.* Sic & Cicero *lib.* 1. *Offic.* inquit: *Non nobis solùm nati sumus, ortúsque nostri patrem patria vendicat.* Et paulò post: Idem Cicero *Philippica* 2. *Atrocius (inquit) est patriæ parentem, quàm suum occidere.* Idem Cicero *lib.* 3. *de Offic.* scribit in hunc modum: *Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectauit, patriæ salutem anteponet filius saluti patris.* Hæc Couarruu. Et doctè certè. Sed non recedendo, vt credo, ab eius sententia, sed declarando illam.

Respondeo dicendum, quod in assignato casu licitè possit filius percutere, aut etiam occidere suum patrem, nisi casu, quo aliud esset remedium, aliave via, qua illud patriæ, aut reipublicæ publicum malum auerti à filio possit: quia tunc, seruando incolumen patriam, ad id tenebitur, vt constat. Sic tenet Dicastillo *lib.* 2. *de iust. & iure tract.* 1. *disp.* 10. *dub.* 1. *num.* 15. Quem, licèt satis timidè, videtur sequi Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. *§.* 2. *num.* 10. Sic etiam nobiscum sentit cum aliis Diana mox citandus.

QVÆSTIO XI.

An deinde, casu, quo Princeps det liberam facultatem occidendi bannitos, seu proscriptos à patria, tunc possit filius patrem bannitum occidere?

AFfirmant quidam Iurisconsulti: Primò, quia filius debet negare alimenta patri bannito: ergo & poterit occidere. Secundò, quia alicubi adsunt leges, vt qui bannitos, seu proscriptos occiderit, mercem consequatur, à cuius consecutione non excluduntur filij: ergo. Ita sentiunt Bartol. *in l. si adulterium cum incestu, §. liberto, ff. de adulter.* Gomez *in §. Rursus, num.* 22. *Instit. de action.* Berous *in cap. qua in Ecclesiarum, n.* 114. & Paul. Castrens. *consil.* 426. *in princip. lib.* 1. Panorm. *consil.* 108. *circa medium, lib.* 1. Decian. *in tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 8. & est communis opinio, vt aiunt Marsil. *in l.* 1. *§. præterea, n.* 32. *ff. de quæstion.*

Sed alij contrà sentiunt, tenentes minimè posse filium licitè occidere patrem bannitum, seu proscriptum à patria: quia quamuis pater bannitus, hostis sit publicus, naturaliter tamen cognatus manet, & consanguineus; cùm naturalis consanguinitatis affectio nullo pacto aboleri, nulloque iure dirimi possit. Ideóque, vel ipsa natura mouente, & veluti vrgente, filius patris banniti, saluti potiùs consulere, quàm eundem occidere necesse habet. Ita tenent multi DD. existimantes, mortaliter peccare filium patrem bannitum occidendo; sunt autem Fortun. *in d. l. veluti ff. de iust. & iure*, Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 7. *n.* 5. & *in cap. Raynutius, de testament. num.* 9. *in fine*, Iulius Clarus *lib.* 5. *sententiarum, §. homicidium, versic. Sed hic quæro, fol mihi* 35. *col.* 4. vbi ita ait: Mihi quidem hæc opinio (nempe opposita) nunquam placuit, sed semper visa est crudelitatis, & impietatis plena; licèt enim pater sit bannitus, non tamen definit esse pater, neque iura naturalia amittit: proptereà ego tali filio patrem occidenti censerem caput amputandum. Hæc Clarus ibi. Et *in addit. vers. mihi, adde*: vbi citat alios Authores. Sic etiam tenent Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. *§.* 2. *n.* 10. & apud ipsum, Layman *lib.* 5. *sect.* 5. *tract.* 3 *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. *pag. mihi* 118. Sed an absolutè benè citet Tamburinus hunc Authorem, statim videbimus.

Sed iuxta superiùs dicta, respondeo dicendum cum hac secunda sententia, quod nullo modo liceat filio occidere Patrem bannitum, aut proscriptum, nisi casu, quo pater nimis nociuus esset Reipublicæ, aut patriæ, & illi nocumento nequeat aliter à filio obuiari. Sic tenet Dicastillo *lib.* 2. *de iust. & iure, tract.* 1. *disp.* 10. *dubit.* 1. *num.* 15. per hæc verba: Quæri tamen potest, an liceat filio occidere patrem bannitum? Multi affirmant, in quibus Bartol. Gomez, & alij apud Iul. Clar. *§. homicidium. vers. sed hic quæram.* (lege tu, *vers. sed hic quæro.*) Probabilius tamen est, quod ipse Clarus docet, non licere. Nam ob eam præcisè causam non definit esse filius, neque amittit obligationem naturalem erga patrem; quamuis me quidem iudice, si pater esset noxius Reipublicæ, & communitati, neque aliud esset remedium auertendi tale damnum, tunc approbarem sententiam prædictorum Auctorum. Nam sicut filius potest accusare patrem de crimine hæresis, aut læsæ Maiestatis, & cæteris, quæ vergunt in commune damnum, etiamsi certò sciat, inde patrem fore occidendum; ita si non est aliud remedium auertendi damnum commune, nisi propria manu occidendo patrem proscriptum, videtur posse. Sic Discatillus, quem refert, & sequitur Diana *part.* 8. *tract.* 7. *Resol.* 42. Necnon & Gaspard Hurtado *de iust. & iure disp.* 11. *diff.* 3. Hanc eandem nostram sententiam videtur tenere Layman; nam loco citato sic ait: Excipiendi parentes, liberi, vxor, &c. qui proscriptum alere tenentur (siquidem ius ciuile, naturalia iura non tollit) tantùm abest, vt occidere possint, nisi actualis ille (nota mi Lector) Reipublicæ hostis existat, sicuti notauit Clarus *n.* 59. Hæc Layman. Sic etiam sentit Filliuc. *loco cit. n.* 19. dicens, non posse in casu nostræ quæstionis, filium occidere patrem proscriptum, nisi esset actualiter patriæ hostis, vel Reipublicæ proditor: sic ille, & Azor antea *lib.* 2. *cap.* 2. (non 3. vt leges apud Filliuc.) *q.* 15. Trullench. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 10.

QVÆSTIO XII.

An peccent mortaliter filij, qui deliberatè parentibus, siue viuis, siue iam mortuis maledicunt?

AFfirmat absolutè, & absque vlla distinctione Bonac. *tom. 2. disp. 6. q. vnica, punct. 2. sub n. 4.* ita scribens: Quintò sequitur, illum grauiter peccare, qui maledicta in parentes viuos, aut mortuos coniicit. Ita Nauarr. *cap. 14. n. 13.* Graffius *lib. 2. decis. cap. 55. n. 10.* Reginald. *n. 14.* Molfesius *tract. 11. n. 53.* & Filliuc. *loco cit. n. 17.* Hucusque Bonacina. Idem docet Tamburin. *lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 2. num. 13.* March. *verb. hijos, resol. 29. n. 6.* Sayrus *lib. 7. Clauis, cap. 5. n. 3.* & Basseus *tom. 1. verb filius, n. 4.* & alij.

Sed clariùs respondeo tanquam certum, primò, quod filij qui deliberatè, & ex animo maledicunt suis parentibus, mortaliter profectò peccant: id constat, primò ex Scriptura sacra *Exod. 21. & Leuit. 20.* vbi morte præcipitur puniri, qui maledixerit patri suo, aut matri. *Qui maledixerit* (inquit) *patri suo, aut matri, morte moriatur. Qui patri, matrique maledixit, sanguis eius sit super eum.* Hoc est (ait Cornelius à Lapide) sanguis, id est reatus, & pœna sanguinis, hoc est, mortis, quam meruit. Quasi dicat, sua culpâ pereat, & morte puniatur per iudicis sententiam. Sic ille. Secundò, quia quicumque maledicit alicui rationali creaturæ deliberatè, & ex animo, peccat mortaliter contra charitatem, vt diximus *part. 7. tract. 1. de iuram. disp. 5. quæst. 53.* cum communi omnium: ergo à fortiori peccabunt mortaliter filij, si ex animo, & deliberatè maledicant parentibus.

Respondeo secundò; si filij solùm ore tenus absque animo, & scandalo maledicant parentibus, solùm peccant venialiter. Sic in primis sentit Nauarr. *loco citato num. 12. mihi*, vbi ita ait. Sextò, filius, qui ex animo ipsis (id est, parentibus) maledicit, siue viuis, siue iam sæculo defunctis, peccat mortaliter. *Exodi 21.* Alexand. *vbi suprà.* Si tamen ore tenus tantum maledixit, non ampliùs, quàm venialiter offendit. Sic ille, & sic Graffius: Filij, qui parentibus viuis, vel mortuis ex animo maledicunt, peccant mortaliter; sed si ore tenus, venialiter. Nauar. *cap. 14. n. 13.* (lege 12.) *vers. sextò.* Sic ille, & sic Filliuc. Secundò peccant mortaliter, si deliberatè maledicant parentibus viuis, vel mortuis; non autem, si tantùm ore tenus, absque animo. Sic Filliuc. & communis.

Respondeo tertiò; peccant mortaliter filij, qui non ex animo, sed solùm ore tenus maledicunt parentibus, si id faciunt cum scandalo, quia tunc quamvis solùm peccent venialiter contra charitatem, & pietatem paternam, peccant tamen mortaliter peccato scandali; vt constat. Sic innuit Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 6.* per hæc verba: Secundò peccat filius grauiter, qui maledicta in patres viuos, aut mortuos deliberatè, & ex animo coniicit, quod peccatum pœna mortis puniebatur *Leuit. 20.* &c. Secus tamen, si ore tenus, absque animo, & scandalo. Hæc Trullench.

QVÆSTIO XIII.

An item peccaret mortaliter filius, qui solùm cum semiplena deliberatione, ex animo malediceret patri?

AFfirmant aliqui Doctores apud Sayrum *lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 3.* ibi: Dixi, *animo deliberato*: quia multi volunt, etiamsi non sit plena aduertentia, & deliberatio, esse peccatum mortale; & eadem indeliberatio, quæ fortè in aliis præceptis excusaret à peccato mortali, in hoc non excusat. Et ratio est, quia tam clarum est in lumine naturali hoc præceptum, vt statim occurrere nobis debeat eius memoria. Quæ opinio valde probabilis est. Hæc Sayrus, qui vt vides, opinionem huiusmodi valdè approbat.

Sed multò longè probabiliùs, imò vt mihi certum, respondeo, non peccare mortaliter, sed venialiter solùm, defectu omnimodæ aduertentiæ, & deliberationis; quia ad transgressionem mortalem cuiuscumque præcepti, verè requiritur plena omninò aduertentia, & deliberatio, vt constat ex dictis sæpè à nobis: ergo si hæc deficiat filio cùm maledicta in parentem coniicit, deficiet tali maledictioni & culpa mortalis. Sic tenent Doctores nuper *quæst. 12.* cit. vt colligitur ex eorumdem relatis verbis; & præcipuè Bonac. *loco cit. punct. 2. sub num. 3. vers. dixi per se loquendo.* Trullench *loco cit. num. 7.*

QVÆSTIO XIV.

An peccet mortaliter filius, qui animo deliberato verbis contumeliosis parentes afficit, & eos ad iracundiam notabilem prouocat?

REspondeo vt certum, peccare mortaliter, si verba, quæ in parentes profert, sint ex se in magnam iram prouocatiua, etiamsi parentes non irascantur. Quia in materia graui, animo deliberato agit contra quartum Decalogi præceptum. Sic Sayrus *cap. 5. cit. num. 3. in fine*: Bonac. *loco citato, num. 4.* Toletus *lib. 5. cap. 1. num. mihi 11.* (Bonacinæ 9.) Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 1. num. 7.* & alij. An autem in confitendis his peccatis, sit necessum circunstantiam maledictionis, aut contumeliæ erga parentes explanare in confessione, dicemus infrà *quæst. 15. disp. 5.*

QVÆSTIO XV.

An item peccet mortaliter filius, qui scienter parentes ad magnam iram prouocat, etiam casu, quo verba ex sua natura ad talem iram inductiua non sint?

AFfirmat adhuc Bonacina *num. 4. cit.* per hæc verba: Secundò sequitur, eos grauiter peccare, qui parentes ad grauem iram scienter prouocant, etiamsi verba ex sua natura, in magnam iram minimè inductiua sint, licèt contrarium sentire videantur Tolet. *lib. 5. cap. 1. num. 9. & Clauis Reg. lib. 5. cap. 7.* (tu lege 5.) *num. 3.* Hæc Bonacina: Cuius sententiam sequitur Trullench *loc. cit. num. 7.*

num 7. dicens (sed malè) id sentire Bonacinam cum Sayro, & aliis, cùm expresse ille fateatur oppositum sentire Sayrum & Toletum, nec pro se aliquem citet. Ita etiam sentit Basseus *tom. 1. verb. filius, num. 4.* Malletus *tom. 2. malleatione 11. bractea 2.*

Sed probabiliùs respondeo in dicto casu, non peccare filium mortaliter, sed venialiter solùm. Sic Sayrus, & Toletus *locis citatis*, & nouissimè March. *verb. hijos, resol. 29. num. 6.* iis verbis: *De donde se sigue, que los hijos que tratan à sus padres con menos precio, ò los maldicen, ò los afligen, ò dizen palabras injuriosas, ò los prouocan à grande colera, pecan mortalmente; sino fuere que las palabras de suyo no sean prouocatiuas de tanta colera, sino que el padre por ser muy colerico, facilmente se prouoca.* Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An peccet mortaliter filius, qui ex contemptu non vult cognoscere parentes ob eorum paupertatem?

RESpondeo vt quid certum, peccare mortaliter; quia in hoc casu indebitè despicit, & contemnit parentes inculpatos, quos etiamsi sint pauperes, & abiecti, & ipse diues, & sublimis, tenetur honorare, propter hoc quartum præceptum. Sic colligitur certè ex illo *Prouerb. 19. Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus erit, & infelix.* Et ideò sic sentiunt omnes. Nauarr. *cap. 14. n. 12. vers. octauò.* Alexand. *in 3. p. de 4. præcepto*, Medina, Lopez, Toletus, Rodriguez, & alij, quos sequitur Saytus *lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 4.* Azor *tom. 2. lib. 2. cap. 2. q. 10.* Filliuc. *tract. 28. 2. p. cap. 2. q. 3. num. 6. & 18.* Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 2. sub num. 4. vers. quartò.* Tambur in. *lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 2. n. 17.* Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 8.* Rocafful. *lib. 2. de 4. præcep. cap. 4. num. 28.* Villalob. *tom. 2. tract. 41. diff. 6. num. 5.* Graffius *lib. 2. decis. cap. 55. num. 12. fine*, & omnes.

QVÆSTIO XVII.

An saltem sit immunis à mortali filius, si non ex contemptu, sed ad vitandum aliquod damnum, incommodum, aut erubescentiam, nolit recognoscere suos parentes.

RESpondeo vt certum, tunc immunem esse à mortali, quia tunc non esset iniuria directa in parentes. Addo id esse plusquam certum, casu, quo parentes tacitè, vel expresse pro bono filij in hoc consentirent. Sic Nauarr. *loco cit.* ibi: Diximus, *contemnit*. Nam si absque contemptu id facit ad vitandum aliquod incommodum sinistræ opinionis, vel ob aliam huiusmodi causam, non peccaret mortaliter; maximè si parentes tacitè, vel expresse in eo consentirent ad fugiendum suum incommodum, quod ex incommodo filij eis prouenirer. Hæc Nauarr. Et tenent omnes Authores nuper citati. Ex quibus aliqui eorum notant, id esse intelligendum, dummodo filius non neget in animo patrem, & subuenire paratus sit in necessariis. Quorum nota, nota est cuicumque. Lege Baptistam Fulgosium *part. 3. lib. 1. disp. 2. §. 8. n. 225.* Basseum *tom. 1. verb filius, n. 4.* & alios citatos.

QVÆSTIO XVIII.

An item sit liber à mortali filius, qui parentes suos tanquam viles despicit, eo quod, vltra quod viles sunt, infamiæ crimine notantur; vt si sint hæretici, aut proditores, aut hostes patriæ, aut rei læsæ Maiestatis?

RESpondeo vt certum tunc etiam esse à mortali liberum. Quia in eo casu iustam habet filius despiciendi parentes causam; cùm bonum commune præferendum sit priuato. Sic Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 2. num. 4. vers. item à mortali.* Vbi citat Nauarrum, & Reginaldum. Sic etiam Azor *tom. 2. lib. 2. cap. 2. q. 10. fine.* vbi addit, secus dicendum casu, quo parentes essent à fide, & Christiana religione alieni, nunquam ad Christum conuersi; quia tunc non ob id posset filius eos despicere.

QVÆSTIO XIX.

An filius, qui accusat patrem alicuius criminis veri, peccet mortaliter?

RESpondeo tanquam certum, peccare mortaliter, si patrem accuset (excipio aliquos casus, in quibus id sine peccato potest facere, vt infrà.) Quia filiis prohibitum est omni iure, & lege, accusare, vel testificari contra parentes, siue ciuiliter, siue criminaliter. Nam sic habetur in Nouella Iustiniani, *iis, in Authen. vt cum, de appellat. cognos. §. aliud quoque.* Sic communiter DD. Azor. *lib. 2. cap. 2. q. 11.* Saytus *in Claui Reg. lib. 7. cap. 5. n. 5.* Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 9.* Villalob. *tr. 41. diff. 6. num. 6.* Graffius *lib. 2. decis. cap. 55. num. 7.* addens, id locum habere, quando ex accusatione pater esset puniendus pœna mortis, exilij, vel infamiæ, vel amissionis membri, aut alia corporali pœna.

QVÆSTIO XX.

An filius non solum possit licitè, sed teneatur accusare patrem hæreticum, qui non solùm sibiipsi, sed & aliis praua sua doctrina nocet, aut nocere potest?

NEgant aliqui DD. existimantes filium, adhuc in assignato casu non teneri accusare patrem hæreticum. Ita apud Dianam vbi *infrà* tenent Alens. *3. p. sum. q. 23.* (lege tu 33.) *memb. 4. art. 2. dub. vltimo.* Rojas *singul. 12. num. 2.* Riccius *part. 3. decis. 278. n. 8.* & Ioan. Valetus *in differ. vtriusque fori, verb. hæresis, differ. 1. n. 4.* ibi: *Septimò fallit in filio contra patrem, maximè si pater non inducebat filium ad hæresim.*

Sed multò longè probabilius respondeo non solùm posse filium in præassignato casu patrem accusare, sed & debere. Sic in primis tenet Alens. *loco à Diana citato*, vt dicunt hæc eius verba: Iuxta hoc quæritur, vtrum in errore hæreseos filius accusans patrem ad damnationem, solueret hoc mandatum (honorandi parentes) imò, an teneatur accusare? Videtur quod debeat accusare. Quia

Deuteron.

Deuteron. 21. dicitur, *Quod etsi genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audiat patris & matris imperium, debet à parentibus accusari, & lapidibus obruet eum populus.* Si ergo pater tenetur accusare filium; ergo filius patrem. Ad hæc dicendum, quod hæreticus, aut solùm sibi nocet, vt quando hæresis occulta est; aut etiam alios praua doctrinâ corrumpit. Primo modo non tenetur eum accusare filius, sed secundo modo tenetur. Et ratio est, quia honorem Patris cœlestis tenetur præferre honori patris carnalis. Vnde carnalis pater, qui inhonestat, & inhonorat Patrem cœlestẽ, non est sustentandus. Sic Alexand. Non ergo illum bene citauit Diana pro parte opposita. Sic etiam Farinac. *de hæresi q.* 197. §. 2. *n* 4. Suarez *tract. de Fide, disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 21. Azor *p* 2 *lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 13. Comitol. *in respons. moral lib.* 4. *q* 8. *n.* 3. Sanctarell. *tract. de hæresi, cap.* 9. *n.* 15. Bonac. *in tract. variar. quæst.* 6. *punct.* 2. *n.* 3. Portel. *in dub. Regul. tom.* 1. *vers. correctio fraterna, num.* 11. & Lopez 1. *p instruct. cap.* 54. Quos omnes citat, & sequitur Diana 1. *p tract.* 4 *resol.* 4. Quibus ego addo Sayrum *lib.* 7. *Clauis Reg. cap.* 5. *num.* 5. & apud ipsum, Nauarrum *in Man. cap.* 14. *num.* 12. *vers. septimò; & in cap. inter verba* 11. *q.* 3. *corol.* 66. *n.* 824. Toletum *lib.* 5. *sum. cap.* 1. Rodrig. 1. *p. sum. cap.* 4. *concl.* 5. Sà *verb. hæresis.* Philiatcum *de offic. sacerd. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 21. & Ioannem Benedictum *in sum. de peccatis, lib.* 2 *cap.* 1. *num.* 9. Addo insuper Graffium *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 55. *num.* 8. qui bene citat pro se Alensem, Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap* 2. *dub.* 6. *n.* 10. *& lib.* 8. *cap.* 3. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 2. *dub.* 19. Villalob. *loc. cit. diff.* 6. *num.* 7.

QVÆSTIO XXI.

An item teneatur filius patrem hæreticum accusare, etiam casu, quo pater sit hæreticus occultus, & solùm sibi noceat?

NEgant tunc teneri multi Doctores, præter illos, quos pro prima sententia adduximus nuper; eo quod filius iure naturali tenetur patrem reuereri. Ita tenent Abulens. *in cap.* 13. *Deuteron. quæst.* 3. Simanchas *lib. de Catholic. Instit. tit.* 29. *num.* 4. Genuens. *in praxi Curiæ cap.* 18. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 9. & apud ipsum Viguerius *lib. institut. cap.* 12. §. 2. *vers.* 11. Alens. 3. *p. q.* 33. *memb.* 4. *art.* 2. Palacios Rubios *cap. per vestras, de donation.* §. 75. *n.* 8. Henricus 3. *præcepto serm.* 5. *vers. sextò consequenter*, & Perez *lib.* 8. *ordinat. tit.* 9. *lib.* 1.

Sed longè multò probabilius respondeo adhuc in hoc casu teneri accusare; quia id ipsum probat ratio Alensis pro nostra, & sua sententia, quæstione antecedenti adducta. Nam honor Patris cælestis præferendus est honori patris carnalis: & bonum commune, præsertim spirituale, præferendum est bono patris, præsertim temporali, & humano; maximè cùm simul per talem accusationem, spirituale bonum eiusdem patris quæratur, ad quod quærendum, iure etiam naturali tenetur. Sic tenent omnes ferè Authores pro nostra sententia quæstione superiori relati; quibus addo Fagundez *lib.* 1. *in Decal cap.* 26. *num.* 26. Rocafful. *lib.* 2. *de* 2. *præcepto, cap.* 4. *num.* 32. March. *verb. hijos, resol.* 29. *n.* 8. Villalob. *tract.* 41. *diff.* 6. *num.* 7.

QVÆSTIO XXII.

An deinde teneatur filius accusare patrem hæreticum, casu quo filio constet, esse alios, qui accusare volunt?

REspondeo tunc non teneri ad accusandum patrem, si filio certò constet esse alios denunciatores, qui illum accusare possunt, & volunt: secùs si filius dubitet, quia tunc ipse ad denunciandum tenebitur. Sic sentiunt communiter DD. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 9. *& dub.* 19. *num.* 5. *&* 6. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 10. *&* 15. Azor *lib.* 2. *cit. cap.* 2. *q.* 11. *&* 13. *vers. quid dicendum.*

QVÆSTIO XXIII.

An item teneatur filius patrem accusare de crimine læsæ Maiestatis humanæ, aut proditionis patriæ?

NEgabunt à fortiori DD. qui negant teneri filium accusare patrem hæreticum, cùm hoc crimen sit læsæ Maiestatis diuinæ.

Alij dicunt, posse quidem in hoc casu filium suum patrem accusare, sed non ad id teneri. Ita Decius, quem ex parte sequitur Nauarr. *cap.* 14. *n.* 12. vbi ita ait: Septimò peccat filius, qui alicuius criminis eos (id est parentes) accusat, secundùm Ricard. *vbi suprà*, nisi esset proditionis crimen in Regem, vel in Rempublicam. Nam in hoc casu, quamuis non obligetur, vt Decius *cap.* 1. *n.* 7. *de offic delegati*, asseruit, nihilominus liceret, *argum. l. minimè, ff. de relig. & sumpt. funer.* imò sæpissimè obligatur, vt nos *in repet. cap. inter verba*, 11. *quæst.* 3. *concl.* 6. diximus. Ita Nauarrus. Decium quoque sequitur absolutè Sayrus *lib.* 7. *clauis Reg. cap.* 5. *n.* 5.

Alij tandem absolutè dicunt, non solùm posse, sed & teneri filium patrem accusare, si nullus alius sit, qui patrem sceleris auctorem indicare iudici commodè queat. Ratio est, quia lege charitatis salutem patriæ communem priuatæ anteponere debemus. Et id natura ipsa docet, quæ partem corporis obiicit periculo, ne totum corpus intereat. Ita Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 12.

Sed ego respondeo dicendum, quod casu, quo pater patrare intentet crimen aliquod læsæ Maiestatis, aut proditionis patriæ, tunc teneatur filius impedire tale parentis crimen, qua viâ meliori possit: quod si non queat, & non sit alius, qui denunciare possit, & velit, tunc verè teneatur filius suum parentem accusare, ob rationem Azorij. Sic dicendum colligitur ex dictis supra *q.* 10. & expressè tenet Graffius *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 55. *num.* 7. ibi: Attamen si crimen quod committit pater, esset proditionis in Principem, vel Rempublicam, posset tali casu patrem accusare; hac tamen moderatione, vt tradit Tullius 3. *de offic.* inquirens, an si tradere patriam conetur pater, silebitne filius? & respondet, quod primò patrem obsecrabit, ne faciat; deinde, si nihil proficit, accuset. Sic Graffius, & sic ferè Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 9.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

An rursus teneatur filius accusare de dicto crimine patrem, si hic iam illud patrauerit.

RESpondeo tunc iam non teneri. Sic communiter DD. Sayrus *num.* 5. ibi: In crimine verò læsæ Maiestatis humanæ, solùm tenetur accusare ante factum, & non post. Trullench. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 9. ibi: Licet tamen filio patrem in criminalibus accusare in duobus casibus. Primus, quando pater intentat Reipublicæ traditionem, & coniurationem; antequam tamen sit crimen factum, nullaque sit via mali impediendi: minimè verò, patrato iam delicto, nisi rogetur iuridicè, & non sint alij testes. Sic ille.

DISPVTATIO III.

De obedientia, quæ parentibus debetur.

QVÆSTIO I.

An filius teneatur parentibus obedire?

RESpondeo vt certum teneri. Constat: tum quia obedientia parentum debetur ex hoc præcepto honorandi illos: tum, ex illo *Prouerb.* 1. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ.* Et ex Paulo *ad Colossens.* 3. *Filij obedite parentibus per omnia.* Et *ad Ephes.* 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Tum denique, quia sicut tenemur obedire mandatis Principium, ita & tenemur mandatis parentum, quæ vim habent legis, sic omnes. Legantur Bonac. *disp.* 6. *q. vnica. punct.* 4. *num.* 1. Trullench. *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 11. Sayrus *lib.* 7. *Clauis Reg. cap.* 5. *n.* 9. & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An semper teneatur filius patri sub mortali obedire?

RESpondeo vt certum, quod non semper. Quia etiam in hoc affirmatiuo præcepto excusat à mortali paruitas materiæ. Tenebitur ergo filius sub mortali obedire parentibus, quando ij præcipiunt illi aliquid in re licita, & materia graui, quæ & subsit parentibus. Sic omnes. Legantur Fragosus, Bonacina, & Trullench *locis citatis.* Sayrus *num.* 9. *cit.* ibi: Sciendum autem est, quod ad hoc, vt filius teneatur, sub peccato mortali, obedire patri, requiritur, vt in materia illa, quæ præcipitur, subsit patri. Vnde quibus in rebus filius non subest patri, non tenetur sub mortali illi obedire. Sic Sayrus, Graffius etiam *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 55. *n.* 15. & alij, inter quos est controuersia, quibus in rebus filius subiiciatur patri, & teneatur sub mortali obedire illi. Sit ergo.

QVÆSTIO III.

An peccet mortaliter filius, qui patri præcipienti aliquid circa bonos mores illius, non obedit?

RESpondeo vt certum, peccare mortaliter, nisi aliàs paruitas materiæ, aut alia ratio excuset illum. Ratio est, quia in rebus pertinentibus ad bonos mores, filius verè subiicitur patri, qui tenetur filium bonis moribus imbuere: ergo illi præcipienti aliquid circa bonos mores, tenebitur obedire. Igitur peccabit mortaliter filius, qui non obedit patri præcipienti illi, ne vadat ad ludos prohibitos, & ad meretrices; vt relinquat contractus illicitos, & vitet amicitias noxias, & huiusmodi. Sic omnes communiter. Legantur Caiet. *in sum. verb. filij peccata.* Nauarrus *cap.* 14. *num.* 12. *vers. tertio.* Clauis Reg. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 10. Graffius *lib.* 2. *cap.* 56. *num.* 15. Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 4. Toledo *lib.* 5. *sum. cap.* 1. Bonac. *disp.* 6. *cit. punct.* 4. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 28. 2. *p. cap.* 1. *q.* 10. *n.* 202. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *sub num.* 11. Rocafful. *lib.* 2. *de hoc* 4. *præcepto, cap.* 4. *num.* 11. Mallet. *malleat.* 11. *bractea* 3. Thom. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal.* §. 2. *num.* 18. & alij Theologi cum S. Thoma 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Qui rectè notant hanc culpam esse speciatim in confessione explanandam.

QVÆSTIO IV.

An item peccet mortaliter filius, qui non obedit patri admonenti (non præcipienti) aliquid illi circa bonos mores?

RESpondeo vt certum, tunc non peccare contra obedientiam mortaliter, sed venialiter tantùm. Ratio est, quia tunc filius non infringit præceptum patris, cùm non præcipiat, sed moneat. Sic Tamburin. *loco cit.* per hæc verba: Superest obedientia, quæ parentibus debetur. Primò in iis, quæ spectant ad bonos mores: quare præcipienti patri, ne filius scortetur, ne ludis prohibitis vacet, ne noxias familiaritates foueat, si is minùs obediat, mortale peccatum committet (ex S. Thoma 2. 2. q. 104. *art.* 5. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *d.* 1. *ad* 2. Angel. & Filliucio) speciatim in confessione declarandum. Præcipienti, inquam: nam si solùm interposita fuerit, quamvis replicata, admonitio, ipsa inobedientia mortalis non erit. Hæc doctus Pater, & antea Bonacina *loco cit. punct.* 4. *fine*, Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 11. *fine*, qui adhuc à veniali in hoc casu filium excusat. Mallet. *loco citato*, & omnes.

QVÆSTIO V.

An item teneatur filius sub peccato mortali semper obedire patri præcipienti aliquid, quod pertineat ad domesticam gubernationem?

NEgant aliqui Doctores, docentes non peccare semper mortaliter filium, non parendo parentibus in iis quæ pertinent ad gubernationem domesticam; sed solùm casu, quo non pateat ex contemptu

temptu, vel cum obstinatione. Ita in primis tenent Saytus *lib. 7. Clauis, cap. 5. num. 9. vers. primò*: vbi cùm in principio dicat absolutè, peccare mortaliter filium, qui non vult obedire parentibus in his, quæ pertinent ad bonum regimen domus, vel familiæ, vel rei familiaris administrationem; in fine, addit, quod id verum sit, quando ex contemptu, idest, ex obstinatione, & pertinacia animi facit: tunc enim sine dubio mortale est, secus autem, si non ex contemptu, sed ex incogitantia, vel ex inaduertentia non obediat, aut ex sensualitate; tunc enim solum veniale erit, vt præfati omnes affirmant, hoc est, Angelus, Tabiena, Siluester, Caiet. Aragon, Nauarrus, & alij. Sic Saytus, & sic sentit Graffius *lib. 2. cap. 55. num. 15.* & Baptista Fulgosius *part. 3. regiminis lib. 1. disp. 2. §. 8. n. 225.* qui citat Scotum, Victoriam, & Reginaldum.

Sed probabilius longè respondeo semper peccare mortaliter, si non obediat in rebus grauibus, etiam casu, quo non accedat contemptus, vel pertinax obstinatio. Ratio est, quia filius, iure naturæ est subditus patri, quoad domesticam gubernationem: ergo si in re graui præcipiat illi aliquid pertinens ad domesticam gubernationem, veluti, quod non dispendat bona paterna sine licentia, & non obediat, peccabit mortaliter. Sic Bonacina *disp. 6. q. vnica, punct. 4. num. 2. vers. secundò, & num. 3.* qui citat Siluestrum *verb. filius, q. 22. n. 25.* Sanchez *lib. 4. cap. 15. n. 22.* Molfesium *num. 94.* Rodrig. *in sum. 1. p. cap. 14. n. 1.* Lessium *lib. 2. cap. 40. dub. 8. num. 45.* Nauarrum *cap. 14. n. 2.* Clau. Regiam, Sà, & alios. Sed ex his Siluester & Clauis Regia pro prima sunt sententia, imò & Rodriguez. Nec Lessius *loco citato* agit de hac quæstione. Tenent igitur nostram sententiam Nauarrus citatus à Sayro, non *num. 12.* sed 2. *vers. tertiò.* Caiet. autem oppositam innuit, *loco cit. verb. filius*, ibi: Secundum (peccatum) est inobedientia, quoad illa in quibus filius subiicitur patri. Subiicitur autem, & quoad domesticam gubernationem, & morum instructionem. Est enim pater ex naturæ iure, gubernator, & instructor filiorum, & domus: & ideò inobedientiæ crimen filius incurreret paterna præcepta contemnens. Aduerte ly *contemnens*: vnde malè citatur ab aliquibus pro hac sententia. Quam etiam tenent Tamburinus *lib. 5. cap. 2. §. 2. num. 18.* Rocafull. *lib. 2. de hoc 4. præcepto, cap. 4. sub num. 11. vers. tertiò.* Trullench *lib. 4. in Decalog. cap. 1. dub. 2. sub n. 11.* vbi ait, id maximè procedere, si ex contemptu, & animi obstinatione non pareat, de quo non dubitat aliquis. Citatque pro hac sententia Lessium *lib. 2. cap. 46. dub. 8. num. 43.* sed apud me caput 46. non continet nisi sex dubitationes, & *num. 43.* nihil ad propositam quæstionem affert. Filliucius *tract. 28. p. 2. cap. 1. q. 10. n. 20.* Aragon 2. 2. *q. 62. art. 3. dub. 1. ad 2. vers. restat.* Toledo *lib. 5. sum. cap. 1. num. 9.* vbi absolutè docet, peccare mortaliter filium, maximè si ex contemptu, & obstinatione animi id faciat. Sà *verb. filius n. 34.* vbi ita ait: parentibus non obedire in rebus honestis, ex contemptu, aut alioqui (nota disiunctionem) in re magni momenti, ad ipsorum potestatem pertinente, mortale est. Sic Sà. Villalob. *tract. 41. diff. 5. n. 2. & diff. 6. num. 3.* Azor *lib. 2. cap. 2. q. 4.* Mallet. *bractea 3. cit.* March. *verb. hijos. resol. 31. n. 1.* & alij communiter.

QVÆSTIO VI.

Quænam sint res speciatim pertinentes ad bonos mores filiorum, & ad bonum regimen domus, de quibus possunt parentes suis filiis præceptum sub mortali iniungere?

Respondeo dicendum ex Authoribus citatis, quod sunt sequentes. Primò namque possunt præcipere parentes filiis suis, vt ludos, præsertim noxios, deuitent. Secundò, vt consortia praua, & mala fugiant. Tertiò, vt à meretricibus, & luxu abstineant. Quartò, ne noctu domo exeant, ob periculum malorum euitandum. Quintò, vt laborent in agro, si nolint. Sextò, vt non disponant de bonis paternis, sine eorum licentia: quod si contrarium faciant (etiam casu, quo aliquis filius sit heres vnicus) peccabunt mortaliter. Legantur Authores nuper citati, inter quos sit prior Nauarrus *in Man. cap. 24. num. 12.*

QVÆSTIO VII.

An filij teneantur in rebus prauis, & iniustis, parentibus obedire?

Respondeo tanquam quid certum, quod non. Tum, quia in iis rebus filij non sunt parentibus subditi. Tum etiam, quia præceptum, & voluntas Dei, præferenda est præcepto, & voluntati parentum, iuxta illud, *Actor. 5. Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus.* Et illud Christi Domini, *Matth. 10. & Luc. 14. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Sic omnes. Lege præsertim Saytum *lib. 7. cap. 5. num. 11.* enumerantem sequentia, quibus non tenentur filij acquiescere: Vt si pater (inquit) præcipiat filio, vt furetur, mentiatur, non obseruet sabbathum, aut si iubeat, vt conciones hæreticorum audiat, aut eorum consortium amplexetur; aut si mater præciperet filiæ, vt pudicitiam suam vendat, vt inde lucrum acquirat, &c. Addit tamen, quod quamvis in his, & aliis similibus, non teneantur, nec debeant filij parentibus obedire, teneantur tamen in rebus adiaphoris, & indifferentibus. Sed ego addo non teneri sub mortali, si non pertineant ad bonos mores, & gubernationem domesticam, iuxta nuper dicta.

QVÆSTIO VII.

An teneatur filius obedire patri præcipienti, ne assumat statum Religiosum?

Respondeo tanquam certum, non teneri (nisi aliquando per accidens.) Quia filius non est subditus patri in iis, quæ ad electionem status perfectionis pertinent: id constat *ex cap. 1. 2. 10. 20. q. 1. & cap. fin. 19. q. 3.* & tenent omnes Doctores, præcipuè D. Thom. 2. 2. q. 101. *art.* 4. Alex. de Ales 3. *p. q. 33. memb.* 4. *art.* 2. D. Anton. *p. 4. tit. 5. cap. 9. §. 1.* Saytus *lib. 7. cap. 5. sub num. 11.* vbi ad propositum adducit illud Hieron. *in epist. ad Heliodor. Percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, ad vexillum Crucis euola: summum genus pietatis est, in hac re esse crudelem.* Legantur etiam

etiam Bonac. *disp.16. quæst. vnica, punct.4. num. 2. & tom.1.q. 4. de matrim. punct.17.n.18.* Trullench. *lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 12. fin.* Bordon. *de profess. religiosa cap. 3. q. 46.* qui id limitat ad filios puberes. Nam impuberes sine licentia parentum non possunt ingredi Religionem, nec à Superioribus recipi. An autem quando parentes sunt in extrema necessitate, teneantur filij obedire illis præcipientibus, ne statum religiosum assumant, affirmandum est cum communi, & colligitur ex dictis à nobis *part. 7. tract. 1. de iuram. disp. 23. à quæst. 2. & sequent.* quia si ipsi filij tunc nec licitè possunt Religionem ingredi, rectè infertur, patrem rectè posse id ipsum illis præcipere.

QVÆSTIO IX.

An saltem contrà, filius teneatur obedire patri præcipienti Religionis ingressum?

RΕspondeo etiam vt certum, non teneri, ob rationem dictam; quia in electione status perfectionis, filius non subiicitur voluntati patris. Sic tenet communis. Sanchez, Lessius, & Suarez, quos citat, & sequitur Bonac. *de matrim. quæst. 4. punct.17. num. 19. & tom. 2. disp. 6. de 4. præcept. q. vnica, punct. 4. sub num. 2.* & constat ex dictis à nobis *part. 7. tract. 1. de iuram. disp. 26. q. 2. & præcipuè 3.* vbi contra Medinam, & Sotum diximus, adhuc non teneri filios obedire hac in re parentibus, etiam casu, quo ij præcipiant illis, vt vota, quæ ipsi parentes emiserant offerendo ipsos filios Religioni, exequantur.

QVÆSTIO X.

An ad minus, casu, quo filius emisisset votum ingrediendi Religionem, & pater præciperet illi adimplere tale votum, tunc teneretur filius sub mortali obedire patri?

RΕspondeo vt certum, tunc teneri. Primò, quia tunc præceptum patris est de re pertinente ad bonos mores filij, & aliàs illum obligante. Secundò, quia tale patris præceptum non astringit filium, vt eligat statum Religionis, sed vt adimpleat statum Religionis, quem iam voluntariè elegit, & vouit, quod quidem honestissimum est. Sic colligitur ex dictis *part.7. tract. 2. de voto, disp. 4. q. 50.* vbi docuimus, votum contrahendi Matrimonium esse validum casu, quo matrimonium vouenti esset in præcepto.

QVÆSTIO XI.

An filius in materia matrimonij teneatur semper obedire patri?

RΕspondeo vt certum, quod non teneatur semper (bene tamen in aliquibus casibus.) Ratio est quia filij in eligendo hoc statu, sunt sui iuris, & meritò profectò: nam cùm matrimonium sit onus, & vinculum indissolubile, & perpetuum, & quædam seruitus, maximè necessarium est, vt liberum sit filio adstringere se huiusmodi vinculo prout voluerit. Sic omnes. S. Thom. *in addit. ad 3. p. q. 47. art. 6.* D. Bonauent. *in 4 d.29.q.3.* Beia *1. p. respons. casu 18.* Saytus *in Claui Reg. lib.7.c.5.n.12.* Bonac. *de matrim. q.4 punct.17.n.18. & 20.* Sanchez *lib. 4. de matrim. disp.22. & 23.* Rocaffull. *lib. 2. de hoc præcepto, c.4.n.4.* & alij à nobis citati *1. p. disp. 6. de matrim. q. 6.*

QVÆSTIO XII.

An peccet mortaliter filius, contrahendo contra præceptum patris, cum aliqua indigna, seu infrà suum statum notabiliter?

NΕgat Tamburin. *lib. 5. in Decal. c. 2. §.3. n.5.* existimans, probabile esse, ac tutum, posse filium licitè contrahere cum indigna, patre, vel genitrice dissentientibus, eo quod filius omninò liber sit, nec alicui subiiciatur in hac re.

Sed vt quid longè probabilius respondeo tunc peccare mortaliter, quia sub mortali tenetur filius infamiam, aut dedecus familiæ suæ, quod ex tali matrimonio sequitur, euitare. Sic colligitur *ex c.1. 30.q.5. & c. honorantur 32.q.1.* Sic Saytus *lib. 7.c.5. sub n.12. vers. primus est.* Grassius *lib.2. decis. aurear. c.55.n.19. fine.* Bonac. *de matrim. q.4. punct.17.n.18.* Trullench *lib.4. Decal c.1. dub.2. sub num.13.* Nauarr. *c.14.n.15.* Moure *in sum.1.p.c.8.§.1.n.7.* & alij, quos citat, & sequitur March. *verb. hijos, resol.31.n.2. fine.* Et id esse valde probabile, apertè fatetur Tamburinus. Quænam autem persona sit diiudicanda indigna, dicetur infrà *quæst. 14.*

QVÆSTIO XIII.

An item teneatur filius contrahere cum illa, quam pater illi assignauerit, casu quo aliqua necessitas magna adsit in familia, cui soli subueniri potest per tale matrimoniũ?

RΕspondeo quod tunc etiam teneatur, & sub mortali filius contrahere cum illa. Sic tenet Bonac. *loco cit. n.17.* his verbis. Similiter peccat mortaliter filius, ducendo dignam contra voluntatem patris, quando multùm referret patri aliam ducere, iuxta eius voluntatem; vt quando componerentur lites familiæ, aut quando pater magno ære alieno liberaretur, aut quando quid simile eueniret: filius enim tenetur ex pietate subuenire necessitati patris, & consequenter tenetur assumere media necessaria ad illam subleuandam. Sic ille, qui & citat Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 22.* Nauarrum *c.14. n.15.* Gutierrez *c.79.n.16.* Ægid Coninch. *de matrim. disp.28. dub.5. n. 50.* Quibus ego addo Saytum *loco cit. vers. secundus est.* Rocaffull. *n. 14.* ibi: Si pater gerens inimicitias graues cum aliquo, non possit illas sedare, nisi filius contrahat cum filia inimici patris sui, tunc tenetur contrahere sub mortali. Sic ille. Trullench. *n.13.* qui id intelligit, casu quo filius esset ad matrimonium determinatus; nam aliàs non teneretur obedire patri, nisi casu, quo matrimonium esset vnicum medium subuentionis paternæ; quia tunc melius esset contrahere, quàm ingredi Religionem. Sic ille.

QVÆSTIO XIV.

Quænam censenda sit persona indigna, cum qua contrahendo contra præceptum patris, filius mortaliter delinquit?

RΕspondeo cum doctissimo P. Sanchez *lib. 4 de matrim. disp.26. n 23. & sequent* quod illa coniux indigna primò censeatur, cui alter copulari absque dedecore, iuxta ciuitatis mores, nequit. Secundò indigna etiam iudicatur persona, quæ malis moribus imbuta est. Tertiò is dicitur indignus, qui altero coniuge pauperior notabiliter est. Quod intellige, nisi aliunde, nobilitate v. g. litteris, militiæ meritis, vel simili non vulgari prærogatiua, excellus

in diuitiis compenſetur. Quartò tandem indignus etiam dicitur is, cum quo matrimonium conſiſtere non poteſt, ob aliquod impedimentum, niſi in eo ſit diſpenſatum. Quia nuptiæ conuenientes eſſe debent de iure, & de facto. Sic Sanchez. Lege Tamburinum *lib. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n 9.* qui tandem addit ex Bartolo, quod ille dicatur indignus, qui imparis eſt conditionis cum altero coniuge; qualis certè eſt ille, qui ignobilibus ortus parentibus, nec aliis ornamentis vitæ ſuffultus, nobiliſſimam puellam, eamque ditiſſimam, ſibi connubio ſociare contendit. Pro aliis, quæ hîc deſiderari poſſunt, vide me ipſum 2. *p. tract. 9. de matrim. diſp. 6.*

DISPVTATIO IV.

De neceſſitatibus ſpiritualibus, in quibus filij tenentur parentibus ſubuenire.

QVÆSTIO I.

An filij teneantur ſubuenire parentibus in ſpiritualibus neceſſitatibus eorum?

RESPONDEO vt quid certum, teneri. Ratio eſt, quia filij tenentur diligere parentes vi huius quarti præcepti, vt habitum eſt ſuprà *diſp. 1. q. 3.* Atqui minimè poſſunt eos diligere, quin eis tempore neceſſitatis ſubueniant, vt conſtat ex dictis *p. 6. tract. 4. diſp. 3. & 5.* Ergo. Sic omnes. Legantur D. Thom. 2. 2. *q. 100. art. 2.* Clauis Reg. *lib. 7. cap. 5. n. 14.* Bonac. *tom. 2. diſp. 6. q vnica. punct. 5. n. 1.* Trullench. *lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 14.* Tamburin. *lib. 5. cap. 2. §. 2. n. 4. & in ordine 5.* Azor *par. 2. lib. 2. c. 2. q. 5.* & alij.

QVÆSTIO II.

An filij, qui non curant, vt in articulo mortis, pater, materve eorum, ſacramenta ſuſcipiant, peccent mortaliter?

RESpondeo vt quid certum, quod ſic; quia ſuſceptio ſacramentorum, maximè pro articulo mortis, neceſſariiſſima eſt. Si ergo id ipſum pro ſalute ſpirituali cuiuſvis proximi agere debemus, quid non debebimus pro ſalute parentum? Sic omnes. Sayrus, Bonac. Trullench, Tamburinus *locis citatis.* Villalob. *tract. 41. diff. 6. n. 4.* & Azor *q. 5. citata*, vbi quærens, quandonam filij debeant parentibus auxilio, & ſubſidio eſſe, reſpondet, quod ſemper, quotieſcunque eorum opera & miniſterio parentes egent; ſed maximè cùm grauiter, & periculosè ægrotant: tunc enim filij daturi ſunt operam, ne quid prætermittant, quod ad peccatorum confeſſionem attinet, vel ad reliqua ſacramenta, quæ à Chriſtianis hominibus percipi debent, cùm mors appropinquat. Et id eis curæ eſſe debet, vt pij, religioſique homines eos crebrò interuiſant, qui vel imbecillos confirment, & præſidio iuuent, vel optimè animatos ad ſpem erigant immortalitatis, vt mentem à rebus humanis auocent, & totam coniiciant in Deum; vt fidei, ſpei, & charitatis, religioniſque præſidio muniti, mortem non modò non pertimeſcendam, cùm neceſſariò ſubeunda ſit; ſed cùm aditum ad æternitatem expediat, etiam appetendam cenſeant. Hæc omnia Azor, & omnia benè. March. *verb. hijos, reſol. 29. n. 10.* & alij omnes.

QVÆSTIO III.

An item peccent mortaliter filij, qui prohibent, ne eorum parentes neceſſarium condant teſtamentum?

RESpondeo tanquam certum, peccare, & mortaliter. Quia auertunt parentes à teſtamento, condendo, quod pro ſalute animæ ſuæ iudicant neceſſarium. Sic omnes, præcipuè citati, inter quos March. *num. 10.* ita dicens: *El hijo que impidiere que ſu padre haga teſtamento, por lleuarſe la hacienda, o porque no ſe diſminuya, o por otro interes temporal, peca mortalmente.* Sic ille.

QVÆSTIO IV.

An item peccet mortaliter filius, qui abducit parentes, ne pauperibus aliquid in animæ ſuæ vtilitatem, in teſtamento relinquant?

AFfirmant abſolutè Bonacina, & Trullench *locis citatis*, docentes peccare mortaliter; citatque Bonacina pro ſe Nauarrum *cap. 14. num. 13.* ſed hic Author ibi nihil de hac quæſtione tractat, ſed de alia ſtatim agenda. Igitur.

Clariùs reſpondeo dicendum, quod verè tunc mortaliter peccet filius, ſi abducat parentes ſuos, ne quid rationi conſonum (omnibus circumſtantiis perpenſis) pauperibus, vel aliis operibus piis, pro ſalute animæ ſuæ relinquant; ſecus ſi impediret, aut auerteret, ne quid illis relinqueret rationi diſſonum, aut in damnum notabile filiorum. Sic Tamburinus *lib. 5. cap. 2. §. 2. num. 5.*

QVÆSTIO V.

An deinde peccet mortaliter filius, qui bona à parentibus malè acquiſita, reſtituere non vult?

RESpondeo vt quid certum, quod ſic. Quia hoc onere hereditatem acquirit. Sic omnes. Sayrus *lib. 7. cap. 5. n. 14.* vbi ait, quod ſi filius ſcit bona à parentibus relicta, eos furto, aut vſuris poſſediſſe, tunc teneatur hæres ad eorum reſtitutionem. Sic etiam Trullench *num. 15. cit.*

QVÆSTIO VI.

An rurſus peccet mortaliter filius, qui ex negligentia, aut auaritia, diu differt perſoluere patris defuncti debita, aut legata teſtamenti adimplere?

RESpondeo vt quid certum, etiam peccare mortaliter; quia facit contra obligationem iuſtitiæ, qua tenetur quamprimùm legata & debita patris perſoluere: ergo ſi abſque iuſta cauſa diu perſoluere differat, peccabit mortaliter. Secus verò, ſi id faciat ad modicum tempus, quia tunc ſolùm committet veniale. Sic Nauarr. *c. 14. n. 16.* ita dicens: Qui filius ex negligentia, vel auaritia diu differt debita patris defuncti perſoluere, vel legata teſtamenti

stamenti adimplere, maximè illa, quæ ad pia opera pertinent, iuxta Beatum Anton. *2. p c 7. §. 3. & c. 8.* Diximus, *diu differt*, quoniam exigui temporis procrastinatio, circa hæc, non videtur crimen lethale, *argum. l. si debitori, ff. de iudic.* imò nec veniale, si ea de causa potissimùm rem produxit, vt bona defuncti meliùs venderentur, ad copiosiores eleemosynas erogandas; quamvis huiusmodi intentio non sufficeret ad diutiùs differendum, secundùm S. Thomam *quodlib. 6. art. 14.* Hucvsque Nauarrus. Quem citat, & sequitur Thom. Tamburin. *lib. 5. in Decal. cap. 2 §. 2. num. 6.* & antea Bonac. *hic disp. 6. q. vnica, punct. 5. num. 2. vers. secundò.* Azor *par. 2. cap. 2. q. 5.* (non 2. vt citant Bonac. & Filliuc.) Filliuc. etiam *tract. 28 p. 2. c. 1. q. 3. num. 5.* Trullench *lib. 4. in Decalog. c. 1. dub. 2. n. 15.* Sic etiam cum aliis Baptista Fragosus *par. 3. Regimin. Christiana Reipubl. lib. 5. disp. 8. §. 13. num. 389.* & omnes.

QVÆSTIO VII.

An licitè possit filius heres diu differre solutionem debiti, aut legati defuncti patris, vt sic augmententur bona sibi relicta?

Respondeo tanquam certum, non posse. Constat ex dictis nuper, quia si licitè non potest diu differre solutionem debitorum, etiamsi id faciat filius intentione vendendi meliùs bona patris defuncti, ad copiosiores eleemosynas faciendas, multò minùs poterit, si id faciat intentione augmentandi sua bona. Sic expressè tenet Fgragosus *num. 389. citato*, ibi: Non excusabitur tamen, si fiat dilatio, vt prosit heredibus in augmento suorum bonorum, eo quia, quando hac intentione prorogatur voluntatis testatoris executio, non est tutus in conscientia prorogans, imò peccat mortaliter, vt volunt D. Anton. *3. p. tit. 10. cap. 3. §. 12.* Palac. Rub. *sup. 6. 65. num. 20. in rubric.* & Gabriel *in Can. Missæ lect. 57.* Hacvsque Fragosus.

QVÆSTIO VIII.

An casu, quo pater nulla bona relinquat filio, teneatur tunc hic propriis bonis soluere debita patris?

Respondeo vt certum, quod non, quia si heres non tenetur ad debita defuncti, vltra vires hereditatis, vt conueniunt, tam Theologi, quàm Canonistæ apud Fragosum *part. 3. lib. 5. de legatis, §. 13. num 386. & 387.* minùs tenebitur ille, qui nulla bona per hereditatem acquisiuit, etiamsi filius sit. Sic Authores statim citandi, præcipuè Bonac *tom. 2 disp. 6. q vnica. punct. mihi 5. n. 10.*

QVÆSTIO IX.

An saltem teneatur filius propriis bonis debita soluere patris casu, quo mutuam pecuniam acceptam ab illo, pro alimentis eiusdem filij expenderit?

Affirmandum tunc videtur, quia si quis rem alienam accepit, & in vtilitatem alterius conuertit, tenetur hic tertius ad solutionem, casu, quo is, qui illam accepit, non soluerit. Ergo similiter tenebitur filius in assignato casu. Propter hoc ita tenent Iason. *in l. his solis, ff. de condict. indebit. n. 2.* & Rom. *in singul. 220.*

Sed probabiliùs respondeo adhuc non teneri filium ad solutionem talis pecuniæ. Ratio est: Tum, quia filius nomine suo pecuniam illam nequaquam suscepit, & ideò nihil omninò debebit. Tum etiam, quia licèt pater susceperit talem pecuniam pro alimentis filij, nihilominùs non tenebitur ad illam soluendam ipse filius, eo quod pater tenetur alere filios, & hi ius habent aduersus patrem exposcendi alimenta. Quapropter pecunia illa mutua à patre accepta semper cadit contra ipsum patrem, & nunquam aduersùs filios. Sic Tamburin. *loco citato n. 7.* qui *num. 8.* ad argumentum contrariorum respondet, quòd dato quod illud veritatem habeat, casu, quo tertius accepit rem illam ex causa lucratiua; secus verò casu, quo sit onerosa: ex qua causa filius alimenta conquisiuit, quia ipsi omninò à parente debebantur.

QVÆSTIO X.

An ad minùs, casu quo pater reliquit filio aliqua bona, sed vinculata, vt maioratum tunc teneatur filius ex his soluere patris debita?

Affirmat Bonacina, casu tamen solo, quo bona, quæ ad filium vinculata perueniunt, sufficiant ad satisfaciendum debitis à patre contractis; nam tunc (inquit) cogitur filius ex fructibus annuis bonorum primogeniorum satisfacere creditoribus, quoties debita contracta fuerunt post institutionem primogenituræ; non verò cogitur satisfacere ex bonis ipsis; quia primogenitus non debet (lege, habet) plenum dominium huiusmodi bonorum, sed administrationem, & vsumfructum, dum viuit. Si verò contracta fuerant ante institutionem primogenituræ, satisfaciendum est creditoribus, etiam vendendo aliquam rem immobilem; quia pater non potuit in damnum creditorum eximere bona ab obligatione reali erga creditores. Ita Azor *tom. 2. lib. 2. cap. 3. q. 11. & 12.* & Filliuc. *tract. 28. cap. 1. q. 7. num. 16.* Hucvsque Bonacina.

Sed meliùs, & distinctiùs respondeo primò tanquam certum, sic: Si pater contraxit debita antequam vinculum institueret, tunc verè tenetur filius soluere debita patris, etiamsi ad id oporteat vendere aliqua bona immobilia, eo quod æs alienum contractum est ante ius primogeniorum institutum. In hac responsione cum præcitatis Authoribus conueniunt alij omnes. Sanchez *tom. 2. consil. lib. 4. cap. 1. dub. 31. num. 9.* & apud illum Anton. Gomez, Gutierrez, Greg. Lopez, Molina, Mieres, & Matienzo. Sic etiam Tamburin. *loco cit. num. 9.*

Respondeo secundò. Probabilius est, quod nullo modo (adhuc ex fructibus) teneatur filius soluere patris debita, si hæc pater contraxit post vinculum iam factum irreuocabile. Ratio est, quia vbi semel vinculum (seu maioratum) irreuocabile instituitur, non potest amplius illum hypothecare, aut vendere. Sic Sanchez cum aliis ab ipso citatis, vbi suprà, Tamburinus etiam *num. 9.* Qui addunt idem dicendum de debitis contractis à possessore maioratus, qui institutor maioratus non fuit, sed possessor secundus. Legatur Sanchez *loco cit. n. 11.*

QVÆSTIO XI.

An filius teneatur parentum funus cohonestare, &c.

RESpondeo cum Azorio, quod filius parentibus defunctis quadruplex pietatis officium præstare teneatur. Primum, filius debet parentum funus cohonestare, & eorum corpora iustæ, ac debitæ sepulturæ mandare. Deinde pro more Christiano debet preces, & sacrificia pro illis offerenda curare. Præterea, æs alienum, quod parentes contraxerunt, soluere. Postremò, legata parentum testamento relicta implere. Hæc Anton. *p.2. tit.2. cap.7. §. 3. & cap.* 8. Nauar. *in Man. cap.14. n.16.* Hucusque Azor *part.2. lib.2. cap.3. q.8.* lege Bonac. *disp. 6. q.vnica, punct. 5. num. 2. vers. tertio*, & Filliuc. *loc.cit. q.7. num.15.* & Fragosum *3 p. lib.1. disp.2. §.8. n.226.* qui dicunt, & benè, teneri filium iuxta suas vires, expensas pro funere, & cætera facere.

QVÆSTIO XII.

An filius debeat vota, quæ pater fecerat, exsoluere?

RE spondeo dicendum, quod de hac quæstione,& difficultate fusè egimus *part. 7. tract.1. de iuram. disp.25. per totam.* Quapropter ad illam legendam te lectorem remitto. Pro præsenti autem dico, quod vota, quæ personalia vocantur, nullo iure cogitur filius exsoluere; quia vnà cum persona patris finiuntur, ac cessant. Vota verò, quæ realia dicuntur, à filio sunt persoluenda, quia cum hereditate ipsa ad filium peruenerunt. Legantur à nobis dicta *loco citato*, vbi omnia quæ hîc desiderare potes, inuenies.

DISPVTATIO V.

De necessitatibus corporalibus, in quibus filij coguntur parentibus succurrere.

QVÆSTIO PRIMA.

An filij teneantur subuenire parentibus in necessitate corporali eorum?

RESPONDEO vt certum, teneri ad illis subueniendum quantùm vires sufficiunt. Id constat certè, quia si ex iure naturæ tenetur quis sibi benefacientiin necessitate subuenire, quantò magis tenentur filij parentibus, à quibus post Deum maxima beneficia, nempe esse, nutrimentum, & disciplinam susceperunt. Sic omnes, & præcipuè Sayrus *in claui Reg. lib.7. cap.5. num.15.* vbi adducit ad propositum hæc pulchra verba Ambrosij. *Si paueris matrem* (inquit Sanctus) *non reddidisti ei cruciatus, quos pro te passa est; non obsequia, quibus te gestauit; non alimenta, quæ tibi tribuit vero pietatis affectu, immulgens labris vbera; non famem, quam pro te ipsa tolerauit, ne quid, quod tibi noxium esset, comederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret: tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa cibum, quem voluit, non accepit; tibi, quem noluit cibum sumpsit; tibi vigilauit, tibi fleuit, & ita illam egere patieris? illi debes quidquid habes, cui debes, quod es.* Hæc D. Ambrosius *in cap.* 18. *Lucæ.* Lege Fragosum *part. 2. re im. Christianæ Reipub. lib.1. disp.2. §.8. à num. 226.*

QVÆSTIO II.

An filij iure naturali debeant alimenta parentibus?

NEgant aliqui Iurisperiti apud Azorium, existimantes, filium alimenta parentibus debere iure gentium, non naturali. Quia belluæ (inquiunt) in quibus iuris naturalis vestigium, non gentium cernitur, filios alunt, & educant, non verò parentes. Ita Bart. *in l. si quis à liberis, ff. de liberis agnoscend.* & alij.

Sed clariùs, ac probabiliùs respondeo filios non solùm iure gentium, sed etiam iure naturali debere parentibus alimenta. Probatur claré; quia ius naturale dicitur, cuius vestigium aliquod in ipsis etiam animantibus, & belluis appatet; ius verò gentium, quod natura ipsa præscribit, sed solùm in hominibus existit. At sic est, quod multa animantia parentes suos alunt, & sustentant, vt constat experientiâ. Nam ciconiæ hanc pietatem in parentes ostendunt, quæ (vt Iulius Solinus *in polyhistor. cap.* 42. Plin. *lib.* 10. *cap.* 43. & Ælianus *de var. histor.* referunt) quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantùm & ipsæ à pullis suis inuicem aluntur. Sic Azor *part.2. lib.2. cap.3. q.1.* & Siluest. *in verb. filij, q.* 22. Angel. *eod. verb. n.24.* & Fragosus *loco cit. n.227.*

QVÆSTIO III.

An filius teneatur alimenta præstare parentibus extremè indigentibus, si hi sint pagani, hæretici, vel Iudæi?

RESpondeo vt certum teneri, & sub mortali. Quia hæc obligatio alendi parentes extremè indigentes, est iure naturali inducta, vt nuper est habitum: Ergo nullo modo potest tolli per ius humanum. Sic Glossa *in cap.1. verb.fideles, dist.13.* Abbas *in cap. si quis, n.2. de hæretic.* Greg. Lopez *tit.23. l.8. part.1.* Padilla *l. Præses, n.11. C.de seruit.* Sardus *lib.1. de aliment. tit.1. q 31. n. 23. & q. 36. n.2.* quos refert, & sequitur Fragosus *part.3. lib.1. disp.2. §.8. n.227.* Azor etiam *part.2. lib.2. cap.3. quæst.2.* Trullench. *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 2. num.* 17. Rocafful *part. 3. lib. 2. cap. 4. num.* 19. Villalob. 2.*part. tract.41. diff.6. num.11.* Sanchez *lib.2. Decal. cap.24.n.7.* Fagundez *lib.4. in Decal. cap.2.n.6.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An item, si parentes sint hæretici, vel Iudæi, &c. & extremè non indigeant, sed solùm grauiter, tunc teneantur etiam filij eos alere?

NEgat Lara *in l. si quis à liberis, §. & si impubes, n. 10. ff. de liber. agnosc.* vt refert Baptista Fragosus *num. 227. citato.* Ita etiam Surdus *de aliment. tit. 7. à n. 29.* Sanchez, & Fagundez nuper citati.

Sed probabiliùs respondeo, tunc etiam teneri; quia ad id etiam iure naturali tenentur. Sic Fragosus, & apud ipsum alij Doctores. Azor *part. 2. lib. 2. cap. 3. q. 2. & 3.*

QVÆSTIO V.

An deinde teneatur filius alere patrem, authoritate iudicis damnatum ad pereundum fame?

NEgant aliqui Iurisperiti apud Fragosum *loco cit. num. 227. vers. vnde constat.*

Sed longè multò probabilius, imò vt mihi certum respondeo teneri; quia sententia illa Iudicis, nequaquam tollit ius naturale, & obligationem, quam habet filius alendi patrem, vnde talis sententiæ præceptum, solùm obligat extraneos, ne alimenta subministrent; non filios, eo quod naturalis sanguinis qualitas, & debita parentibus pietas, nullo modo aboleri, nulloque iure dirimi potest, vt testantur Iurisconsulti *in l. ius autem ff. de pactis, & l. iura sanguinis, de regul. iuris.* Sic Tiraquel. *de pœnis tempor. causa 20. num. 8.* Menoch. *de arbitr. q. 90. n. 45.* Fragoso *loco citato num. 227. vers. vnde constat.* Azor *par. 2. lib. 2. cap. 3. q. 2. vers. quares.* Bonae. *tom. 2. disp. 6. q. vnica, punct. 5. n. 3.* Trullench. *lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 17.* Rocaffull. *lib. 2. de hoc precepto, cap. 4. n. 19.* Villalob. *loco cit.* Fagundez *lib. 4. in Decalog. cap. 2. num. 4.*

QVÆSTIO VI.

An rursus teneatur filius alere patrem bannitum, aut proscriptum.

NEgant etiam aliqui Iurisperiti apud Fragosum, & Tiraquell. eo quod leges ciuiles publicos hostes priuent priuilegiis, *l. postliminy. §. si ius, ff. de captiuis.*

Sed etiam longè probabilius, imò vt mihi certum respondeo teneri, ob rationem nuper *quæstione antecedenti* traditam. Sic Menoch. *loco citato,* Plaza *de delictis lib. 1. cap. 36. n. 4.* Acuña *1. p. decreti, cap. 1. dist. 30. n. 3. & 4.* Fragoso *num. 227. fine.* Azor *loco cit. q. 3.* dicens hanc sententiam esse mitiorem, & benigniorem, Trullench. *loco cit. num. 17.* Rocaffull. *num. 19.* Villalob. & Fagundez, vbi suprà, qui docent, teneri filium alimenta præbere patri, quamuis pœna à Principe imposita sit, ne quis Titio publicè proscripto alimenta impendat.

QVÆSTIO VII.

An saltem non teneatur filius præstare alimenta patri, qui est Reipublicæ hostis, aut proditor.

NEgant adhuc aliqui, tunc non teneri filium præstare alimenta patri hosti Reipublicæ, aut proditori; quia ad id adstringitur lege naturali. Ita innuere videtur Fragosus *3. p. lib. 1. disp. 2. §. 8. num. 227. vers. imò quamvis*: quamuis oppositum sentiat *lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 28. vers. Ad argumentum Baldi.*

Sed omninò respondeo dicendum, tunc non teneri filium præstare alimenta, aut aliquod aliud subsidium vitæ necessarium, patri suo: quia ad id, ob bonum commune tenetur iure naturali validiori. Quod clarè colligitur ex dictis *suprà disp. 2. q. 10. & 11. & 23.* & tenent expressè Azor *par. 2. lib. 2. cap. 3. quæst. 3. fine.* Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 17.*

QVÆSTIO VIII.

An non solùm filij legitimi, sed etiam naturales, & spurij, teneantur præstare parentibus alimenta?

NEgarunt quidam antiqui Gentiles, qui sanxere leges parentibus alimenta denegantes, quia filios contra leges, & iura gentium genuerunt. Solon namque (teste Plutarcho *in vita eius*) legem tulit, qua statuit, genitos è meretricibus filios, suis parentibus alimenta non debere, quam legem Romani posteà admiserunt. Poteslque id confirmari ita; nam iure Cæsareo parentibus est interdictum præbere alimenta filiis spuriis. Constat *ex Authent. quibus modis naturales efficiantur sui, §. penult. Authent ex complexu, C. de incestis nuptiis, & Authent licèt, C. de naturalib. liberis* Ergo è contra, etiam erit prohibitum, per regulam correlatiuorum, filiis naturalibus, aut spuriis, præstare alimenta suis parentibus.

Sed vt certum respondeo dicendum, quod non solùm filij legitimi (qui dicuntur illi, qui ex legitimo geniti sunt matrimonio) sed etiam filij naturales (qui sunt illi qui fuerunt suscepti ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, aut natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens matrimonium) & spurij (qui sunt illi, qui nascuntur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, ac natiuitatis, impedimentum erat dirimens matrimonium) tenentur præstare suis parentibus alimenta necessaria ad vitæ sustentationem. Probatur: tum quia natura communis est omnibus filiis, tam legitimis, quàm naturalibus, *l. hoc accusare, §. omnibus, ff. de accusat.* Ergo si legitimi tenentur iure naturæ parentes alere, etiam eodem iure alij filij tenebuntur. Tum etiam, quia certum est, iure Canonico, spurios, & naturales filios alendos esse à parentibus, *cap cum haberes, in fine, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium.* Ergo è conuerso, etiam huiusmodi filij tenebuntur alere suos parentes. Sic Menoch *de præsumpt. lib. 3 q. 24.* Surd. *de aliment. tit. 1.* Molina *tom. 1. de iust. tr. 2. disp. 228. n. 16. vers. quintus effectus.* Azor *p. 2. lib. 2. cap. 2. q. 2. vers. at multo magis.* Fagundez *lib 4. in Decal. c. 2. n. 4.* Villalob *loco cit.* & communis.

QVÆSTIO IX.

An item filius emancipatus, vel matrimonij vinculo adstrictus, debeat parentes alere?

RESpondeo vt certum, etiam debere: quia semper permanent filij, & ideò semper iure naturali ad eos alendos adstricti. Sic Azor *loco nuper citato.* Villalobos *tom. 2. tract. 41. diff. 6. n. 11.* vbi ita ait: *Esta obligacion tienen los hijos à los padres, aunque sean paganos, gentiles, herejes, ò descomulgados; y aunque estuuiesse el padre condenado à morir de hambre, porque la sentencia del Iuez en este caso no habla con los hijos, ni les quita el derecho que a esto tienen, como dize Azor. Y dize mas. que està obligado à esso, aunque el hijo sea spurio. y dize lo mismo Fr. Manuel Rodrig. con Bartolo. Y añade mas, que procede, aunque la hija esté casada, y lo contradiga su marido: por loqual deue alimentarles con secreto, para euitar renzillas. Y que no està obligada la hija casada à dar mas alimentos de lo que à ella le cabe conforme à la porcion que le cupo de su padre: y si los otros hermanos no quisieren acudir con su obligacion, la tiene ella para suplir lo que falta, para los dichos alimentos: porque aunque no està obligada à pagar las deudas del padre, sino solo conforme à la hazienda que heredo: mas la obligacion de sustentar al padre no tiene origen de la herencia, sino de la filiacion, que obliga à cada, vno in solidum pudiendo.* Hæc Villalobos, docens prædictis verbis omnia, quæ superioribus quæstionibus tradidimus. Legatur Rebell. *de inst. 2. p. lib. 5. q. 8.*

QVÆSTIO X.

An casu, quo parentes possint sibi per aliquam artem, aut officium decens suo statui subuenire, teneantur tunc filij illis alimenta præstare?

RESpondeo vt certum, tunc non teneri, quia tunc non censentur in necessitate esse: secùs dicendum, si parentes nequirent sibi, nisi per aliquod officium sui statui indecens, subuenire; quia tunc verè tenerentur filij illis alimenta præbere, quia tunc meritò censentur esse in necessitate. Sic optimè meus Nauarrus *c. 14. n. 13.* his verbis: Decimò peccat filius, qui parentibus magna necessitate oppressis non subuenit, maximè circa victum, & vestitum, vel grauibus morbis detentis, cùm id commodè facere potest. *argum. c. inter cætera 22. q. 4. c. non satis. 86. dist.* & Angel. *verb. filius. §. 30.* Nisi sciat, patrem ex propriis bonis, vel officio, quo fungitur, sibi posse consulere; tunc enim non tenetur ex bonis suis quidquam conferre, nisi munus illud, aut ars, quam pater callebat, suo statui esset dedecori, *argum. l. si quis liberis, §. idem rescripsit, ff. de liber. agnosc.* adiuncta Glossa. Hæc Nauarrus. Sayrus *lib. 7. c. 5. n. 15.* Bonac. *disp. 6. q. vnica. punct. 5. n. 2. vers. quartò.* Trullench. *lib. 4. c. 1. dub. 2. n. 17.* Azor *part. 2. lib. 2. c. 3. q. 4.* March. *tom. 2. verb. hijos. resol. 29. n. 11.* Tamburin. *lib. 5. in Decal. c. 2. §. 2. num. 11.* ibi: Item assero teneri filium parentis necessitati subuenire, tametsi parens esse sibi subsidio posset, exercitatione alicuius artis minùs sui statui condecentis: ad id esset nimis durum obligare patrem, dum prognato gaudet, qui alia viâ subleuare cadentem posset. Sic ille. Rodriguez *in sum. cap. 14. num. 6.* Grassius *lib. 2. cap. 55. n. 22.*

QVÆSTIO XI.

An saltem obligetur filius carens aliis bonis, ad exercendam artem suo statui indecentem, vt sic patrem indigentem alat?

RESpondeo dicendum: Ad id non obligari; quia sicut patri (vt diximus) ita & filio id esset nimis durum. Eiusmodi ergo incommodum verè filium excusabit, vt ait Tamburinus *loco citato*, & innuit Nauarr. dum verbis illis citatis, ait: *Dum id commodè facere possit.* Et Azor *cap. 3. citato, q. 2. vers. at multò magis*, dicendo: *Debet filius, si commodè potest, matrem in exilium missam alere.* Nota ly, *si si commodè potest.*

QVÆSTIO XII.

In quibus casibus filij præcipuè peccent, si non curent necessitati parentum?

RESpondeo quod præcipuè in his sequentibus. Si parentes infirmos non visitent, & ipsorum sanitati non consulant; si detentos in carcere, aut in captiuitate liberare non curent; si mente captis non prouideant: in his, & in similibus casibus filij peccant, eo quod non subueniant necessitatibus parentum. Sic omnes, præcipuè suprà citati.

QVÆSTIO XIII.

An aliquando possit filius parentibus alimenta denegare?

AFfirmat Azor *p. 2. lib. 2. cap. 3. q. 6.* docens, quod ex eisdem caussis, ex quibus parentes iure possunt debitis alioqui alimentis filios priuare, possint & filij suos itidem parentes, *l. vltima, C. de alend. liber. l. si quis à liberis. §. idem index, ff. de liber. agnoscend.* Glossa *ibidem*; secus verò nunquam filius licet parentibus alimenta subtrahere. Sic ille, & Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 2. fine.*

Sed clariùs respondeo, posse aliquando filios suis parentibus alimenta denegare; non tamen in omnibus, in quibus parentes possunt suis filiis: quia fortiori naturæ vinculo adstringuntur filij ad alendos patres, quàm hi suos filios, vt ex dictis suprà *disp. 1. q. 9.* constat.

QVÆSTIO XIV.

An filius teneatur ab ingressu Religionis abstinere, si parentes in extrema, aut graui necessitate existant?

RESpondeo vt certum teneri, absolutè loquendo; quia præceptum, quod filius habet subueniendi parentibus, grauiter, aut extremè indigentibus, præferendum est consilio Religionem ingrediendi, vt constat ex dictis à nobis *part. 7. tract. 1. de iuram disp. 23.* præcipuè *quæst. 4.* Ergo. Sic communiter Doctores. Legantur dicta à nobis *disput. 23. citata*, vbi omnia, quæ ad propositum hîc Doctores disputant, resoluta inuenies.

QVÆSTIO XV.

An iniuria illata parentibus, quæ aduersatur amori, & pietati illis debitæ; sit necessariò in confessione aperienda?

Respondeo vt certum quod sic; quia iniuria illata parentibus continet in se peculiarem impietatis speciem: ergo debet in confessione aperiri. Sic Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. §. 2. *num.* 2. *& opusc. de confess. lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. ita scribens: Omnis iniuria grauis facta parentibus (quo nomine venit auus & proauus) quæ aduersatur amori, & pietati illis debitæ, est diuersæ speciei ab iniuriis cuicumque alteri proximo illatis; quare erit apud Sacerdotem efferenda. Hinc percussio, occisio, contumeliæ, detractio grauis, grauis infamatio facta parentibus, sunt in confessione specialiter explicanda. Contra verò, furtum factum eisdem, non semper est explicandum, nisi quando tantùm filius furaretur, vt pater depauperaretur. Ratio est, quia quodlibet furtum est quidem contra iustitiam, sed non contra pietatem, nisi casu dicto, vel simili. Hæc ille. Tenentque nostram sententiam Molina *tom.* 1. *de iustitia*, *tract.* 1. *disp.* 7. *num.* 1. *&* 4. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 2. Nauarr. *c.* 14 *num.* 11. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. *in glossa*, *litt. E.* Bonac. *disp.* 6. *in* 4. *precep. q. vnica, punct.* 3. *num.* 3. *vers. addo, & disp.* 5. *de pœnitent. q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 3. *num.* 15. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Villalob. *tract.* 41. *diff.* 6. *num.* 1. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. *num.* 1. & alij.

QVÆSTIO XVI.

An item, si filius optet mortem, aut occisionem, & alia mala parentibus, teneatur hanc paternam circunstantiam in confessione fateri?

Respondeo vt certum, quod etiam teneatur; quia tale desiderium etiam debito amori erga parentes opponitur; & sic expresè contra pietatem militat. Sic Tambur. in *opusc. de confess. loco citato*, & penes ipsum Molina *disp.* 7. *à nobis citata*. Sed clariùs id tenet Azor *vbi suprà q.* 2. qui sibi inquirenti, quibus modis filij delinquant contra amorem parentibus debitum; respondet, eos lethaliter delinquere, in primis, si parentes odio habeant, si malum aliquod, quod sit alicuius momenti, illis optent; si illis nunquam signa amoris exhibeant, & ostendant: & in his omnibus peccatis confitendis, parentum circumstantiam oportet exprimere. Sic Angel. Siluest. Tabiena, Armilla, Nauarr. & alij. Hucusque Azor. & omnes.

QVÆSTIO XVII.

An filiis, & parentibus extremè indigentibus, prius sit subueniendum istis, quàm illis?

Affirmant potiùs esse subueniendum filiis, quàm parentibus, Burid. 3. *ethic. quæst.* 6. & alij apud Fragosum *infrà*.

Sed vt certum respondeo dicendum, quod priùs, & potiùs sit subueniendum parentibus, quàm filiis. Sic Sayrus *lib.* 7. *Clauis*, *cap.* 5. *num.* 16. *fine*. quia (inquit) ad ea quæ pertinent ad ipsum esse absolutè (quibus scilicet, quis indiget in extrema necessitate) est summa coniunctio filij erga patrem; cùm filius à patre habeat esse, & non à filio. Sic ille, & nos cum D. Thoma, Azorio, & Trullench *part.* 6. *tract.* 5. *de eleemosyna*, *quæst. vltima*. Legatur Fragosus 3. *part. lib.* 1. *disp.* 1. §. 1. *n.* 13.

DISPVTATIO VI.

De obligationibus, quas in rebus spiritualibus parentes erga filios suos habent.

§. I.

De amore parentum erga filios.

QVÆSTIO PRIMA.

An sicut filij parentes, ita & parentes filios adstringantur vi huius quarti præcepti diligere.

Respondeo vt certum, adstringi. Constat ex habitis suprà *disp.* 1. *quæst.* 9. & certè parentes ad id ipsâ naturâ duce adstringuntur, cùm filij sint partes ipsorum parentum. Nec obest, quod in hoc præcepto mentio non fiat amoris parentum erga filios. Tum quia id non fuit necessum, vt *loco citato* diximus. Tum etiam, quia sicut non est nobis præceptum expresè de amore proprio, sed de amore proximi, eo quod ad amorem sui ipsamet natura inclinat; ita etiam ad amorem filiorum ducuntur parentes, impellente ipsa natura, & cogente. Sic Alex. de Ales *in sum. p.* 3. *q.* 33. *membr.* 3. *art.* 1. & ex illo Baptista Fragoso 3. *p. regimin. Christianæ Reipub. lib.* 1. *disp.* 1. §. 7. *num.* 92. & alij citati à nobis suprà *disp.* 1. *quæst.* 9.

QVÆSTIO II.

An amor paternus in filios super omnem emineat amorem?

Respondeo quod sic (nisi quis excipiat amorem in vxorem, vt infrà.) Colligitur ex eo quod vita liberorum non solùm (vt vult Philosoph. *lib* 8. *Ethic. cap.* 12.) æquè parentibus est chara, atque sua, verùm etiam charior; cum secundùm Accursium *in l. isti quidem*, §. *vlt. ff. quod metus causa*, plus parentes diligant filios, quàm semetipsos, nec præsumuntur parentes, qui filios sic non diligunt. Consonat Sabellicus *lib.* 3. *cap.* 4. vbi autumat nullo hominem arctiori vinculo constringi, quàm eo, quo parentes liberos suos complectuntur: *Multa (inquit) volumus patriæ deberi, multa parentibus, multa demum multis; sed filiorum causa omnia volumus: per ferrum, per flammas intrepidè, si filiorum charitas postulet, itur: nullius incolumitas suauior, nullum funus acerbius, magisque luctuosum.*

Sic ille. Et tenent Oldrad. *consil.* 95. *Ex forma illius*, *col.* 2. & Socin. filius, *consil.* 26. *Cùm super*, *lib.* 4. & latè, & doctè id ex Scriptura sacra, Baptista Fragoso 3.*p. cit. lib.* 1. *disp.* 1. *à num.* 2.

QVÆSTIO III.

An tanta vis amoris paterni ortum habeat ex natura?

RESpondeo cum D. Ambrosio, quod sic. Ait enim *Hexameron* 6. *cap.* 4. sic. *Natura bestiis infundit hoc, vt catulos proprios ament, fœtus suos diligant. Quæ fera pro catulis non ipsa potissimum se offerat morti? Ingruat licèt telorum seges, illa tamen paruulos suos muro sui corporis septos immunes præstat periculi.* Sic Sanctus. Ex cuius præclaris verbis constat, quantus sit amor animalium à natura ortus, in proprios fœtus. Et (à fortiori) quantus sit humanus amor parentum in filios, ab ipsamet natura ortus, cùm magis isti coniunguntur illis. Sic Fragosus *loco cit. num.* 8.

QVÆSTIO IV.

An coniugatus magis debeat diligere vxorem, quàm filios & parentes?

NEgant nonnulli Canonistæ, existimantes, coniugatum maiori affectione debere ferri in filios & parentes, quàm in vxorem. Id probant *ex l. cum acutissimi*, *C. de fideicommiss.* & tenent Accursius, & Bartol. *in l. Lucius*, *ff. de vulgar. & pupil. substit.* Angel. *consil.* 144. & Tiraquel. *in l. si vnquam*, *C. de reuocand. donat. num.* 11. *in præfat.* Quorum sententiam esse probabilem, clarè fatetur Fragosus vbi suprà, *num.* 9. *vers. Quamuis ergo.*

Sed alij contrà respondent coniugatum magis debere vxorem suam diligere, quàm filios suos, & parentes. Sic colligunt ex Scriptura sacra, dicente: *Genes.* 2. *Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Vbi Cornelius; Hæc ergo (inquit) coniugij lex est, & societas, vt si res exigat, coniux coniugis causa, patrem, & matrem deserere teneatur? Quod intellige de cohabitatione, & vitæ consortio. Sic ille. Sic etiam dixit Christ. *Math.* 19. *Propter illam relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna.* Et Paul. *ad Ephes.* 5. dicit, quod maritus debeat diligere vxorem suam, vt seipsum. Vnde Ambros. *in Psalm.* 118. *vers. Iniquos odio habui. Amare* (inquit) *parentes filios lex naturæ est, maritos coniuges, lex diuina est, quæ coniugij charitatem in naturam vertit, vt fiat vna caro, & vnus spiritus.* Hæc D. Ambros. Vnde hanc sententiam tenent Caiet. 2.2.*q.*26. *art.* 12. Suarez *de triplici virtute tract.* 3. *disp.* 9. *sect.* 4. *num.* 17. & alij, quos citat, & sequitur Fragosus *disp.* 1. *cit.* §. 2. *n.* 9. *vers. Quamuis ergo.*

Alij tandem media via incedentes, respondent dicendo, quod spectato ordine secundum coniunctionem inter diligentem, & vxorem dilectam, magis diligenda sit vxor, quàm parentes; censentur enim vir, & vxor vna caro, vt dictum est. At verò, considerato ordine secundum obiectum charitatis, filij & parentes magis sunt diligendi, quàm vxor; eo quod filij à parentibus accipiant esse, & viuere. Sic D. Thom. 2.2.*q.*31.*art.*3. *& in* 3. *sent.* *d.* 29. *q.* 7. *ad* 3. & alij, quos sequitur Filliuc. *tract.* 28. 1. *p. cap.* 2. *q.* 9.

Sed ego respondeo omnes tres modos dicendi esse probabiles, & quisquis potest amplecti illum, in quem amor tendat.

QVÆSTIO V.

An habens filium, aut patrem, & vxorem extremè indigentes, priùs debeat succurrere filio, aut patri, quàm vxori.

NEgant aliqui Doctores, sentientes, prius succurrendum esse vxori extremè indigenti, quàm filio aut patri. Quia vxor (inquiunt) est nobilius obiectum, cùm sit comprincipium generationis filij; & comprincipium habeat rationem excellentioris boni, quàm effectus, qualis est filius. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 26. *art.* 12. Suarez *num.* 17. *citato*, & Enriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. quos sequitur Fragosus 3. *p. lib.* 1. *disp.* 1. §. 1. *num.* 11.

Sed probabilius respondeo in dicto casu extremæ necessitatis, prius esse succurrendum filiis, aut parentibus, quàm vxori. Sic cum D. Thoma 2.2. *q.*26. *art.* 3. Azorio, & Ægidio Trullench, diximus *part.* 6. *tract.* 5. *de eleemosyna*, *disp.* 5. *quæst. vltima.* Quibus nunc addo Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 4. *num.* 26. quæstioni propositæ sic distinguendo respondentem. Extra casum extremæ necessitatis, potiùs tenetur vir vxori, quàm parentibus succurrere. Quia in his, quæ ad œconomicam rationem, citra extremam indigentiam attinent, arctior est coniugalis vnio, iuxta illud *Genes.* 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et *Math.* 19. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* In extrema autem necessitate, potius parentibus est subueniendum, quia est debitum antiquius erga parentes, & ratio boni, quod est dilectionis obiectum, inuenitur eminentius in patre, teste D. Thoma *q.* 26. *cit. art.* 11. Diliguntur enim parentes vt principium, ac proinde maior est cum illis coniunctio quoad esse absolutè, cui in extrema necessitate subuenitur. Ita videtur sentire D. Thomas *art.* 11. *ad* 1. & docent ibi Bañes *in fine*, & Aragon ibi. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 5. *corollar.* 10. vbi benè colligit ex Caiet. *ea q.* 26. *art.* 12. filiis in extrema necessitate magis subueniendum esse, quàm vxori. Quia illi quoad coniunctionem magis amantur, cùm sint aliquid substantiæ, & pars viscerum parentum; vxor autem non est pars viri. Huc vsque Sanchez.

QVÆSTIO VI.

An sit mortale inuertere ordinem in casibus suprà dictis, & omisso patre succurrere filio, & his omissis, succurere vxori.

REspondeo cum Filliuc. communiter loquendo, non esse mortale, sed veniale solùm. Tum (inquit) quia sunt opiniones vtrinque probabiles. Tum, quia reuerà excessus non est notabilis. Primò enim in comparatione patris & filij vtrinque est magnum vinculum: pater enim est principium filij, & filius aliquid patris. Secundò in comparatione patris, & matris, parum interest inter vtramque obligationem. Nam ex vna parte pater amat stabilius

stabilius, habet curam filiorum, magis laborat pro sustentatione illorum. Ex altera, mater plus laborauit in pariendo, tenacius amat filium, &c. Tertiò in comparatione parentum, & vxoris, patet vtrinque esse rationes. Victoria, & communiter Thomistæ, tenent in hoc dari opinionem, &c. Hæc Filliuc. *tom.2. tract.28. cap.2. q.10. num.53.* & Suarez quem citat, & sequitur Fragosus *3. p. regimin. lib.1. disp.1. §.1. num.13.*

QVÆSTIO VII.

An Amor paternus maior sit in filios, quàm maternus?

NEgandum videtur. Primò, quia ex maiori labore in educatione filiorum, colligitur maior amor; quia magis diligit, qui magis laborat, *l. cùm quid, ff. de captiuis*: atqui in filiorum educatione magis laborat mater, quam pater: ergo. Minor probatur, quia filius est matri ante partum onerosus, dolorosus in partu, & post partum laboriosus, vt constat *ex cap. vltimo, de conuers. infidel.*

Secundò, quia ad amorem maternum erga filium confert valde diuturna conuersatio matris cum filio, & maior coniunctio, cùm filios portet in vtero, & nutriat sanguine proprio. Ergo.

Affirmandum verò contrà videtur. Primò quia amor eo ipso est maior, quo est constantior, & fortior: atqui amor paternus est fortior, & constantior: ergo amor paternus, materno est præferendus.

Secundò, quia pater est præcipua causa in generatione & productione filiorum, cùm se habeat per modum agentis (& ideò est principium nobilius) ad ipsumque spectat erudire filios, eosque suis laboribus alere; ergo amor Patris est anteponendus, cùm amet filios nobiliori, & altiori amore.

Sed vt vtrique amori consulamus, dicendum est, quod amor paternus sit constantior; amor verò maternus, feruentior. Quamuis absolutè loquendo, amor paternus, materno præferendus sit. Sic tenent Albert. 8. *Ethic. cap.12.* quem citat, & sequitur Fragosus *3. p. regimin. lib.1. disp. 1. §. 2. num.17. & sequent.* Lege Ioan. de Lignan. *tract. de amicitia, §. & surgit.*

QVÆSTIO VIII.

An filius magis amet patrem, quàm matrem?

REspondent aliqui cum distinctione, dicendo, quod filius tempore infantiæ magis diligat matrem; cùm pro eo tempore magis egeat matre, quàm patre: post infantiam verò, magis diligat patrem, quia post illam potiùs eget patre, quàm matre; ab illo namque eruditur, docetur, defenditur, &c.

Sed absolutè & per se loquendo, dicendum est, quod filius magis debeat amare patrem, quàm matrem; quia vtrumque debet filius diligere vt principium naturæ, & sui esse. Atqui pater est principium excellentius, nempe actiuum, & mater minus nobile, nempe passiuum. Rursus, pater est in familia caput, & in generatione potior causa, vt dictum est. Denique amor patris est fortior, & constantior; quæ omnia obligant, & adstringunt filium, vt patrem plus amet: Ergo. Sic S. Thom. *2.2. q.26. art.10.* Ricard. & Valentia, quos citat, & sequitur Fragosus *vbi suprà, §.2. n.20.*

QVÆSTIO IX.

An saltem per accidens in aliquo casu magis amet, ac amare debeat filius matrem, quàm patrem?

REspondeo quod sic. Constat; nam in casu, quo mater valde sollicita sit de filiis, tam circa temporalia, quàm spiritualia; & pater neutrius est studiosus, imò filiorum saluti spirituali minimè consulens, & bona temporalia dilapidat, tunc filius magis debet amare matrem, illique potiùs, quàm patri subuenire, & maius bonum matri præstare, cùm in ipsa tunc maior spectetur amor. Sic Rodrig. *in sum. cap.14. num.10.* Vbi omnia à nobis dicta his verbis complectitur: *Aunque hablando absolutamente, mayor razon ay para amar al padre que a la madre, por ser el principio actiuo de nuestra generacion, loqual ya que concurra tambien en la madre, no es en grado tan principal. Emperò puede acaecer caso, en el qual el hombre mas obligacion tenga de socorrer a la madre, que al padre, estando en igual necessidad, conuiene a saber, haziendo la madre mas bien a los hijos que el padre, por el ser vicioso y negligente, quanto a lo que toca al bien temporal, y espiritual dellos, y ser la madre muy cuydadosa, y solicita, como lo dize Bañez 2.2. q.26. art.10.* Sic Rodrig. & sic etiam Aragon *eod. art.10.* & Fragosus *loco citato, n.20.*

---

§. II.

De cura, quam in erudiendis filiis in rebus spiritualibus debent habere parentes?

QVÆSTIO X.

An parentes ex virtute pietatis teneantur curam filiorum habere?

REspondeo tanquam certum, quod sic: quia si paterfamilias circa illos, quibus præest, curam habere tenetur, iuxta illud Pauli *1. Cor. 5. Qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, est infidelis, & infideli deterior*: multò magis tenebitur pater curam habere filiorum. Sic docent omnes. Legantur Authores mox citandi.

QVÆSTIO XI.

An pater teneatur erudire filios in bonis disciplinis?

REspondeo vt certum, quod sic. Constat id, tum ex illo *Ecclesiast. 23. Habes filium, erudi illum.* Tum, quia pater tenetur filios alere corporaliter, vt infrà: ergo & docere ea, quibus se alere possint; ergo ad hoc instruere illos bonis disciplinis. Sic omnes DD. infrà adducendi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An teneatur sub mortali culpa pater, docere filios suos præcepta Dei, & Ecclesiæ, & facere quantum in se est, vt illa obseruent?

RESpondeo vt certum teneri: quia id præcipuum onus est parentum. Et sic præcipitur eis *in l. si quis à liberis, §. non solum, ff. de liberis agnosc.* dum ait, patrem non solum teneri filios alere, sed etiam alia onera explere, quæ patri incumbunt. Atqui præcipuum onus est filios in rebus spiritualibus, & præcipuè necessariis ad salutem instruere: Ergo. Sic omnes. Archidiac. Florent. *in Sum. verbo defecerunt, in 4. præcepto.* Sayrus *lib. 7. cap. 7. n.* 1. ibi: Denique, quantum in se est, studeat, vt mandata Dei obseruent, præcepta Ecclesiæ custodiant, & ab omni peccato abstineant, & virtutem amplectantur. Bonac. *etiam tom. 2. disp. 6. de 4. præcep. quæst. vnica punct. 6. num. 2.* Trullench. *lib. 4. cap. 1. dub. 3. num.* 3. Fragosus *p. 3. Regim. Christ. Reip. lib. 1. disp. 1. §. 4. n. 5 1.* Graff. *lib. 2. decis. aur. cap. 58. num. 14.* (Fragoso illum citat *cap. 59. num. 18. & 19.* sed malè.) Vbi ita ait: Tenentur etiam patres curare, vt filij sciant, & obseruent præcepta Dei, vel Ecclesiæ. Aliàs ob notabilem negligentiam permittere, vt illa ignorent, & non obseruent, peccatum est mortale. Sic Graffius. Legantur dicta à nobis *part. 6. tract. 2. de fide, disp. 2. q. 50.* vbi docuimus, teneri fideles sub mortali addiscere, & memoria retinere quoad substantiam præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; sub veniali verò, quoad verba, & ordinem, quo addiscenda proponuntur. March. *verb. padres, resol. 345. num. 8.*

QVÆSTIO XIII.

An item sub eodem peccato mortali, teneantur parentes curare, vt filij addiscant, Pater noster, *&* Credo?

NEgandum videtur, quia probabile est, non dari præceptum sciendi Orationem Dominicam, vt constat ex dictis à nobis *p. 6. loco cit. q. 49.* Ergo probabile erit, non teneri parentes sub culpa mortali, curare, vt addiscant *Pater noster.*

Sed probabilius respondeo teneri ad id parentes curare, vt filij sui non solùm addiscant symbolum, seu *Credo* (in quo omnes conueniunt) verùm, & *Pater noster*, seu Orationem Dominicam. Quia probabilius est, teneri omnes fideles scire, & tradere memoriæ Orationem Dominicam, quoad substantiam, sub peccato mortali, vt diximus vbi suprà: Ergo sub eadem culpa tenentur parentes curare, vt illam sciant, & addiscant sui filij. Sic expressè Graffius *loco cit.* ex Siluestro, *verb. scientia. vers. secundùm.* Fragosus *num. 51. vers. his itaque dictis*; & alij citati à nobis, *6. p. q. 49. & 54.* & mox citandi.

QVÆSTIO XIV.

An deinde teneantur sub mortali parentes curare, vt filij discant signum Crucis?

AFfirmat expressè Armilla *v. scientia, num.* 3. per hæc verba: Parentes videntur mortaliter peccare negligentes docere filios signum Crucis, Pater noster, Credo, Præcepta decem, & articulos Fidei necessarios. Ita ille. Sic etiam Graffius (ex Siluestro) *num. 14. citato*, his verbis: Hinc Siluest. *in verbo scie ntia, vers. secundum*, inquit, quod ea, quæ parentes tenentur facere sub peccato mortali, vt filij addiscant, est signum Crucis, & Credo paruum, & Pater noster. Hæc Graffius, quem citat, & sequitur Fragosus, *vbi suprà*, dicens quod Graffium sequantur Rodriguez *in sum. cap. 13. n. 3.* & Sayrus *in claui Reg. lib. 7. cap. 7. n. 1.* sed certè hi Authores, nec verbum de hac difficultate habent.

Sed probabilius longè respondeo non teneri sub mortali, sed sub veniali tantùm. Quia probabilius longè est, neque ipsos filios teneri sub mortali, sed solùm sub veniali (ad summum) scire se signare signo Crucis, vt diximus *p. 6. tract. 2. disp. 2. q. 54.* Ergo nec patres ad amplius tenebuntur.

QVÆSTIO XV.

An peccent mortaliter parentes, qui absque causa rationabili, filios à progressu in bono reuocant?

REspondeo quod sic, quia apertè contra suam obligationem militant. Sic Nauarr. *cap. 14. sub num. 17.* Hæc dicens. Decimooctauò peccant parentes, qui absque causa, votum aliquod, siue peregrinationis, siue abstinentiæ, quod filij cum bona eorum venia fecerunt, reuocant. Sic ille. Sayrus etiam *lib. 7. Clauis, cap. 7. sub num. 2.* Trullench. *lib. 4. cap. 1. dub. 3. num. 2.* & omnes.

QVÆSTIO XVI.

An parentes, qui iusta de causa retrahunt filium ab ingressu Religionis, peccent mortaliter?

REspondeo tanquam certum, nec venialiter peccare; quia aliquando piè, ac sanctè potest quis retrahere aliquem à Religione, purà si attenta qualitate, & circumstantiis, probabiliter iudicat, non expedire; vel quia ille nociuus futurus est Religioni; vel quia in Religione, quam ingredi intendit, iam liberè, & dissolutè viuitur; vel quia iudicat eum esse ad Religionem ineptum, &c. In iis ergo, & similibus casibus, licitè certè, & absque vlla culpa possunt parentes retrahere filios suos ab ingressu Religionis. Sic Pater Molina *tom. 5. tract. 4. disp. 51.* & ex illo Dicastillo *tom. 1. de iust. lib. 2. tr. 2. dubitatione 2. à num. 16.* Tamburinus mox citandus. Franciscus Bordon. *de Profess. Relig. cap. 12. num. 74.* Suarez *etiam tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. n. 9.* & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An saltem peccent mortaliter parentes, qui absque iusta causa, sine vi tamen, vel fraude, aut dolo, retrahunt filium à Religionis ingressu?

NEgat Suarez *loco citato*, docens, non peccare mortaliter, his verbis: Si quis absque iniuria violentiæ, aut deceptionis, alium auertat ab ingressu Religionis, precibus, vel promissionibus, illud non esset ex genere suo peccatum mortale; quia ibi non interuenit iniuria, neque inductio ad malum, neque auersio, sed abstractio à bono ad salutem non necessario. Cur ergo ibi erit grauis malitia? Nam licèt alter graue detrimentum patiatur, non tamen inuoluntariè, sicuti per vim, aut deceptionem; sed quia liberè consensit: ergo inde non redundat in alium malitia saltem grauis. Et paulò post: Si quis intendat, vt solùm ingressus differatur, minor erit culpa, & talis posset esse causa, vt esset nulla. Sic enim excusari possunt parentes, qui aliquantulum filios detinent, vt eorum constantiam experiantur, vel eorum vocationem magis examinent. Hæc Suarez. In cuius loci margine breuiter, & perspicuè sic tota eius doctrina in compendium redigitur. Qui auertit alium à Religionis ingressu, solùm precibus, ac promissionibus, non peccat grauiter, nisi preces sint importunæ, & sine vlla causa, contra certam Spiritus sancti vocationem. Hæc ibi: cuius doctrinam amplecti videtur Tamburin. *lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 5. num. 7.*

Alij contrà affirmant absolutè, dicendo, peccare mortaliter parentes, retrahendo sine iusta causa filios suos à Religionis ingressu. Quia sine causa retrahunt illos à magno bono, quod est multum præiudiciale illis. Sic tenent Sotus *lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 2.* Nauar. *cap. 12. num. 44. & cap. 14. num. 17. vers. decimonono*; & apud illum Palud. D. Anton. Angel. Syluest. & Tabiena. Sayrus *in Claui Regia lib. 7. cap. 7. num. 1. vers. secundò, & lib. 11. cap. 1. num. 28.* & penes ipsum Ledesm. Petr. Nauarra, Aragon, Salon, & Greg. de Valentia. Miranda *tom. 1. q. 16. art. 3. concl. 2.* Bordon. *de profess. religiosa cap. 12. q. 32. num. 74.* Molina *tom. 5. de iust. tract. 4. disp. 51. §. secunda verò pars.* Dicastillo *tom. 1. de iust. lib. 2. tract. 2. disp. 7. dubit. 2. n. 20.* Trullench *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub 3. sub num 2.* March. *tom 2. verb. hijos, resol. 32. num. 1. & 4.* Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 14.*

Sed ego distinctiùs respondeo primò: Certum est apud omnes, quod peccent mortaliter parentes, qui retrahunt filium ab ingressu Religionis (siue ab ipsa Religione) vi, dolo, aut fraude, siue errore; & teneantur ad hæc tollenda, eumque in pristinum statum restituere, suadendo ei contrarium, auferendoque errorem, dolum, & vim, seu fraudem, vt si velit, cognita veritate, possit ingredi (vel regredi) ad Religionem. Quia vis, & dolus sunt contra iustitiam. Sic Dicastillo *loco cit. num. 19.* dicens, id esse certum apud omnes, quos ipse viderit.

Respondeo secundò, etiam vt mihi certum, quod adhuc peccent mortaliter parentes retrahentes filium à Religione, sine dolo, aut fraude, aut errore, si id faciant precibus importunis, & sine vlla iusta causa. Quia preces importunæ parentum, reverà inferunt vim, vt diximus *parte 2. tract. 9. de matrim. disp. 16. quæst. 15.* Sic tenet, vt vidisti, Suarez *vbi suprà*, & alij communiter.

Respondeo tertiò. Probabilius est, quod adhuc peccent mortaliter patres, qui retrahunt filium ab ingressu Religionis, etiamsi id faciant sine vi, dolo, fraude, & errore, & absque precibus importunis, dummodo verè retrahant, & sine causa retrahant. Quia in re graui faciunt contra proximi charitatem. Sic Authores secundæ sententiæ, inter quos sic loquitur Molina *loco cit.* Qui absque rationabili, vel iusta causa, dissuadet alicui Religionis ingressum, aut ei suadet egressum, grauiter peccat; quoniam retrahere à tanto bono, graue est; tenebiturque, qui retraxit, charitatis lege, suadere contrarium, si spes sit iri resarcitum, quod ita impediuit. Vnde grauiter peccant parentes, qui solo carnali affectu permoti, absque rationabili causa, nullum non mouent lapidem, vt filios à Religione, quam ingressi sunt, extrahant, lacrymis, & aliis viis conando à tam sancto proposito illos auertere: soletque Deus illos, ac filios ita extractos grauiter etiam in hoc sæculo punire. Videant etiam (addit Molina) Senatores Regij, se grauiter peccare, si absque causa rationabili, priùs sufficienter cognita, & examinata extrahant Nouitios, & collocent in domo aliqua, vbi grauiter eorum constantia tentetur, & grauis occasio eis detur retrocedendi; & vim iniustam Religionibus inferunt, si eas cogant, vt Nouitios receptos ad id concedant. Hæc Molina. Cuius verba referunt Dicastillo, & Tamburinus. Ex quibus hic solus aduertit, quod Molina in hoc addito videatur supponere hanc causam examinari à Senatoribus Regiis posse. In quo tanto Doctori nullum consensum (& meritò) præbet; quia cùm hæc causa sit spiritualis, ad Ecclesiasticum Iudicem pertinet, non ad sæcularem; & certè hæc est praxis.

QVÆSTIO XVIII.

An item peccent parentes mortaliter, cogentes filias Moniales fieri inuitas.

REspondeo tanquam certum, & peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem latam à Trident *sess. 25. cap. 18. de Regular.* ibi: *Anathemati subiicit sancta Synodus omnes & singulas personas cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos, Sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet qualitate fungentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam (præterquam in casibus in iure expressis) ad ingrediendam Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Hæc Concilium. Igitur, iuxta illud, incurrunt excommunicationem maiorem parentes, & aliæ personæ, cuiuscumque sint conditionis, cogentes filias, aut alias mulieres ad Religionem; & consequenter in peccatum mortale incurrunt, cùm hoc præsupponat hæc censura. Sic tenent omnes. Nauarr. *cap. 14. num. 17.* his verbis: Vigesimò peccant parentes, qui dolis, aut minis, aliisque huiusmodi mediis filiam

filiam cogunt Religionem intrare, *argum. cap. 1. de his, quæ vi, & cap. requisiuit, de sponsalib.* quod est quidem magnus ætatis nostræ abusus, & causa ruinæ Religionibus, & vt in illis maledicantur perpetuò, qui eas in id compulerunt. Sic doctus, & pius Nauarrus, & omninò veritatem propalat. Legantur de hac materia Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 4.* Henriq. *lib. 11. cap. 19. §. 4.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 23. sect. 5.* Azor *part. 1. lib. 12. cap. 5. & lib. 13. cap. 6. q. 2.* Fragosus *3. p. regim. lib. 1. disp. 1. §. 4. num. 53.* Bonac. *de excommunicatione disp. 2. q. 6. punct. 2.* Barbosa *in collect. ad Trident. d. cap. 18. num. 1.* March. *verb. padres, resol. 347. num. 1. & 11.*

QVÆSTIO XIX.

An incurrant hanc excommunicationem cogentes non solum filias, sed etiam filios ad Religionem?

AFfirmandum videtur, quia quamuis huiusmodi decretum Tridentini, de solis cogentibus ad Religionem fœminas, loquatur, at eius ratio finalis, quæ est libertati ingressus consulere, æquè procedit in viris coactis: ergo ad cogentes etiam viros extendi debet. Confirmatur, quia pœnas statutas viro rapienti fœminam, extendunt ad fœminam viri raptricem, Henriquez, Rodrig. Vega, & Gutierrez, vt vidimus *part. 2. tract. 9. de matrim. disp. 22. q. 2.* Ergo similiter in nostro casu ad cogentes viros extendi hoc decretum debet. Et ita tenet Palacios *in 4. dist. 38. disp. 1. fol. 847.* cuius sententiam vt probabilem sequitur March. *verb. padres, resol. 347. n. 13.*

Sed multò probabilius respondeo non incurrere talem censuram cogentes ad Religionis ingressum viros. Ratio est, quia idem Tridentinum *sess. 24. de matrim. cap. 9.* volens comprehendere eos, qui cogunt siue viros, siue mulieres ad matrimonium, id expressit: ergo cùm in hoc decreto exprimat solùm cogentes fœminas, non debet extendi ad illos, qui cogunt viros.

Vnde ad rationem dubitandi respondeo, quod minimè militet eadem ratio. Nam cùm frequentissimum sit fœminam sic cogi, rarò autem id accidat respectu virorum, & legis sit frequenter contingentibus prospicere, *l. nam ad ea. ff. de legib.* consultò Tridentinum solùm frequentem coactionis fœminarum casum puniuit. Ad confirmationem dico, probabilius esse, pœnas statutas viro rapienti fœminam non extendi ad raptum viri, vt cum Sancio, Basilio, & aliis pluribus, defendi *part. 2. tract. 9. de matrim. loco cit.* Vnde hanc nostram sententiam tenent Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 4. n. 3.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 23. sect. 5.* Bañez *2. 2. q. 62. art. 2. dub. 3. in fine,* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 8. §. 9. in fine,* Tamburin. *lib. 5. cap. 2. §. 5. n. 8.* Filliuc. *tom. 1. tract. 14. cap. 6. q. 5. n. 89. vers. dico secundò.* Bonac. *punct. 2. cit. num. 15.* Azor *part. 2. lib. 2. cap. 21. q. 15.* Barbosa *in remiss. ad Concil. sess. 25. de Regular. cap. 18. num. 3.* Portell. *verb. moniales, in addit. num. 7.*

QVÆSTIO XX.

An hanc censuram incurrant parentes (aut alij, qui non sunt) qui metu leui cogunt filias (seu alias, quæ non sunt) ad ingrediendam Religionem?

REspondeo vt quid probabilius, quod non; quia verbum *cogere*, quo vtitur Concilium, idem significat, ac per vim, vel metum grauem, & cadentem in virum constantem, iniustè inducere: ergo, qui cogunt metu leui, aut non cadenti in virum constantem, non incurrent. Sic Sanchez *loc. cit. num. 4.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 23. sect. 4. num. 11.* Bonac. *disp. 2. de excommunicat. q. 6. punct. 2. num. 3.* Pellizzarius *tom. 3. de Regular. tract. 10. cap. 2. sect. 1. q. 19. num. 30.*

QVÆSTIO XXI.

An incurrant dictam censuram parentes, qui metu graui iustè illato, cogunt filias ad Religionem?

REspondeo quod non incurrant, quia tunc non interuenit iniuriosa coactio parentum. Sic Bonac. *loco cit. num. 4.* Pellizzar. *n. 30.* & tandem Sanchez *num. 5.*

QVÆSTIO XXII.

An parentes, qui filiabus minantur fore, vt eas non meliorent in ea parte, qua possunt, nisi ingrediantur Religionem, incurrant hanc excommunicationem?

REspondeo quod neque in hoc casu eam incurrant; quia cùm liberè possint quemcumque ex descendentibus in ea parte præferre, & meliorare, nihil eis iniustè denegant, nullumve lucrum lege debitum. Sic Sanchez *num. 7.* Bonac. *n. 5.*

QVÆSTIO XXIII.

An parentes cogentes filias Monasterium ingredi, incurrant hanc censuram, ingressu non sequuto?

REspondeo non incurrere; quia nemo potest dici cogens ingredi Religionem, vel habitum suscipere, nisi potiùs sit actualis ingressus, vel susceptio habitus; quia his non subsecutis, solùm dicetur conans cogere: sed sic est, quod Tridentinum non excommunicat conantes cogere, sed re ipsa cogentes: ergo. Sic Nauar. *lib. 3. consil. tit. de Regularib. consil. 5. mihi,* (Sancio. 3.) *num. 1.* vbi dubitanti, an cogens mulierem Monasterium ingredi, sit excommunicatus effectu non subsecuto? Respondet, quod quæstio quoad cogentem, nullum videtur habere dubium; quia nemo (inquit) potest dici cogens ingredi, siue quod coegerit ingredi, non secuto ingressu. Aliud enim est conari cogere ingredi, aliud cogere ingredi, quod non potest constare sine ingressu, vt palam est: & ita certum est, conantem cogere ingredi, non excommunicari,

eo

eo quod coegerit ingredi. Hæc meus Nauarr. Rodriguez etiam, *tom.2.cap.8. num. 9.* Sanchez *lib.4. Decal.cap.4.n.*18. Bonac. *loco cit. n.*8. & Pellizzar. *q.19. citata, num.*31.

QVÆSTIO XXIV.

An parentes incurrant hanc censuram, si cogant filiam ingredi Monasterium; non vt habitum sumat, sed vt ibi, habitu sæculari retento, educetur, donec nuptui apta sit?

AFfirmant aliqui DD. quòd Concilium clarè loquitur de cogente ad ingrediendum, vel ad habitum suscipiendum: at in alternatiuis satis est alterius partis veritas, *cap. in alternatiuis, de reg. iur. in* 6. Ergo. Ita Nauarr. *loco cit. consil.*6. Suarez *tom.5. in 3.p. disp.23. sect.5.n.9.* Filliuc. *tom. 1. tract. 14. cap.6.q.5.n.*89. Zerola *in praxi Episcop. verb. Moniales, vers. Ad vigesimumsecundum.* (Barbosæ verò 13.) ibi: Et hoc habet locum etiam in eo, qui cogit puellam ingredi Monasterium, etiam vt ibi in habitu sæculari, vsque ad ætatem nubendi, educetur. Hæc Zerola. Citatque Barbosam *in remiss. ad c.*18. *Concilij, n.*5. pro hac parte, Thomam Sanchez *lib.4. cap.4.n.*12. sed non ita benè, cum non absolutè, sed cum limitatione id sentiat, vt mox dicemus. Ita etiã tenet Diana *to.1.tr.*15 *resol.*56. qui & citat Barbosam, Raynerium, Megalam, Zipæum, Ledesinam.

Sed probabilius respondeo non incurrere hanc excommunicationem parentes, qui cogunt filiam Monasterium ingredi, vt in habitu sæculari vsque ad tempus nubendi viuat. Quia ad hanc pœnam incurrendam necessum est, vt illam cogant ad ingrediendum Monasterium in ordine ad assumendum statum Religiosum; nam hæc est mens, & intentio Concilij. Sic sentit Sanchez *loco cit.* vbi postquam proposuit, & probauit latè sententiam Nauarri, ait, sibi sanè placere, cum limitatione tamen, quam apponit Manuel 2. *tom. sum. cap.*8 *n.9.* nempe, quando coactio illa est in ordine ad suscipiendum posteà Religionis habitum, siue suasionibus Monialium, siue alia ratione; non autem quando nullo modo hoc intenditur. Sic Sanchez, quem citat & sequitur Bonac. *punct.2. cit. num.6.* Sic etiam Pellizzar. *tom.3. tract.10. cap.2. sect.1. q.19. sub num.*30. Portell. *in dub. Regul. in addit. ad verb. Moniales, num* 14. Imò hanc sententiam tenere Suarez *tom.3. de Relig. lib.5.cap.9. dub.4.* fatetur Diana *vbi suprà.*

QVÆSTIO XXV.

An dentur aliqui casus, in quibus filia possit ad ingrediendam Religionem à parentibus cogi?

REspondeo vt certum dari; nam id expresse docet Concilium illis verbis: *Praterquam in casibus in iure expressis*, relatis à nobis suprà q.18. Igitur in casibus sequentibus potest cogi fœmina ad ingrediendum Monasterium, seu Religionem. Primò quando fœmina publicè, vel priuatim fecit votum Religionis, de quo constat. Secundò si elapso, post initum matrimoniũ bimestri, cessantibusque impedimentis, sponsa de Religione adhuc deliberans, non permittit consummari. Tertiò, si iam elapso quinquennio, & non antea, dicat se fictè fecisse professionem, aut metu inductam, vel ante ætatem. Quartò, ob crimen, vt si damnata ad carcerem perpetuum, offerat Pontifex liberationem, si profiteatur, & illa acceptet conditionem: aut, si adultera, quæ marito per iudicem traditur occidenda, similem conditionem Religionis acceptet. In his igitur casibus, qui fœminam ad Religionis ingressum cogit, non agit contra Concilium. Sic Henriquez *lib.11 de matrim.c.8.§ 9. ad finem.* Portell. *de dub. Regul. verb. Moniales, num.7.* Pellizzar. *tom.3. tract.10.cap.2.sect.1.q.19.n.*33.

QVÆSTIO XXVI.

An è contra parentes (aut alij, qui non sunt) retrahentes filiam ab ingressu Religionis, peccent mortaliter, & incurrant excommunicationem?

REspondeo vt certum, quod sic; quia Concilium *c.*18 *cit.* postquam excommunicationem tulit aduersus eos, qui fœminas ad ingressum Religionis cogunt, statim extendit illam aduersus eos, qui illas impediunt, his verbis: *Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctarum virginum, vel aliarũ mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittẽdi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.* En verba Concilij, non ita veraciter relata à Tamburino. Sic omnes DD. legantur præcipuè Suarez *tom.5. in 3.p. disp.23 sect.5.* Sanchez *lib.4. in decal. cap. 4.* Bonac. *tom.1. disp.2. de excommunic.q.6. punct.3.* Pellizzar. *tom.2. tract.7.cap.2. num.*226. Tamburin. *lib. 5. in Decal.cap.2.§.5.n.*8. & alij suprà citati.

QVÆSTIO XXVII.

An impedientes fœminam, ne Monasterium ingrediatur, & Nouitiatum suscipiat, incurrant excommunicationem, si id faciant sine iusta causa?

AFfirmant multi, quia cum professio fieri nequeat, nisi suscepto habitu, impediens susceptionem habitus, verè dicitur iam impedire professionem. At qui impedit fœminam profiteri, incurrit excommunicationem dictam, vt constat: Ergo etiam illam incurret impediens ingredi ad nouitiatum. Ita tenent Suarez *loco cit.n.*10. Filliuc *tract.14. c.6.q.5.n.90. in fine*, quos citat, & sequitur Bonac. *loco cit. punct.3.n.*3. Quibus addo Rodrig. *tom.3. qq. quæst.14.n.*3. Portel. *in addit. ad verb. Moniales, n.*16.

Sed certè probabiliùs respondeo non incurrere talem excommunicationem; quia (ait Sanchez) decretum pœnale excommunicans impedientes professionem, ac proinde supponens iam fœminam impediendam esse nouitiam, non est extendendum ad remotum professionis obstaculum, quale est priorem Religionis ingressum impedire. Quod eo vel maximè procedit, quia idem decretum loquens de cogentibus, volensque comprehendere cogentes ad ingressum, vel professionem, vtrumque expressis verbis explicuit, bisque repetiit. Tandem quia impediens votum Religionis emitti in sæculo, impedit etiam remotè professionem; & tamen Suarez ibi fatetur tunc non incurrere. Hucvsque Sanchez *lib.4. in Decal.c.4.n.*15.

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem impediens fœminam, ne faciat votum ingrediendi Religionem, incidat in istam excommunicationem?

AFfirmandum videtur, quia expressè Concilium excommunicat impedientes absque iusta causa, quarumcumque mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, vt vidimus q.26. Atqui nomine veli videtur significari professio; nomine verò voti emittendi, quodcumque votum, priuatum etiam: ergo.

Sed vt certum respondeo non incidere sic impedientem, in dictam excommunicationem. Ratio est (ait Bonacina) tum, quia hic videtur solùm remotè, & indirectè impedire professionem. Tum quia si Concilium Tridentinum intelligeretur de impediente votum simplex, apertiùs, & clariùs loquutum fuisset. Quamobrem illa particula, *voti emittendi* addita videtur ad comprehendendum omnem modum, seu statum Religiosum, seu personarum Monialium; nam aliquæ professionem emittunt susceptione veli, aliæ statum illum sine veli susceptione assumunt. Hæc Bonacina, & benè, sed non consequenter ad sententiam suam, quæstione antecedenti à me relatam. Sic etiam Suarez, & Sanchez *locis citatis*.

QVÆSTIO XXIX.

An peccent mortaliter parentes, qui permittunt filias suas habere amatores in malum finem?

REspondeo tanquam certum peccare; quia ipsæ filiæ ob finem malum mortaliter peccant habendo dictos amatores: ergo & parentes illas habere patiendo. Sic Nauarr. *cap.14. num.18.* ita scribens: Vigesimoprimò, qui parentes patiuntur filias suas habere amatores ob malum finem, vel eas à suspectis sodalitiis non separant, qualia sunt aliquarum fœminarum consortia, quas verisimile est, ipsas ad peccandum impulsuras. Sic Nauarrus. Sic etiam Sayrus *lib.7. Clauis Reg. c.7. num 4.* Rodrig. *in sum. cap. 13. num. 3.* ibi: *De aqui se sigue, que si los padres consienten à sus hijas tener enamorados para mal fin, y no las retrahen de tratar con alcahuetas, y personas sospechosas, peccan mortalmente, pues no guardan la fidelidad que deben à padres, conforme lo que dize S. Pablo, 1. ad Timoth.5.* Sic ille. Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct.6.num.3.* Trullench *lib.4.cap.1.dub.3.n.4.*

QVÆSTIO XXX.

An item peccent mortaliter parentes, qui noscunt filiam suam turpem vitam agere, & fucis vti ad inducendum aliquem ad peccandum, & illam non corrigunt?

REspondeo tanquam certum, etiam peccare mortaliter, quia tunc filia mortaliter peccat: ergo sub mortali tenentur eam parentes corrigere. Sic Nauarr. *loco citato, vers. vigesimosecundo.* Rodriguez (omninò ex illo, quem non citat) *vbi suprà* Fagundez *lib.4.cap.1.n.18.* dicens: Peccant etiam contra pietatem naturalem mortiferè parentes, qui patiuntur filias suas habere amatores impudicos, & qui sciunt filios & filias turpem vitam degere, vti stibio, purpurizo, & cerusa, &c. ad illaqueandos animos.

QVÆSTIO XXXI.

An rursus peccent mortaliter parentes, qui permittunt, vt filiæ se ornent cultiùs, quam statui suo conuenit?

REspondeo dicendum, quod si id faciant filiæ malo fine mortali, cùm ipsæ peccent mortaliter, consequenter & parentes earum peccabunt, illas non corrigendo; si verò id faciant absque malo fine mortali, tunc parentes non peccabunt plusquam venialiter, eas non reprehendendo, quia nec ipsæ plusquam venialiter sic seornando peccant. Siquidem, qui consentit crimen alterius, non grauiùs peccat communiter, quàm auctor illius, *c.1. de offic. deleg.* Sic Nauarrus *vbi suprà*, & Rodriguez *in sum. cap.13.n.3.* ibi: *Lo mismo es, si vee su hija ser deshonesta en viuir, y vsar de afeites para fin de peccado mortal, no la reprehendiendo. Dize, para fin de peccado mortal; porque si vsa dellos para fin de andar galana, que es vna pura vanidad, assi como ella no pecca mas que venialmente, assi los padres no peccan mas que peccado venial, pudiendo comodamente retirarla desta vanidad, y no lo haziendo.* Sic ille. Fagundez *num.18. citato.*

QVÆSTIO XXXII.

An deinde peccent mortaliter parentes, qui permittunt filias cum sponsis de futuro, vti tactibus impudicis?

NEgandũ loquẽdo de aliquib. tactibus videtur. Nam nõ omnes tactus impudici inter sponsos de futuro sunt mortales; ergo si ipsi sponsi vtendo dictis tactibus nõ peccant mortaliter, neque parentes mortaliter peccabunt eos non corrigendo. Consequentia ex nuper dictis constat. Antecedens verò etiam, ex doctrina Caietani *in sum. verb. sponsorum peccata*, vbi docet, hos tactus inter sponsos de futuro tunc esse mortales, quando inter coniugatos sunt mortales: atqui inter hos, non omnes tactus impudici sunt mortales, vt patet: ergo. Accipe pro probatione maioris verba Caietani. Tertiò (inquit ille) peccatur in vsu, vt si impudicis actibus vacent sponsus, & sponsa. Sunt enim impudicitiæ mortalia peccata in ipsis, in omnibus casibus, in quibus apud coniugatos sunt mortalia: & tantò grauiora, quantò adhuc neutrius corpus est alterius, sed promissum tantùm. Hæc Caietanus.

Sed vt certum respondeo peccare mortaliter parentes, qui permittunt tales inter sponsos impudicos tactus. Quia est certum, quod omnes huiusmodi tactus, habiti inter illos, sint mortaliter illiciti, & peccaminosi; quia materia est grauis, tum propter periculum proximum se polluendi, quod de se est mortale; tum propter periculum copulæ, cùm directè tendant ad illam: ergo tenentur parentes tales actiones sponsorũ de futuro vetare. Sic D.Tho.2.2. q.154.art.4. & ibi Caiet. Nau.c.14.n.18. *vers. vigesimo tertio, &c.* ex illo cit. Rodr. c.13.n.3. ibi: *De lo dicho se sigue, que los padres peccan mortalmente, si consienten*

que

que con su hija desposada de palabras de futuro, su esposo tenga tocamientos impudicos, y enormes, como lo siente S. Thomas, y su comentador Caietano. Sic ille. Sayrus etiam *lib.7. cap.7. num. 4.* Bonac. *disp.6. q vnica punct.6.num.3.* Trullench. *lib.4 cap.1. dub.3. n.4.* Fagundez *lib.4. cap.1. n.19.* Legantur etiam Sanchez *lib.9. de matrim. disp. 46. num.52.* Baptista Fragoso *part.3. Regim. Christ. Reipub. lib.1. disp.1. §.4. n.54. & 55.*

QVÆSTIO XXXIII.

An tandem peccent mortaliter parentes, qui patiuntur filias, oscula & amplexus cum sponsis de futuro habere?

AFfirmabunt, qui sentiunt, oscula & amplexus inter sponsos de futuro, esse mortalia, vt sentiunt Palud. *in 4. d.31. q.3. art.2. n.17.* & ibi Supplem. Gabr. *q.vnica art.3. dub.2.* Caiet. *in sum. verbo impudicitia, & verb. osculum.* Sotus *in 4. d.34. q.1. art.2. ad finem.* Angles *in florib. 1. p. q. 8. de impedim. matrim art.1. dub.9. concl.1.* Henriquez *lib.11. cap.19. n.4. fine,* & Pedraza *in sum. precep.6. §.5.* Quorum doctrina (ait Fragosus) non videtur omninò improbabilis, ratione periculi, quod ex vsu eorum tactuum imminet. Si igitur in opinione horum Authorum mortiferè peccat filia habendo cum sponso de futuro oscula, & amplexus, consequenter & parentes similiter peccabunt, permittendo illi similes actus exercere.

Alij qui existimant oscula, & amplexus, & similes tactus inter sponsos de futuro licitos esse, consequenter negant peccare mortaliter parentes permittendo filiabus huiusmodi tactus cum sponsis de futuro. Sic sentiunt Caiet, (sibi contrarius) *in sum. verb. sponsalia, & 2.2. q.154. art.4 post prim. dubium, §. in respons. ad 2.* Nauarr. *cap.14. n.18. & cap.16. n.12.* Sayrus *in Claui Regia lib.7. cap.7. n.4.* Valentia *2.2. disp.9. q.3. punct.3. ad finem, §. sentit tamen.* Graffis *1. p. lib.2. cap.82. num.3.* Menochius *de præsump. lib.3. præsump.1. n.16.* Sà *verbo luxuria, §. oscula, & tactus.* Philiarcus, Veracruz, Barthol. & Petr. de Ledesma, Ludou. Lopez & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.5. de consensu condit. q.5. n.58.* & *lib.9. disp.46. num.47.* Quibus adde Fragosum *part.3. lib.1. disp.1. §.4. n.55.* & alios communiter.

Sed ego distinctiùs sic respondeo primò tanquam certum, si oscula & amplexus habeant sponsi de futuro cum periculo copulæ, vel consensus in eam, aut pollutionis, tunc peccarent mortaliter, cum tales tactus mortalia essent peccata, ob dictum periculum, & consequenter, si id nossent parentes, tenerentur, sub eadem mortali culpa, sponsos corrigere, & reprehendere. Sic Sanchez *n.49.* Nauarr. Lopez, Valentia, Philiarc. Sà, Graffis, & Medina apud ipsum, & debent sentire sic omnes vtriusque sententiæ nuper adducti Doctores.

Respondeo secundò, si sponsi inter se vtantur osculis, & amplexibus, ob solam delectationem sensitiuam ex illis assurgentem, tunc (secluso periculo copulæ, vel consensus in eam, aut pollutionis) solùm peccant venialiter, vt aiunt Sanchez *n. 47. & 50.* cum Caiet. & aliis nuper citatis. Fragoso *n.58.* & alij contra Authores primæ sententiæ allegatos. Et tunc parentes, qui id cognoscerent, non peccarent plusquam venialiter illos patiendo, vt constat ex dictis *q.31.*

Respondeo tertiò; longè probabilius est, quod si sponsi de futuro vtantur osculis, & amplexibus in signum beneuolentiæ, & ad conciliandum, fouendumque mutuum amorem, in ordine ad matrimonium contrahendum, nihilque aliud quærant, tunc nec venialiter peccent; cùm tunc tales actus sint honesti ex fine, & inuenti à natura ad dictum amorem fouendum: vnde nec parentes tunc illos patiendo, venialiter peccabunt, vt docet idem Sanchez *loco cit. num.50.* cum aliis suprà cit. Fagundez *lib. 4. cap. 1. num. 19.* Fragoso *num.56.*

Respondeo tamen quartò; nunquam licebit parentibus permittere filiabus suis secretò cum sponsis confabulari, remotis arbitris; tum propter periculum tactuum impudicorum, & enormium; tum etiam propter periculum consensus in copulam, aut pollutionem. Quis enim habitabit cum igne deuorante? Quis fouebit flammam in sinu suo, & non cremabitur? Sic enim docent Nauarr. *cap.14. num.18. in fine,* Fagundez *num.19. citato,* ibi: Et ideò meo iudicio, semper mortaliter peccabunt parentes, si permittant filias suas secretò cum sponsis confabulari, remotis arbitris, propter periculum tactuum enormium per pudendas partes. Sic ille.

QVÆSTIO XXXIV.

An peccent mortaliter parentes deprauando filios malo exemplo, & prauis consiliis?

REspondeo vt certum, quod sic, quia filij ebibunt consuetudines parentum, eorumque vitia, vt dixit Seneca *in lib. Declamation.* Ob hoc Aristot. *Politicor.7.* tradit, iuuenes esse custodiendos, adeò vt ne dicant, neque audiant malum, vel turpe aliquod; quia ex dicere, & audire aliquid turpe, de facili fit fieri. Perinde decet parentes abstinere se à vitiis, etiam minimis, & vitare defectus leuissimos, præsertim linguæ, ne filij eorum exempla secuti in grauiores incurrant. Nam ex seminibus minutissimis, quæ terra fouet secum, grandes procreantur arbores. Sic ex Aristotele, ait Fragosus *part.3. Regim. Christ. Reipub. lib.1. disp.1. §.8. n.99.* Legantur Bonac. *disp.6. q.vnica punct.6. n.4.* Trullench. *lib.4. cap.1. dub.3. n.5.*

QVÆSTIO XXXV.

A quibus præcipuè vitiis debeant, sub peccato, cauere parentes?

REspondeo quod primò debent cauere à maledictionibus, seu imprecationibus ferendis contra filios, dum irascuntur, ne filij discant similia mala sibi ipsis, ac parentibus imprecari, aut exoptare, quod de se est mortale, si deliberato animo filiis maledicant, aut exoptent notabile malum sub ratione mali, vt docent Nauarr. *cap.23.* Caiet. Aragon, Valentia, & Tolet. quos citat, & sequitur Fragosus *§.8. cit. num. 100.* Et constat ex dictis (loquendo de filiis, qui deliberatè parentibus maledicunt) suprà *disp.2. à quæst.7.*

Secundò debent parentes cauere à consuetudine iurandi, ac detrahendi, ne filij eorum exemplo in hæc vitia ruant. Quàm namque perniciosa sit consuetudo iurandi, constat ex latè dictis à nobis

part. 7. *tract.* 1. *disp.* 8. Legatur D. Greg. *lib.* 4. *cap.* 18. vbi non sine mysterio refert, puerum quinquennem blasphemiis proferendis assuetum, è brachiis paternis fuisse raptum à dæmone, & ad inferorum sedes delatum.

Tertiò debent parentes deuitare consuetudinem loquendi turpia coram filiis, & domesticis, propter periculum ruinæ, tenenturque in confessione dicere, dum de hoc fatentur, se loquutos fuisse verba valde turpia, & inhonesta coram filiis, filiabusque, eo quod faciunt illos inuerecundos, redduntque illos faciles ad similia verba proferenda, & ad cogitandum de his rebus, & fortè ad ea exequenda. Sic ex Vasquez 1. 2. *q.* 73. *art.* 8. *disp.* 102. *num.* 1. docet Fragosus *part.* 3. *Regim. Christian. Reipub. lib.* 1. *disp.* 1. §. 8. *n.* 103. *& sequent.*

DISPVTATIO VII.

De potestate, quam habent parentes ad corrigendos, & puniendos filios delinquentes.

QVÆSTIO PRIMA.

An patres possint punire filios delinquentes?

RESPONDEO tanquam certum, posse; id namque constat, tum ex illo *Prouerbior.* 13. *Qui parcit virga, odit filium suum: & cap.* 22. *Noli subtrahere à puero disciplinam.* Tum, quia iure naturæ incumbit parentibus filios educare, & moribus instituere: atqui huiusmodi educatio, & institutio sæpissimè exposcit correctionem, & punitionem; ergo. Sic omnes. Legantur *l. si filius, C. de patria potestate, & l.* 9. *tit.* 8. *part.* 7. Glossa *in cap. sicut alterius* 7. *q.* 1. *& cap.* 2. *ista nomina* 23. *q.* 4. Abbas *in cap. cum contingat, de foro competent.* Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 2. *art.* 2. Azor *tom.* 2. *cap.* 21. *à quæst.* 5. Fragosus 3. *p. Regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 1. §. 4. *à n.* 57. Reginald. *tomo* 2. *cap.* 10. *q.* 5. Trullench *tom.* 1. *lib.* 4 *num.* 5. Match. *verb. padres, resol.* 345. *num.* 6.

QVÆSTIO II.

An patres habeant iure naturali potestatem, & imperium occidendi filios delinquentes?

RESPONDEO tanquam quid certissimum, quod non; quia solus Deus habet ius, & imperium vitæ, & mortis. Vnde si pater filium occiderit, verè & propriè erit homicida, imò & impius, cùm verè agat contra iustitiam, & contra pietatem debitam iure naturali filio. Sic Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 21. *quæst.* 3. & alij omnes, præcipuè suprà citati.

QVÆSTIO III.

An saltem Principis concessu, possit esse penes patrem ius occidendi filium in eo crimine deprehensum, quod mortis pœnam meretur?

AFfirmandum videtur, quia veterum Romanorum iure, patri licebat filium ob certa crimina interficere, vt refert Azor *loco citato. vers. si roges.*

Sed adhuc vt certum respondeo, nec in eo casu licere patri filium occidere, quia certum est, hanc facultatem, & potestatem necandi filios, etiam ob crimen mortis dignum, pugnare cum ipsa pietate parentum in filios. Sic Azor *loco citato*, & Sotus anteà *art.* 2. *cit.* ibi: His verumtamen non obstantibus, respondetur ius ipsum naturæ parentibus huiusmodi vltiones interdicere, solique publicæ potestati tribuere, idque iure gentium esse confirmatum. Vita enim humana vsque adeò non debet absque meditatissimo iudicio, & iuris ordine extingui, vt id non debeat tantæ multitudini committi, quanta est parentum, qui neque leges sciunt, neque causarum merita perpendere omnes possunt. Sic Sotus. An autem id possint post legitimam sententiam latam à iudice, dicemus infrà.

QVÆSTIO IV.

An ad minùs liceat patri suos filios mutilare, ob crimen aliquod?

REspondeo tanquam certum, quod nec id possint, etiam ob flagitium quodcumque, quia id, nec parentibus, nec vlli mortalium licet, nisi publicæ potestati; solùm namque parentibus iure naturæ concessum est, filios fuste cædere, aut ferula. Homo enim (ait Sotus) tribus viis ad virtutem instituitur; nam & ratione vtitur, & metu cogitur, & allicitur præmio. Antea ergo quàm rationis sydus eluceat, natura prouidit, vt puer & metu cogatur, & alliciatur munusculis. Quapropter institutio paterna, quæ prima omnium est, his duobus vtitur; vbi verò iam ratio suo fruitur lumine, lege tunc incipit, & ratione viuere, atque adeò sub publica potestate. Sic Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 2. *art.* 2. *vers. mutilare ergo parentibus non licet.* Fragosus *part.* 3. *Regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 1. §. 4. *n.* 58. Lege S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. & ibi eius Interpretes. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 228. §. *sextum effectum, & tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 2. Azor *p.* 2. *lib.* 2. *q.* 21. *n.* 5.

QVÆSTIO V.

An saltem possint parentes occidere filias suas, aut mutilare, quando illæ traduntur à iudice post sententiam legitimè datam à patre occidendæ?

REspondeo tunc iam posse licitè, quia tunc iam id faciunt auctoritate publica. Sic communis. Legantur Dicastillo *lib.* 2. *de iust. tract.* 1. *disput.* 10. *dubitatione* 1. *num.* 14. & Molina *loc. cit.*

QVÆSTIO VI.

An licitum sit parentibus filios verberare, ob crimina ab eis admissa?

Respondeo licitum esse illos priuatim moderatè verberare, non verò publicè, quia id pertinet ad Magistratus & Iudices. Sic Azor *part. 2. lib. 2. cap. 21. q. 5.* vbi quærit, an sit in patre potestas percutiendi, & vulnerandi, ac etiam verberandi filium, ob crimen ab eo admissum? Et respondet, huiusmodi pœnas, cùm quis publicè punitur, ad Magistratus, & Iudices pertinere: at patri priuatim tantùm, non publicè, vt Iudici, licet filium verberare, aut virgis cædere; dummodo tamen non immodicè castiget: membrum tamen abscindere, aut vulnus infligere non licet. Sic Azor. Siluest. *verb. percussio*, post D. Thom. 2. 2. *q. 65. art. 2.* Sotus *lib. 5. de iust. q. 2. art. 2.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 228. verb. sextum effectum, n. 25.* & *tom. 4. tract. 3. n. 13. vers. parentibus.* Fragosus *3. p. regim. lib. 1. disp. 1. §. 4. n. 58. & 59.* March. *verb. padres, resol. 345. num. 6.*

QVÆSTIO VII.

An possint parentes conicere filios in carcerem, aut custodire in vinculis, vel in exilium mittere?

Respondeo dicendum, quod non, quia huiusmodi pœnæ, publica auctoritate, non priuata, malefactoribus irrogantur. Verum est, quod possint patres priuatim filium à se amandare, domo excludere ad tempus, in vinculis custodire, vt resipiscens ad saniorem, melioremque vitæ frugem reuocetur. Hæc namque patri iure naturali in filium permittuntur, non tanquam iudici, vt puniat, sed tanquam patri, vt filium emendet, & corrigat. Sic omninò Azor *loco citato, quæst. 4.* Fragosus *lib. 1. cit. disp. 1. §. 4. n. 59.* ibi: Possunt etiam patres mittere in carcerem filios, vt à vitiis se contineant: & constat *ex l. vnica. C. de priuatis carceribus*, vbi dicitur, fas esse dominis in priuato carcere seruos detinere; quod etiam licet patri in filios perniciosos. Nam quæ permittuntur patri in filios de iure naturali, non permittuntur ei, vt iudici: ideò non potest vt iudex, sed vt pater punire, &c. Sic ille. Et apud illum Glossa, *in d. l.* ordinatio Lusitana, Hostiens. Caluacan. Cardos. & Barbosa. Lege Molinam *tom. 4. tract. 3. disp. 2. num. 18.* vbi in bonum sensum explicat D. Thom. 2. 2. *q. 65. art. 3.* asserentem non posse parentes conicere filios in priuatum carcerem.

QVÆSTIO VIII.

An parentes peccent mortaliter, si puniant filios pœna, aut supplicio atroci?

Respondeo vt certum, quod sic, quia non habent potestatem à lege, nisi ad moderatè castigandos filios, *l. 9. tit. 8. part. 7.* Et meritò, propter detrimentum notabile, quod filiis aduenit. Sic communis. Lege Molinam *loco cit. num. 14.* vbi quæ sit pœna atrox declarat, dicendo, esse mortis, mutilationis, vulneris, flagellorum publicorum per vias publicas, aut in alio loco publico. Addit, quod etiam essent atrox pœna tam grauia verbera, percussiones, adustiones, aut similia alia, quæ filium, aut seruum exponerent vitæ periculo, aut notabilis diminutionis illius, vel periculo amissionis membri, aut partis illius. Procedere ergo potest pater in puniendo filium ad verbera, & ictus, ex quibus non immineat detrimentum notabile, aut læsio, etiamsi verberibus, aut alia percussione exoriretur aliquid, modo tamen delictum tanta pœna sit dignum. Sic Molina, D. Thom. 2. 2. *q. 65. art. 2.* Sot. *lib. 5. de iust. q. 2. art. 2. vers. sequitur ex his.* Fragos. *num. 59. cit.* March. *verb. padres, resol. 345. num. 6.* qui id docet *ex l. 3. & 4. C. de patria potest.* Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 6. n. 5.* Trullench. *lib. 4. c. 1. dub. 3. n. 5.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An etiam possint parentes, sine metu excommunicationis latæ in cap. si quis suadente 17. q. 4. *punire filios in minoribus Ordinibus constitutos?*

Respondeo tanquam certum, posse illos punire, & castigare, sine metu excommunicationis; dummodo id faciant non ira, aut odio, sed gratiâ correctionis, vt scilicet à suis insolentiis cohibeantur, vel scientia, bonisque moribus imbuantur. Quia hæc potestas conceditur patribus in iure *cap. cum voluntate, de sent. excommunic. §. vltimò.* Sic tenet omnium opinio, vt fatetur Azor *part. 2. lib. 2. cap. 21. q. 6.* Molina *tract. 2. disp. 228. §. sextum effectum, n. 26. & tr. 3. tom. 4. disp. 56. n 5.* Tolet. *lib. 1. c. 33.* Fragosus *3. p lib. 1. disp. 1. §. 4. n. 60.* & omnes.

QVÆSTIO X.

An item possint patres punire filios constitutos in Sacris, sine metu dictæ censuræ?

Negat Molina *locis nuper citatis.* Tum, quia *in d. cap. cum voluntate*, solùm permittit patribus punire filios in minoribus constitutos: ergo argumento à contrario sensu, non permittit punire filios in sacris constitutos. Tum quia indecens est, quod initiati sacris Ordinibus puniantur, etiam correctionis causâ, à laico. Ita Molina citans pro se Glossam *in cap. cum voluntate, citato.* Felinum Hostiens. Anton. de Butrio, & Zabarellam, ibi. Angelum *verb. excommunicatio 5. casu 1. §. 10.* & alios, qui tam multi sunt (inquit ille) vt mirandum sit, Nauarrum affirmare, sententiam quam ipse amplectitur, communem Doctorum esse, cùm sint longè plures, longéque grauiores Doctores pro nostra sententia. Hæc Molina, in cuius sententiam propendit Sotus *lib. 5. q. 2. art. 2. ad finem.*

Sed certè probabiliùs respondeo, posse licitè patres, correctionis gratiâ punire filios, adhuc in sacris constitutos, sine metu excommunicationis. Tum, quia quamuis *in d. cap. cum voluntate*, solùm fiat de Clericis minoribus initiatis mentio; tamen *in cap. 1. de sententia excommunicat.* nulla fit distinctio, sed absolutè, & indistinctè hæc facultas patribus conceditur. Tum etiam, quia pater nequaquam temerè verberat, ac cædit filium delinquentem; id enim dicitur temerè fieri, quod sine iusta causa quis facit: at pater gratiâ correctionis,

& emendationis filium obiurgat, verberat, ac cædit: ergo non incidit in dictam censuram. Tum denique, quia correctio pertinet ad patrem ratione patriæ potestatis: at ab hac minimè liberatur quis per susceptionem Ordinis sacri, etiam Sacerdotij, vt tanquam certum contra nonnullos docuimus *part.7. tract.1. de iuram. disp.16. §.4. q.98.* Ergo. Sic sentiunt Ioan. Andr. & Anchar. *in cap. cum voluntate, cit.* Siluester *verb. excommunicatio 6. §. sciendum est quartò, vers. Octauò in Magistro,* vbi citat Ioannem Lignanum, Petrum Perusinum, Tancredum, Rosell. Pisan. & alios, quos omnes citat, & sequitur. Azor *2.p. lib.2. cap.21. q.6.* dicens, hanc sententiam esse probabiliorem, ac veriorem, Nauarrus *in Man. cap. 27.* (non 37. vt legi apud Molinam) *num.82.* vbi hanc sententiam vocat communem; & bene, quidquid miretur Molina. Illam enim, præter citatos, tuentur Graffis *lib.2. decis. cap.48. num.35. & 36.* vbi dicit hanc opinionem esse verissimam, & sequendam, etiam in casu, quo pater filium puniens excedat, cùm non possint semper verbera suspendi in statera. Ioan. de Arno *dialogo 69.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp.22. sect.1. num.49.* Auila *p.2. de censur. cap.5. dub.13.* Fragos. *3 p. regim. Christ. Reip. lib.1. disp.1. §.4. num.60. vers. indistinctè tamen,* March. *tom.2. verb. padres, resol.345. num.7.* Bonac. *tom 2. disp.6. q. vnica, punct.6. num. 1.* Fagundez *lib. 4. in Decal. cap.1. n.14.* Trullench. *lib. etiam 4. dub.1. num.1.2. & 3.*

QVÆSTIO XI.

An saltem incurrat dictam excommunicationem pater, qui percutit filium in sacris constitutum, non correctionis causa, sed ex ira, aut odio, aut sine vlla iusta causa?

Respondeo tanquam certum, tunc iam incurrere, quia solùm est licitum eis punire dictum filium causa correctionis. Sic Caiet. *in sum. verb. excommunicatio. cap.10. vers. nota sextò,* ibi: Et sicut sacra est horum correctio, ita sacrilega efficeretur eorumdem actio, si ex odio, & iniquitate Clericos eosdem verberarent, ac per hoc essent excommunicati. Sic ille. Nauarr. etiam *cap. 27. cit. n.81. vers. decimaquarta.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap.27. n.16.* Fragosus *num. 60. cit. vers. secus si percutias sine causa.* Vbi ait, à fortiori incurrere dictam censuram patrem percutientem filium Clericum innocentem, vel si nocentem leuiter, pœna notabili afficeret, comparatione delicti; tunc enim & peccabit mortaliter, & excommunicationem incurret. Sic ille ex Azorio *dicto cap.21. q. 5.* Molina *tom.4. de iust. disp.2. num.14.* & ex D. Thoma *2.2. q.65. art.2.*

QVÆSTIO XII.

An licitum sit parentibus, nulla inopia coactis, filios suos vendere?

Affirmandum videtur; nam teste Couarruuia, *3. lib. variar. cap. 14. num.4. vers. Primùm etenim,* in fine, olim lege Romuli licitum erat parentibus, iure patriæ potestatis, nulla adhuc cogente necessitate famis, ter vendere filium, si fortè à primo, & secundo emptore fuisset manumissus.

Sed vt certum respondeo iam non esse illis licitum vendere filios, nulla cogente inopia, quia id iam est sancitum *l.1. & 2. de patribus, qui filios suos distraxerunt,* vt statim dicemus. Sic cum communi omnium Couarru. *loc. cit.* docens talem alienationem iam ex dicta lege esse nullam. Legantur Authores mox citandi.

QVÆSTIO XIII.

An saltem licitum sit patribus filios suos vendere, aut pignori dare, ob famis necessitatem?

Respondeo vt certum, tunc licitum esse illis; constat enim tum ex Scriptura *Esdra 2. cap.5.* vbi populus fame oppressus, inquit, *Filij nostri, & filiæ nostræ, multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.* Tum etiam ex iure naturali, quia ex illo habet pater potestatem filium vendendi causâ egestatis. Tum denique ex iure ciuili, *l.1. & 2. C. de patribus, qui filios suos distraxerunt,* & *l. 8. tit. 17. part.4.* vbi sancitum est, vt parentes possint vendere filios suos, ob nimiam paupertatem, aut necessitatem famis. Sic Couarruu. *loco citato,* qui & docet, dictam legem esse admittendam non solùm in venditione, sed in pignoris datione. *Potest enim* (inquit) *pater fame oppressus filios pignori ex ea causa dare, etiam inuitos.* Glossa communiter recepta *in d. l.2.* Regia *l.7. & 8. tit.7. part.4.* item *l. 3. & 7. tit. 13. part.5.* Baldus *in l. in suis ff. de liber. & posthum.* Sic etiam Greg. Lopez *ibidem,* Azor *loc. cit. q.7.* Sotus *lib.4. de iust. q.2.* Siluest. *verb. emptio,* Angel. *verb. seruitus.* Nauarr. *cap. 23. num.9* Valentia *2.2. disp.5. q.20. punct.5.* Medina *de rebus restituend. q.31.* Sà *verb. parentes num.11.* Qui tamen addit, id apud Christianos non esse in vsu. Sanchez *lib.1. consil. cap.1. dub.13. n.1.* Molina *tom 1. de iust. disp.33. n.21.* Fagundez *de iust. lib.2. cap.1. num.9.* Diana *part.7. tract.7. resol.8.* March. *verb. padres, resol.345.* ita dicens. *El poder que el padre tiene en orden à sus hijos, es tan grande, que està dispuesto por el derecho, que el padre que se hallare oprimido con suma necessidad, y pobreza, puede para remediarse, vender sus hijos: y lo que se dize de vender, se ha de entender tambien de permutar, ò de hazer qualquier otro contrato de alienacion, para subuenir à la necessidad grauissima del padre.* Sic ille *n. 1.* Qui *num.4.* notat, & benè, *Que siempre que el padre saliere de aquella graue necessidad, y se hallare en mejor fortuna, de manera que tuuiere possibilidad, para librar de cautiuerio al hijo que vendiò, le pueden obligar à que lo haga.*

QVÆSTIO XIV.

An sicut licet patri vendere filios ob famis necessitatem, ita & liceat ob aliam similem causam, præter illam?

Negant aliqui DD. eo quod *l.2. cit. C. de patribus, &c.* solùm concedit facultatem hanc in casu nimiæ paupertatis, & egestatis. Ita tenent Glossa *in d. l.* & Couarru. *3. variar. cap.14. n.4. versu, tertiò etiam.* Vbi citat pro se Accurs. *in d. l.2.*

l.2. Dinum *reg. in argum. de Regulis iuris, num.*6. & Alciatum *in l.2. de verb. signific. col.*48. Sanchez *loco cit. n.*4. Quia (inquit) cùm sit res odiosa, & ob hanc solam causam ius id concedat, ad alias extendi non debet. Sic ille, & penez ipsum Greg. Lopez, Azor & alij.

Sed æquè probabiliter respondeo licere, etiam patri ob aliam similem causam, quàm ob famis necessitatem, filios vendere, veluti casu quo pater sit in seruitutem redigendus, aut occidendus, aut mutilandus, nisi filium vendat; tunc enim licitum etiam erit patri filios vendere.

Ratio sit, quia dicta lex Cæsarea, per epicheiam, ad casus, in quibus par, aut maior est ratio, extendenda est; quoniam si eiusmodi euentus Legislatori tunc occurrissent, illos proculdubio expressisset. Sic Pinellus *ad rubric. C. de bonis maternis, part.* 2. *num.*27. & ex illo Molina *tract.* 2. *disp.* 33. *num.* 27. & Fagundez *lib.* 2. *de iust. cap.* 1. *sub n.* 9. *vers. notat autem*, vbi sic ait: Notat rursus *num.*27. (sic lege) licèt in dicta lege solum exprimatur casus nimiæ famis, & egestatis, si tamen detur alia similis, aut grauior necessitas, v. g. si pater sit ab hostibus in seruitutem abducendus, aut occidendus, vel mutilandus, nisi vendito filio, vel filia se redimat, extendendam esse legis permissionem ad huiusmodi euentus, in quibus par, vel maior ratio militat. Ratio est, quia hoc non est pœna, quæ restringi debeat (vt putauit Sanchez) sed est æquitas naturalis, qua filij, ducente iure naturæ, tenentur succurrere parentibus, à quibus totum esse, & substantiam acceperunt. Sic Fagundez ex Pinello, & ex vtroque Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.*8. Sic etiam Azor *lib.* 2. *cit. cap.* 21. *q.* 8. Vnde malè citat illum Sanchez pro se. March. *verb. Padres, resol.* 345. *num.* 3.

QVÆSTIO XV.

An item hæc facultas vendendi filios in casu maximæ necessitatis, competat non solùm patri, verùm etiam matri?

AFfirmat Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 21. *q.* 7. his verbis. Concors omnium est sententia, patrem id iuris, & potestatis habere: quod si eam pater habet, idem iuris quoque est in matre. Sic ille.

Negant contrà alij, existimantes hanc potestatem minimè habere matrem. Sic Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 4. ita dicens: circa hunc effectum (nempe patriæ potestatis) sunt aliqua notanda. Primum est, hanc facultatem (videlicet, vendendi filium) non habere matrem, quia non habet filios in potestate. Ita habetur *eadem l.* 7. & docent Greg. Lopez, & Montalbus *in l.* 7. Medina *q.* 30. *de restit. vers. primò igitur*, & Syluest. *verb. emptio, q.* 4. Hæc Sanchez.

Sed clarius respondeo dicendum, quod, attento iure Cæsareo, minimè queat mater vendere filium, in casibus adhuc, in quibus potest pater. Quia filius de iure Cæsareo, non est sub matris potestate: ergo de eodem iure vendi non potest à matre. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 33. *n.* 27. ex Pinello *loco cit. num.* 20. dicente, hanc opinionem esse communem Iuristarum. Attento tamen iure naturæ, bene possit mater filium vendere, in casu in quo potest pater. Sic Pinellus *loco citato*, Fagundez ex illo *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 1. *num.*9. *vers. notat autem*; Diana ex vtroque *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 8. March. *tom.* 2. *verb. padres. resol.* 345. *n.* 2. Glossa *in l.* 2. *C. de patribus, cit.* ibi: *Licèt secus sit de iure naturæ.*

QVÆSTIO XVI.

An auus possit vendere suum nepotem, sicuti potest pater filium, ob nimiam suam famem, &c.

REspondeo dicendum, quod non; quia hanc facultatem non habet auus respectu sui nepotis, etiam casu, quo sit sub sua potestate. Quia id ex iuribus citatis, solùm competit patribus, & meritò, quia filius est res quædam patris, non aui, & ita voluntas patris reputatur voluntas filij. Sic Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 3. *ex l. si verò*, §. *de viro. ff. soluto matrimonio.* Montalbo *in l.* 7. *citata*, & Baldo *dicta l.* 2.

QVÆSTIO XVII.

An hanc potestatem vendendi filios, habeat pater, etiam erga filios emancipatos?

REspondeo vt certum, quod non. Sic Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 33. *num.* 24. ita dicens: Facultas autem illa filios in graui parentum necessitate vendendi, intelligitur interim dum filij sub patria sunt potestate; factis verò filiis sui iuris, id parentibus non licet, vt ait Glossa *l.* 2. *C. de patribus, qui filios suos distraxerunt*, & habetur *l.*8. *tit.*17. *part.* 4. *legum Castellæ*, affirmatque Arias Pinellus *ad rubric. Cod. de bonis matern. part.* 2. *n.* 23. Hæc Molina. Et omninò ex illo non citato, Diana *part.*7. *tract.* 7. *resol.* 8. March. *tom.* 2. *verb. padres, resol.* 345. *num.* 3. & alij communiter.

QVÆSTIO XXIII.

An pater possit vendere filium coniugatum in casu extremæ necessitatis?

AFfirmandum ex dictis videtur, quia filius non egreditur patriam potestatem de iure communi, per matrimonium initum, vt diximus cum communi *part.* 7. *tract.* 1. *disp.* 16. §.4. *q.*99. Ergo si coniugatus manet adhuc sub patris potestate, ab illo potest vendi, in casu extremæ necessitatis.

Sed vt certum respondeo, non posse. Quia licèt verum sit, quod attento iure communi, coniugatus adhuc maneat sub patria potestate; attamen attento iure speciali Regni Castellæ (quo correctum est ius commune) filius coniugatus exemptus manet à patria potestate, vt diximus *loco citato quæst.* 100. ergo nequit vendi à patre. Et meritò certè, quia id cederet in detrimentum vxoris. Sic Molina *disp.* 33. *citata, numero* 25. Diana *resol.* 8. *citata.* & antea Couaruuias *loco citato sub. vers. quintò.* March. *numero tertio citato*, & communis.

QVÆSTIO XIX.

An si filius sit Sacerdos, possit etiam vendi à patre, ob famis pressuram?

AFfirmandum videtur, quia filius non eximitur à patria potestate per susceptionem Sacerdotij, vt docuimus *part. 7. tract. 1. disp. 16. §. 4. q. 98.* & suprà *q. 10.* ergo ex illa habet pater potestatem vendendi filium, ob famis pressuram.

Sed vt certum respondeo, non posse filium Sacerdotem vendi à patre, estò Sacerdotium non eximat filium à patria potestate, quia hoc est priuilegium constituti in sacris, vt vendi à patre nullo modo possit. Sic communis apud Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 13. num. 5.* & apud alios Authores mox citandos.

QVÆSTIO XX.

An saltem filius non Sacerdos, sed Subdiaconatu, aut Diaconatu insignitus, possit vendi à patre, in dicta necessitate famis, &c.

REspondeo quod adhuc non possit, ob rationem priuilegij, quo gaudent constituti in sacris. Sic Couarru. *3. variar. cap. 14. num. 4.* ibi: Quartò, quod *in d. l. 2.* statutum est, minimè procedit in filio Clerico; hunc etenim pater vendere non potest, si sit in sacris filius hic constitutus, secundum Hostiens. Ioan. Andr. & communem *in cap. indecorum, de ætate & qualit.* Hippol. *singul.* 101. & Gerard à Petra sancta *in singulari vltimo.* Hæc Couarruuias. Quem sequuntur Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 33. num. 25.* Sanchez *n. 5. citato*, Diana *part. 7. tract. 7. resol. 8. fine.* ibi: Notandum est tamen hîc cum Acacio Enxellio *de priuilegiis parentum, & liberorum, priuileg. 29. n. 22.* & aliis, patrem non posse vendere filium Clericum. Sic Diana, & ex illo Acacius March. *tom. 2. sum. verb. padres. resol. 345. num. 3.* Sed intellige hos Authores loquentes de filio Clerico constituto in sacris.

QVÆSTIO XXI.

An filius à patre venditus, vrgente dira fame, possit cogere ipsum patrem, vt eum redimat, casu, quo pater ad pinguem fortunam venerit?

REspondeo[d]icendum, posse cogere; quia id sanè (inquit Couarruu.) deducitur à ratione dictæ legis secundæ. Et in specie idem adnotarunt Baldus *in cap. ex rescripto, de iureiur.* Felin. *in capitulo cùm dilecta, de rescrip. vers. octauò fallit:* & Hipp olit. *in l. vnica, C. de raptor. virgin. num. 23.* Probat text. *in cap. quod pro necessitate 1. q. 1.* Decius *in regul. Quæ propter. ff. de regul. iuris.* Hæc Couaru. *loco cit. vers. Quintò*; & ex illo Molina, Sanchez, & Diana, *vbi suprà*, & March. citatus nuper *q. 13. fine.*

QVÆSTIO XXII.

An licitum sit patri vendere filium hostibus, vt se ipsum liberet à morte; etiam casu, quo probabiliter timeat, quod filius traditus, vitæ periculum incurrat?

REspondeo, quod tunc non sit illi licitum; quia sicut non licet patri inedia presso filium necare, vt eius carnes edat (nam sic, & impiè, & crudeliter contra filium ageret) ita illi nefas erit, filium cum vitæ periculo tradere hostibus, vt vitam suam seruet. Sic Azor *part. 2. lib. 2. cap. 21. quæst. 8.* vbi addit, nunquam licere patri vitam eripere filio, vt suam seruet, nisi filius in ipsum irrueret ad eum perdendum, & pater aliter se tueri non posset, nisi filium perimendo.

QVÆSTIO XXIII.

An quotiescumque pater offerat emptori pretium iustum pro filio vendito, teneatur emptor ipsum manumittere?

REspondeo vt certum, teneri emptorem filium emptum manumittere, quotiescumque pater, vel ipse filius venditus, vel alius in eius gratiam, pretium quo emptus est, vel alium iustum, reddiderit. Sic habetur *part. 4. tit. 17. l. 9.* & tenet ibi Greg. Lopez, qui & duo aduertit. Primum est, quod ex venditione à patre facta, filius non efficiatur seruus, sed obligatus seruire. Secundum, quod quando filius venditus est, & posteà edoctus aliquam artem, tunc soluendæ sint, vltra pretium, quo est venditus, expensæ in addiscendo factæ. Sic etiam Franciscus Garcia, Montalb. Baldus, & Paulus de Castro, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 13 num. 6.* & Diana *part. 7. tract. 7. resol. 8. in principio.*

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam parentes habent alendi filios legitimos, & expositos.

QVÆSTIO PRIMA.

An parentes teneantur præstare alimenta filiis legitimis, & quo iure?

RESPONDEO tanquam quid certum, teneri, & hoc iure naturali. Probat id optimè Couarru. *in epitom. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 1.* tum *ex cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* Tum hac ratione, quia decet iure naturali, hominem procreatum conseruari, & ali, ne pereat; pater verò genitor fuit, & in eo amoris causa manet naturali iure: igitur alere tenetur ipse pater filium. Sic Couarru. cuius ratio sic expenditur ampliùs; quia cui est proprium vitam temporalem conferre, proprium etiam est, ea quæ sint necessaria ad propriam vitam tuendam elargiri: sed

sed sic est, quod patres filiis vitam naturalem per actum generationis naturalem conferunt: ergo iure naturæ eis tenentur alimenta præstare, sine quibus vitam tueri non possunt. Sic omnes. Legantur Couarru. *loco cit.* Syluest. *verb. alimenta, num.* 2. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. Nauar. *cap.* 14. *à num.* 17. Filliuc. *tract.* 28. *p.* 2. *cap.* 2. *à num.* 28. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 6. *n.* 6. Graffis *cap.* 58. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. Trullench. *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 3. *à num.* 6. Fragosus *par.* 3. *regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 2. §. 1. & alij. An autem hoc eodem iure naturali teneantur parentes alere suos filios per omnem vitam illorum, statim dicemus.

QVÆSTIO II.

An etiam iure naturali teneantur parentes alere filios, qui iam sunt extra patriam potestatem?

AFfirmant multi, etiam teneri; quia, vt ex nuper dictis constat, obligatio alendi filios, non ex iure patriæ potestatis, sed ex iure naturali oritur, *l. si quis à liberis, §. sed vtrum, ff. de liber. agnosc. Instit. de iure natur. l. etiam si competenti, & l. si patrem tuum, C. de alendis liberis*: ergo licèt filius sit extra patris potestatem, adhuc tamen est alendus ab illo. Patet, quia vinculum naturale fortius est emancipatione, quæ dumtaxat, soluit vinculum iuris ciuilis, non iura naturalia, nec beneficium sanguinis, per *l. iura sanguinis, ff. de regul. iuris.* Sic Fragosus *loco citato*, §. 1. *n.* 1. ex Angelo *Instit. de hæreditatibus, quæ ab intestat. deferuntur.* Couarru. *cap.* 8. *cit* §. 6. *num.* 1. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 1.

Alij distinctiùs respondent, non teneri parentes alere suos filios iure naturali, nisi vsque ad tempus, quo iam ipsi filij per se possint ali; vltra verò illud tempus pater tenetur filios alere iure, & lege charitatis, si ipsi indigeant, necnon & iure positiuo Canonico, *cap. cùm haberes, de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.* Sic docet ex D. Isidoro, Vazquez *opusc. de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 8. *n.* 127. & 133. Vbi id probat ex aliis animantibus, quæ natura duce solùm, alunt filios vsque ad tempus, quo iam ipsi per se possint ali. Vtraque sententia est probabilis.

QVÆSTIO III.

An peccet mortaliter pater, qui denegat alimenta filio sine graui causa?

REspondeo vt certum, quod sic: vnde si parens absque iusta causa, deneget filio suo alimenta, siue id procedat ex auaritia, siue ex crudelitate, aut simili causa, mortaliter peccat. Id constat, tum *ex text. in cap. Si quis dereliquerit, dist.* 30. Tum ex ratione, quia tunc pater facit contra ius naturale, aut Canonicum, aut legem charitatis, in re graui: ergo. Sic Syluest. *verb. famil. num.* 3. Graffis *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 58. *num.* 1. & 2. Sayrus *in Claui Reg. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 5. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica punct.* 6. §. 1. *num.* 2. & Fragosus *loco cit. num.* 108. & omnes communiter.

QVÆSTIO IV.

An pater teneatur præstare alimenta filio, qui authoritate Principis est proscriptus.

AFfirmat absolutè Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *num.* 1. eo quod filius proscriptus adhuc filius sit, & pars patris, & iure naturæ patri commendatus. Ita etiam Bonac. *loco cit. numero* 2. & alij.

Sed distinctiùs respondeo vt quid certum, quod pater verè teneatur filio proscripto alimenta vitæ simpliciter saltem necessaria præstare; vt si extrema, aut graui inedia laboret. Attamen si dictus filius aliunde habeat vnde sustentare se possit, tunc quamvis pater ei debeat alimenta; tamen iustis de causis potest patri præcipi, ne aliquid filio suo, vtpote proscripto, alimentorum causa subministret. Sic Bartolus, Iason, Angel. & Pontanus, quos citat, & sequitur Azor *lib.* 2. *citato, cap.* 4 *q.* 6. & ex illo Filliuc. *tract.* 28 *part.* 2. *cap.* 2. *q.* 5. *n.* 29.

QVÆSTIO V.

An filio pœna excommunicationis affecto, teneatur pater alimenta præbere?

AFfirmant absolutè Bonacina *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 6. §. 1. *vers. addo secundò*; & Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *num.* 1. & alij, quia (inquit) filius excommunicatus, adhuc manet filius.

Alij tamen absolutè negant, teneri tunc patrem filio excommunicato alimenta præbere; nisi solùm casu, quo filius alioqui inedia, & fame consumeretur. Probant *ex cap. pastoralis, de appellat.* vbi dicitur, nullum commercium habendum cum excommunicato, nec ei alimenta præbenda, nisi alioqui esset fame periturus. Ita Pontanus *de alimentis cap.* 1. *num.* 11. & alij apud Azorium mox citandum. Cum quo

Clariùs, & distinctiùs respondeo primò. Certum est, quod pater tenetur præbere filio excommunicato alimenta simpliciter necessaria ad sustentationem vitæ (si aliunde filius non habet,) quia hæc sunt de iure naturæ debita. Sic tenent omnes DD. præcipuè Azor *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 8. Filliuc. *loco cit. quæst.* 6. *num.* 34. Bonac. & Tamburin. citati. Posset tamen pater subtrahere filio aliqua, vt resipisceret, si per filium staret, vt ab excommunicatione absolueretur.

Respondeo secundò: Pater optimè potest denegare filio excommunicato alimenta de æquitate naturali congruentia statui, & personæ filij, si sponte filius in excommunicatione persistat; secùs verò si absolutionem quærat. Sic Azor, & Filliuc. *locis citatis*, qui dicunt sic esse intelligendos Authores secundæ sententiæ.

Respondeo tertiò: Pater non tenetur (licèt possit, vt diximus) denegare alimenta congruentia filio excommunicato, in casibus assignatis; quia non est prohibitum illi id facere cum filio excommunicato, vt constat ex dictis *part.* 4. *tract.* 2. *de excommunicat. disp.* 15. *q.* 35. & 59. & tenet Tamburin. *loco cit. n.* 3. Quia (inquit) non videtur pietati Ecclesiæ conueniens, vt velit cogere parentes ad deserendum filium.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An pater Catholicus teneatur alere filium hæreticum?

RESpondeo cum distinctione dicendum, quod aut filius hæreticus eget simpliciter alimentis ad vitam necessariis, aut non; si eget, tunc tenetur pater ea illi subministrare; quia hoc naturali iure (aut iure ciuili, & canonico, iuxta doctrinam supra traditam) filius per hæresim non priuatur. Aut non eget, quia aliunde sibi victum quærere, & comparare potest; & tunc pater non tenetur alimenta illi præbere. Sic omninò Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap* 4. *quæst.* 10. & ex illo Filliuc. *tract.* 28. 2. *p. cap.* 2. *q.* 6. *num.* 36. Qui & notant, quod tunc dicatur filius aliunde posse viuere, quando vel habet bona propria, ex quibus sustentari commodè possit; aut habet corporis vires, & industriam, quibus possit, si velit, sibi victum acquirere: aut peritus est artis, qua vitæ necessaria sibi comparet; aut amicos, aut alios habet, à quibus alatur. Legantur Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 24. *num.* 9. & Vasquez *de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 9. *num.* 134.

QVÆSTIO VII.

An si filius legitimus sit diues, aut aliunde commodè se sustentare queat, teneatur adhuc pater illum alere?

RESpondeo dicendum ex dictis, quod non. Quia iure naturæ dictante, alimenta filiis præstanda sunt, vt ipsorum necessitati consulatur: sed filius, qui diues est, aut aliunde sibi consulere potest, non laborat necessitate; ergo non tenebitur pater illum tunc alere. Sic Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 9. his verbis: Quintò quamvis filios à parentibus alendos esse, iure constet; id tamen locum habet, si filius non habeat patrimonium, neque arte aliqua præditus sit, vnde possit sibi alimenta parare: secus ergo si is filius valeat seipsum alere, *l. si quis à liberis*, §. *sed si filius, ff. de liber. agnoscend.* Anton. & Abbas *in d. cap. cum haberet, col.* 3. Baptist. de S. Seuerino *in l. si qua illustris, C. ad Orfician. col. penult.* Socinus *consil.* 121. *num.* 47. *in* 4. *volum.* Laurent. Calcan. *consil.* 59. Decius, *consil.* 576. Nisi dedecus esset filio artem illam exercere, quod prædicti Doctores sentiunt; & Ioan. Lup. *in d. cap. per vestras.* 3. *notab.* §. 23. *num.* 6. Abbas *in cap.* 2. *col.* 2. *de conuers. infidel.* probat *Reg. l.* 6. *tit.* 19. *part.* 4. Hucvsque Couarru. quem sequuntur Molina *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 168. *initio.* Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 19. (non 20. vt legi apud Bonac.) *concl.* 4. ibi: Dixi, si aliunde non habeat; *nam filium diuitem nunquam tenetur pater alere.* Reginald. *lib.* 20. *num.* 30. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 6. §. 1. *num.* 2. Graffius *lib.* 2. *decis. cap.* 58. *num.* 2. *vers. quartus, si filius habeat.* Trullench. *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 6. *fine.* Fragosus *part.* 3. *regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 2. §. 2. *n.* 118. & apud ipsum Syluest. *verb. alimenta, num.* 2. Valascus *de partitionib. cap.* 18. *n.* 40. Roland. *consil.* 54. *num.* 40. & Vasquez *loco citato*, ibi: Sed quæ dicta sunt de alimentis, intelligenda sunt, vt Couarru. notat, & omnes, nisi filius officium, vel exercitium habeat, vnde habeat congruam statui sustentationem, vel habeat alia bona. In defectum enim horum, pater tenetur iure naturæ in pueritia, iure autem ciuili toto vitæ tempore. Hæc ille.

QVÆSTIO VIII.

An pater iuri alendi suum filium satisfaciat, si agat, vt filius recipiatur in aliquo hospitali, in quo pauperes publicè aluntur?

NEgat absolutè Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 9. quia indecens (inquit) est, eum filium in domo publicè hospitali constituere. Ita ille, qui & citat pro se Baldum *in l. vnica*, §. *sed scimus, C. de Lat. libert. tollend.*

Alij non ita indistinctè docent, eum qui alterum tenetur alere, huic obligationi satisfacere, si curet illum recipi in domo pauperum, nisi indecens sit, cum in loco illo alimenta percipere. Ita sentiunt apud ipsum Couarruuias, Præpositus *in cap. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrim.* Anton. Burgens. *in cap.* 1. *de empt. & vendit. col. penult.* & Ioan. Lup. *in cap per vestras.* §. 23. *num.* 9. Sentiunt igitur hi Authores, posse aliquando hac ratione patrem suo muneri satisfacere. Quod idem dicit Vasquez *dub.* 9. *cit. num.* 135.

Sed clariùs respondeo dicendum tanquam certum; primò, si nec patrem, nec filium deceat, attento illorum statu, & personis, in domo publica pauperum ali ipsum filium, tunc minimè satisfaciet pater iuri alendi filium, curando illum recipi in domo pauperum. In hoc conueniunt omnes Doctores, præcipuè citati pro vtraque parte.

Respondeo secundò, nunquam possunt patres satisfacere suo iuri alendi filium, curando, vt ille in hospitali recipiatur; quia si pater est diues (de quo solùm potest esse dubium) nequaquam poterit sine dedecore ipsius, filium suum in publicam domum pauperum alendum tradere: quia nec filium, nec patrem id decet. Sic Couarru. (qui, si in hoc sensu, bene citat pro se Authores secundæ sententiæ) & Vazquez *loco citato.*

Respondeo tertiò; si quis teneatur alterum alere, verè satisfaciet suæ obligationi, si curet illum recipi in domo pauperum, casu solùm, quod non sit indecens, illum in illo loco alimenta percipere; quod certè potest contingere, si loquamur de nobili aliquo hospitali, & de persona non ita nobili; in quo casu non erit indecens illum ali, & sustentari in dicta domo. Et in hoc casu loqui Authores secundæ sententiæ absque dubio existimo.

§. I.

De rebus, quæ nomine Alimentorum veniunt.

QVÆSTIO IX.

An nomine alimentorum veniant cibus, & potus?

RESpondeo tanquam certum dicendum, quod nomine alimentorum, principaliter veniant cibus, & potus, & omnia, quæ ad cibum, & potum pertinent. Sic omnes canones, leges, & iura, & Doctores.

Quod

Quod si hîc roges, quid nomine cibi, & potus veniat? Respondeo quod nomine cibi veniant, panis, caro, pisces, legumina, & reliqua edulia. Nomine verò potus, vinum, mulsum, zytum, ceruisia, & reliqua, quæ potantur. Imò & veniunt vasa, quibus ad potandum vtimur. Sic Rebuff. *in l. verbo victus, ff. de verb. significat. in princip. & col. 5. versu, intellige victum, & vers. potoria.* Fragosus *de regim. Christ. Reip. par. 3. lib.1.disp. 2. §.1. num. 110.*

QVÆSTIO X.

An item nomine alimentorum veniant victus, vestitus, & habitatio?

RESpondeo vt certum, hæc omnia venire; quia sine his ali corpus non potest. Sic colligitur *ex l. 1. & l. legatis, & l. fin. ff. de aliment. & cibar. legatis.* Sic communis Doctorum. Abbas *consil. 63. quadam Domina, lib. 2.* Roman. *consil. 440. non est dubium.* Decius *in l. de alimentis, C. de transaction.* Corn. *consil. 286. num. 9. vol. 3.* Thuscus *practicar. concl. tom. 1. lit. A. concl. 282.* Ludou. Beja *respons. casuum consc. part. 2. casu 12.* & alij quamplures, quos refert Barbosa *tract. de appellat. verb. iuris signif. appell. 15. verb. alimenta.* Quibus adde Azorium *p. 2. lib. 2. cap. 4. q. 2.* Nauarrum *cap. 14. num. 17. vers. secundò.* Molinam *tom. 1. de iust. tract. 2 disp. 168. vers. alimenta,* Bonacinam *disp. 6. punct. 6. §. 1. num. 1.* Fagundez *lib. 4. in Decalog. cap. 1. num. 3.* Fragosum *loco cit.* Tamburin. *lib. 5. in Decal. cap. 3. §. 1. num. 2.* Trullench *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 3. num. 7.* & alios apud ipsos.

Quod si hîc quæras primò, quid nomine victus veniat? Respondeo venire esum, potum, cultumque corporis, & alia necessaria ad vitam hominis seruandam. Sic habetur *in l. verbo victus, ff. de verb. significat.* & tenet Barbosa *tract. de appell. verb. iuris sign. appellat. 272. verb. victus.* vbi *n. 1.* ita ait: Victus appellatione veniunt, quæ esui, & potui, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini necessaria sunt, necnon & cætera, quibus viuendi (sic lege) curandive corporis nostri gratiâ vtimur. Sic ille, qui & citat Rebuffum, Menoch. Mantic. Roman. & alios plures. Lege Fragosum *loco citato.*

Si quæras secundò, quid nomine vestitus comprehendatur? Respondeo quod comprehendantur vestes, tam laneæ, quàm lineæ, & sericæ. Item, quod tegendi capitis causa paratum est; vt capellum, seu birretum. Deinde comprehenduntur calceamenta, quia hæc quædam sunt pedum vestes. Sic Barbosa cum aliis pluribus, *loco cit. appellat. 268. verb. vestis.* Fragoso *loco cit. num. 100.*

Si quæras tertiò, quid nomine habitationis veniat? Respondeo, quod veniant non solùm domus, in qua filius habitare possit, sed etiam scamna, tabulæ, & vasa ad coquinam, ad mensam, & alia instrumenta ad vsum quotidianum necessaria: quia sine his nos viuere non posse experimento comprobamus. Sic colligitur *ex l. legatis, ff. de aliment. & cib. legat.* & docent Sim. de Pretis & Franc. de Barry, quos citat, & sequitur Barbosa *loco cit. verb. habitatio, appellat. 112.*

QVÆSTIO XI.

An deinde nomine alimentorum veniant medicinæ?

REspondeo vt certum, etiam venire. Sic habetur *in l. si cùm dotem, §. si autem in sauissimo, ff. soluto matrimonio, l. quos nos, §. verbum viuere. ff. de verb. significat.* Et probat sic optimè Azor; quia licèt cùm rectè valemus, medicinis minimè indigeamus, nihilominus quando aduersa sumus valetudine, necessariæ sunt nobis medicinæ: nam quia vita hominum est morbis obnoxia, ideò appellatione alimentorum intelliguntur etiam medicinæ, quibus incommodæ corporis valetudini succurritur. Sic ille, qui & citat pro se Angel. Syluest. Rosell. Tabienam, & Armillam, *in verbo alimenta.* Sic etiam Barbosa *tract. de appellat. verb. & verbo, alimenta, appellat. 15. num.* 8. & penes ipsum, Bart. Corn. Angel. Aretinus, Cassan. Roland. Lara, Thuscus, Menochius, Tiraquell. & alij. Sic tandem Filliuc. *tract. 28. 2. p. cap. 2. quæst. 3. num. 27.* Bonac. *punct. 6. citato §. 1. num. 1.* Fagundez *cap. 1. cit. num. 3.* Trullench *dub. 3. num. 7.* Tamburin. *num. 2.* & omnes communiter.

QVÆSTIO XII.

An rursus nomine alimentorum veniant expensæ causâ studij faciendæ cum filiis?

AFfirmat absolutè Filliuc. *loco cit.* docens, nomine alimentorum venire omnia, quæ spectant ad disciplinas, & honestas artes addiscendas. Ita antea Bartol. *in l. legatis, ff. de aliment. & cib. leg.* & Syluest. quos pro hac parte citat Fagundez *vbi suprà num. 3.* & probari potest *ex l. de bonis, §. non solùm, ff. de Carbon. edict.* ibi: *Non solùm alimenta præstari debent pupillo, sed in studia, & cæteras necessarias impensas debent impendi pro modulo facultatum.* Necnon *ex l. qui filium, ff. vbi pupil. educari valeat, & l. officio, ff. eodem.*

Pro negatiua tamen parte stat textus *in l. legatis, ff. de aliment. & cibar. legat.* ibi: *Legatis alimentis, cibaria, vestitus, & habitatio debetur: quia sine his ali corpus non potest; cætera, quæ ad disciplinam pertinent, legato non continentur.* Sic lex: ergo, &c.

Sed clariùs reconciliando textus adductos pro vtraque parte, respondeo dicendum, quod nomine alimentorum verè veniant expensæ causa studij faciendæ, quia hæ debentur naturæ humanæ bene institutæ, & formatæ; licèt non naturæ vt sic consideratæ. Vnde textus, quos prima sententia pro se adducit, loquuntur de alimentis, quæ ex legis dispositione debentur: nam sub alimentis iuris dispositione debitis comprehenduntur tam alimenta ad vitam necessaria, quàm ad studia; textus verò adductus pro parte negatiua, loquitur de alimentis iure naturæ debitis, sub quibus solùm comprehenduntur alimenta necessaria ad vitam præcisè producendam. Sic Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 1. cit. n. 3. & cap. 20. num. 13.* & penes ipsum Nicolaus Genoa *fol. 149.* & Eman. Barbosa *tom. 2. remission. in remiss. ad legem regiam Lusitanam, lib. 4. tit. 97. ad §. 7. num. 4. fol. 212. col. 2.* lege Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 6. num. 2. vers. addo,* & alios apud ipsum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An nomine alimentorum veniant adhuc expensæ funeris, si filius moriatur; necnon & expensæ competentes pro anima illius?

AFfirmat Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 168. *num.* 6. sic dicens: Alimenta, potum, victum, vestitum, habitationem, & reliqua necessaria continent, *l. si quis à liber.* §. *non tantùm alimenta, iuncta glossa ibi, ff. de liber. agnosc. l.* 2. *tit.* 19. *part.* 4. inter quæ computa impensam funeris, si moriatur, & competentes expensas pro anima defuncti. Hæc Molina. Tenet etiam hanc sententiam Thom. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *num.* 2.

Negat verò Bonac. *disp.* 6. *quæst. vnica punct.* 6. §. 1. *num.* 1. in fine, vbi contra Molinam ait, impropriè nomen alimentorum dictis expensis adscribere; quia quamvis pater ad has teneatur, tamen cùm filius his non alatur, nec sustentetur, impropriè alimenti nomine vocantur; alioquin etiam expensæ, quæ in diuinis officiis in suffragium defunctorum fiunt, nomen alimenti sibi vindicarent. Hæc ille.

Sed distinctiùs respondeo dicendum, primò tanquam certum, quod pater verè teneatur ad impensam filij funeris, & expensas competentes pro eius anima. In hac responsione conueniunt omnes Doctores, & meritò; quia si filius tenetur cohonostare parentum funus, & pro illo expensas facere, iuxta vires suas, vt cum eodem Bonacina diximus suprà *disp.* 4. *quæst.* 11. à fortiori tenebitur & pater.

Respondeo secundò; optimè defendi potest, quod nomine alimentorum, propriè comprehendantur expensæ faciendæ post mortem filij, tam in funere eius, quàm in celebrandis Missis pro anima illius; quia his omnibus, tam corpus, quàm anima defuncti indiget. Sed siue propriè, siue impropriè hæc contineri dicantur sub nomine alimentorum, parum refert.

QVÆSTIO XIV.

An item nomine alimentorum veniat sustentatio vxoris ipsiusmet filij?

NEgat ex parte Ludou. Lopez 1. *p. instructorij, cap.* 294. *in* 2. *edit.* §. *sequitur & alia quæstio*, docens non teneri patrem alimenta præstare filij vxori, quando eam indignam duxit, secus quando dignam. Ita etiam tenet Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 45.

Sed absolutè, & sine vlla distinctione respondeo dicendum, quod pater non tantum teneatur alimenta præbere filio pauperi, vt supra est habitum; verùm etiam vxori eius, etiamsi indignam eam duxerit. Quia vt habetur *l. si quis à liberis*, §. *si vel parens, vers. non tantum, ff. de liber. agnosc.* pater non solùm tenetur alimenta filiis præbere, verùm etiam cætera liberorum onera sustinere: sed onus filij, & obligatio est alere vxorem, quando eam sine dote duxit; ergo tenetur pater tali vxori alimenta præstare, dum filius non potest. Sic Sanchez *lib.* 4. *de matrim disp.* 26. *num.* 21. & *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 34. *num.* 5. & apud ipsum Glossa *in l. cit. verb. cætera*, & ibi Bartol. Innocent. Curtius, Alexand. Socinus, Celsus, Riminal. & Baeza. Sic etiam Bonacina, *disp.* 6. *cit. punct.* 6. *num.* 2. *vers. addo tertio.* Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *num.* 2.

QVÆSTIO XV.

An alimenta sint danda filio legitimo, secundùm naturæ præcisè necessitatem.

AFfirmant multi DD. asserentes, alimenta esse danda filio pauperi, iuxta necessitatem naturæ, seu victus; non qualia decent personam, & dignitatem filij, cui debentur. Ita Bald. *l. si maritus, ff. soluto matrim.* Cassaneus *consil.* 39. *num.* 55. Palac. Rubios *cap. per vestras, de donat. notab.* 3. §. 24. *n.* 3. & Baeza *de non melior. filiab. cap.* 8. *num.* 30. Ratio eorum est, quia ius naturæ solum dat alimenta pro vita conseruanda. Et licet hæc sententia sit vera attento iure naturæ, at attento iure positiuo.

Omninò probabiliùs respondeo teneri patrem dare alimenta filio, non solùm præcisè secundum necessitatem naturæ, sed secundùm dignitatem personæ filij, cui debentur. Probatur primò *ex capite cùm haberet, de eo qui duxit, &c.* & *ex l. sed & si quid*, §. *sufficienter, ff. de vsufruct.* Secundò quia iniquum, ac rationi dissonum esset, filio Ducis solùm præstari à patre panem, & olera, quæ ad naturæ solius sustentationem sufficiunt. Sic omninò Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 34. *num.* 2. & 3. & penes ipsum Glossa, Iason, Alexand. Immola, Aretin. Couarru. *loco cit. num.* 7. Molina *de primogen.* Perez & alij. Sic etiam, & optimè, Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 19. vbi inquirens, qualia debeant esse alimenta præstanda filio? *Respondeo* (ait) *talia, qualia decent personam, cui debentur.* Est autem in filio personæ conditio consideranda ex ætate, nobilitate, professione vitæ, instituto, more, & consuetudine patriæ. Etenim, crescente ætate, crescere quoque alimenta debent; & nobilioribus pleniora alimenta debentur. Si persona itidem pro sui status conditione famulis egeat, eis pariter sunt alimenta præbenda. Si magistris item, vel pędagogis indigeat, soluenda sunt stipendia debita. Si filio opus sit equis, sunt quoque nutriendi equi. Sic Azor, necnon & Tamburin. *num.* 2. *citato.* Bonac. *punct.* 6. *cit.* §. 1. *num.* 1. Fragosus 3. *p. regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 1. *num.* 110. Vasquez *de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 9. Tello *in l.* 10. *Tauri*, & alij.

QVÆSTIO XVI.

An pater teneatur præstare alimenta filio legitimo in domo propria?

REspondeo vt certum teneri, quia tenetur apud se illum retinere, & nutrire. Sic communis. Corduba *in l. si quis à liberis, in princip. n.* 8. *ff. de liber. agnosc.* Surdus *de aliment. tit.* 4. *q.* 14. *n.* 8. vbi *num.* 9. subdit, non posse patrem cogi ad alendum filium extra domum, nisi causa subsit, de qua infra *disp.* 11. sic etiam Fragosus 3. *p. regim. lib.* 1. *disp.* 2. §. 1. *num.* 110. *citato.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An casu, quo pater teneatur alere filium extra propriam domum, teneatur item præstare illi domum, vbi ipse, & eius familia habitet?

Respondeo ex dictis, teneri; quia nomine alimentorum verè continentur necessaria ad viuendum, & ideò continentur domus ad habitandum, & suppellectilis domestica, sub quibus etiam veniunt equi, currus, serui, & famuli, si dignitas filij alimentandi id postulet. Sic colligitur *ex l. caterùm, § mulier, ff. de vsu, & habitatione*: & docent Bero. *consil.* 48. *num.* 1. Corduba, & Bertran. Prætus, & Bartol. quos refert, & sequitur Fragosus *loco cit. num.* 110. *vers. si pater.*

QVÆSTIO XVIII.

An in casu, quo filius alimenta data, extra domum paternam, malè expendat, teneatur tunc pater alia alimenta, vt ali possit, præbere?

Negant non pauci Doctores, ea ratione ducti, quod si pater legitimam in testamento relinquat filio, & hic eam dissipet, non tenetur iterum legitimam filio assignare, secundùm *l. si patronum ex debita, §. 1. ff. de bonis libert.* Ergo similiter non tenebitur pater filio alimenta semel data, & malè dissipata iterum præbere. Ita Bald. *in Authent. contra rogatus, C. ad Trebel. num.* 8. Iason *in l. scimus, C. de inoffic. testam. num.* 6. Alexand *in l. si cùm dotem, §. soluto matrim.*

Sed clariùs, & probabiliùs respondeo, quod licèt pater in dicto casu non teneatur absolutè præbere filio alimenta pro diebus pluribus, aut mensibus, eo quod semel data malè dissipauerit, & prudenter timeat, quod si iterum darentur illi, iterum malè esset dissipaturus; nihilominus tamen teneatur dare filio alimenta diaria, aut pro singulis diebus. Quia pater verè debet filio alimenta iure naturali, aut charitatis: ergo tenetur illa filio præbere eo modo, & ratione, qua illi prosint. Rursus, quia probabilius est, quod casu, quo pater dederit, ac concesserit filio suo legitimam, eamque dissipauerit, teneatur pater moriens nouam legitimam relinquere, vt docent Molina *de primogen. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 24. Menchaca *cap.* 25. *in quæst. illustr. num.* 14. & alij: ergo. Sic tenent Baldus *in l. 2. §. ius naturale, num.* 7. *ff. de iust. & iure, & in l. scimus, C. de inoffic. testam.* Baeza *de meliorandis filiabus cap.* 16. *num.* 20. Molina *loco cit. num.* 26. Lara, & Barbosa, quos citat, & sequitur Fragosus *loco cit. num.* 112.

QVÆSTIO XIX.

An etiam frater obligatus præstare alimenta suo fratri, seu sorori, teneatur iterum illis alimenta præstare casu, quo semel concessa dilapidauerint?

Affirmant Molina *de primogen. num.* 26. *cit.* & alij, eo quod pater respectu filij ad id teneatur, vt vidimus: ergo & frater respectu sui fratris.

Sed probabiliùs respondeo non teneri, quia frater non debet fratri, aut sorori legitimam, vt constat *ex l. fratres, C. de inoffic. testam.* benè tamen pater, & hoc ob rationem naturalem, *l. cùm ratio, ff. de bonis damnat.* Ergo licèt hic teneatur alimenta iterum filio præbere, non inde sequitur, quod ad id ipsum teneatur frater. Sic Emm. Barbosa 4. *p. legis* 1. *ff. soluto matrim. num.* 141. Lara *in l. si quis à liberis, §. idem scripsit, num.* 101. *ff. de liber. agnosc.* Fragosus *loco citato.*

---

§. II.

De obligatione, qua arctantur patres alendi filios expositos.

QVÆSTIO XX.

An peccent mortaliter parentes, qui filios suos in hospitali alendos exponunt, si illos nutrire, & alere commodè possint?

Respondeo vt certum, peccare mortaliter casu, quo parentes per se, aut per alios, suos commodè alere possint filios; id enim apertè constat ex iure. Nam *in l. necare, ff. de liber. agnosc.* dicitur: *Necare videtur, non tantum is, qui partum præfocat, sed & is, qui abiicit, & alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet.* Et *in l. 2. de infantib. exposit.* dicitur; *Suum dicere non potest, quem pereuntem contempsit.* Sic cum omnibus tenent Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 26. *quæst.* 7. Nauar. *cap.* 16. *num.* 48. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 19. §. 3. Sayrus in *Claui Reg. lib.* 7. *capite* 7. (non 1. vt leges apud Fragos.) *num.* 5. Graff. *lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 58. (non 59. vt leges apud dictum Fragos.) *numero* 1. Fragosus *part.* 3. *regim. lib.* 1. *disp.* 2. §. 3. *num.* 126. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. *num.* 4. ibi: Adeò rigorosum est hoc onus filiorum alendi, vt peccent mortaliter parentes, si sine graui causa suos infantes in hospitali alendos exponant. Sic ille, & Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 5. *dub.* 4. Fagundez *lib.* 4. *capite* 1. *numero quinto*, & omnes.

QVÆSTIO XXI.

An saltem immunes sint à peccato parentes, qui ne vitæ, vel infamiæ periculum incurrant, infantes suos in hospitali expositis alendis destinato exponunt?

REspondeo vt quid certum, tunc immunes esse à peccato. Sic Caiet. *in summa verb. adulterium*; ibi: Quoad hospitalium verò damnificationem, duo consideranda sunt. Primum, quod nullum peccatum est prolem exponere, vt in hospitali alatur, ad occultandum huiusmodi adulteria. Hæc enim est vna ex rationibus, quare hæc loca pia instituuntur. Sic ille. Armilla ibi, *num.* 8. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 19. *num.* 3. Iulius Clarus *pract. crimin. §. fin. q.* 85. *vers. partum exponens.* Vbi ait, quod Senatus in facti contingentia, quandam nuptam absoluit, quæ infamiæ vitandæ gratiâ filium exposuit. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 16. Sotus *in* 4. *d.* 41. *q. vnica*, *art.* 4. *concl.* 2. Azor, & Trullench *locis cit.* Fragosus §. 3. *cit. n.* 126. Dicastillo *lib.* 2. *de iust. tract.* 2. *disput.* 7. *dubitatione* 11. *num.* 170.

QVÆSTIO XXII.

An item culpâ careant parentes, qui exponunt filios, eo quod præ inopia, aut egestate illos alere non possunt?

REspondeo etiam vt quid certum, etiam parentes tunc culpâ carere; quia in hoc casu cessat obligatio, quam parentes alendi suos filios habent; & consulunt fœtui meliori modo, quo possunt, exponentes illum in hospitali expositis deputato; vel si illud non sit, ad ianuam alicuius potentis, si taliter exponant, vt nullum infanti periculum immineat. Sic Sanchez *vbi suprà num.* 18. ex Butrio, Hugone, Turrecremata, Guillelmo, D. Anton. Armilla, Henriquez, & aliis. Sic etiam Azor *lib.* 2. *cit. cap.* 26. *quæst.* 2.

QVÆSTIO XXIII.

An quando pater diues ob occultandam matris infamiam exponit filium nutriendum in hospitali, debeat id facere animo restituendi hospitali expensas faciendas in alendo exposito?

NEgat Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 19. *num.* 3. quia existimat in eo euentu, non solùm non peccare parentes, etiam diuites, exponendo filium in hospitali; sed neque ad restitutionem teneri; eo quod voluntas Fundatorum eiusmodi hospitalium non alia fuit, quàm consulere cuiuscumque generis necessitatibus.

Hanc opinionem vt probabilem sequitur Tamburinus, cum quadam limitatione, quam ponit Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 17. docens, sententiam Henrici esse sequendam casu, quo hospitale sit diues; secus verò si diues non sit.

Dicastillo verò *lib.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 11. sententiam Henrici absolutè vt probabilem sequitur. Nam admittit sententiam Laymanij, seclusa limitatione ab ipso posita, his verbis: Ideo mihi placet, quod docet Layman *suprà num.* 4. quòd si orphanotrophium sit diues, præsumptio esse potest fundatum esse pro omnibus expositis, ob causam iustam, absque compensationis obligatione; quamvis illæ duæ limitationes, quod ipsum hospitale sit diues, & quod causa exponendi iusta sit; si de rigore iustitiæ loquamur, non sunt omninò necessariæ, sed ex æquitate tunc aliquid dandum erit hospitali. Ita ille *loco cit. num.* 174. Fragosus etiam, & alij, *sequenti quæstione* citandi.

Sed ego longè multò probabilius respondeo sic: Primò dicendum, quod si hospitale, in quo, ob iustam, vel iniustam causam exponunt filium parentes, sit pauper, vel non certè diues, tunc verè teneantur parentes ad restituendas expensas factas in alendo exposito filio, & consequenter dum illum ibi exponunt, debent animo illas restituendi id facere. Ratio est, quia si hospitale ad id fundatum, non est diues, credendum est Fundatorem illius tantùm voluisse eos solùm alere, qui sunt omni ex parte destituti. Sic Layman *loco cit.* & Tamburinus *num.* 5. vbi dicit, quod hospitale magnum Panormi ita filios expositos alat, vt si in eorum patrum, matrumve notitiam veniat, statim illis eosdem reddat, repetitis expensis hactenus exhibitis. Quo facto verè profitetur, se solùm velle alere filios pauperum, non diuitum parentum, & declarat hanc fuisse voluntatem Fundatorum. Sic etiam, & à fortiori tenebunt Authores mox adducendi.

Respondeo igitur probabiliùs multò, secundò dicendum, quod adhuc, quod hospitale fundatum pro expositis, sit diues, etiam valde, adhuc teneantur parentes diuites, quando ibi suum filium exponunt, id facere animo restituendi hospitali impensas faciendas in alendo illo. Quia multò probabilius est, quod huiusmodi hospitalia, quantumvis opulenta sint, solùm sint fundata pro pauperibus enutriendis: ergo si parentes exponentes filium pauperes non sint, verè tenebuntur ad restituendas hospitali impensas. Sic in primis tenet Caiet. *in sum. verb. adulterium*, *in fine*, ita dicens: Si pater, aut mater prolis non sit indigens, debet & satisfacere hospitali; quia bona huiusmodi hospitalium, non in diuitum, sed pauperum adminiculum sunt: & quantum consumitur à non pauperibus, tantum indigentibus adimitur. Sic ille. Armilla, Syluest. Rosella, Tabiena *eod. verb. adulterium*, quos sequitur Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 13. & 17. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 48. (non 42. vt legi apud Sanchez) ibi: Quin & si infans fuit expositus hospitali alicui, vt ibi nutriretur, obligati sunt ad soluendas impensas, quas in eo nutriendo fecit, si eos (idest parentes) paupertas non excusaret; ob id, quod hospitalia ad pauperibus subueniendum instituuntur, *cap. de xenodochiis*; & per ea, quæ ibi latè tradit Lupus *in repet. de relig. domibus.* Hæc meus Nauarr. Sic etiam Azor *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 5. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 103. Vasquez *de testament. cap.* 5. §. 1. *n.* 23. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dubit.* 6. *num.* 70. Petr. Nauarra *lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 2. *dub.* 21. Rebell. *lib.* 3. *de obligat. quæst.* 11. Basseus *verb. adulterium*, *num.* 9. *vers. addunt verò communiter DD.* & alij. Imò & pro ampliori huius quæstionis declaratione sit.

QVÆSTIO XXIV.

An hospitale fundatum ad recipiendos expositos, possit repetere expensas, quando parentes ignorantur, & posteà cognoscuntur diuites?

NEgant aliqui Iuristæ, eo quod tale hospitale habeat obligationem alendi tales expositos: ergo non potest repetere expensas, adhuc casu, quo protestetur se repetiturum. Ita Abbas *in cap.* 1. *de infant. & languid.* Surdus *de aliment. tit.* 6. *quæst.* 19. *num.* 13.

Alij ex parte contrà tenent, dicendo, quod verè possit hospitale repetere casu, quo non sit institutum expressè, etiam pro expositis alendis, sed pro pauperibus dumtaxat: quia tunc, cùm parentes expositorum teneantur ex rigore iustitiæ (licet alij ex sola decentia putent) expensas restituere hospitali, nisi excusentur ob inopiam, optimè potest hospitale repetere expensas in alendo exposito factas; secus verò dicunt casu, quo redditus hospitalis etiam sint applicati pro expositis alendis; quia cùm tunc parentes nihil restituere teneantur, etiamsi peccent, sine causa filios exponendo, consequenter non est liberum hospitali ab eis expensas repetere. Ita tenet Fragosus *part.* 3. *de regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 3. *num.* 129.

Sed iuxta nuper dicta, multò probabiliùs respondeo dicendum, quod verè possit hospitale impensas repetere, etiam casu, quo expressè erectum sit pro expositis recipiendis. Quia multò probabilius est, quòd talia hospitalia instituta pro alendis expositis, solum sint erecta pro expositis non habentibus parentes diuites, & qui sunt omni ex parte destituti, vt diximus quæstione superiori: ergo cùm parentes diuites teneantur ex rigore iustitiæ impensas restituere hospitali, verè poterit ipsum repetere dictas expensas. Quia præstans alimenta, ad quæ alius tenetur, potest repetere ab ipso, qui tenetur, *l. Nesennius, ff. de negot. gestis.* Cynus *in l. quod in vxorem, C. eod. tit.* Socin. *consil.* 64. *col.* 2. *volum.* 4. ergo cùm pater exposuerit filium, quem tenebatur alere, & hospitale suscipiens expositum pro patre aluerit, datur repetitio, *l. alimenta, & l. si paterno, Cod. de negot. gest.* Et tenent ibi Ruin. Bald. & Alexand. & debent omnes Authores pro nostra sententia nuper citati, & fauet multùm praxis hospitalis magni Panormi.

QVÆSTIO XXV.

An item consanguinei possint repetere expensas factas ab exposito, quem alendum suscepere?

NEgant aliqui, ex eo quod sanguinis coniunctio facit, vt præsumamus tales expensas esse gratuitas, & donationem: ergo non dant locum repetitioni. Antecedens probant *ex l.* 11, *qui amicitia, C. de negot. gestis.* Et tenent Bald. *in l.* 2. *num.* 2. *C. de iure dot.* Glossa *in l. quæ dotis, ff. soluto matrimonio.* Abbas *in cap. nonne, de præsump.* Alciatus *tract. de præsump. regula* 1. *præsump.* 32. *n.* 1. & 2. & Decius *cons.* 266. *num.* 3. *ad finem.*

Sed probabiliùs longè respondeo posse, absolutè loquendo, consanguineos repetere à parentibus expensas factas cum exposito, quem alendum susceperunt, causâ solum sanguinis. Ratio est, quia probabilius longè est, quod sola sanguinis affectio non inducit donationis expensarum præsumptionem: ergo si consanguinei non habent animum donandi tales expensas, optimè possunt illas à parentibus repetere. Antecedens probatur *ex l. populo, ff. de probat.* vbi habetur, ex sola fraternitate inter fratres, non præsumi donationem. Et *ex l. ex duobus fratribus, & ex l. penult. ff. de negot. gestis; & ex l. si negotium, C. eod. tit.* ibi: *Si enim frater pro fratre aliquid soluat, vt collectas, vel quid simile, non præsumitur animus donandi, sed repetendi.* Sic lex, & docent apud Fragosum, Decius, Iason, Alciat. Ruin. Menoch. & alij. Si ergo consanguinei, inspecta sola sanguinis coniunctione, non præsumuntur donare expensas factas in alendis expositis, verè poterunt à suis consanguineis eas repetere. Sic Fragosus *loco citato, num.* 130. Quid autem dicendum, si consanguinei reciperent expositos, pietatis pariter causâ, ex mox dicendis constabit.

QVÆSTIO XXVI.

An parentes teneantur ad expensas, quando expositus nutritur à persona, cuius ad ianuam fuit derelictus.

REspondeo dicendum, non teneri. Quia quando expositus nutritur à fidelibus piis, tunc sumptus præsumuntur facti intuitu pietatis, & amoris Dei: ergo tunc nec parentes obligantur ad sumptus factos in alendo exposito, & consequenter nec persona alens, aut nutriens dictum expositum potest alimenta repetere; quia alimenta intuitu charitatis, & amoris Dei præstita non possunt repeti, quia præsumitur animum fuisse donandi. Sic habetur *in l. patrem, C. de nuptiis, & l. finali, tit.* 20. *part.* 4. & tenent communiter DD. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 9. Greg. Lopez *in d. l. finali, vers. las despensas.* Cynus *in d. l. patrem.* Ioan. Andr. *in cap.* 1. *de languid.* Glossa *in cap. fin. dist.* 87. Fragosus 3. *p. cit. disp.* 2. §. 3. *n.* 117.

QVÆSTIO XXVII.

An in aliquo saltem casu, posit illa persona, quæ intuitu pietatis aluit expositum, repetere expensas à patre exponente?

REspondeo posse in quibusdam. Nam primò potest, quando pater exposuit filiam, & is, qui aluit, vult eam copulare matrimonio cum filio suo, & pater expositæ renuit; tunc enim propter ingratitudinem potest nutritor, aut alimentans repetere alimenta facta causâ pietatis; quia sic habetur *in d. l. patrem, C. de nuptiis, & l.* 35 *tit.* 14 *part.* 5. & docent omnes DD. Sanchez *num.* 9. *cit.* Greg. Lopez *in lege citata*, Glossa *in d. cap. finali, dist.* 87. Fragosus *loco cit.* Qui tamen addunt hoc procedere, etiamsi nutritor ipse velit cum exposita contrahere, & ipsa, vel eius pater recuset. Quod procedet quando ipse nutritor esset æqualis ætatis, vel parum vltra cum illa.

Secundò potest repetere dictas expensas, quando suscipiens expositum alendum, protestatur se expensas à parentibus expositi repetiturum; quia tunc non voluit alere, & nutrire expositum causa

causa pietatis, & propter amorem Dei, vt constat ex protestatione à se facta, & sic potest expensas repetere; sicut repetuntur expensæ factæ pro filio alieno in aliqua arte erudiendo. Sic Glossa citata, Abbas *in cap. 1. de infantibus, & languidis.* Surdus *de aliment. tit. 6. q. 19. num. 9.* Fragosus *loco citato num. 128.* Sanchez *cit. num. 10.* vbi *num. 11.* aduertit, quod dicta protestatio solùm sit necessaria pro foro externo; nam in foro conscientiæ sat est, à principio habuisse animum repetendi expensas.

QVÆSTIO XXVIII.

An in casu, quo expensæ sint restituendæ hospitali expositorum, sat sit restituere illas aliis pauperibus?

AFfirmat Basseus *verb. adulterium, num. 9.* his verbis: Addunt verò communiter Doctores, si parentes sint diuites, teneri restituere hospitali sumptus, quos in ea prole alenda fecerit. Ratio est, quia bona hospitalium sunt in vsus pauperum, & ex præsumpta voluntate Fundatorum est, vt quando ex aliqua iusta causa bona hospitalis eo modo insumerentur cum filio alicuius diuitis, parentes tenerentur ea compensare in vsus aliorum pauperum. Hæc Basseus.

Sed vt mihi ferè certum respondeo, non esse sat, in tali casu restitui illas expensas aliis pauperibus; sed debere necessariò restitui hospitali, in quo nutritus fuit expositus. Quia (vt benè Tamburinus *lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 4.*) si extat dominus, seu legitimus administrator earum impensarum, nempe hospitale, qua ratione ad alios pauperes te vertere iure potes? Addo ego minimè posse præsumi voluntatem Fundatorum fuisse, vt parentes bona hospitalis consumpta in alendis filiis expositis, possint compensare in vsus aliorum pauperum, cùm potiùs oppositum præsumi debeat, ne aliàs sumptus ad alendos expositos dicto hospitali deficiant. Sic etiam Fagundez *n. 5. cit.* Qui tamen addit, quod si aliqua ex causa hospitali fieri non posset talis restitutio, tunc fieri debeat pauperibus, aut in aliis piis operibus expendendum.

QVÆSTIO XXIX.

An peccet mortaliter dominus, qui seruum suum infantem exponit ad ianuam Ecclesiæ, vel alicuius personæ potentis alere, eo quod ipse ad id non habeat facultatem?

AFfirmant aliqui Iuristæ, eo quod existiment in eo casu potiùs debere seruum vendere, vel donare. Ita docent Glossa *in cap. fin. vers. expositus, dist. 87.* Butrius *in cap. vnico, de infant. exposit. n. 5.* cum quibus conuenire videntur Angel. *verb. expositus, num. 3.* Siluester omninò ex illo non citato, *eod. verb. quæst. 2. num. 3.* Tabiena *quæst. 3.* & Armilla *ibidem. num. 3.*

Sed probabiliùs omninò respondeo non peccare, nec venialiter, dummodo taliter seruum infantem exponat, vt nullum ei periculum immineat; id enim constat ex nuper dictis de filiis expositis à parentibus. Nec verum est, quod dominus potiùs teneatur seruum donare, vt constat, vel vendere; quia nec tam facilè inueniri potest, qui illum emat; & si inueniret, vili venderet, ad quod non tenetur quare inuitus exponit. Sic Sanchez *lib. 1. consil. cap. 5. dub. 4. num. 20.* & apud ipsum Guillelm. D. Anton. & Turrecremata, qui addunt in hoc casu, non effici seruum liberum, vt efficeretur aliàs, vt dicemus *infrà q. 36.*

QVÆSTIO XXX.

An is, ad cuius ianuam infans expositus fuit, peccet contra iustitiam, si ad alterius ianuam illum exponat?

REspondeo dicendum, quod non peccet contra iustitiam, exponendo ad ianuam alterius infantem ad suam expositam; & sic non tenetur alteri restituere expensas educationis.

Probat vtrumque sic Sanchez. Quia ille, qui ad ianuam alterius exponit infantem, non tenetur ex iustitia eum alimentare. Et licèt diceremus cum aliis, teneri ex iustitia, quia hæc est extrema necessitas; at iidem fatentur esse iustitiam subsidiariam, & sic non obligare ad restitutionem. Item, quia illum exponendo alteri, suam rem familiarem non abstulit, nec ad educandum coegit; bene enim poterat, saltem non violando iustitiam, nolle eum educare, & ad Ecclesiæ cunabula, seu alterius ianuam exponere. Sic ille *lib. 1. consilior. capite 5. dub. 5. num. 71.*

QVÆSTIO XXXI.

An saltem peccet contra charitatem ille, qui infantem, quem ad suam ianuam quis posuit, ad alterius ianuam exponit?

AFfirmandum videtur; quia talis infans est in proximo periculo mortis, nisi ei succurratur; ergo ille, ad cuius ianuam est expositus, tenetur ex charitate illum alimentare: ergo peccabit contra illam, si illum non alimentet.

Respondeo primò sic. Certum est, quod si is, ad cuius ianuam infans est expositus, sit honestus Presbyter, aut quædam virgo, vel vidua honesta, de quibus alij possunt suspicari esse suum; tunc minimè peccet, nec contra charitatem, exponendo talem infantem ad alterius ianuam. Quia si propria mater ad tegendum proprium delictum, potest puerum suum exponere, vt supra est habitum; meliori iure poterit extraneus, ne falsò sibi imputetur delictum, ac per hoc grauem infamiam contrahat: lex enim charitatis non obligat cum periculo tanto, & dispendio.

Respondeo secundò, etiam vt certum mihi; si is, qui ad ianuam suam inuenit infantem, illum exponat in hospitali, vel in alia domo pueris expositis alendis deputata, taliter quod infans nullum subeat periculum, tunc nec contra charitatem peccat. Quia sicut non peccat contra illam, qui (licet diues) non vult excipere ægrotum aliquem, sed mittit illum in hospitale ægrotis deputatum; sic nec peccabit in nostro casu, qui non vult excipere infantem, mittens illum ad hospitale expositis deputatum. Vtramque responsionem docet Sanchez *lib. 1. consil. cap. 5. dub. 5. n. 67.* & *74.* cum quo.

Respondeo tertiò, quod moraliter loquendo, non peccat hic exponens puerum ad alterius ianuam contra charitatem; quia valde probabiliter est certus, se non subueniēte, esse alios, qui his expositis subueniant.

tribuerint? Et sanè nunquam contingit puerum ita destitui, quin ab illo, vel illo excipiatur; dummodo illi sit cura, & prospiciat, ne puer tamdiu ibi moretur, quin ab alio excipiatur, ne immineret illi aliquod periculum. Sic ille *num.* 78. & citat Henriquez *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 7.

QVÆSTIO XXXII.

An pater solus teneatur ad restitutionem alimentorum, quæ data fuerunt in hospitali in alenda prole spuria?

RESPONDEO dicendum, quod solus pater; quia ex iuris dispositione ad solum ipsum spectat tribuere alimenta huiusmodi filiis, exceptis alimentis lactis, si mater lactare commodè, & sine dedecore possit filium: quia si nequeat sine dedecore, tunc etiam hæc alimenta tenetur pater soluere, modò pater non laboret egestate. Sic Nauarr. *cap.* 16. *num.* 48. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dubit.* 6. *num.* 69. *&* 70. vbi hæc ait: His adde, matrem teneri alere prolem primo triennio, vel suis sumptibus curare ali, si possit: post hoc triennium tenetur pater, donec filius sua industria se possit iuuare, vt docet Couarru. *num.* 19. & alij DD. Et patet *ex l. nec filium* 9. *C. de patria potest.* vbi id expressè habetur. Idem insinuat Greg. IX. *cap. fin. de conuers. infidel.* dum ait: Pueri post triennium apud patrem ali debent. Sic ille. Molina etiam *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 168. (non 69. vt legi apud Lessium) *num.* 10. vbi ita ait: Mater vsque ad tertium annum absolutum tenetur nutrire filium suum illegitimum quoad lac dumtaxat; reliquas verò expensas, tam eo tempore, quàm post illud, tenetur facere pater. Quod si mater in nutriendo tali filio quippiam expendat, quod pater expendere tenebatur, poterit illud posteà exigere à patre, qui non solùm in conscientiæ foro illud soluere tenetur, sed etiam in exteriori ad id cogetur. Ita habetur *lib.* 4. *ordin. tit.* 68. §. 1. Idemque in principio illius tituli disponitur de filiis legitimis, quando fit diuortium inter coniugatos. Idem habetur *l.* 3. *titulo* 19. *part.* 4. *& l. nec filium*, *C. de patria potest.* & affirmat Nauarrus *in man. cap.* 14. *num.* 17. Hæc Molina. Sic etiam Couarru. 2. *p. epitomes*, *cap.* 8. §. 6. *num.* 13. qui ex multis iuribus id latè probat. Bonac. *de matrim. q.* 4. *punct.* 15. *n.* 11. *&* 12. Basseus *verb. adulterium*, *num.* 11. & Fragosus 3. *p. regim. lib.* 1. *disp.* 2. §. 3. *num.* 131. & alij communiter.

QVÆSTIO XXXIII.

An in defectum patris teneatur mater integra alimenta hospitali, quod nutriuit expositum, restituere?

RESPONDEO omninò teneri. Sic communis. Basseus *tom.* 1. *verb. adulterium*, *num.* 9. ibi: Si tamen pater propter paupertatem, aut alia de causa, id non possit facere (idest, soluere alimenta) & mater diues esset, tunc mater teneretur integra alimenta hospitali restituere in defectum patris. Sic ille, & antea Couarru. *num.* 13. *cit.* ibi: His etiam illud addendum est, post triennium adhuc matrem cogendam esse alere filium, si pater pauper sit, atque id agere nequeat. Ita Abbas existimat *in d. cap. fin.* 1. *col. Regia l.* 4. *tit.* 19. *part.* 4. Hæc Couarruuias. Fragos. 3 *p. regim. disp.* 2. §. 3. *n.* 131. ibi: De iure Lusitano illegitimi suscepti ex patre coniugato, aut soluto, sunt alendi à patribus, nisi fuerint inopes, tunc enim expensis matris sunt educandi.

QVÆSTIO XXXIV.

A quibus alendi sint dicti filij, casu quo nec pater, nec mater habeant, vnde filios alant?

RESPONDEO primò dicendum, quod tunc debent ali ab heredibus parentum, vt colligitur ex Authent. *licet*, *C. de naturalibus liberis*, *& à l. si quis à liberis*, §. *item rescriptum est*, *ff. de liber. agnoscendis*; & expressè tradiderunt Bartol. Socin. Abbas, quos citat, & sequitur Couarru. *loco cit. num.* 14. & tenet, his citatis Authoribus, Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 5.

Respondeo secundò, si desint heredes parentum, à quibus ali possint huiusmodi filij, tunc debent quæri consanguinei, vt eos alant, aut præcipiant educare. Quod si nolint, aut sint filij alicuius Religiosi, vel coniugatæ, tunc educari debent expensis hospitalis, si fortè erectum sit ad educandum expositos. Si tamen nullum ibi sit hospitale, nutriantur redditibus publicis Conuentus, seu Consilij; quibus si careat, Decuriones collectam imponant pro alimentis expositorum. Sic omninò Fragosus *num.* 131. *cit. ex lib.* 1. *ordinat. tit.* 87. §. 11.

QVÆSTIO XXXV.

An aliquam iuris pœnam incurrant parentes, qui filios suos exponunt ab aliis nutriendos?

RESPONDEO vt certum, incurrere. Nam *in cap. si à patre*, *de infantibus*, *& languidis*, priuatur dictus pater iure filiationis, seu potestate patria; ait enim text. *Si à patre*, *siue ab alio*, *sciente ipso*, *aut ratum habente*, *&* *relegato pietatis officio*, *infans expositus exitit*, *hoc ipso à potestate patria fuit liberatus.* Sic textus, & ex illo Surdus *de aliment. tit.* 4. *quæst.* 18. *num* 2. *& tit.* 8. *priuileg.* 63. *num.* 4. *& priuileg.* 64. *num.* 2. Menoch. *de arbitr. casu* 396. *num.* 11. Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 26. *quæst.* 1. Fragos. *p.* 3. *regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 2. §. 3. *n.* 132. qui idem dicunt dicendum de patre exponente filium languidum, cuiusvis sit ætatis, vel denegante illi alimenta: quia tunc eo ipso fit sui iuris filius, vt constat *ex d. cap. si à patre, citato*, & docet Azor citatus, his verbis: Hinc licet intelligere, infantem expositum à patre, vel ab alio, eo sciente, vel ratum posteà habente, patria potestate solui, & sui iuris effici, & sibi acquirere. Idem iuris est, si filius malè valens, & languidus, cuiuscumque ætatis, expositus fuerit. Idem etiam, si filio languenti pater alimenta subtraxerit, vel denegauerit. Sic ille, & Rebuff. *de priuileg. Scholastic. priuileg.* 54. Fragos. & alij.

QVÆSTIO XXXVI.

An item domini, qui seruos suos exponunt ab aliis nutriendos, priuentur iure dominij, & ipsi serui libertatem consequantur?

RESpondeo vt certum, priuari dominos iure dominij, & consequenter ipsos seruos consequi libertatem; sicuti etiam consequuntur eamdem, si à domino in ægritudine deserantur. Sic cum communi tenet Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 39. in principio*, per hæc verba: Secundus, si dominus, aut alius, eo sciente, nec contradicente, infantem exponat, aut expositionem se inscio factam approbet posteà: eo namque ipso, talis infans manet liber. Item si seruum ægrotum exponat, aut illi deneget alimenta necessaria, habetur pro derelicto, consequiturque eo ipso libertatem. Neque qui illum suscipit, curamve illius habet, ius in talem seruum acquirit. Hæc definita sunt *cap. vnico, de infant. & languidis expositis, l. 2. & 3. C. eod. tit. l. vltima, ff. pro derelicto, & l. vnica, §. sed dicimus, C. de Latina libertate tollenda.* Hucvsque pater Molina, Azor quoque *cap. 26. cit. q. 1. vers. in l. si inuito.* Fragosus *num. 132. citato.* Vbi addit, quod etiam domini deserentes vassallos in periculo constitutos, priuantur iure vassallagij, sicut ciues amittunt iura ciuitatis, si illam periclitantem destituant, vt dicunt Bald. *in l. 2.* & Rebuff. *de priuileg. Scholasticorum. priuileg. 54.* Nota quod si dominus exponeret seruum, quia non habebat facultatem eum alendi, tunc non deperdat dominium, vt diximus *quæst. 29. fine.*

QVÆSTIO XXXVII.

An expositi possint promoueri ad Ordines sine vlla dispensatione?

NEgant plures Doctores, quos lato calamo retuli *part. 5. tract. 2. de irregularit. disp. 3. q. 6.* existimantes tales expositos habendos esse illegitimos, & irregulares.

Sed iterum probabiliùs respondeo posse dictos expositos promoueri ad Ordines sine dispensatione vlla, quia probabilius est, tales habendos esse legitimos, vt latè probaui *vbi suprà*, referens quamplures Doctores pro hac parte. Quam nouissimè tenet Fragosus *part. 3. de regim. Christ. Reipub. lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 134.* dicens, hanc quæstionem iam cessasse, eo quod Greg. XIV. in Bulla expedita anno Domini 1591. statuerit, vt expositi irregulares non censeantur. Lege meipsum *part. 5. loco citato.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An item expositi possint fungi Officiis Sanctæ Inquisitionis, Ecclesiarum, Collegiorum, & Confraternitatum, vbi habentur statuta exigentia qualitatem Nobilitatis, & alia huiusmodi?

RESpondeo dicendum, quod non possint. Sic Perez de Lara *de anniuers. lib. 2. cap. 4. n. 37.* Gironda *de priuileg. explicatione 1443.* Barbosa *de languid. & expositis. in principio, vers. verùm Doctores, & 3. part. de potest. Episcopi.* Fragos. *loco cit. num. 134. vers. sunt tamen expositi.*

QVÆSTIO XXXIX.

An expositi sint ciues illius loci, & ciuitatis, in qua exponuntur, & consequenter fruantur ciuium priuilegiis?

RESpondeo dicendum, quod sic. Et ideò si aliquod legatum, vel priuilegium concedatur puellis, vel naturalibus, vel hominibus alicuius oppidi, vel pro eis maritandis relinquatur; virgines, & puellæ expositæ comprehenduntur. Sic sentiunt Barbosa, & Fragosus, *vbi suprà.*

QVÆSTIO XL.

An item expositi possint ordinari ab Episcopo loci, aut ciuitatis, in quibus expositi sunt?

RESpondeo dicendum etiam posse; quia, vt nuper est habitum, tales verè effecti sunt ciues loci, aut ciuitatis, in quibus expositi sunt: ergo fruuntur priuilegiis eorum. Sic Barbosa *de potest. Episc. 3. parte.*

DISPVTATIO IX.

De obligatione parentum circa alimenta filiis illegitimis, & præcipuè naturalibus præstanda.

QVÆSTIO PRIMA.

Quisnam sit, & appelletur filius illegitimus?

RESPONDEO ex dictis *part. 5. tract. 2. de irregularit. disp. 3. quæst. 5.* quod filius illegitimus sit ille, qui non est ortus ex legitimo matrimonio, sed ex copula fornicaria. Quæ quidem, quia multiplex est, ideò multiplex est species illegitimorum, de quibus omnibus per totam disputationem latissimè egimus, & quanam ratione fieri possint legitimi, de eorum irregulari

irregularitate, &c. Legantur ibi dicta, vbi quæ desiderari de hac materia possunt, inuenientur.

QVÆSTIO II.

Qui sint, & dicantur filij naturales, & non legitimi iure Canonico?

RESpondeo dicendum, quod filij naturales, & non legitimi sunt, & dicuntur illi, qui sunt generatione quidem filij; non tamen ex legitimo coniugio nati. Seu clariùs, sunt illi, qui fuerunt suscepti ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, aut natiuitatis, nullum erat impedimentum dirimens matrimonium. Sic cum plurimis Doctoribus diximus *part. 5. tract. 2. disp. 3. q. 17.* inter quos sunt Sanchez, Couarru. Greg. Lopez, Basil. de Leon, Sayrus, Azor, Gutierrez, Bonac. Palao, & Diana. Leganturex Iuristis Surd. *de aliment. tit. 1. q. 9. n. 20.* Bald. *consil. 129. volum. 2. n. 3. & consil. 206. fin. eod. volum.* Fragosus *3. p. regim. Christ. Reip. lib. 1. disp. 2. §. 4. num. 135.* Qui dicunt, quod, omisso rigore iuris ciuilis, secundum ius canonicum, *cap. tanta, qui filij sint legitimi*, is dicatur filius naturalis, qui nascitur ex soluto, & soluta, cui & annuit Lessius *lib. 2. cap. 19. dubit. 6. n. 55.* & Azor *lib. 2. cit. cap. 6. q. 4.*

QVÆSTIO III.

Quinam dicantur filij naturales iure ciuili.

RESpondeo quod filius naturalis de iure ciuili dicatur ille, qui generatus est ex vnica concubina, eaque domi retenta, cum qua vir, tempore concepti, vel nati filij, matrimonium ratum, & firmum contrahere poterat. *Authent. quibus modis naturales efficiantur sui, §. si quis autem defunctus.* Sic Glossa *in cap. per venerabilem, verb. naturalibus.* Speculator *in tit. de successione ab intestato*, vbi dicit tria requiri in filiis naturalibus. Primò, vt sint nati ex parentibus solutis, inter quos tempore concepti, vel nati filij potuerit matrimonium consistere. Secundò, vt sint nati ex concubina. Tertiò, vt concubina sit vnica, & domi habita vt vxor.

Sed certè si hæc doctrina esset vera, nulli iam essent filij naturales; quia concubinatum, quem leges, & iura ciuilia olim permittebant, hodie canonica lex minimè permittit: vnde corrigendum est ius ciuile, vocans huiusmodi filios natos ex coitu licito, *Authent. ex complexu, C. de incestis nuptiis.* Nam spectata rei veritate talis coitus mortalis est, cum non sit ex iustis nuptiis. Sic Azor *p. 2. lib. 2. cap. 6. q. 4. vers. tertio modo.* Fragosus *loco cit. n. 136.* & omnes. Vnde cùm nos *part. 5. tract. 2. disp. 3. q. 5.* diximus, filium naturalem esse illum, qui natus est ex soluto, & concubina domi retenta, loquuti sumus secundùm ius ciuile, aut intelligendi sumus talem filium esse naturalem, non tamen solùm, cùm naturalis etiam sit, qui natus est ex vidua, vel scorto, vel ex concubina aliena, vel ex domina, &c.

QVÆSTIO IV.

An ius canonicum potius quàm ciuile sit in hac parte attendendum?

RESpondeo vt certum, esse potius attendendum ius canonicum; quia vbique ferè statuta ciuitatum, & populorum, & leges, ac constitutiones principum filios naturales accipiunt secundùm ius Canonicum, aut Pontificium; non autem secundum ius ciuile. Sic Couarru. *in epitome de matrim. cap. 8. §. 4. num. 3. & 4.* vbi id consuetudine receptum esse docet ex Abbate *in cap. per venerabilem, cit.* Baldo *consil. 129. in 2. volum.* Aymone *consil. 166.* Iasone *consil. 51. in 3. volum.* & ex *lege 11. Tauri, & l. 9. tit. 8. lib. 5. Recopilat.* Legatur Azor *loco citato q. 4. vers. quæres, & cap. 7. quæst. 1.*

QVÆSTIO V.

An pater teneatur præstare alimenta filio naturali?

RESpondeo vt quid certissimum, teneri, quidquid statutum fuerit iure ciuili antiquo. Ratio est quia ius naturæ, & ius canonicum præcipit parentibus alimenta præstare filiis, quocumque ex damnato concubitu conceptis, vt habitum est suprà *disp. 8. q. 1.* & latè probat Couarru. *loco citato, §. 6. num. 1.* atqui ius naturale, & canonicum quocumque ciuili est fortius: Ergo. Sic omnes Doctores Canonistæ *in cap. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrim.* & sic omnes Theologi, Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 7.* & citati à nobis *vbi suprà*, Tamburin. *lib. 5. in Decalog. cap. 3. §. 1. num. 7.* ibi: De filiis naturalibus, qui illi sunt, qui generantur ex copula nec approbata, nec reprobata iure ciuili, hîc non meminimus; iis enim certum est, non posse patrem alimenta denegare, imò posse deficientibus filiis legitimis omnia bona sua donare, vel relinquere. Sic ille. Fragosus *§. 4. cit. num. 136.* qui addit, id iam esse statutum iure ciuili nouo, *Authent. licet, C. de natur. liber.*

QVÆSTIO VI.

An fieri possit statutum, vt alimenta filiis naturalibus negentur?

RESpondeo vt quid certum, non posse fieri statutum, vt alimenta, quæ iure naturæ debentur filiis naturalibus, denegentur; secus si debeantur iure canonico. Prima pars patet ex dictis, quia, nec vlla lege municipali, nec consuetudine aliqua, nec statuto aliquo, nec vlla alia lege humana possunt alimenta tolli, quia hæc iure naturæ debentur. Sic Abbas *in cap. fin. de consuetud. num. 22.* à quo nullum discrepare fatetur Couarru. *cap. 8. cit. §. 6. num. 4. & 5.* Menoch. *consil. 60. num. 8.* Fragosus *§. 4. cit. n. 136.* & alij. Secunda verò etiam constabit ex dicendis infrà.

QVÆSTIO VII.

An pater possit per testamentum auferre filio naturali alimenta necessaria?

RESpondent communiter Doctores, quod non possit. Quia licèt lege municipali, aliàve tolli, vel minui possit legitima pars filiis iure debita, vt multi DD. quos refert Couarru. vbi suprà, tenent; tamen intelligendi sunt, inquiunt, vel quod tolli possit legitima, quatenus non est ad alimenta necessaria; vel quod possit minui vsque ad quantitatem alimentis necessariam; tolli verò omnino minimè possit. Ex quo clarè constat, nequaquam posse patrem in suo testamento auferre filio naturali alimenta, nec executores possunt ea non præstare, non obstante mandato patris, quia ius alendi est naturale. Sic Bald. *in l. ad quod pauperibus, n.* 38. *C. de Episcop. & Cleri. is.* Iason *cons. l.* 26. *n.* 13. *vol.* 1. Fragosus 3. *p lib.* 1. *disp.* 2. §. 4. *num.* 136.

Sed alij distinctiùs & meliùs respondent dicendo, quod pater minimè possit per suum testamentum auferre filio naturali alimenta necessaria, & iure naturæ debita; benè tamen alia debita solo iure Canonico, vbi aliqua lege derogatum est, quod ex dicendis constabit.

QVÆSTIO VIII.

An pater carens filiis legitimis, possit legare omnia bona sua filio naturali?

NEgandum videtur; quia licèt parens carens legitimis liberis possit naturalem filium heredem instituere, hoc tamen est cum conditione quod ascendentibus suis decimam partem relinquat, vt constat *ex Authent. licet, C. de natural. liberis*, vbi Glossa communiter recepta.

Sed vt certum respondeo, posse patrem carentem filiis legitimis, filium naturalem heredem instituere, & illi legare omnia bona sua, etiamsi habeat ascendentes, nulla relicta illis decima parte. Quia prædicta lex *licèt*, iam in nostris Regnis est sublata per legem 10. *Tauri.* nunc *l.* 8. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* vt probat latè Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 4. *n.* 13. addens, hoc ita esse verum, vt pater possit in testamento imperfecto, & minùs solemni hunc naturalem filium heredem instituere; citatque pro se Speculat. Salic. Paulum Castrens. Ioannem Fabium, Romanum, Socinum, Albericum, & alios. Et tenet etiam Sanchez, *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 16. *n.* 3. *concl.* 2. vbi ait, sic docere omnes. Legantur Vasq. *de testam. cap.* 5. §. 6. *dub.* 4 *n.* 83. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *n.* 71.

QVÆSTIO IX.

An etiam possit pater legare omnia bona sua filio naturali, etiamsi habeat filios legitimos?

REspondeo tanquam quid certissimum, non posse; quia omnia iura, præcipuè citata, petunt hanc conditionem, nempe, vt pater filiis legitimis careat, vt possit filium naturalem heredem omnium bonorum instituere. Legantur Couarru. *loco cit.* & Sanchez *dub.* 17.

QVÆSTIO X.

An saltem possit pater habens filios legitimos relinquere aliquam partem bonorum filio naturali?

REspondeo dicendum posse. Nam attento iure antiquo, pater potest relinquere filiis naturalibus, adhuc extantibus legitimis, vnam vnciam, hoc est vnam ex duodecim partibus bonorum. Quia ita habetur *in l. humanitatis, C. de natural. liberis*, & *in l.* 2. *C. eodem*, & *in l.* 8. *tit.* 13. *part.* 6. Attento verò iure nouo nostri Regni, iam potest pater in hoc casu filio naturali quintam partem bonorum relinquere, vel in vita sua donare. Quia ita sancitum est *in l.* 9. & 10. *Tauri*: atque id priùs quandoque seruatum fuisse, ostendit lex 1. *tit. de heredit. lib.* 3. *fori.* Sic Couarru. §. 4. *cit. num.* 11. Anton. Gomez *in l.* 9. & *sequenti Tauri, num* 5. Vasquez *de testam. cap.* 5. §. 6. *dub.* 4. *n.* 81. Fragosus 3 *p. regim. lib.* 1. *disp.* 2. §. 6. *num.* 168. *vers. dico quarto*; *lege quæst.* 14. in qua occurritur dubio incidenti.

QVÆSTIO XI.

An casu, quo legitimi filij expressè consentiant, possit pater, etiam vltra quintam partem, aliquid filio naturali legare?

REspondeo, posse patrem aliquid vltra quintam partem legare filio naturali, dummodo filij legitimi expressè, & præsente filio naturali, talem consensum præstent; quia sicut filius naturalis ex consensu filiorum legitimorum potest legitimari, ita pariter potest ex eorumdem consensu, vltra quintam partem meliorari à patre. Sic Aymon Sauil. *consil.* 200. & Bald. apud ipsum, quos sequitur Couarru. *num.* 11. *citato.* Tellus Fernand. *in l.* 10. *Tauri*, & Vasquez *dub.* 4. *cit. num.* 82. *vers. dubium tamen est.* Azor *part.* 2. *lib* 2. *cap.* 7. *q* 2. *vers. alibi tamen.* Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 1.

QVÆSTIO XII.

An item si pater habeat filium naturalem, & alios legitimos, & hi absque fraude bonis paternis, seu hæreditati renuncient; tunc possit pater instituere filium naturalem vt legitimum successorem in omnibus bonis suis?

NEgant quidam Doctores, posse patrem in hoc casu instituere suum filium naturalem vt legitimum successorem in omnibus suis bonis; quia (inquiunt) deficit conditio requisita, nempe vt pater filiis legitimis careat: atqui semper manent filij legitimi, etiamsi renunciauerint paternis bonis: ergo. Ita tenent Baldus, & Socinus, quos refert, Tello Fern. *in l.* 10. *Tauri*, *num.* 20. & licèt

licèt in dubio maneat, in eorum sententiam magis inclinare, affirmat Sanchez inf. à, sed non ita benè. Nam Tello, vt refert Vasquez, exprcsè, & indubitanter ait, quod licèt secundum ius Cæsareum possit ille filius naturalis in dicto casu heres institui, vt *in Authent. licet, de natural. liberis*, vbi dicitur, quod si pater non habet legitimam prolem, cui necesse sit hereditatem relinquere, potest naturalem filium instituere; tamen de iure Regni huius non potest; quoniam *in lege Tauri* 10. absolutè dicitur, quod non possit illum instituere, stantibus filiis legitimis; nec additur; *Quibus necesse sit hereditatem relinquere*: sicut additur in illa Authentica.

Sed probabiliùs respondeo posse patrem in dicto casu constituere heredem suum filium naturalem, & successorem in omnibus suis bonis, ac si non extarent filij legitimi. Ratio est, quia tunc iudicandum est, ac si non essent filij legitimi: nam paria sunt filios non extare, & extare & non posse succedere, vt patet *ex l.* 1. *§. qui habebat, ff. de bonor. possess.* & ex Bart. ibi. Sic tenet Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. *§.* 6. *dub.* 3. *n.* 85. Qui & probat ex dicta lege *licèt*, quam non corrigit lex Tauri, nisi quantum ad hoc, quod ascendentibus stantibus, filius naturalis potest institui heres, qui non poterat iure Codicis. Sic ante illum tenuere Roman, & Iason, quos refert, & sequitur Matienzo *lib.* 5. *ordinat. tit.* 8. *l.* 9. *glossa* 1. *n.* 8. Couarru. *cap. illo* 8. *cit.* §. 4. *n.* 11. Guillelm. Benedict. *cap. Raynutius, de testam. decis.* 3. *n.* 117. quos sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 17.

QVÆSTIO XIII.

An item pater possit instituere heredem suum filium naturalem casu, quo filius alter legitimus, quem habebat, professus fuerit Religionem?

RESpondeo dicendum, quod vel filius legitimus professus fuit Religionem, in qua non succeditur in hereditate, vt Religionem Minorum, & Societatis IESV; vel aliam Religionem, in qua succeditur. Si aliquam ex primis professus est, tunc optimè potest pater instituere heredem omnium bonorum filium naturalem, quia non extat filius legitimus, qui succedere possit. Si verò aliquam aliam Religionem, in qua in hereditate succeditur, tunc non potest; quia licèt filius legitimus tunc non succedat, eo quod inhabilis sit per votum; succedit tamen Monasterium, vt heres legitimus. Sic Tello Fernandez *in l.* 6. *Tauri*, & *in l.* 10. *num.* 21. quem citat & sequitur P. Vasquez *dub.* 3. *cit. num.* 85.

QVÆSTIO XIV.

An casu, quo pater habeat sex filios legitimos, tunc etiam possit relinquere quintam partem suorum bonorum filio naturali?

AFfirmat Matienzo *in l.* 9. *Tauri, glossa* 3. *n.* 5. quia sicut filius naturalis sentit commodum, quando est solus, & pater præstat eidem quintam bonorum partem, sic etiam damnum patitur, quando extant plures filij naturales, cùm solùm diuidat quintum inter illos. Sic argumentatur pro hac parte Fragosus, vbi infrà. Sed certè ad rem non video vim argumenti. Sed vltra Matienzo tenent hanc sententiam Gutierrez, Suarez Iurista, Anton. Gomez, & alij, quos citat & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 5. dicens, id esse probabilius, casu quo filiis legitimis supersint alimenta; secus si aliàs.

Sed probabiliùs respondeo, non posse in casu assignato relinquere patrem filio suo naturali quintam partem bonorum. Quia filius naturalis non debet esse melioris conditionis, quàm legitimus. Atqui in dicto casu esset melioris conditionis, si consequeretur quintam partem bonorum, vt constat: ergo. Sic Auendaño *in l.* 9. *Tauri, glossa* 4. *num.* 5. & *in lege* 10. *glossa* 2. *num.* 2. vbi ait, quod lex præcipiens, vt pater possit relinquere quintum bonorum filio naturali, intelligi debet, nisi legitimi tot sint, vt si relinquatur quintum naturali, legitimi maneant peioris conditionis: quod eueniret, si legitimi essent decem, aut duodecim. Sic ex illo Fragosus *part.* 3. *Regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 6. *n.* 168. Tello etiam *in l.* 9. *Tauri, n.* 26. Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* 15. *n.* 51. Albertus, Bald. Greg. Lopez, Carol. Molineus, Socinus, Iason, quos refert Tello; Acosta, & alij apud Sanchez *loco citato, num.* 2. Sic nobiscum sentit etiam Vaspuez *de testam. cap.* 5. *§.* 6. *dub.* 5. *num.* 90.

QVÆSTIO XV.

An filij naturales succedant patri ab intestato, casu quo non sint aliqui filij legitimi?

NEgandum videtur; quia attento iure communi antiquo, filij naturales nullo modo succedunt patri ab intestato, vt patet *ex l. humanitati, C. de natural. liberis.*

Sed vt quid verum respondeo dicendum, quod filij naturales, verè succedunt patri ab intestato, deficientibus filiis legitimis, in duabus vnciis, idest, in duabus partibus ex duodecim omnium bonorum. Sic habetur *in Authent. licet, vers. ab intestato, C. de natural. liberis.* Sic tenet cum omnibus Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 4. *num* 9. Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 16. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 19. *dubit.* 6. *n.* 73. Fragosus *loco cit. num.* 167.

QVÆSTIO XVI.

An casu, quo pater habeat filios legitimos, succedat naturalis cum illis ab intestato?

RESpondeo vt certum, quod tunc non succedat. Constat ex dictis *quæst. antecedenti*, & docent Couarru. *num.* 9. *cit.* Lessius *num.* 74. ibi Si pater habet liberos legitimos, non succede cum illis naturalis ab intestato: potest tamen e relinqui vncia, idest, pars duodecima bonorum Sic ille, & ex illo Fragosus *loco citato.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An extante vxore legitima ipsius patris, succedant filij naturales patri ab intestato, in dictis duabus vnciis, deficientibus filiis legitimis?

NEgandum videtur: quia id expresse habetur *in d. Authent. licèt, q.15. cit.* vbi vxore legitima parentis extante, filios naturales ab his vnciis excludit. Ita Azor *p.2. lib. 2. cap.7. q.1. vers. in quæstione.* Glossa, & Abbas apud ipsum.

Sed nihilominus respondeo dicendum, quod attento iure nostri Regni, verè succedant filij naturales patri ab intestato, in dictis duabus vnciis, deficientibus filiis legitimis, licèt adsit vxor legitima. Quia lex Regia *9. tit.13. part.6.* expresse tenet naturales filios admittendos esse ad has duas vncias in bonis patris intestati, etiam extante legitima vxore, modò filij legitimi non extent. Sic Couarru. & Sanchez, vbi suprà. Greg. Lopez, & Anton. Gomez *in d. lege 9. Tauri.*

QVÆSTIO XVIII.

An item succedant filij naturales patri ab intestato, si extent aliqui filij adoptiui, vel filij legitimati rescripto Principis?

AFfirmant aliqui DD. apud Sanchez, *infrà.* Sed veriùs respondeo tunc non succedere. Sic tenet, & probat Couarru. authoritate Baldi *in l. eam quam, C. de fideicom. n. 26.* & *in l. cùm acutissimi, n.7. eod. tit.* dicentis, legem municipalem de legitimis loquentem, etiam habere locum in legitimatis rescripto Principis: quantò ergo fortiùs erit idem dicendum in legum communium interpretatione, sicut Bald. adnotauit *in l. quisquis. C. ad l. Iul. Maiest.* Hinc etiam deducitur, idem dicendum fore in filiis adoptiuis, vt eis extantibus, naturales ab his duabus vnciis excludantur; quod asserit Nicol. de Vbald. *in tract. de success. ab intest. col.11.* & Ioan. Baptist. de S. Seuerino *in l. si qua illustris, C. ad Orfic. fol.5. col.3.* Hucvsque Couarru. *cap.8. cit.* §. *4. num. 9.* Sic etiam Sanchez *lib.4. consil. cap.3. dub. 9. concl. 3.* & *vltima.* Tello, & Lopez apud ipsum, Azor *loco cit. vers. quæres.*

QVÆSTIO XIX.

An deinde non succedant filij naturales patri ab intestato, si extent aliqui ascendentes legitimi eiusdem patris?

AFfirmat nec tunc succedere Sanchez *lib. 4. consil. cap.3. dub.16. num.2.* his verbis: Nota conclusionem esse intelligendam, modò non sint aliqui ex ascendentibus legitimis patris. Sic Anton. Gomez, ibi (nempe *l.9. Tauri n.4.*) dicens, esse omnium. Hæc Sanchez.

Sed clariùs respondeo dicendum, quod attento iure communi Cæsareo, *Authent. de heredib. ab intestato*, *Nouella* 118. sit omninò verum, quod Sanchez tenet; non tamen attenta consuetudine plurium locorum, in quibus si vigeat, totum potest dari filio naturali, vt docet Lessius *lib.2. cap.19. dubit.6. num.72.* & sic tenet Azor *loco cit. vers. si item roges*: ibi. Ego tamen verius existimo per huiusmodi ascendentes legitimos ex parte patris, non excludi à duabus vnciis filios naturales; quia nullus est Author, vel lex, cuius auctoritate prædicta Antonij sententia comprobetur. Sic Azor. Sed iam datur Author, & certè sapientissimus, nempe Sanchez, qui sententiam Antonij comprobet, vt vidimus.

QVÆSTIO XX.

An nepos naturalis, etiam & legitimus, ex filio tamen naturali conceptus, succedat auo paterno intestato, in dictis duabus vnciis?

NEgat Guilel. Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verb. & vxorem, num.* 700. qui id probat ex Authent. *quibus modis natur. effic. sui,* §. *nepotibus*, & *ex l. finali, C. de natural. liber.*

Sed vt quid certum respondeo succedere auo paterno intestato, in duabus vnciis, modò non extent descendentes legitimi; & in eo casu, quo in his duabus vnciis succedit filius naturalis patri intestato, iuxta dicta suprà. Ratio est, quia idem ius, quod filius naturalis habet ad succendum patri intestato, habet ad succedendum auis paternis, cùm in eo, in quo poterat succedere patri, repræsentet personam patris ad succedendum auo. Sic Sanchez *lib.4. consil. cap.3. dub.18. num.1.* & anteà Couarru. *in epitome 2. p. cap.8.* §.*4. num.10.* Qui id probat *ex l. fin. C. de natural. liber.* & tenent apud ipsum Odofred. *ibi.* Cinus *in cap. causamque, in 1. cap. lator.* & *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi.* Angel. Bald. & Decius, quos ipse citat. Azor *2. p. lib.2. cap.7. q.5.*

QVÆSTIO XXI.

An nepos naturalis, vel ex filio naturali conceptus, possit institui heres ab auo paterno in omnibus bonis?

REspondeo dicendum, quod verè possit institui, dummodo deficiant descendentes legitimi, licèt adsint legitimi ascendentes. Ratio est, quia, vt suprà *q.8. ex l.10. Tauri*, diximus, pater potest in eo casu relinquere omnia bona sua filio suo naturali: ergo à fortiori nepoti naturali. Consequentia patet, tum *ex l. fin. de natural. liberis*: tum etiam, quia in patre magis consideratur vitium, & ratio impeditiua hereditatis. Sic Anton. Gomez *l.9. Tauri, num.7.* Matienzo *lib. 5. Ordin. tit.8. l.9. glossa 1. n. 9.* & Sanchez *suprà num. 2.* Couarru. §.4. *num.15.* quem citat & sequitur Azor *vbi suprà, q.5.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXII.

An mater possit instituere heredes suorum bonorum filios naturales, quos habet?

RESpondeo dicendum ex dictis *quæst.* 8. posse, dummodo mater careat filiis, & descendentibus legitimis; quamvis habeat parentes, & quoslibet alios ascendentes legitimos; quia sic habetur expressè *l. 9. Tauri*, quæ hodie est *lex 7. tit. 8. lib. 5. nouæ recopilat.* Sic Authores *quæst.* 8. *citati*, & Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 8. num.* 1.

QVÆSTIO XXIII.

An in dicto casu, quo mater careat filiis, & descendentibus legitimis, si illa non instituat filios naturales heredes in testamento, possint tunc filij rumpere testamentum matris?

RESpondeo posse in eo casu rumpere testamentum matris, licèt illa habeat ascendentes legitimos; quia eo casu dicti filij naturales sunt heredes legitimi, & necessarij, *ex l. 9. cit.* Sic Couarru. *in epitome 2. p. cap 8. §. 4. num.* 16. ibi: Possunt tamen contra testamentum matris agere de inofficioso testamento, *l. si suspecta, §. 1.* vbi Glossa, *ff. de inoffic. testam.* Glossa & Paul. *in d. l. si qua illustri.* Sic ille. Anton. Gomez *in l. 9. cit. num.* 12. Sanchez *num.* 2. Fragosus *3. p. lib. 1. disp. 2. §. 5. à num.* 169.

QVÆSTIO XXIV.

An filij naturales succedant matri intestatæ, casu quo mater parentes habeat?

REspondeo dicendum succedere, etiam casu quo mater habeat parentes; secus si habeat filios legitimos, vt statim dicemus: id constat ex dictis *quæst.* 15. Sic Couarru. *num. 16. cit. in fine*, vbi ita scribit: Secundum addimus prædictis, filios naturales ita matri etiam intestatæ succedere, vt parentes ipsius matris à successione excludantur; quod in Prætorio Rotæ testatur seruatum, ac pronunciatum fuisse Cass. *decis. vnica de success. ab intestat.* Nec id opinor lege Regia abrogari, imò idem expressum *in d. l. 9.* cautum extat. Hæc Couarru. & tenet etiam Vasquez *de testam. cap 5. §. 6. dub 5. ex d. l. 9. Tauri.* Tello, & Anton. Gomez apud ipsum, Azor *part. 2. lib. 2. cap. 7. quæst.* 4.

QVÆSTIO XXV.

An filius naturalis matri intestatæ cum filiis legitimis, simul, & æquè succedat?

AFfirmandum videtur, quia sic habetur *in l. si qua illustris, C. ad Orfic. & l. Regia 11. tit. 13. part. 6.* etiam casu, quo mater sit illustris, secundùm communem opinionem, vt notat Angel. Aretin. *in §. nouissimè, Instit. ad Orfic.* & ideò sic sentit Azor *q. 4. citata.*

Sed iam vt quid certum respondeo, non simul, & æquè succedere matri cum filiis legitimis; quia prædicta iura correcta sunt per Reg. leg. 9. Tauri, quæ oppositum expressè sancit. Et meritò certè, quia, vt bene Couarru. *loco cit. num.* 15. iniquum esse videtur, naturales filios, ex fornicario coitu conceptos, æquè ac ex legitimo matrimonio genitos admitti ad matris successionem. Scriptum enim est *Genes. cap. 21. Non erit heres filius ancillæ* (idest concubinæ) *cum filio liberæ*, (idest vxoris) authore Ambrosio *serm.* 65. à quo assumit Gratianus. Textus *in cap. dicet aliquis 32. q.* 4. Idem probat text. *in cap. non omnis 32. quæst.* 2. ex verbis Apostoli *ad Galat. cap.* 4. Hinc *Genes.* 25. scribitur: *Dedit Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis verò concubinarum largitus est munera, & separauit eos à filio suo Isaac.* Quod etiam adnotauit Ioan. Annius *super Philonem lib.* 1. Hinc & Fortunatus *in tract. de vltim. fine, illatione* 8. iniustam esse existimat *leg. dict. si qua illustris.* Hæc omnia Couarru. Quem sequuntur Sanchez *dub 8. citato num.* 4. & Greg. Lopez *in dicta l. 11. vers. Con los.* Vasquez *de testam. cap. 5. §. 6. dub.* 5.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem possit mater habens filios, aut descendentes legitimos, relinquere filio naturali, in vita, vel mortis tempore, quintam bonorum partem?

REspondeo dicendum ex dictis *q.* 10. posse; quia sic disponitur *in d. l. 9. Tauri*, & *l. 7. nouæ recopilationis.* Sic Couarru. *citato numero* 15. vbi sic etiam obseruari in Gallia testantur apud ipsum Guillel. Benedictus *in cap. Raynutius, verb. & vxorem. num.* 710. Chassan. *in consuetud. Burg. rubr.* 8. §. 3. & Carolus *lib. 1. de Regalium Franciæ iure.* Sic etiam tenent Sanchez vbi suprà *num. 3. concl.* 2.

QVÆSTIO XXVII.

An si in casu assignato, mater non relinquat quintum bonorum filiis naturalibus, possint eiusmodi filij rumpere testamentum?

AFfirmandum videtur, ex doctrina tradita nuper, *quæst.* 23.

Sed vt certum respondeo, non posse testamentum rumpere, quia in hoc casu filij naturales non sunt heredes necessarij, sicuti sunt in casu assignato *quæst.* 15. Quia lex 9. Tauri, non imponit matri necessitatem relinquendi quintum; sed solùm permittit, posse filiis naturalibus quintum relinquere, etiam casu, quo habeat filios, aut descendentes legitimos. Sic Gomez Arias *l. 7. Tauri, n.* 89. Sanchez *dub. 8. cit. num.* 5.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVIII.

An item possit mater filiis naturalibus relinquere quintum, casu quo hi sint ditissimi?

RESpondeo posse etiam, quamuis filij naturales sint ditissimi, & etiamsi mater habeat filios legitimos. Quia dicta lex 9. Tauri vniuersaliter, & sine limitatione vlla permittit matri, posse his filiis legare quintum, sicut & posset extraneo. Sic Tello *in d.l.9. num.*34. Matienzo *lib.*5. *Ordinam. tit.*8.*l.*7.*glossa* 10. *n.* 2. Gutierrez *lib.*2. *pract. q.*110. Sanchez *dub.*8. *cit.n.*7.

QVÆSTIO XXIX

An filius naturalis succedat auis maternis?

RESpondeo vt certum ex dictis, succedere auis maternis, eo modo, quo succedit matri. Legantur dicta. Sic Perez *lib.*5. *Ordinam.tit.*1.*l.*1. *fol.*98. & Sanchez *loco cit. dub.*18. *n.*3. Azor 2.*p. lib.*2. *cap.*7. *q.*5. Qui addit, idem dicendum esse de pronepotibus, qui proauo succedunt.

QVÆSTIO XXX.

An sicut filij, aut nepotes naturales succedunt patri suo, vel auo, ita auus, aut pater succedant illis?

RESpondeo, dicendum, quod ita eodem modo succedant; quia inter hos est reciproca successio, sicut inter filios, & nepotes legitimos, atque parentes, vel ascendentes illorum. Et ita habetur *in Authent. quibus modis, natur. effic. §. de nepotibus. collat.*7. & *in l.*8. *tit.*13. *part.*6. Sic omninò Pater Gabr. Vasquez *opusc. de testam. cap.*5. *§.*6. *dub.*4. *num.*86. ex Anton. Gomez *in l.*9. *Tauri, num.* 8. Azor *loco cit. q.*8. Dynus, Azor, & Bartol. apud ipsum.

QVÆSTIO XXXI.

An filij naturales, vel spurij, admitti debeant ad mutuam successionem, quæ ab intestato defertur?

RESpondeo dicendum, quod attento iure Cæsareo communi, minimè succedat filius naturalis, aut spurius fratribus ex parte patris, sicut nec consanguineis eiusdem patris; quia cùm in hoc casu non sit certitudo patris, eo quod sit vagus concubitus, ideo ille filius spurius non censetur consanguineos ex parte patris aliquos habere. Et ita hoc decretum fuit *in l. si spurius, ff. vnde cognati*, & docent Anton. Gomez *loco cit. num.* 47. Vasquez *dub.* 6. Fragosus *disp.* 2. §. 6. *num.*175. & alij, qui tamen secus dicunt loquendo de successione ratione testamenti, quia ex illo bene succedere possunt cuicumque fratri, seu agnato, cùm iure id non impediatur: & ita succedunt sicut extraneus.

Attento verò iure nouo Regio, dicendum est, quod verè succedant ab intestato sibi inuicem fratres naturales, seu spurij, & legitimati, quia sic habetur *leg. vltima. tit.*13. *part.*6. Hac tamen distinctione, quod si filius naturalis patris moriatur, & relinquat fratres legitimos, & fratres naturales, tunc legitimi præferuntur, & succedunt fratri naturali: si verò tantum relinquat fratres naturales, tunc isti succedunt illi, exclusis semper consanguineis ex parte patris, qui nullo modo succedunt huic filio naturali. Si verò reperiatur filius naturalis ex parte matris, filius verò naturalis, vel legitimus ex parte patris, tunc his duobus præfertur filius naturalis ex parte matris, & è contrario, filiis legitimis patris non extantibus aliis legitimis, succedunt naturales. Sic Vasquez *loco cit.* & Couarru. *in epitome* 2.*p. cap.*8. *§.*5. *num.*19. & apud ipsum Cornel. *consil.*21. *in* 1. *volum.* dicens id esse commune, Curt. Iunior *consil.*123. Nicol. de Vbald. & Angel. Aretin. Quibus adde Anton. Gomez *n.*47.*cit.* Flores *in addit. ad Gammam, decis.* 2. dicens, ita fuisse iudicatum in Senatu Neapol. Fragosum *num.* 175. *citato*, Ioannem Azotium *part.*2. *lib.*2. *cap.*7. *q.*7.

QVÆSTIO XXXII.

An filij naturales nati ex seruorum consortiis, parentibus iure ciuili succedant?

RESpondeo affirmatiuè, quia Iustinianus Imperator edidit constitutionem, qua stabilitur, quod hi, qui ex seruorum consortiis prodiere, siue ex patre libero, & matre ancilla; siue ex vtroque seruo, siue ex matre libera, & patre seruo, si vnà cum parentibus libertatem fuerint consecuti, tum soli, tum cum aliis legitimis concurrant, ad parentum successiones, agnationes, tutelasque vocentur, & in omnibus legitimorum iura adipiscantur. Sic omninò Azor *cap.*7. *cit. q.*9.

DISPVTATIO X.

De obligatione parentum circa alimenta, & alia filiis spuriis præstanda.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam filij dicantur Spurij?

RESPONDEO dicendum, quod filius spurius primò accipiatur generatim, provt à filio naturali distinguitur, & est is, qui natus est ex parentibus, qui tempore conceptionis, vel natiuitatis contrahere non poterant absque Pontificia dispensatione. Sic Bartol. & Angel. Aretin. quos sequitur Azor *p.*2. *lib.*2. *cap.*8. *q.*1. Molina *tom.*1. *de iust. tract.*2. *disp.*165. *vers. filius spurius*: qui id probat *ex cap. tanta, qui filij sint legitimi*, & *ex cap. ad abolendam, de filiis Presbyter.* & *ex l. vulgò, de statu hominum.* Sanchez *lib.*4. *consil. cap.*3. *dub.*1. *n.*2. Couarru. *in epitome* 2.*p. cap.*8. *§.*5. *n.*1. ibi: Dicuntur enim propriè spurij

spurij, qui ex his parentibus nati sunt, qui coniugium contrahere non poterant tempore natiuitatis, nec tempore conceptionis, vt definiuit Angel. Aretin. *in §. nouissimè, Instit. ad Orfic.* &c. sic ille. Fragosus *part.* 3. *Regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 5. *n.* 138. & alij. Et de huiusmodi spuriis hic præcipuè est agendum.

Secundò spurius etiam dicitur ille, qui incertum patrem habet, eoquod natus sit ex muliere, cum qua plures commercium carnale habuerunt, vt ex scorto, vel meretrice, vel concubina, quæ in domo viri non habitat, quæque cum multis aliis viris rem habet. Sic Glossa *in cap. nisi cùm pridem, de renunc. in verb. Manzeres.* Couarru *loco cit. num.* 1. vbi notat, quod Spurius erat proprium nomen apud Romanos, quod scribebatur tantùm primis literis, S. P. hi autem qui sine patre erant, S. P. designabantur. Sic Azor, & alij *loc. cit.*

Tertiò dicuntur spurij, qui nati sunt ex concubitu, aliqua pœna legis humanæ damnato, ac proinde dicuntur nati ex complexu nefario, & patrem præ infamia nominare non audent, *l. vulgo, cit.* etiamsi patrem habeant certum. Tales enim sunt nati ex adulterio, ex incestu, stupro, & sacrilegio. Quare spurij alij sunt ex damnato concubitu, ob quem talis congressus accusari, & pœna multari potest; alij verò non sunt ex damnato congressu, quia ex tali viri, & fœminæ coniunctione prodierunt, quam leges non probarunt; sed tamen nulla voluerunt pœna vindicare. Sic Azor *cap.* 8. *cit. q.* 1. *vers. tertiò spurij.* Couarru. *num.* 1. *cit.* & nos *part.* 5. *tract.* 3. *disp.* 3. *q.* 5.

QVÆSTIO II.

An concubitus illi sint, & dicantur damnati, qui mortis pœna multantur?

RESpondeo dicendum, quod licèt iure communi, illi concubitus dicantur damnati, qui in foro externo aliqua pœna puniuntur; at secundum ius huius Hispaniæ Regni, concubitus damnatus est ille, propter quem, matri coeunti pœna mortis lege statuta est. Sic habetur *in l.* 9. *Tauri*, quæ hodie est *l.* 8. *tit.* 8. *lib.* 5. *nouæ Recopilat.* Sic Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 2. *fine*, & *dub.* 4. *num.* 1. Lege Azorium *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 5. Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. *§.* 5. *num.* 18. vbi dicit *l.* 9. *Tauri*, decisum esse, coitum damnatum dici eum, ex quo fœminæ coeunti imminet pœna mortis naturalis à lege statuta.

QVÆSTIO III.

Quinam sint concubitus, propter quos mater punitur pœna mortis?

RESpondeo dicendum, quod sunt sequentes. Primus est, concubitus inter heram & proprium seruum, qui lege ciuili pœna mortis mulctatur. Patet *ex l.* 1. *C. de mulieribus, quæ propriis seruis se iunxerunt.* Sic Greg. Lopez *l.* 11. *tit.* 13. *part.* 6. *vers. natus ex damnato.* Tello *l.* 9. *Tauri n.* 4. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 7. *glossa* 11. *n.* 5. Rojas *epitome success. cap.* 26. *num.* 38. quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 3. Quibus addo Azorium 2. *p. lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 5. *vers. insuper complexus*, & Vazquius *opusc. de testam. c.* 5. *§.* 8. *dub.* 2. *num.* 179. *vers. sed etiam.*

Secundus est, quando filius nascitur ex adulterio, & incestu simul; tunc enim mater propter commixtionem criminum incurrit lege ciuili pœnam mortis. Patet *ex l. si adulterium cum incestu, ff. de adulter.* vbi Glossa, & Bartol. Tello *vbi supra, n.* 5. Greg. Lopez *vbi supra*, & *l. fin. tit.* 18. *part.* 7. Matienzo, & Rojas *num.* 5. Sanchez *num.* 4. Legatur Vasquez *loco citato.*

Tertius est concubitus habitus inter Christianam, & Iudæum, vel Maurum. Sic habetur *in l.* 9. *tit.* 24. *part.* 7. & *l. finali, tit.* 25. *part.* 7. & tenent Greg. Lopez super has leges. Tello *vbi suprà, n.* 7. Matienzo *num.* 5. & Sanchez *num.* 8. Et hi tres concubitus sunt certi omninò, aut ferè. Alij sequentes non, & ideò singillatim de illis agemus. Sit ergo.

QVÆSTIO IV.

An item puniatur pœna mortis concubitus, quem mulier habuit cum consanguineo, vel affini, intra quartum gradum?

AFfirmant aliqui, quia huiusmodi concubitus est incestuosus; at hic iure ciuili punitur pœna mortis, vt patet *ex l. incestus, C. de incestis nupt.* Et clariùs *ex l.* 11. *tit.* 13. *part.* 6. ibi, *Fueras ende*, & *l.* 3. *tit.* 18. *part.* 7. vbi lex mulieri eandem pœnam imposuit, quæ viro est imposita propter adulterium: at hæc est pœna mortis, vt constat *ex l.* 15. *tit.* 17. *part.* 7. ergo & illa pœna mortis erit. Ita tenent Tello *l.* 9. *Tauri, n.* 6. & Rojas *loco cit. n.* 37. Quibus fauere videtur Azor *loco cit. vers. item omnis incestus.*

Alij contrà negant, quia etsi verum sit, quod aliquæ leges pœnam mortis tali crimini imponant, non tamen sunt praxi receptæ, & sic consuetudine sunt abrogatæ. Ita sentiunt Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 7. *glossa* 11. *num.* 1. & 2. Auendaño *responso* 7. *n.* 2. & 3. Anton. Gomez *l.* 8. *Tauri, n.* 15. & *l.* 9. *n.* 14. & Greg. Lopez *in l.* 11. *tit.* 13. *p.* 6. quos sequitur Vasquez *§.* 8. *cit. dub.* 3. *n.* 184.

Sed probabiliùs respondeo primò, si incestus committatur cum adulterio, vel stupro simul, tunc verè punitur mortis pœna, propter criminum commixtionem, vt constat ex dictis *q.* 3. *vers. secundus*, & docent Glossa, Bartol. Tello, Greg. Lopez, Matienzo, Roxas & Sanchez ibi citati. Necnon Anton. Gabr. *tom.* 1. *communium lib.* 1 *fol.* 512. & 513. & Cifuente *in l.* 9. *Tauri, n.* 11.

Respondeo secundò vt quid certum; quando incestus committitur inter ascendentes, & descendentes, tunc verè mulctatur pœna mortis; quia talis incestus verè est nefarius. Sic tenent Tello, & Sanchez *vbi suprà n.* 7. & Greg. Lopez citatus suprà, qui dicit, hunc casum esse absque controuersia verum.

Respondeo tertiò; concubitus incestuosus simpliciter, & extra prædictos casus inuentus, hodie solùm punitur pœna Iudici arbitraria. Sic Anton. Gomez, & Auendaño, quos citat & sequitur Sanchez *dub.* 8. *cit. n.* 6. & alij DD. secundæ sententiæ,

QVÆSTIO V.

An concubitus viri coniugati cum fœmina soluta, puniatur pœna mortis?

Affirmare videtur Decius *consil.* 306. & 311. vbi ait talem complexum esse iure damnatum, quia iure ciuili pœna est in eum constituta, non quidem adulterij nomine, sed stupri. Decium sequitur Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 2. *vers. sed dubia quæstionis est.*

Sed vt certum quid respondeo talem concubitum non puniri pœna mortis, & consequenter filij nati ex adulterio coniugati cum soluta, nec sint, nec dicantur nati ex damnato concubitu. Ratio est, quia dato quod tale adulterium, lege aliqua damnetur, vt volunt Authores primæ sententiæ, non tamen datur lex, quæ pœna mortis tale adulterium puniat. Sic Sanchez, dicens esse id manifestissimum, *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 1. vbi citat Cifuente, Anton. Gomez, Matienzo, & Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 5. *num.* 18. ibi: Ex quo apertissimè infertur, iure Regio filium conceptum à coniugato, & soluta matri succedere. Sic ille, & alij. Sed hæc difficultas ex solutione sequentis magis clarescet. Sit ergo.

QVÆSTIO VI.

An saltem concubitus viri coniugati cum muliere coniugata, plectatur pœnâ mortis; & nati ex tali concubitu, sint, & dicantur ex concubitu damnato orti?

Negant multi Doctores, existimantes filios natos ex concubitu coniugati cum coniugata, non esse dicendos natos ex damnato concubitu. Probant, quia ex lege Regia, concubitus damnatus dicitur ille, cui pœna mortis à lege statuta est, vt habitum est suprà *quæst.* 2. sed sic est, quod non est statuta à lege mortis pœna adulterio coniugati cum coniugata: ergo. Minor probatur, quia aliud est legem permittere viro, vt occidat vxorem adulteram; aliud statuere pœnam mortis vxori adulteræ: at leges non statuunt pœnam mortis vxori adulteræ, sed solùm eam tradunt marito, & permittunt, vt si velit, occidat, vt patet *ex l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 4. *legum fori, & lege* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *noua recopilat.* Et ideò ita tenent Bald. *l. data opera, num.* 94 *C. qui accusare non poss.* vbi ait, quod pœna adulterij non est mors, sed permissio viro occidendi in adulterio comprehensos. Paul. de Castro *l. accusationis*, *C. quod metus causa*: & Perez *lib.* 8. *ordinam. tit.* 7. *lib.* 2. *fol.* 297. & dicit, eam sequutum in quodam consilio, & in scriptis tradidisse Salmanticæ, dum Cathedram moderaretur. Et hanc sententiam esse probabilem, ob optimas rationes, & Authores, quos habet, clarè fatetur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 4.

Sed cum ipso probabiliùs Respondeo dicendum, quod talis concubitus plectatur à lege pœna mortis; & consequenter filij nati ex illo, dicendi sint filij ex damnato concubitu. Probat Sanchez, quia adultera potest propter adulterium interfici à viro ex legum dispositione, vt concedunt contrarij: ergo ideò est, quia adultera incurrit pœnam mortis, aliàs non posset pœna mortis plecti. Item, quia lex de adultera occidenda, post sententiam Iudicis non est tantùm permissiua; sic enim non excusaretur à peccato vir occidens; sed est dispositiua, vt adultera occidatur, si tamen vir voluerit; & sic vir non peccat occidendo vxorem post Iudicis sententiam, quia id facit authoritate legis, & Iudicis, vt minister Iustitiæ, voluntarius tamen, vt benè docet Medina *C. de restit. q.* 3. & plures alij. Hæc Sanchez *loco cit. num.* 3. & apud ipsum Tello Fernandez *l.* 9. *Tauri, à n.* 9. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8 *l.* 7. *glossa* 11. *à n.* 7. Villalpand. *l.* 22. §. 44. *n.* 10. *tit.* 1. *part.* 7. Cifuente *l.* 9. *Tauri, n.* 2. Rojas *in epitome success. cap.* 26. *n.* 29. Plaza *de delictis cap.* 41. *num.* 36. Gutierrez *lib.* 2. *qq. pract. q* 105. Menchaca *de success. creat.* §. 10. *n.* 493. Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri, n.* 14. vbi magis in hanc sententiam propendit. Greg. Lopez *l.* 11. *vers. natus, tit.* 13. *part.* 6. Lege Couarru. *in epitome* 2 *p. cap.* 7. §. 7. *per totum*, præcipuè *n.* 16. & Andream Fachin. *lib.* 1. *controu. iuris, c.* 8. *col.* 20. & 21. vbi notat, adulteros sæpè olim capite plexos fuisse, vt constat ex his, quæ refert Iacob. Cuiacius *lib.* 20. *obseruat. cap.* 18 & Iacob Menoch. *de arbitr. iud. casu* 419. & Ioan. Corrasius *lib.* 2. *Miscell. cap.* 1. Sic etiam optimè P. Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. §. 8. *dub.* 2. *num.* 175.

QVÆSTIO VII.

An filij qui nascuntur ex parentibus habentibus impedimentum impediens, non tamen dirimens matrimonium, sint spurij?

Affirmare esse spurios, & non naturales, quis posset, ductus ex *lege* 11. *Tauri*, dicente filios naturales esse qui nascuntur ex parentibus, qui iustè absque dispensatione poterant contrahere matrimonium: sed habentes impedimentum impediens, v.g. votum simplex castitatis, vel Religionis, non possunt iustè, absque dispensatione matrimonium contrahere: ergo filij ex his nati non erunt naturales, sed spurij. Et ideò sic tenet Sarmiento *lib.* 1. *selectar. cap.* 5. *num.* 5. loquendo de filio suscepto ex sponsa aliena de futuro, & ex soluto.

Sed omninò respondeo tales filios non esse spurios, sed naturales. Probatur *ex l.* 5. *tit.* 19 *part.* 4. vbi enumerans lex filios naturales, & distinguens illos ab spuriis, ait: *Esso mismo es de los que nascen, &c. no hauiendo entre ellos embargo de parentesco, ò de Orden, ò de Religion, ò de casamiento.* Quæ omnia enumerata à lege sunt impedimenta dirimentia matrimonium: ergo qui non nascuntur ex patribus habentibus talia impedimenta dirimentia, naturales debent dici. Sic Lara *super legem si quis à liberis, ff. de liber. agnoscend. n.* 93. & ex illo Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 2. qui ad fundamentum desumptum ex dicta *lege* 11. *Tauri*, respondet, dicendo, quod dum illa dicit, quod possint iustè absque dispensatione contrahere, per ly *iustè*, intelligat, *validè*. Sic etiam tenet contra Sarmientum, loquendo de filio suscepto ex sponsa aliena, & ex soluto, inter quos, solum est impedimentum impediens, Fragosus 3. *p. regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 5. *n.* 139. docens, talem filium de vtroque iure Castellano, & Lusitano esse naturalem, sic etiam anteà Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 167. Legatur Sanchez *loco cit. dub.* 3. vbi contra Sarmientum in casu à se resignato pugnat. Lege meipsum *part.* 5. *tract.* 2. *disp.* 3. *q.* 24.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An filij spurij possint per subsequens matrimonium parentum legitimari?

RE spondeo vt certum, quod non, quia soli filij naturales per subsequens parentum matrimonium legitimantur, vt habetur *in cap. tanta, qui filij sint legitimi, & l. cum quis, C. de natur. liber. & l.* 1. *tit.* 13. *part.* 4. & docent omnes Doctores, cum quibus & nos latè *part.* 5. *disp.* 3. *citata.* Legantur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 3. Surdus *in tract. de naturalib. liberis, tit. de legitimatione per verum matrim. n.* 15. *&* 17. Fragosus §. 5. *citato, num.* 138. qui & citat Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 19. *dubit.* 6. *n.* 56. sed apud meum Lessium ibi nihil inuenire ad rem potui.

QVÆSTIO IX.

An filius in dubio præsumatur legitimus, aut spurius?

AFfirmant aliqui præsumi spurium, non legitimum; quia vt filius sit legitimus, necesse est, eum esse ex legitimo matrimonio natum: ergo matrimonium est probandum: ergo si non probetur, filius præsumitur illegitimè natus. Ideò ita sentiunt Natta *consil.* 421. *num.* 9. *&* 473. *num.* 33. Decius *ad l. si emancipati, n.* 9. *C. de collat.* Ruin. *consil.* 63. *n.* 5. *lib.* 2. D. Cephal. *consil.* 593. *num.* 2. *lib.* 4. Menoch. *consil.* 60. *num.* 12. *lib.* 1.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod in dubio filius legitimus debeat præsumi, non spurius. Probatur primò, quia spurij dicuntur esse manci, & imperfecti, & sine honore, *Sapientiæ* 3. sunt item, aut reputantur infames, tanquam nati ex concubitu illicito: ergo in dubio nemo est spurius præsumendus; quia in dubio non est præsumendum delictum, *l. meritò ff. pro socio.* Secundò probatur *ex l. miles, §. defuncto, ff. ad legem Iuliam. de adulter.* vbi dicit; filium ex viro, & vxore, natum præsumi, licèt vxor adulterium aliquando commisisset. Sic sentiunt Bald. *consil.* 437. Titius *lib.* 5. Ioan. Faber *in §. vlt. Instit. de adoptione.* Cæpolla *cautela* 118. *quis in dubio.* Berous *consil.* 19. *n.* 10. *lib.* 2. Cotta *in memoriali, in verb. filius præsumitur.* Cardinal. Paleotus *in tract. de nothis, & spuriis, c.* 10. *n.* 3. Menoch. *de præsump. præs.* 54. *n.* 20. quos omnes refert, & sequitur Andreas Fachineus *lib.* 3. *controuers. cap.* 35. *col.* 462.

QVÆSTIO X.

An item filius, quem constat illegitimum esse, præsumatur in dubio filius naturalis, vel spurius?

AFfirmant, præsumi tunc spurium, non naturalem, quidam, quos refert Tello *l.* 11. *Tauri, n.* 3. Item apud Andream Fachin. Bald. Crauetta, Alciatus, Simon Petrus, Cephalus, Hypolitus, & alij.

Sed iuxta nuper dicta respondeo dicendum, absolutè præsumi debere naturalem, non spurium, ne (ait Couarru.) præsumamus factum, aut qualitatem necessariam, vt quis dicatur spurius, quæ à natura non inest. His accedit text. *in cap.* 2. *de filiis presbyt. & in cap. veniens, de accusat.* quibus in locis traditur per DD. non præsumi quem genitum fuisse in Sacerdotio, etiamsi probetur sacerdotis filius: quod constat in dictis locis, maximè *in cap. inter cæteras, & in dicto cap.* 2. Hæc ille *in epitome* 2. *p. cap.* 8. *§.* 3. *n.* 1. & anteà Bald. *consil.* 448. *volum.* 1. *n.* 4. Aymon *consil.* 166. *n.* 1. *& consil.* 138. *num.* 1. quos refert, & ex parte sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap* 3. *n.* 2. dicens, hanc sententiam esse veram, in casu, quo quis est reus: quia, scilicet, posset illud possidere quod possidere non poterat, si esset spurius, v.g. hereditatem paternam: tunc enim (inquit) præsumitur in dubio naturalis filius, & sic capax hereditatis, & qui voluerit ab eo auferre, tenetur probare esse spurium: secus, ait, est præsumendum, si filius sit actor, & alius possidens. Sic ille. Sed absolutè nostram sententiam tenet Fachineus *lib.* 3. *Controuers. cap.* 43. *col. mihi* 473. & penes illum Natta, Alciatus etiam, Menoch. legatur.

QVÆSTIO XI.

An pater teneatur dare alimenta filiis spuriis, etiam natis ex coitu damnato, & punibili?

NEgarunt quidam, ducti ex lege quadam edita à Solone, qua alimenta negabantur filiis natis ex meretricibus; quam legem Romani in duodecim tabulis receperunt. Item ex iure ciuili Cæsareo; nam *Authent. ex complexu, C. de incest. nupt. & Authent. quibus modis naturales efficiantur sui*, negarunt alimenta filiis natis ex incestu, & filiis nefariis, & adulterinis, & natis ex quocumque coitu damnabili. Et *in l.* 5. *tit.* 19. *part.* 4. quæ benè nouit ius Canonicum, decernitur id ipsum, quod iure Codicis erat statutum. Et ita tenuerunt apud Couarru. Speculat. *tit. qui filij sint legitimi, §.* 1. *versic. quid de natis.* Præposit. *in cap. cum haberet, de eo, qui duxit in matrim.* Aret. *consil.* 48. Imola *in l. ex facto, §. si quis rogatus, col.* 5. *ff. ad Trebell.* & Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. n.* 45.

Sed vt quid certum respondeo dicendum, quod pater verè teneatur dare alimenta filiis spuriis, etiam susceptis ex coitu damnato, & punibili, vt sunt suprà numerati. Probatur primò, quia alimenta de iure naturali debentur filiis, saltem vsque ad tempus determinatum, vt suprà *disp.* 8. *q.* 1. *& disp.* 9. *q.* 5. est habitum, & optimè probat Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. *§.* 7. *dub.* 8. ergo etiamsi spurij sint, eis tenebitur pater alimenta dare: patet, quia natura inter hos, & alios filios nullum discrimen signauit, vt ostendit Authent. *Quibus modis natural. efficiantur legitimi.*

Secundò quia ita determinatur iure canonico, *cap. cum haberes, de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium*: ergo hoc ius canonicum, excluso iure ciuili, sequendum est, adhuc in foro sæculari. Sic tenent Abbas *in d. cap. & consil.* 50. *&* 115. *volum.* 2. Menoch. *consil.* 6. *num.* 6. Lupus *in cap. per vestras, de donat. inter virum, & vxorem, notab.* 3. *§.* 10. Natta *in Authent. cit.* Alexand. *consil.* 74. *num.* 4. *vol.* 2. & *consil.* 113. *num.* 3. *vol.* 7. Boër. *decis.* 127. *num.* 2. Couarru. *in epitome part.* 2. *cap.* 8. *§.* 6. *num.* 1. Fragos. 3. *p. Regim. Christ. Reipub. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 5. *n.* 141. Vasquez *loco cit.* Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 7. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 19. *dubit.* 6 *num.* 67. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. *§.* 1 *num.* 6. Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 168. & alij

Qui omnes addunt, iam non obstare ius Cæsareum, oppositum determinans, quia ius canonicum illud sustulit tanquam minùs consentaneum naturali pietati; & ideò hoc canonicum ius, tanquam correctorium legum ciuilium, meritò iam est receptum in tota Republica Christiana, & Cæsarum prætoriis, vt notat Couarru. *loco cit. n.6* & ex illo Vasquez *dub.8. n.127.* An autem *c. cùm haberes*, citatum, obliget in tota Republica Christiana, eodem modo dicemus *q.14*.

QVÆSTIO XII.

An obligatio parentum alendi filios spurios, tolli possit pacto partium?

REspondeo vt certum, quod non; quia nullum pactum partium irritum potest facere ius naturale. Sic Couarru. *§ 6. cit. n.3.* & penes ipsum Speculat. *in tit. qui filij sint legitimi, §.1. vers. sed pone quidem, n.12.* Alberic. *in l.1. § ius naturale, vers. quaro.* Et ibi Bald. *vers. quaro, quid si filius. ff. de iust. & iure.* Bartol. *in l. si quis à liberis, §. parens, ff. de liber. agnoscend.* Alexand. Dominic. & Felinus.

QVÆSTIO XIII.

An sit iustum statutum, quo cauetur, patrem minimè teneri alere filium maiorem decem & octo annorum?

NEgat Couarru. *in epitome 2. p. c.8. §.6. n.5. vers. secundò infertur*, docens tale statutum ferè iniustum, ac inualidum, eo quod esset contra ius naturale. Ita apud illum sentiunt Anchar. *in cap.1. de constitut. quæst. principali*, & Ioan. Baptista *in l. omnes populi, ff. de iust. & iure, fol.10. col.4.*

Sed probabile est, posse tale statutum esse validum, & iustum. Probatur, quia (vt suprà *disp.8. q.3.* est habitum) probabile est, quod patres tantùm tenentur alere filios suos iure naturali in pueritia; alio verò tempore tantùm lege canonica, & positiua: ergo quantum ad istud tempus, benè, validè, & licitè posset contrarium aliqua lege disponi. Sic P. Vasquez *opusc. de testam. cap.5. §.7. dub.8. vers. secundò infero*, dicens, contrarium sibi falsum videri. Sed in hoc excessit doctissimus Pater, cùm probabilis sit sententia opposita, vt *ubi suprà* notauimus.

QVÆSTIO XIV.

An ius canonicum iubens parentibus præbere alimenta filiis, etiam spuriis, obliget in tota Christiana Republica, & pro toto vitæ filiorum tempore?

AFfirmat obligare in tota Christiana Republica, & toto vitæ filiorum tempore, modò isti non possint sibi prouidere sua industria; quia tunc iam non obligat (vt ex dictis sup. *disp.8. q.7.* constat.) Couarru. *loco cit. n.6.* & probat *ex cap. cùm haberes, quæst.11.* adducto.

Sed distinctiùs, iuxta doctrinam traditam potest responderi probabiliter dicendo, quod licèt caput illud *cùm haberes*, secundùm alimenta iure naturæ debita, obliget in omni Christiana Republica, & in omni territorio; attamen secundùm alimenta, quæ lege tantùm humana iubentur, & debentur, vt est vltra tempus pueritiæ, & secundum dignitatem personæ, quæ tantum debentur iure positiuo, non obligat dictum caput, nisi in quantum legibus Regni præcepta est illius definitio. Et ita (ait P. Vasquez) libera relicta fuit facultas legibus nostri Regni limitandi hæc alimenta vsque ad quintam partem. Et ita in Regnis Aragoniæ, duobus, vel tribus solidis sunt determinata alimenta, vltra tempus pueritiæ, si pater velit, siue in vita, siue in morte. Nec istæ leges iudicantur iniustæ quia alimenta non debentur iure naturæ, vltra illud tempus, nisi in mente captis, & impotentibus.

Nec sufficit dicere (addit doctissimus Pater) leges Aragoniæ licitas esse ad continendum filios in officio, quia contra hoc est, quòd si alimenta essent iure naturæ debita, non debebant denegari, etiam propter hunc finem; nec enim mala facienda sunt propter bonum finem. Denique cùm ius naturæ, vt diximus, tantùm attendat filiis prouideri, quandiu sufficientes non sunt sibi; nec attendat ad qualitatem & dignitatem, rectè leges Aragoniæ saluantur ab iniustitia. Hucvsque P. Vasquez *opusc. de testam. cap.5. §.7. n.128.* ex cuius doctrina iam constat, similes leges, quas habet Regnum Nauarræ circa assignationem alimentorum filiis, licitas etiam esse, & valde vtiles ad rectam educationem filiorum, iuxta hanc doctrinam Patris Vasquij, quæ quidem probabilis omninò est, vt constat ex à nobis dictis.

QVÆSTIO XV.

An per aliquam legem tolli possint alimenta omnia filiorum, ratione ipsorum ingratitudinis?

AFfirmat Tello Fernandez *l.9. Tauri*, posse quidem tolli, in omnibus casibus, in quibus filius ratione ingratitudinis exheredari à patre potest. Quo argumento conuincitur ipse Tello, non deberi vlla alimenta filiis iure naturæ, sed solùm naturali instinctu, & commotione. Putat namque, aliud esse instinctum naturalem, aliud obligationem naturalem. Sed in quo differant, non explicat, nec explicare potest. Nam (vt benè Vasquez) si instinctus naturalis etiam in brutis est, filios alendi, cur in hominibus instinctus ille non habebit rationem obligationis naturalis? Si ergo instinctus est, ergo inclinatio naturalis, & propensio ad illud est: ergo contra rationem, & ius naturale erit facere contra hanc inclinationem. Sic ille, quo supposito, item cum ipso ad quæstionem probabiliter & distinctiùs.

Respondeo dicendum, quod ob ingratitudinem filij non auferuntur illi alimenta pueritiæ, cùm in hac ætate non possit puer peccare adeò grauiter, vt iure illi auferantur alimenta, quæ in sola pueritia sunt illi iure naturæ debita (iuxta probabilem huius viri sententiam) extra pueritiam non. Sic Vasquez *loco cit. dub.8. n.131.* qui addit, quod etiamsi talia alimenta extra pueritiam essent de iure naturæ debita, possent nihilominus auferri lege iustissima ob peccatum filij; quia sicut quis potest puniri in bonis propriis, quæ iure naturæ retinet, & ab illo non possunt auferri; ita etiam ob sua peccata potest priuari iure alimentorum, sibi à patre suo debitorum, & hoc non tollit alimenta iure naturæ deberi, sicut & hereditatem, vt infrà dicemus. Sic ille, & benè.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An ob peccatum parentum, hoc est, in pœnam adulterij, vel incestus, aut sacrilegij, ex quo filij spurij nascuntur, possint hi filij alimentis naturæ iure debitis priuari?

AFfirmandum videtur, ex eo quod propter peccatum patris, potest puniri filius in re sua, vt in legitima, quam amittit, quæ tamen iure naturali debetur: ergo similiter poterit puniri filius in alimentis etiam iure naturæ debitis, ob peccatum patris, nempe ob adulterium, &c.

Sed sic respondeo vt quid certum, filios spurios non posse priuari alimentis illis naturali iure debitis in pœnam peccati patentum in coïtu commissi. Patet, quia etiam supposito tali peccato, obligat lex naturalis ad alimenta, vt suprà est habitum: ergo per nullam legem possunt filiis talia alimenta auferri. Et certè iniustum esset punire spurios propter delictum patris, *l. sancimus, C. de pœnis,* cùm hæc esset filiorum pœna, & culpa esset parentum. An autem propter aliud peccatum superueniens patris, aut filij possint alimenta auferri, ex dicendis infrà constabit. Sic Vasquez *loco citato, n.*132. Fragosus 3. *p. de regim. Christ. Reip. lib.*1. *disp.*2. *§.*5. *num.*151. qui & citat Abbatem, Lupum, & Dueñas.

QVÆSTIO XVII.

An aliquo iure sit assignata aliqua alimentorum quantitas pro alendis filiis spuriis, & aliis?

REspondeo esse assignatam, non iure naturæ, vt constat, sed iure Cæsareo, & Regio. Nam *in l.* 10. *Tauri*, quæ *in recopilat.* est *l.* 8. *tit.*8. *lib.*5. permittitur patri, titulo alimentorum designare quintam partem bonorum his filiis, quibus alimenta dare tenetur. Sic docent omnes Authores, vt ait Vasquez *opusc. de testam. cap.*5. *§.*7. *dub.*9. *fine*, & antea tenuit Couarru. *in epitome* 2.*p. cap.*8. *§.*6. *num.*8.

QVÆSTIO XVIII.

An si quinta pars bonorum non sufficiat ad alimenta spurij, teneatur, aut possit pater maiorem partem assignare?

AFfirmat Couarru. *in epitome* 2 *p. c.*8. *§.*6. *n.*8. loquendo de alimentis necessariis ad vitam. Quia hæc iure naturæ debentur: ergo nec imminui, nec tolli possunt lege aliqua humana. Qui & citat Lupum *in cap. per vestras, notab.*3. *§.*24. *n.*10. pro hac etiam sententia citat Sanchez, Perez *l.*22. *tit.*5. *lib.*1. *Ordinam. vers. versatur etiam.* Gregorium Lopez (loquentem solùm in casu, quo non extent descendentes legitimi) *part.*6. *tit.*13. *l.*10. *versu, heredar.* & *l.*8. *vers. nuester.* & Spinum *in speculo testament. glossa* 15. *tit. de filiis legitim. num.*11. Ita etiam Rebell *de obligat.* 2.*p. lib.*5.*q.*8. *n.*25.

Negant contrà alij, docentes, nullo modo posse patrem relinquere filio spurio plusquam quintam partem bonorum, licèt illa sufficiens non sit; quia vltra quintum, tales filij facti sunt incapaces per legem positiuam Regni, *l.*10. *Tauri*, sic dicentem: *Quando el padre està obligado a dar alimentos al espurio, por virtud de la tal obligacion no le puede dar mas que el quinto.* Ita tenent Tello Fernandez *in d.l.*10.*n.*3. & 4. Rojas *epitome success. cap.*21. *à num.*17. & Pater Vasquez *opusc. de testam. cap.*5. *§.*7. *dub.*10. qui tamen aduertit se loqui tantùm ex iustitiæ obligatione, non ex charitate.

Alij distinguendo sic respondent: Si alimenta prædicta sufficiunt ad naturam, non verò ad statum, & dignitatem spurij, tunc minimè potest pater dare dicto spurio vltra quintum. Si verò non sufficiant ad naturam sustentandam, tunc benè potest dare aliquid vltra quintum. Sic Baeza *lib. de non meliorand. filiab. causa dotis, cap.*8. *à num.*28. Palaus *de iust. disp* 9. *punct.*7. *num.*6. *vers. placet,* & Matienzo apud ipsum.

Sed adhuc distinctius sic respondeo. Primò, certum est, quod casu, quo quintum bonorum sat non sit ad alimenta spurij, secundum necessitatem naturæ, tunc possit pater relinquere dicto spurio vltra quintum; quia tunc hæc alimenta sunt debita, vel iure naturæ, vt volunt Authores primæ sententiæ, quos sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.*3. *dub.*33. *num.*8. vel saltem iure positiuo, & iure charitatis, vt putat Vasquez *vbi suprà.* Legatur Sanchez *loco citato*, qui addit id esse verum, etiamsi extent filij legitimi.

Respondeo secundò, probabilius est, quod casu, quo pater non habeat descendentes legitimos, & quintum non sufficiat ad alimenta necessaria ad indigentiam naturæ, & simul ad indigentiam status filij spurij, tunc possit pater relinquere aliquid vltra quintum; quia lex Tauri, quæ obstare videtur, solùm loquitur in casu, quo extant descendentes legitimi, vt ex eadem lege probat Sanchez, *vbi suprà num.*7. citans pro se Matienzo, & Greg. Lopez.

Respondeo tertiò: si pater habeat descendentes legitimos, & quintum sat sit ad alimenta secundùm exigentiam naturæ, licèt non ad exigentiam status, tunc non potest pater vltra quintum aliquid spuriis relinquere: tum quia talia alimenta non sunt iure naturæ debita: tum quia dato, & non concesso, quod essent, possent limitari per legem humanam (vt benè probat Vasquez *loc. cit. dub.*9.) vt extat illa, qua pater prohibetur, ne quinto aliquid addat, ne vltra illud defraudet descendentes legitimos. Sic Sanchez citatus *num.*9. & penes ipsum Molina Iurista *lib.*2. *de primogen. cap.* 15. *num.*53. Baeza, Tello, & Rojas suprà citati.

QVÆSTIO XIX.

An pater possit relinquere spuriis quintum ad alimenta, si hi aliàs habeant vnde commodè viuere possint?

AFfirmant multi, quia lex (inquiunt) Tauri 9. & 10. & *l.*7. & 8. *tit.* 8. *lib.*5. *nouæ recopilat.* absolutè permittit patri dare quintum spurio ad alimenta, quantumcumque is sit ditissimus: ergo. Ita Couarru. *§.*6. *citato num.*10. qui benè citat Aymon. *consil.*199.*n.*10. cùm notet ipse Couarru. illum solùm loqui de illo spurio, qui ex operis rusticis se ipsum alere poterat: vnde non benè Sanchez, &

& Tello dicunt, minùs benè illum citare Couarruuias pro se. Ita etiam Greg. Lopez *l.10. tit. 13. vers. heredar, part.9.*

Sed probabiliùs respondeo, non posse patrem in dicto casu, dare spurio quintum bonorum, nec per viam donationis, nec testamenti, si aliàs sit ditissimus, vel habeat vnde commodè viuere possit, vel officium, ex quo sine dedecore victum possit quærere. Quia reverà (ait Vasquez) *lex 10. Tauri*, licèt assignet quintam bonorum partem spurio, conditionaliter tamen illam assignat, supposito quod pater teneatur illi alimenta præbere: & ita, inquit, quod ratione illius obligationis quintam partem potest illi legare, & nihil vltra illam; imò, etiamsi conditionaliter non loqueretur dicta lex, ita esset intelligenda, quia si non teneretur ratione alimentorum, quia filius spurius diues erat (vt constat ex à nobis dictis suprà *disp.8. q.7.*) certè non teneretur ad certam quantitatem; & cùm aliàs isti filij sint incapaces bonorum patris, nisi ratione alimentorum, non potest illi quintam pàrtem relinquere. Restat ergo, quod ille pater in eo casu, nec teneatur quintam partem illi date, nec possit, & filius incapax sit illius. Sic Vasq. *opusc. de testam. cap.5. §.7. dub. 10.* sequutus Tello Fernand. *in d. l. 10. Tauri, num. 6.* quibus adde Roxas *in epitome success. cap.22. n.3.* Molinam *lib.2. de primogen. cap.15. num.54.* Matienzo *lib.5. ordinam. tit.8. glossa 1. n.13. & 14.* Decium *consil.576. n.2. & 3.* Baptistam. *l. si qua illustris, C. ad S. C. Orphic. num.93.* & alios, quos sequitur Sanchez *lib.4. consil. cap.3. dub. 31.* Et in casu, quo spurius sit diues, etiam sic sentit Aymon *loco citato, num.11.*

QVÆSTIO XX.

An casu, quo spurius pauper sit, non habens aliunde alimenta, poßit ei pater relinquere integrum quintum bonorum, si illud excedat alimentorum necessitatem?

AFfirmant multi, posse tunc patrem totum quintum relinquere; quia *lex 10. Tauri*, absolutè permittit patri, vt ratione alimentorum quintum relinquat spurio. Ita Couarru. *illo §. 6. n.8.* ibi: Quæ quidem pars, si sufficiens non sit vitæ subsidio necessario, erit augenda: si verò excedat illam quantitatem, quæ dignitati filiorum conuenit, minimè diminuetur, authore Ioanne Lupi *d. cap. per vestras.* Hæc ille. Baëza etiam *de meliorand. filiab. cap.8. n.31.* Palac. Rubios *in cap. per vestras. de donat. inter. virum & vxor. notab.3. §.24.* & Spino *in speculo testament. glossa 16. tit. de spuriis, n.103.* Anton. Gomez *in l. 9. Tauri, n.41.* Quem citat, & sequitur Vasquez *de testam. cap.5. §.7. dub.11. num.141.* docens, quod licèt tunc pater non teneatur vltra necessaria ad alimenta legare, benè tamen possit.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod non solùm non teneatur tunc pater integrum quintum legare, vt benè Vasquez cum aliis dicunt; verùm quod non possit totum quintum, sed tantùm id, quod ad alimenta sufficit. Ratio est, quia spurius cuiuscumque partis bonorum patris est incapax, & sola alimenta miserationis causâ indulsit ei lex, & sic certis finibus circumscripsit capacitatem recipiendi & dandi: ergo extra hos limites effectus non producitur, *l. age*, cum Geminiano, *C. de Transact.* Sic omninò Sanchez, qui aliis etiam rationibus id probat *lib. 4. consil. cap. 3. dub.32 iuncto 31.* & apud ipsum Tello *l.10. Tauri, n.9.* Matienzo *lib.5. ordinam. tit.8. l.8. glossa 1. à num.12.* Palac Rubios, *Rubrica de donat. §.50. n.27.* Baldus *l. eam quam, C. de fideicommiss. num.41.* Socinus *volum.4. consil.2. num. 5.* Baptista *l. si qua illustris, C. ad S.C. Orphic. n.9.* Paleotus *lib. de nothis, & spuriis, cap.45. n.8.* Cassaneus *in consuetud. Burgundiæ, tit. de success. rubr.8. §.3.* & Gutierrez *lib.2. practicar. q.110.*

QVÆSTIO XXI.

An alimenta sint danda filio spurio, non solùm secundum naturæ necessitatem, verùm etiam secundum status decentiam, & dignitatem spurij?

NEgant Bald. Cassaneus, & alij citati à nobis suprà *disp.8. q.15.* loquendo de filiis legitimis; existimant enim dicta alimenta præstanda esse filiis spuriis, iuxta necessitatem naturæ, seu victus; non verò iuxta personarum dignitatem. Quia dicta alimenta iis filiis sola miserationis causâ præstantur.

Sed iuxta superiùs dicta, probabiliùs respondeo dicta alimenta præstanda esse filio spurio, non solùm secundum indigentiam naturæ, sed secundùm status decentiam, & dignitatem. Hæc responsio probata manet *q.15. citata*, quam tenet Sanchez, loquendo præcipuè de spuriis, *lib.4. consil. cap. 3. dub.34.* cum aliis citatis ibi. Fragosus *3.p. lib.1. disp.2. §.4. n.153.* Surd. Couarru. Tello, & alij apud ipsum.

Addo nunc cum ipso Sanchez id, quod iam *vbi suprà*, in simili notaui, quod in his alimentis spurio præstandis, non tantùm sit habenda ad suam personam consideratio, sed ad omnes personas quas ipse spurius alimentandus tenetur alere, vt ad personam vxoris ipsius, ad suos liberos, necnon ad ancillas, & seruos suos, quibus indiget. Quia hæc omnia pertinent ad statum spurij, *l. habitatio, ff. de ventr. in possess.* Sic sentiunt cum Sanchez, Tello, Matienzo, Portius, Couarru. Gutierrez, & alij. Legatur etiam Palaus *de iust. commut. disp.9. punct.7. num.1.*

QVÆSTIO XXII.

An casu, quo pater legauit quintam partem bonorum filio spurio, ratione alimentorum, & insuper reliquit aliqua legata pia ex dicta parte quinta adimplenda, debeant ex dicta quinta parte extrahi?

REspondeo dicendum, quod si illa quinta bonorum pars relicta spurio sufficiat alimentis, & piis legatis, tunc omnia ex dicta parte extrahi debent. Si verò non sufficiat omnibus, sed solis alimentis, tunc tantùm debet inde extrahi impensa funeris, ex *l.30. Tauri*; alia verò legata non sunt valida, quia obligatio alimentorum strictioris iuris est. Sic Anton. Gomez *l. 9. Tauri, num. 41.* quem

quem citat & sequitur Sanchez *loco cit. dub.* 37. Quibus ego addo P. Gabrielem Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 11. *vers. sed supposito.*

QVÆSTIO XXIII.

An pater possit relinquere filio suo spurio fundum, vel aliquid aliud pro alimentis?

RESpondeo vt certum, posse relinquere illi fundum, vel aliquid aliud proprium, vt ex illorum redditibus alatur; quia vt constat, sic verè alimenta præstat. Sic supponunt omnes, & tenent expresse Abbas *consil.* 50. *num.* 2. *volum.* 2. Petr. de Vbald. *tract. de success. ab intest. vers. sequitur quarta.* Fragosus 3. *p. regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 51 *num.* 141. *vers. posse autem,* & alij mox adducendi.

QVÆSTIO XXIV.

An hæc alimenta, seu fundus pro illis, spurio à patre relicta, transeant, spurio defuncto, ad eius patris heredes, vel potiùs ad heredes ipsius spurij, spectato iure communi?

AFfirmant transire ad heredes ipsius spurij, & non ad heredes patris illius, nonnulli Doctores, existimantes, quod adhuc spectato iure communi, hæc alimenta, & quidquid pro illis est relictum, omninò pertineant ad spurios, non solùm quoad vsumfructum, sed etiam quoad proprietatem; & sic, ipsis mortuis, pertineant ad eorum heredes, & non ad parentes. Ita Roder. Suarez *l.* 1. *tit.* 6. *de las herencias*, qui incipit; *Todo home, lib.* 3. *fori, à num.* 24. dicens, id obtinuisse in quadam lite in Prætorio Granatensi.

Sed probabiliùs multò respondeo dicendum, quod attento iure communi, alimenta relicta spuriis, ipsis defunctis, transeant ad heredes parentum spuriorum, non ad heredes spuriorum. Quia multò probabilius est, quod attento iure communi, alimenta spuriis relicta, solùm pertineant ad ipsos, quoad vsumfructum, durante eorum vita (non quoad proprietatem;) & sic ea finita redibunt ad parentes. Ratio est, quia stando iuri communi, pater solùm debet filiis spuriis alimenta: atqui alimenta, seu fundus pro alimentis relictus, extinguuntur cum defuncto, *l. cùm hi, §. si vni. ff. de transact. l. dominus, §. fin. ff. de vsufructu*: ergo. Sic tenent Bald. *in l. eam quam, n.* 41. *C. de fideicommiss.* Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 15. Abbas *consil.* 11. & 15. *vol.* 2. Decius *consil.* 311. Tello *l.* 10. *Tauri, num.* 96. & ibi Anton. Gomez *num.* 42. Castillo *l.* 9. *Tauri, vers. como quisieren*, & *l.* 10. *num.* 39. Palac. Rub. Baptista Bart. & Dueñas, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 35. *num.* 2. Fragosus etiam *loco citato, num.* 142. P. Vasquez *de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 14. *num.* 148.

QVÆSTIO XXV.

An saltem attento iure Regio Hispaniarum, alimenta spurio relicta pertineant, eo mortuo, ad eius heredes?

NEgat adhuc spectato hoc iure Regio, pertinere ad heredes spurij alimenta illi à patre relicta, si talia alimenta sint redditus annuus, vel aliquis fructus; secus verò, si pro alimentis relinquatur bonorum quintum, vel fundus, aut alia res immobilis, vel mobilis, modò non sit annuus redditus, vel fructus, Tello Fern. *in l.* 10. *Tauri, num.* 19. & eum sequitur Sanchez, *loco cit. dub.* 36. qui & alios citat.

Sed multò probabiliùs respondeo dicendum, quod attento iure huius Regni, omnia alimenta spurio relicta, siue pro illis assignetur fundus, aut alia res immobilis, vel mobilis, vel redditus annuus, aut fructus, pertineant, eo defuncto, ad eius heredes; quia dum viuit, verè sunt illius quoad vsumfructum, & proprietatem; quia sic disponit lex 10. *Tauri*, & docent Couarru. Castillo, Palac. Rub. Anton. Gomez, quos citat & sequitur Sanchez *dub.* 35. *cit. num.* 3. Vbi etiam pro hac parte citat Tellum, sed pro opposita citatur à Vasquez *dub.* 14. *in principio.* An idem sit dicendum casu, quo pater relinquat pro alimentis fundum, aut annuum redditum, vel vsum fructum, cum conditione, vt tantum sit pro vita sua, dicemus *infrà q.* 27.

QVÆSTIO XXVI.

An pater relinquens filio spurio gratiâ alimentorum quintum, vel in fundo, vel in pecunia, vel in alia re immobili, possit grauare illum, vt relinquat illud, cui pater assignauerit in testamento?

REspondeo vt certum, quod non possit. Sic Anton. Gomez *l.* 10. *Tauri, num.* 43. Tum, quia *in d. lege* 10. expresse cauetur, quod quantitas relicta spurio ad alimenta, transmittatur ad eius heredes. Tum etiam, quia fundus, vel quodvis aliud pro alimentis relictum spurio, est illi debitum: atqui in eo, quod debitum est, grauari non potest vlla ratione: ergo. Ita etiam tenet Sanchez *dub.* 35. *cit. num.* 4. ita inferens: Hinc infertur, non posse grauamen imponere in quinto, quod relinquit filio illegitimo ad alimenta; quia ex præcisa necessitate, & iuris dispositione illud debet; & ideò cùm non honoret, nequit grauare, *l. ab eo qui, de fideicommiss.* Sic Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* 11. *num.* 32. Tello *l.* 20. *Tauri*, & ibi Ant. Gomez, Matienzo *lib.* 3. *ordinam. tit.* 8. *glossa* 3. *num.* 4. Hæc Sanchez *num.* 4. qui tamen *num.* 5. limitat ad casum, in quo illud quintum excederet quantitatem alimentorum ad ea necessariam, quia in illo excessu potest grauari illegitimus; cùm enim tantùm teneatur pater alimenta exhibere, id quod superest, voluntariè dat, & sic potest grauare. Sic ille, & etiam Vasquez §. 7. *citato dub.* 13. dicens id esse certum.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem casu, quo pater velit fundum, aut annuum redditum, vel fructus aliquos pro alimentis spurio filio tradere tantùm pro vita sua, tunc post obitum spurij redeant ad patrem?

NEgant adhuc aliqui redire ad patrem dictum fundum, aut annuum redditum, vel fructus, etiam in dicto casu. Tum ob primam rationem datam *quæst. præcedenti*. Tum etiam, quia, vt ibidem diximus, pater non potest imponere grauamen in quantitate relicta filio illegitimo pro alimentis: ergo. Ita tenet Anton. Gomez *l.* 10. *Tauri, num.* 43.

Alij verò contrà affirmant, redire videlicet alimenta dicta (siue pro illis relictus sit fundus, siue redditus annuus, siue fructus) ad patrem post obitum spurij; quia existimant licitè, & validè posse patrem legare spurio dicta alimenta ad vitam, & cauere, vt post eius mortem succedat in illis is, quem ipse pater elegerit. Ita Palac. Rub. *cap. per vestras, de donat. notab.* 3. §. 24. *num.* 10. vbi explicat legem 10. *Tauri*, in quantum disponit, vt in quantitate relicta pro alimentis succedant heredes, quos habuerit filius spurius; explicat, inquam, dicendo, id habere hunc intellectum, nisi aliud pater disponat.

Sed clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum sic: Si pater velit annuum redditum, vel vsumfructum filio spurio tradere, tantùm pro vita sua, loco alimentorum, bene profectò potest; & sic in hoc casu minimè poterit filius disponere de illo. Patet, quia pater tenetur illi alimenta præbere pro vita, neque pro alimentis tenetur bonorum quintum illi conferre, sed confertur licentia vt conferre possit: ergo si pater velit tantùm alimenta præcisè conferre pro vita, potest, & de illis filius non poterit disponere: Leges enim 9. & 10. Tauri, quando dicunt, quod de ea parte filius possit disponere, intelliguntur, si ipsi filio relinquatur quintum ratione alimentorum, vt diximus quæstione præcedenti: si verò tantùm relinquantur alimenta pro vita, vt fieri potest, non conceditur dictis legibus facultas filio de illis disponendi. Sic omninò Pat. Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. §. 7. *n.* 150. necnon Tello *l.* 10. *Tauri*, *n.* 17. & 18. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 8. *glossa* 3. *numero* 3. & 4. Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 36. *concl.* 1. *num.* 3. qui *num.* 4. idem dicit dicendum, quando pater legat filio suo spurio fructus alicuius prædij, qui sat sunt ad alimenta: nam tunc finiuntur similiter morte spurij, & ideò non transmittuntur ad heredes ipsius. Sic ille, & benè. Secus tamen dicendum (ait Vasquez) si pater dicat, quod talis filius habeat quintum suorum bonorum in tali redditu pro alimentis; quia tunc censetur pater quintam partem illi liberè tradere; in eo tamen redditu, & de illo disponere potest, & hoc dicit lex illa, quod quando filius quintum accipit pro alimentis, siue in hac, siue in alia re, de illo potest disponere, quia fit dominus illius. Sic Vasquez *loco citato*. Legatur Sanchez *loco cit.*

QVÆSTIO XXVIII.

An pater possit filiæ spuriæ dare dotem quoad vsumfructum, hac lege, & conditione, vt ipsa mortua, reuertatur ad patrem?

REspondeo ex dictis posse; quia in hoc casu standum est voluntati donantis voluntariè. Sic Roder. Suarez *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 3. *fori, num.* 22. & Palad. *lib.* 1. *de reb. quotid. cap.* 16. *num.* 4. quos videtur sequi Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 36. *num.* 4. *fine*. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *n.* 8. Surdus *tom.* 1. *consil.* 310. qui id latè probat, & ex resolutione sequentium quæstionum ampliùs hæc resolutio clarescet. Sit ergo.

QVÆSTIO XXIX.

An parentes teneantur filias spurias pauperes dotare, sicut iure, saltem positiuo, tenentur alere?

NEgant quidam Doctores, asserentes, non teneri parentes dotare filias spurias, eodem iure, ac tenentur eas alere, nec ad id posse cogi in foro externo; posse tamen, si velint, id facere. Sic expressè tenet Molina *tom.* 1. *de inst. tract.* 2. *disp.* 224. *col.* (non folio, vt citat Fagundez) 974. *num.* 22. his verbis: Neque valet hæc consequentia; Tenetur quis alimenta præstare alicui puellæ, si aliunde ea non habeat: ergo tenetur illam dotare quantum satis sit, vt perpetuò se alat. Quoniam longè plus est, dotem dare, quàm per partes alimenta illi præbere. Hæc tamen consequentia valet, Tenetur quis alimenta puellæ præstare: ergo potest eam dotare, ita vt ex dote perpetuò ali possit. Hinc intelliges, patrem non solùm filiæ naturali, sed etiam spuriæ ex sacrilegio genitæ, teneri quidem alimenta præbere, & posse eam dotare, non tamen ad hoc secundum teneri. Ita Molina, qui vt vides, non solùm loquitur de fratribus erga sorores pauperes, vt existimat Fagundez; sed etiam de patribus respectu filiarum spuriarum pauperum, vt constat ex verbis eius relatis. Ita etiam cum Molina sentiunt Panormitan. *cap. peruenit, de arbitr. num.* 1. Vasquez *de successione creata lib.* 2. §. 20. *n.* 314. Ludou. à Sardis *tract. de naturalib. liberis*, *cap. de obligatione inter patrem, & filium*, & Alexand. *in l.* 1. *num.* 16. *ff. solut. matrim.* In quorum sententiam se magis inclinare Fagundez, quàm in oppositam, ingenuè fatetur, licet dicat se non audere à contraria recedere, quia & communior est, & vsu tritior, pluriumque Doctorum authoritate fulcitur. Ita ille *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 7.

Sed clariùs, & distinctiùs respondeo primò: probabilius multò est, valere hanc consequentiam; Tenetur quis præstare alimenta alicui puellæ pauperi: ergo tenetur illam dotare, quantum sat sit illi ad perpetuò se alendum. Ratio est, quia alimenta & dos in iure æquiparantur, & sic valet argumentum ab alimentis ad dotem. Sic docent Euerardus *in suis Topicis, loco ab alimentis ad dotem.* Ripa *l.* 1. *num.* 79. *ff. soluto matrim.* Anton. Gabriel *tom.* 4. *commun. verb. alimenta, & dos.* Menoch. *de præsump. lib.* 4. *præsump.* 189. *num.* 30. quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *n.* 1. Quibus

Quibus addi possunt omnes Authores, qui docent: dotem succedere loco alimentorum: sunt autem Cald. Pereyra *de potestate eligendi cap.* 13. *n.* 11. & Barbosa *cap. cùm haberes, de eo, qui duxit in matrim. num.* 10. & *in tract. variis*, vbi *de locis commun. loco* 39. *num.* 3. vbi citat Glossam *in l. ob æs, C. de præd. minor.* Bart. *in l. vltima, n.* 7. *ff. quibus vt indign.* Suarez *in l. quoniam, limit.* 2. *C. de inoffic. testam.* Tiraquell. *de iure primogenitor. q.* 62. *n.* 4. *& seqq.* Cordubam de Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem index, num.* 24. *ff. de liber. agnoscend.* Brunor à Sole *in locis communib. verb. dos* 12. & Surdum *de aliment. tit.* 9. Quibus ego addo Fragosum 3. *p. regimin. Christ. Reipub. lib.* 2. *disp.* 5. §. 1. *n.* 13. Fagundez *in* 4. *lib. Decal. cap.* 1. *num.* 7. Licèt hic Author magis se inclinare in oppositum fateatur, non audet tamen. Legatur pro nobis Palaus *de iust. commut. disp.* 9. *punct.* 7.

Respondeo secundò, multò probabilius est, quod pater non solùm possit dotare filias spurias pauperes, vt fatentur Authores primæ sententiæ, verùm etiam, quod ad id teneatur. Ratio ex dictis apparet, quia pater tenetur alere filias spurias, & præbere illis alimenta, vt habitum est suprà, *q.* 11. *& seqq.* ergo tenebitur eas dotare vsque ad eam quantitatem alimentorum, quam præbere tenetur: patet consequentia ex dictis in prima responsione; nam dos succedit loco alimentorum, & ad illum pertinet dotare, ad quem pertinet alere: & ideò sic tenent Authores citati in prima responsione, & specialiter Perez *ad lib.* 8. *ordinam. pag.* 307. Dueñas *regula* 366. *ampliat.* 3. Ceuallos *comm. contra comm. q.* 575. Surd *consil.* 310. *& de aliment.* 1. *p. q.* 10 *n.* 15. Mantica *de tacit. & ambig.* 1. *p. lib.* 12. *tit.* 16. *n.* 29. Fragosus *num.* 13. *cit.* necnon & Fagundez, quamvis coactus. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 40. *q.* 6. & alij plures apud Fagundez. Qui tamen bene respondet ad instantiam Molinæ, dicendo in hoc nullum inueniri præiudicium considerabile respectu patris diuitis, cùm etiam dos possit non simul, & vno cumulo constitui, sed per partes, & vices, ad certum, & constitutum tempus à parentibus assignatum. Legantur specialiter pro hac nostra sententia Couarru. *in epitom.* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 11. *&* 12. Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri, num.* 44. & Tello *in l.* 10. *num.* 11. *&* 13. & ex illis P. Vasquez *de testam. c.* 5. §. 7. *dub.* 17. docentes, quod tanta, imò & maior vrget necessitas in dotanda filia spuria, quàm in filio alendo; & ita quod pater potest, & tenetur illam dotare; sed hoc raptum ratione alimentorum, quia dos filiæ est ad alendam filiam.

QVÆSTIO XXX.

An pater possit dotare filiam spuriam vltra quintum suorum bonorum?

NEgat expressè, & absolutè Vasquez *dub.* 17. *cit. num.* 158. his verbis: Vnde licet antiquitus, secundum dignitatem personæ esset dos, sicut alimenta assignanda, vt docet Ant. Gomez, & Tello Fernandez; tamen post *l.* 10. *Tauri*, filia, ratione dotis, vltra quintum accipere non valet, nec capax est maioris portionis: nam sicut filius ratione alimentorum, vltra quintum nullius est capax, ita & filia, vltra quintum non est capax alicuius ratione dotis, quæ habet eandem obligationem, ac alimentorum obligatio. Ita Vasquez.

Sed probabiliùs & distinctiùs respondeo dicendum, validè, & licitè posse patrem dotare filiam spuriam vltra quintum suorum bonorum, casu quo pater non habeat descendentes legitimos, & quintum non sufficiat ad indigentiam naturæ, & status filiæ spuriæ; secus verò si habeat descendentes legitimos. Quia in prædicto solùm casu, diximus suprà *q.* 18. posse patrem vltra quintum relinquere aliquid pro alimentis filio spurio: ergo si est eadem vtriusque rei obligatio, vt ait Vasquez, etiam vltra quintum poterit filiam dotare in dicto casu. Sic Authores ibi citati.

QVÆSTIO XXXI.

An si pater det filiæ spuriæ dotem excedentem quintam partem bonorum, quæ erat sufficiens ad alimenta, possit excessus ille repeti à patre dotante, constante matrimonio?

NEgant multi Doctores docentes, minimè posse repeti à patre dotante talem excessum, constante matrimonio; quia esset in mariti præiudicium, cùm ille habeat dotem titulo oneroso. Ita Bartol. *l. si constante, num.* 67. *ff. soluto matrim.* & *l. fin.* §. *si socero, ff. quæ in fraudem creditor.* & ibi Angel. Bald. *authent. ex complexu, C. de incestis nupt.* Segura *l. coheredi*, §. *cùm filia, ff. de vulg. num.* 131. Campegius *tract. de dote*, 1. *p. q.* 48. Petr. Surd. *tr. de aliment. tit.* 8. *q.* 10. *num.* 22. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *num.* 9.

Alij sub distinctione respondent dicendum, quod si maritus tempore contractus matrimonij ignorabat vxorem esse spuriam, tunc non possit, constante matrimonio, exigi à dotante excessus ille, ob rationem primæ sententiæ. Si verò maritus sciebat vxorem esse spuriam, tunc possit repeti à fratribus, vel à patre; quia tunc sibi debet imputare. Sic Ioan. Lup. *in cap. per vestras*, 3. *notab.* §. 24. *n.* 3. Ioan Franceus de Ripa *in l.* 1. *ff. soluto matrim. n.* 27. Cumanus, & Nicol. de Vbaldis, quos citat, & sequitur Couarru. *cap.* 8. *cit.* §. 6. *num.* 12. Palac. Rubios *cap. per vestras, notab.* 3. §. 24. *n.* 3. Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri, num.* 44. Baeza, *de meliorand. filiab. cap.* 32. *num.* 10. Salzedo *in addit. ad Bernard. Diaz, regula* 115.

Alij tandem absolutè docent, non solùm spectato iure Regni Hispaniæ, verùm etiam iure communi, posse exigi excessum dotis, constante matrimonio, etiam casu, quo maritus ignorauerit vxorem esse spuriam. Sic Matienzo, & alij infrà citandi.

Sed distinctiùs sic respondeo. Primò: certum est, attento iure Regni Hispaniæ, *l.* 29. *Tauri*, quæ hodie est *lex.* 3. *tit.* 8. *lib.* 5. *nona recopilat.* quod si maritus sciebat vxorem esse spuriam, tunc optimè possit repeti à patre dotante excessus dotis, etiam constante matrimonio. Sic, dicens esse rem indubiam, tenet Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 39. *n* 4. *&* 12. & in hoc veniunt Authores secundæ sententiæ; necnon & Vasquez *dub.* 17. *citato, vers. de iure.*

Respondeo secundò: probabilius est, quod etiam casu, quo maritus ignoret suam vxorem esse spuriam, possit attento iure Regio, exigi excessus dotis à marito, etiam constante matrimonio, si pater qui dotauit, habeat filios legitimos: quia iuxta dictam *leg.* 29. *Tauri*, dos inofficiosa, quæ tangit legitimam filiorum, potest reuocari, constante matrimonio

matrimonio: at in hoc casu dos tangit legitimam filiorum legitimorum, cum horum legitima sint omnia bona patris, dempto quinto: ergo. Sic Sanchez *loco cit. num.* 13. *concl.* 5. & apud se Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 8. *glossa* 1. *num.* 36. Salzedo, & Baeza, imò & Couarru. Secus est dicendum, vt benè idem Sanchez, in casu quo pater dotans non habeat filios legitimos, & vir ignorabat vxorem esse spuriam; quia tunc non potest exigi excessus dotis constante matrimonio, vt rectè in hoc docet secunda sententia. Nec aduersatur *d. l.* 29. *Tauri*, quia hæc loquitur quando pater habet filios legitimos. Sic ille *num.* 14. *concl. vltima.*

QVÆSTIO XXXII.

An etiam attento iure communi, poßit repeti à filiis, vel à patre dotante, constante matrimonio, ille dotis excessus?

Negant communiter Doctores, asserentes, non posse repeti talem excessum, constante matrimonio, attento solum iure communi: quia *ex l. fin.* §. *si à socero, ff. quæ in fraud. creditor.* constat, quod dos data filiæ in fraudem creditorum, non potest matrimonio constante, ab ipsis reuocari: at sic est, quod creditores habent potius ius quàm filij, *l. Papinianus*, §. *quarta, ff. de inofficioso test am.* ergo à fortiori non reuocabunt dotem constante matrimonio filij, licet in eorum legitimam damnum inferatur. Ita docent omnes Authores citati pro prima sententia *quæstione antecedenti*, necnon Aretin. Bern. Diaz, Olan. Castillo, Palac. Rubios, Gratian. & Matth. de Afflictis, *decis.* 86. (dicens, sic fuisse iudicatum in Concilio Neapolitano) quos omnes citat pro hac parte Sanchez.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod adhuc stando in solo iure communi, possit repeti siue à patre, siue à filiis (de quo infrà) excessus dotis, in quo tangitur legitima filiorum legitimorum, & auferri à marito, etiam constante matrimonio. Primò, quia iure communi cautum est, dotem inofficiosam esse reuocandam, *l. vni, C. de inoffic. dote*: ergo. Secundò, quia non est æquum alios fratres spoliati, & iure suo priuati, ne inquietetur matrimonium. Tertiò. Quia hic non agitur de reuocanda dote, sed de reuocando excessu dotis: vnde licèt dos habeatur ex contractu oneroso; at excessus dotis habetur ex contractu lucratiuo. Et per hoc respondetur *ad* §. *si à socero*: quia ibi agebant creditores ad reuocandam dotem; hîc verò agitur ad excessum dotis reuocandum. Sic omninò Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 39. *num.* 3. *concl.* 1. Et tenent etiam apud illum, Salzedo *in addit. ad Bern. Diaz, regula* 215. Anton. Gomez *l.* 29. *Tauri, num* 34. Palac. Rub. (dicens, sic fuisse iudicatum in Regia Cancellaria Pinciana) *cap. per vestras, de donat. notab.* 3. §. 22. *num.* 10. Gomez Arias *l.* 29. *Tauri, num.* 11. Paul. de Castro *l.* 1. *C. de inoffic. dotib. num. vltimo*, Baeza *de non meliorand. filiab. cap.* 3. *num.* 3. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 1. *l.* 5. *glossa* 4. *num.* 7. & Molinæus *tract. de donat. factis in contractib. matrim. n.* 59. Sic etiam sentit Couarruuias, quem citat, & sequitur P. Vasquez *de test am. cap.* 5. §. 7. *dub.* 17. *vers. quid tamen dicendum*, his verbis: Sed Couarru. adhuc dicit, quod de iure communi potest excessus dotis repeti, quia dos non est data titulo oneroso; quia licet maritus teneatur filios educare, id tamen est ratione matrimonij; non quia dos data est titulo isto oneroso; licèt enim detur ad subleuanda onera matrimonij, nihilominus non datur titulo oneroso. Sic Vasquez.

QVÆSTIO XXXIII.

An pater solus dum viuit, non cæteri filij legitimi, & fratres spuriæ, possit reuocare, & auferre à marito illum excessum dotis?

Negandum videtur *ex l.* 8. *tit.* 4. *part.* 5. dicente, *Con que sin que en saluo à sus hijos su parte legitima, tambien en vida de su padre, como despues de su muerte.* Nam hæc verba insinuare videntur filios in vita patris posse reuocare donationem inofficiosam: ergo.

Sed vt certum respondeo primò: solus pater potest reuocare & auferre à marito illum excessum dotis; minimè verò filij, viuente patre. Probatur, quia pater solus fecit illum excessum: ergo illi competit in commodum filiorum repetere. Confirmatur, quia quando actus est nullus, ipso iure, licitum est factum proprium improbare, *l.* 1. *C. de liberali causa.* Sed sic est, quod excessu patris fuit excessus dotis nullus: ergo illi competit improbare. Sic DD. mox citandi.

Respondeo secundò: quamvis cæteri filij, & fratres spuriæ dotatæ, viuente patre, non possint reuocare sibi excessum dotis, bene tamen possunt, mortuo illo. Probatur vtraque pars, quia filij legitimi, ideo possunt reuocare dictum excessum, quia militat in diminutionem legitimæ eorum; atqui legitima non debetur illis, viuente patre, sed mortuo: ergo non viuente patre, sed mortuo illo, illum dotis excessum reuocare poterunt. Sic Sanchez *dub.* 39. *cit. num.* 5. *concl.* 3. Baeza, Matienzo, Palac. Rubios, Barahona, & Segura apud illum. Qui ad rationem dubitandi respondet, quod illa lex solùm velit, quod pater neque in vita, nec in morte, possit præiudicare filiis in legitima; non tamen probat, quod possint filij, viuo patre, donationem inofficiosam impugnare. Legatur pro hac parte Vasquez *de test am. cap.* 5. §. 7. *dub.* 18.

QVÆSTIO XXXIV.

An poßit pater dare filio spurio, vltra alimenta, aliquid, propter benemerita ipsius spurij.

Respondeo posse dare aliquid vltra alimenta, propter benemerita filij, seu seruitia exhibita ipsi patri, qui aliàs ad illa ipsi exhibenda, nullo iure tenebatur: quia hæc non est absoluta donatio, quæ inter patrem & filium est prohibita, sed remuneratio, quæ inter illos non prohibetur, dummodo de seruitiis, & meritis constet, & remuneratio, seu donatio remuneratiua sit æqualis meritis. Sic Perez, Tiraquell. Bald. Ioan. Andreas, Paleotus, Ruinus, & Rojas, quos refert, & sequitur Sanchez *dub.* 38. quibus addo Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 4. & Fragosum 3. *p. lib.* 1. *disp.* 2. *n.* 155. *vers. his adde*: addentem in hoc casu, debere esse merita adeo nota, vt excedant omne debitum, & seruitium filiorum in patrem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXV.

An ex consensu filiorum legitimorum possit pater aliquid vltra quintum relinquere filiis spuriis?

AFfirmandum videtur, quia pater potest relinquere quidquid voluerit vltra quintum filiis naturalibus ex consensu expresso filiorum legitimorum, vt diximus suprà *disp. 9. q. 11.* ergo similiter id poterit facere cum filiis spuriis.

Sed vt certum respondeo, non posse patrem filiis spuriis aliquid vltra quintum relinquere, quamvis filij legitimi expressum consensum præbeant, dum viuit pater; quia prohibitio relinquendi aliquid vltra quintum spuriis, non est in fauorem filiorum legitimorum, sed in odium delicti paterni: patet, quia pater carens filiis legitimis, nequit spuriis, vltra quintum relinquere: ergo adhuc ex consensu legitimorum nequit pater quid vltra quintum relinquere. Sic Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 9. glossa 1. num. 7.* Tello *in l. 10. Tauri, num. 8.* Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 30. concl. 2. num 3. qui num. 4.* secus dicit, si consensus fuit præstitus à filiis legitimis, post obitum patris: quia tunc, inquit, iste consensus operabitur, vt spurius consequatur illud à patre relictum, quia post obitum patris, effecta sunt ea bona filiorum legitimorum: ergo possunt ea dare fratribus spuriis; quia non capiunt spurij ea à patre, sed à fratribus tanquam veris dominis, & non sunt prohibiti spurij succedere fratribus, nisi hi spurij sint filij Clericorum, quia hi non possunt succedere consanguineis paternis, *l. 6. tit. 8. lib. 5: noua recopilat.* & sic licèt legitimi consentiant post obitum patris, consensus hic non erit sufficiens, vt filij Clericorum possint aliquid capere vltra alimenta. Huc vsque Sanchez ex Matienzo.

QVÆSTIO XXXVI.

An in casu, quo pater præcipiat in testamento bona sua distribui inter pauperes, vel coniunctos, possit exequutor testamenti eligere filium spurium testatoris pauperem, & illi conferre aliquid ex illis bonis, vltra quintum?

REspondeo vt quid certum, non posse. Ratio est, quia spurius est incapax recipiendi aliquid à patre vltra alimenta: at si exequutor testamenti conferret aliquid spurio in dicto casu, censetetur non ille, sed pater conferre: ergo. Minor probatur, quia executor non est dominus illorum bonorum, sed pater; qui tantùm committit exequutori illorum distributionem: ergo pater, & non exequutor censetur conferre, vt expresè habetur *in l. vnum ex familia. § si de falcidia, ff. de legatis* 2. Sic, dicens id certissimum, tenet Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 26.* & apud illum; Peralta *d. l. vnum ex familia, num. 28.* Padilla ibi, *num. 2.* Cepola *cautela 88.* Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 7. glossa 5. num. 2.* Couarru. *in epitome 2. p. cap. 8. §. 5 num. 3.* Acosta, Paulus de Castro, Iason, Alexand. Bald. Plaza, Roxas, Greg. Lopez, & alij plures.

QVÆSTIO XXXVII.

An saltem possit exequutor testamentarius, cui commissum est, aliqua bona inter pauperes distribuere, aliqua ex illis filio suo spurio pauperi conferre?

REspondeo tunc posse, quia licèt pater ex suis bonis nil possit largiri filio suo spurio, vt quæstione antecedenti est habitum; at bene potest ex bonis alterius, nempe testatoris; quia tunc non censetur ipse dare, sed ille, qui eum fecit exequutorem, vt nuper diximus *ex l. vnum ex familia.* Sic Padilla *in d. l. num. 3.* Peralta *num. 27.* Matienzo *loco cit. num. 5.* Siluest. *verb. filij, quæst. 4. dicto 2.* Rosella *ibi num. 8.* & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 27. num. 1.* qui *num. 2.* infert ex hoc, quod ille qui obligatus est ad restituendum pauperibus aliqua bona incerta iniustè acquisita, vel etiam inuenta, iuxta probabilem opinionem possit dare filio suo spurio pauperi: quia non dat de bonis suis, nec nomine suo, sed nomine domini incerti.

QVÆSTIO XXXVIII.

An filij spurij Clericorum, vel Religiosorum, sint capaces recipiendi aliquid, (præter alimenta) à patre, via donationis, vel testamenti, vel ab intestato?

REspondeo vt quid certum, non esse vllo modo capaces recipiendi aliquid à patribus suis, vltra alimenta, siue via donationis inter viuos, siue ex testamento, siue ab intestato, quia id expresè prohibetur in lege edita in Ciuitate Soria, quæ est *lex 6. tit. 8. lib. 5. noua recopilat.* Quare si pater Clericus, vel Religiosus, filio suo spurio aliquid relinquat, vel donet in testamento, donatio est nulla, & tenebitur talis spurius id restituere. Sic cum communi omnium tenet Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 19. num. 1.* Angles *2. p. flor. q. de dominio, art. 3. diff. 2. concl. 2.* vbi refert verba legis Regiæ, quæ sunt; *Ordenamos, y mandamos que los hijos de los Clerigos, ò Religiosos, ni hereden, ni puedan heredar los bienes de sus padres, ni de sus parientes, ni los ayan, ni los puedan gozar por legado, ordinacion, ò por otro traspasso.* Qua lege iusta, inhabiles redduntur, & in foro exteriori, & conscientiæ ad bona paterna habenda aliquo titulo legati, donationis, &c. Hæc ille ex Soto *lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. ad 4*

QVÆSTIO XXXIX.

An saltem filij spurij secularium possint recipere aliquid à suis parentibus carentibus descendentibus legitimus, via testamenti, aut ab intestato, aut donationis, vltra quintum?

AFfirmant quidam Doctores posse recipere aliquid vltra quintum à suis parentibus, non via testamenti, sed via donationis inter viuos, & sic patrem sæcularem carentem descendentibus legitimis, posse donare licitè omnia bona sua spurio

&,

& hunc ea retinere donec in foro externo condemnetur. Ratio est, quia nulla lege cautum est, ne pater sæcularis donet spurio; nam si aliqua, esset lex 3. *tit.* 15. *part.* 4. & *l. fori de las herencias*, & *l.* 9. *Tauri*. Sed in his legibus solùm decernitur, ne succedant patri ex testamento: ergo cum sint leges pœnales, non sunt extendendæ ad donationem. Ita tenent Sotus *loco nuper citato*. De istis ergo (filiis spuriis sæcularium, intellige) asseruerim (ait Sotus) quod si pater aliquid fidei amici committit, quod det filio suo ex adulterio suscepto, amicus ille tenetur ius naturale seruare, hoc est, dare filio: & filius potest recipere, perinde ac si esset extraneus. Itaque omnia sua bona potest illi pater dare, si filios non habet legitimos: si autem legitimos habet, non potest illos exhæredare, nisi vsque ad quintum. Neque arbitror vllum interuenire peccatum. Cùm autem fiscus petierit, standum est iuri exteriori. Conclusionem hanc mihi persuadeo, quòd lex illa, cùm sit in odium filiorum, non est vlterius dilatanda, quàm sonat: non autem prohibet, nisi esse hæredes: ergo pater extra testamentum bona sua donans, non facit contra rigorem legis, neque verò in eius fraudem; quia lex pœnalis tantum ad id obligat, quod sonat. Hæc Sotus, & ex illo sic Angles *loco cit. concl.* 1. & Ledesma 2. 4. *q.* 18. *art.* 1. *dub.* 16. *ad* 3.

Sed vt quid certum respondeo; nullum filium spurium parentum sæcularium posse recipere aliquid à suis parentibus, adhuc carentibus descendentibus legitimis, siue ex testamento (vt concedunt Authores oppositæ opinionis) siue ab intestato, siue ex donatione inter viuos: & si receperint, teneri ad restituendum. Ratio est, quia licet leges, quas contrarij allegant, solum loquantur de successione ex testamento, at sunt aliæ leges, quas non viderunt illi, prohibentes patrem donare aliquid spurio, *l. si quis incesti*, *C. de incestuos. nupt.* ibi: *Neque superstes donet, neque moriturus relinquat.* Et *l.* 1. *C. de natural. liber.* ibi: *Quidquid talibus liberis pater donauerit.* Et clariùs *l.* 10. *tit.* 13. *part.* 6. Et ideò sic sentiunt Rojas *epitome success. cap.* 10. *num.* 139. & *num.* 144. & 145. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 6. *glossa* 3. *num.* 3. & *glossa* 5. *n.* 1. Couarru. *in epitome* 2 *p. cap.* 8. §. 5. *num.* 8. Plaza *in epitome delictorum lib.* 1. *cap.* 41. *num.*24. Molina *lib.* 2 *de primogen. cap.* 11. *num.* 27. Greg. Lopez *l.* 10. *tit.* 13. *part.* 6 *vers. heredar.* & *vers. la donacion*. Ruinus *consil.* 69. *vol.* 3. *num.* 10. Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. decis.* 5. *num.* 122. Chassaneus *in consuetudinib. Burgundiæ, tit. de succes. ab intestato, rubr.* 8. § 3. *num.* 10. Tello *l.* 10. *Tauri, num.* 7. Decius *consil.* 576. *num.* 4 *vol.* 2. Capycius *decis. Neapolitan.* 181. *num.* 1. Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri, num.* 33. Paleotus, Dueñas, Bartol. Bald. Pinellus, Perez, Roder. Suarez, Palac. Rubios, Syluest. Tabiena & alij, quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 19. *num.* 4. vbi dicit, oppositam sententiam esse omninò improbabilem, & falsam.

QVÆSTIO XL.

An saltem, spurius sit capax recipiendi aliquid à patre per fideicommissum; vel, quod idem est, an si pater bona sua fidei amici committat, vt det filio spurio; tunc hic spurius possit talia bona ab amico illo recipere, & retinere; & amicus teneatur, aut possit dicta bona dare spurio?

Affirmant quidam dicentes, quod quando pater dedit amico aliquid ea lege, vt daret spurio, & amicus fidem ei præstitit ita facturum; tunc teneatur talis amicus in conscientia dare illud spurio, & is possit retinere donec condemnetur, licèt spurius sit filius Clerici. Ita Ledesma 2. 4. *q.* 57. *art.* 4. *fine*, & Victoria *in sum. vbi de matrim. num.* 229. Et apud Vasquez, sic etiam Sotus *vbi supra*, cui ego addo Iosephum Angles, nuper citatum.

Alij contrà negant, docentes, talem amicum non posse ea bona retinere, nec dare spurio, nec si det, istum retinere talia bona. Probatur, quia hic titulus hereditarius est iniustus, & prædonem constituit heredem, vt constat *ex l. prædonis, ff. de petitione hereditatis*, vbi isti heredes hac conditione instituti appellantur prædones: ergo censet eos esse incapaces. Confirmatur, quia dictus heres amicus non habet alium titulum ad retinendum bona sibi relicta cum dicta conditione, nisi patris spurij voluntatem: sed ille pater noluit illi dare, nisi daret spurio: ergo non potest talis amicus heres sibi retinere, & per consequens nec spurius capere; quia tunc iam capiet à patre. Sic Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri, num.* 28. Gomez Arias *l.* 7. *Tauri, num.* 77. & 78. Bartol. *l. fin. num.* 9. *ff. de his, quibus, vt indig.* Segura *l. coheredes, § cum filiis, ff. de vulg. & pupil substituit. num.* 124. Greg. Lopez *l.* 13 *tit.* 7. *part.* 6. *vers. Cumpliesse*. Alcozer, Perez, Menchaca, Bern. Diaz, Salzedo, & alij plures, quos pro hac parte citat Sanchez, inter quos refert Sotum *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. *ad* 4. & Iosephum Angles *quæst. de dominio, fol.* 140. Sed certè non benè, quia potiùs sunt pro prima sententia.

Sed distinctiùs per aliquas responsiones huic quæstioni satisfacere decreui. Vnde,

Primò tanquam certum respondeo, quod casu, quo ille amicus receperit illa bona à patre spurij absolutè, nulla ab eo præstita fide, nec sub conditione de restituendo, aut dando spurio, licèt fiduciam certam conceperit, quod dantur, vt det spurio; tunc efficitur ille amicus verus dominus illorum bonorum; quia absolutè sunt sibi donata, & consequenter potest ea retinere, & potest dare spurio, & hic ea recipere, & retinere: quia recipit illa à vero domino, & non à patre. Sic omninò Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 1. dicens, in hoc omnes conuenire.

Respondeo secundò, etiam tanquam certum, quod talis amicus, & heres factus, sub conditione dandi bona sibi relicta filio spurio, non teneatur in conscientia dare talia bona spurio: quia (vt *quæst. superiori* diximus) spurius omninò est incapax recipiendi aliquid à patre, per se, vel per mediam personam. Sic Sanchez *loco cit. numero decimo*, dicens, oppositum,

oppositum, quòd docuit prima sententia, esse improbabile.

Respondeo tertiò: Talis amicus, & heres, qui præstitit fidem restituendi spurio hereditatem, hac conditione sibi relictam, non tenetur in conscientia illam dare spurio, aut restituere, sed potest illam sibi retinere: quia talis amicus efficitur verus dominus illius hereditatis, cum sit verus heres, & verè institutus: ergo vt talis potest talem hereditatem sibi retinere, nec tenetur dare illam spurio, quia licet talis hereditas relicta fuerit amico sub conditione, *vt detur filio spurio*, cùm talis conditio, & grauamen sit inhonestum, & contra leges, non obligat, vt constat *ex l. iuris gentium, §. Prætor ait, ff. de pactis.* Hæc responsio est contra Authores secundæ sententiæ, & illam docent Sanchez *loco cit. num. 10. iuncto* 11. Qui & probat, talem amicum & heredem, non solum non teneri restituere ante iudicis sententiam, talem hereditatem spurio, vt probatum est; sed neque heredibus ab intestato, nec fisco; quia verus heres est. Sic etiam tenent alij DD. mox citandi.

Respondeo quartò: Probabilius est, quod talis amicus, & heres possit dare spurio talem hereditatem, & hic illam recipere, & retinere; quia cùm hic heres sit verus dominus illius hereditatis, & possit eam sibi retinere, vt probatum est; si det spurio, non recipiet huiusmodi spurius eam à parentibus, nec ex voluntate efficaci ipsorum, sed ab herede, qui est verus dominus, & ex voluntate libera ipsius, scientis minimè obligari ad dandum spurio Sic Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 8. l. 6. glossa 8. num. 7. & 8.* & Didacus Perez *in l. 22. tit. 3. lib. 1. ordinamenti*, & Couarru. *in epitome 2. p. cap. 8. §. 5. num. 8. & sequenti*; quos citat, & sequitur Pater Vasquez *opusc. de testam. cap. 5. §. 7. dub. 2.* Quibus addo Sanchez *loco cit.* & apud ipsum, vltra citatos, Salzedum *in addit. ad Bern. Diaz, practic. crimin. cap. 58.* Plazam *epitome delictor. cap. 41. num. 25.* & Iul. Clarum *lib. 3. recep. sentent. §. testamentum, quæst. 31.*

Respondeo quintò vt quid certum, quod casu, quo amicus ille, & fideicommissarius, qui fuit institutus à Clerico, vel sæculari patre spurij, det bona illa filio spurio testatoris, existimans se ad id teneri, & obligari, ratione promissionis à se patri factæ, tunc non erit valida donatio, vel institutio, aut legatum, quod filio spurio relinquit. Quia (ait Vasquez) quod aliquis sicut debitum tribuit, quod reverà non debet, voluntariè non dat: quia est ignorantia in substantia ipsius actus, dum existimatur debitum, quod non est debitum. Si verò sciens se ad id non teneri, nihilominus tribuat in vita, vel testamento, tunc valet, quia liberè donat, & iste filius spurius non accipit à patre suo, sed ab extraneo omninò liberè: & sic capax est illorum bonorum; quia heres ille sicut posset heredem instituere prædictum filium spurium in suis bonis, ita etiam potest in bonis sibi relictis. Sic Vasquez *vbi suprà.*

Respondeo tandem sextò: Ille heres, qui acceptat hereditatem cum conditione restituendi illam filio spurio, & pater qui sub illa conditione instituit heredem, grauiter peccant; quia faciunt contra leges iustissimas prohibentes talem fidem præstati. Sic Couarru. Ledesma, Perez, & Sotus, quos citat, & sequitur Sanchez *vbi supra, num. 12. concl. 3.* & P. Vasquez *loco cit. num. 108.* Addens cum Couarruuia, quod quia ista promissio est in fraudem legis, & peccatum, non teneatur talis fideicommissarius eam in conscientia adimplere; & ita neque restituere hereditatem filio spurio testatoris, neque fisco, aut aliis heredibus: sed sibi potest retinere, quia ipse non est incapax iure, nec tenetur fidem illam testatori præstitam implere; quia est contra leges, & in fraudem legis. Vnde si filio spurio illam relinqueret, certè sua propria voluntate, & beneplacito id efficiet; & ex consequenti, filius spurius illius, non erit incapax, cum non necessariò illi eueniat, sed voluntate heredis instituti à patre suo. Sic ille, qui vlteriùs addunt hoc verum esse tam in filiis spuriis non Clericorum, quàm Clericorum, & Religiosorum; nam in iure, quantum ad hoc, nihil specialius de his, quàm de aliis est statutum.

QVÆSTIO XLI.

An data sententia, vt restituatur hereditas, quam pater amico reliquit, sub fideicommisso, vt daret filio spurio, sit restituenda fisco Ecclesiastico?

RESpondeo dicendum quod sic, casu quo heres fideicommissarius sit Clericus; si verò sit laicus, tunc fisco sæculari est restituenda. Ratio est, quia hæc pœna imponitur à iure propter delictum heredis amici præstantis fidem dandi hereditatem filio spurio: ergo necessariò debet applicari fisco suæ iurisdictionis. Nec hac in re attendendum est, an pater testator sit Clericus, vel laicus. Sic Couarru. *loco cit. §. 5. numero decimo*, vbi ita ait: Septimò ex his constat in dubio, cui fisco, an sæculari, an Ecclesiastico, dicto casu sit adiudicanda hereditas, esse considerandam heredis præstantis fidem personam, cùm is delinquat, & ab eo propter delictum auferatur hereditas. Nam si laicus sit, Regi defertur ipsa hereditas; si verò Clericus, Ecclesiæ est adiudicanda: quod probari potest ex his, quæ tradit Ioan. Lup. *in rubr. de donat. §. 39.* Docet & hoc expressim Bald. *in l. si quis presbyter, 1. col. C. de Episcop. & Cleric.* quem sequitur Paul. Castrens. *ibi.* Chassan. *in consuetud. Burg. rubr. 8. §. 5. num. 4.* & Felin. *cap. quia 5. de iudic. col. 2.* Segura *in l. 3. §. vltimo, num. 145. ff. de liber. & posthum.* Huc vsque Couarruuias. His Authoribus adde Anton. Gomez, Ledesmam, Bern. Diaz, Didacum Perez, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 22.*

QVÆSTIO XLII.

An dictus amicus heres, qui fidem dedit testatori de restituendis bonis spurio, iuramento præstito de non reuelando id cuiquam, teneatur vocatus à iudice, & interrogatus, an præstiterit fidem, verum dicere?

AFfirmant multi, teneri tunc verum dicere, & rem totam (vt fuit) exprimere, non obstante iuramento de non reuelando præstito. Eo quod veritatem occultare cedit in damnum fisci, cui applicanda est hereditas, vt nuper diximus. Ita tenent Cardinal. *conf.* 35. Felin. *cap. intimauit, de testib.* & insignis Doctor Nauarr. *in cap. inter verba* 11. *q.* 3. *part. vlt. corol.* 65. Quos pro hac parte sic citat Couarru. infrà citandus.

Sed clariùs, ac distinctiùs respondeo non teneri tunc respondere, se fidem præstitisse; nisi præcedente infamia contra ipsum, tacitæ fidei; quia cùm hîc agatur de pœna soluenda, in pœnam fidei præstitæ, non rogat iudex iuridicè, nisi præcedat infamia contra illum, qui fidem præstitit. Sic explicando Authores primæ sententiæ, tenet Couarru. *num.* 10. *citato*, quem sequitur Sanchez *cap.* 3. *cit. dub.* 23. & antea *in sum. lib.* 3. *cap.* 6.

QVÆSTIO XLIII.

An possit pater filium spurium heredem instituere, deficiente prole legitima, sub conditione, si à Rege fuerit legitimatus?

NEgandum videtur, quia in heredum institutionibus conditionalibus, oportet heredem esse capacem tempore testamenti, mortis, & aditionis hereditatis, vt habetur *l. si alienum, §. in extraneis, ff. de hered. instit.* ob id ita tenent Ludou. Lusitanus *in l. quidam relegatus*, vt refert Couarru. *infrà*, necnon & Baldus (sibi contrarius) & Benedictus, apud Fragosum infrà.

Sed vt certum respondeo posse, deficiente prole legitima, instituere heredem filium spurium, si instituatur sub hac lege, & conditione, sub hisque verbis: *Instituo heredem meum spurium, si Rex illum legitimauerit.* Quia verè est valida hæc institutio; nec possunt heredes ab intestato succedere, antequam Rex, vel Princeps legitimationem neget. Ratio responsionis est, quia quamvis spurius sit institutionis incapax absolutè: non tamen si instituatur in tempore quo capere potest, vt instituitur in hoc casu, vt constat *ex l. in tempus, ff. de heredib. instit. l. sicut*, & ibi Glossa *in princip. ff. quibus modis vsusfructus amitt.* Nec obstat lex, *si alienum*, citata, quia procedit in conditione extrinseca, secus in conditione intrinseca, & quæ à iure intelligitur, qualis est ista, *cùm capere poterit heres.* Sic Couarru. *cap.* 8. *cit.* §. 5. *n.* 12. & apud illum Baldus, Aretin. & Alexand. *in l. Gallus, §. instituens, ff. de liberis, & posthum.* Iason, Lancellot. Decius, Gualdens. & alij apud ipsum. Quibus addi possunt Dueñas, Palac. Rubius, Montalb. Matienzo, Perez, Acosta, Menchacà & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 28. Fragosus 3. *p. regim. Christian. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 5. *num.* 160. Qui ex Baldo ait, id esse verum, etiamsi spurius legitimetur post mortem patris.

QVÆSTIO XLIV.

An spurius institutus à patre sub dicta conditione, si à Principe legitimetur, possit interim pendente conditione, petere bona, in quibus est institutus, vt ea non vt dominus, sed vt curator gubernet?

NEgant quidam, eo quod id esset in fraudem legis, quæ reddit spurium incapacem paternorum bonorum. Ita Anton. Gomez *in l.* 9. *Tauri, num.* 19. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 6. *glossa* 8. *num.* 20. Greg. Lopez *l.* 19. *vers. Heredar, tit.* 3. *part.* 6. Imola *l. tempus, ff. de hered. institut.*

Sed probabilius respondeo posse; cum hoc tamen onere, quod si posteà non obtineat à Principe legitimationem, teneatur reddere rationem legitimo heredi. Ratio sit, quod sic colligitur *ex l. si quis instituatur heres in diem, ff. de hered. institut.* Sic tenent Bald. & Angel. *in d. lege*, & rursus Baldus *in l. fin. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, & Ioan. Lup. quos refert, & sequitur Couarru. *num.* 12. *cit.* Palac. Rubios *rubr. de donat.* §. 29. *n.* 4. Dueñas, *regula* 366. *limitat.* 1. Montalbus *lib.* 3. *fori, tit.* 5. *l.* 10. *vers. ex adulterio.* Paleotus, Iul. Clarus, & Anton. Gabriel, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consilior. cap.* 3. *dub.* 29. Fragosus *num.* 160. *citato.*

QVÆSTIO XLV.

An filius Clerici possit legitimari à Principe laico, vt in bonis patris succedat?

NEgant aliqui Doctores, ex eo, quod ad legitimationem filij verè requiritur consensus patris, vt dicitur *in Authent. quibus modis naturales efficiantur sui.* Sed Clericus non potest consentire in laicum, seu coram eo causam aliquam tractare, *cap. si diligenti, de foro competenti*: ergo filius Clerici nequit legitimari à laico Principe. Ita tenent Dominicus à S. Geminiano *in cap. vlt. de iudic. in* 6. & Parisius *consil.* 2. *n.* 13. *lib.* 2. vnde teste Gregorio Tolosano *lib.* 10. *syntag. cap.* 4. *in fine*, in Senatu Parisiensi, anno 1562. constitutum fuit, filium Sacerdotis Regiis codicillis legitimum fieri non posse.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod filius etiam Sacerdotis possit legitimari à Principe laico, ad effectum, vt succedat in bonis temporalibus, seu patrimonialibus patris; non verò in bonis Ecclesiasticis. Ratio est, quia nullum inuenitur impedimentum ad hanc efficiendam legitimationem. Nam non inuenitur ex parte personæ, cùm sit laicus, qui legitimatur. Nec ex parte bonorum, quæ sunt temporalia, non Ecclesiastica, quæ proinde iurisdictioni laicæ potestatis sunt subiecta: ergo. Sic tenent Socinus Senior *in consilio* 47. *lib.* 4. Calderin. *in consil.* 3. *tit. qui filij sint legitimi.* Cæsar Lambertinus *de iurepatronat. lib.* 1. *in* 2 *p. q.* 2. *art.* 29. *num.* 17. latè, & optimè Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 8. *num.* 19. vbi hanc ponit conclusionem: Ad Principem secularem spectat legitimum efficere filium Clerici, etiam in sacris constituti, quoad successionem hereditariam in bonis patris, &

& quoad munera ciuilia, ea ratione quod legitimatio sit actus ipsius Principis. Bartol. & alij *in l. Gallus. §. forsitan. ff. de liber. & posthum.* Igitur ab ipso Principe in filium laicum alicuius Clerici exercenda est. Sic ille, & ex illo Andreas Fachineus *lib. 3. controuer. iuris, cap. 59. col.* 494. qui ad fundamentum contrariorum respondet, non prorogari in hoc casu vllam iurisdictionem à patre Clerico: nam consentit dumtaxat, vt filius legitimetur, quod absque Principis præsentia facere potest. Non igitur ideò consentit, vt Principis iurisdictionem proroget, quam ipse Princeps iam habet in filium eius laicum, & bona eius; sed consentit pro suo iure, & præiudicio, ne scilicet inuitus heredem, & successorem habeat. Hæc ille.

QVÆSTIO XLVI.

An spurius possit per substitutionem vulgarem, aliquid ex bonis paternis capere?

Respondeo dicendum, quod non: quia per substitutionem vulgarem, immediatè succeditur testatori, *Instit. de vulg. in principio*: sed sic est, quod spurius est incapax succedendi patri testatori immediatè, vt constat ex sæpe dictis: ergo spurius non potest aliquid ex paternis bonis capere per substitutionem vulgarem.

Pro intelligentia autem huius conclusionis, nota ex Siluestro, *hereditas 4. q.* 3. quod substitutio vulgaris dicitur illa, quæ à quolibet testatore de vulgo est factibilis, & cuilibet siue pupillo, siue minori fieri potest, vt constat *ex Instit. de vulg. substit.* Et hæc est duplex, vna expressa, quæ fit per negationem istam *non*, hoc scilicet modo; *Instituo mihi heredem Petrum: & si ipse noluerit, vel non potuerit heres esse, substituo Ioannem.* Alia est tacita, quando scilicet negatio non exprimitur, sed includitur, hoc scilicet modo: *Petrum, & Ioannem heredes instituo, & eos inuicem substituo.* Per quæ verba tacitè subintelligitur, quod si alter eorum heres non fuerit, quia noluit, vel non potuit, quando decessit ante aditam hereditatem, alter sit heres in solidum, *ff. de hered. instit. l. cùm in testamento, §. hac verba.* Hæc Siluester, ex cuius doctrina constat nostræ responsionis veritas. Quam docent communiter Doctores, Couarru. *in epitome 2. p. cap.* 8. §. 5. *n* 4. *vers. tertio deducitur*, & penes illum Guillel. Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. vers. & vxorem, num.* 690. Siluest. *verb. filij, q.* 4. Tabiena *num.* 3. & Rosella *num.* 5. Bartol. Menchaca, Matienzo, Roxas, Molina, Ant. Gomez, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. consil. c. 3. dub.* 14. *num.* 2. *concl.* 1. Quibus addo Azorium 2. *p. lib.* 2. *cap.* 10. *quæst.* 1.

QVÆSTIO XLVII.

An saltem possit spurius, ex substitutione pupillari, patris bona acquirere, & capere?

Affirmant quidam Iuristæ, quia substitutio pupillaris in bonis, quæ filio legitimo à patre prouenerunt, sortitur effectum post obitum patris: sed post obitum patris illa bona sunt omninò filij legitimi: ergo spurius succedens in illis, non succedit in bonis patris, sed in bonis filij legitimi pupilli. Nec obstant, inquiunt, quod succederet in illis ex dispositione patris; quia pater non disponit, nec testatur nomine proprio, sed nomine filij legitimi, & ita potiùs succedit spurius ille fratri pupillo. Pro intelligentia huius quæstionis nota ex Siluestro, *vbi suprà*, quod substitutio pupillaris dicitur, & est illa, quæ fit soli pupillo, vel pupillis, nec potest tempus excedere pupillare, sed expirat ad introitum pubertatis, vt dicendo; *Filius meus mihi heres esto*: vel *Instituo filium meum heredem; & si non erit, vel si erit, & intra tempus pupillare decesserit, Petrus sit heres*; vel *substituo Petrum. Instit. de pup. subst. in principio.* Hoc supposito ita sentiunt Acosta, *cap. si pater, de testam.* 2. *p.* §. *bona omnia, num.* 7. *& sequent.*

Sed distinctiùs sic respondeo primò: Certum est, quod spurius possit ex substitutione pupillari, acquirere, & capere omnia bona, quæ aliunde habuit pupillus, quàm à patre; quia cùm tunc spurius non succedat patri, nec in bonis eius, sed pupillo, & in eius bonis, nil obstat pupillariter substitui. In hac conclusione certa conueniunt omnes, vt ait Sanchez *lib. 4. consil. cap. 3. dub.* 24. *n.* 8. *& dub.* 25. *num.* 1.

Respondeo secundò: Probabilius est, quod spurius pupillariter substitutus, non possit succedere in bonis, quæ pupillo filio à patre prouenerunt. Primò quia sic videtur definitum *in l. si is, qui ex bonis, ff. de vulg. & pupill. substitut.* illis verbis: *Vt ex bonis, quæ testatoris fuerant, ampliùs capere non possit. Quod si pupillo aliquid præterea acquisitum esset, non impediri eum capere, quasi à pupillo capiat.* Sic lex, quæ vt vides, vtramque responsionem approbat.

Secundò, quia spurius, vt sæpe est habitum, est incapax succedendi in bonis paternis: ergo maximè, cùm ea bona iudicio patris sit habiturus: ergo. Sic docet Couarru. §. 5. *citato, num.* 4. vbi his verbis vtramque responsionem nostram docet. Secundò deducitur ex his, spurium filium à patre substitui non posse legitimo, ex pupillari substitutione ad effectum, vt patris bona consequatur, etiamsi pupilli bona capere possit ex illa substitutione. Sic ille, qui & citat Bald. *in l. eam quam, C. de fideicommiss. n.* 53. & *in cap. sollicitudinem, de appellat. col.* 2. Bartol. Paul. Alexand. & Iason, *in d. l. si is qui ex bonis*, Matienzo, Menchaca, Ant. Gomez, Plaza, Dueñas, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *dub.* 25. *cit. num.* 3. *iuncto num.* 6. Azor *loco citato, q.* 1. *vers. Rogabis*, vbi etiam vtramque nostram responsionem probat.

QVÆSTIO XLVIII.

An denique possit ad minùs institui spurius à patre heres fideicommissariè?

Affirmant aliqui, quia spurius sic institutus heres, non sibi, sed alteri hereditatem capit. Ita Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 3. & apud ipsum Card. Paleotus.

Sed multò probabiliùs respondeo dicendum, quod adhuc non possit, nam substitutio fideicomissaria dicitur illa, qua quis instituit heredem, & petit ab eo, vt restituat alteri: vel clariùs, est substitutio, per quam quis capit hereditatem, mediante alio, vt quando testator fideicommittit Petro heredi, vt hereditatẽ restituat Ioanni. Siluester *vbi sup. q.* 1. & alij. Hoc supposito dicimus, quod non possit pater instituere spurium, eum per fideicõmissum grauando, vt restituat hereditatẽ alteri, Ratio est, quia

quia heres sic grauatus, redditur verus dominus illius hereditatis, vt habitum est *suprà q.* 40. & habet quartam Trebellianicam deducendam ex illa hereditate, vt, *in cap. Raynaldus, & cap. Raynutius, de testam.* Atqui omnium horum est incapax spurius: ergo. Sic Couarru. *§. cit. n.* 4. *vers. tertiò deducitur*: & apud ipsum Guillel. Benedictus, Matienzo, Suarez, Rojas, Padilla, Peralta, & Greg. Lopez, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 24. *num.* 5.

QVÆSTIO XLIX.

An licitè possit spurius emere bona patris ab emptore, cui pater illa vendidit?

NEgandum videtur, eo quod spurius sit incapax bonorum, quæ veniunt ex patre.

Sed vt certum respondeo, licitum esse illi (dummodo non interueniat fraus) illa bona emere à dicto emptore patris; quia adhuc est licitum spurio, emere aliqua bona ab ipsomet patre: ergo à fortiori ab eius emptore. Antecedens constat ex Glossa *in l. qui testamentum, ff. de probat.* docente, non esse interdictam emptionem, & venditionem inter patrem & spurium suum, quia reverà pretium datum ab spurio patri (sicut ab vxore marito) substituitur loco rei emptæ, & fit compensatio, per *l. quod autem, §. si maritus, ff. de donat. inter vir. & vxor.* & *l. si & rem, & pretium, ff. de petit. hered.* Sic Fragosus 3. *p. regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. *§* 5. *n.* 156. Azor mox citandus.

QVÆSTIO L.

An casu, quo pater vendat suo filio spurio aliquid ex bonis suis, & pretium accipiat, possit deinde eiusmodi pretium eidem filio restituere & remittere?

AFfirmant quidam apud Cardin. Paleotum *de nothis, & spur. filiis, cap.* 45. *num.* 16.

Sed multò probabilius respondeo, non posse, quia perinde est, pretium rei venditæ remittere, ac rem ipsam donare. Sic aliqui, quos suppressis nominibus refert, & sequitur Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 11. *quæst.* 5.

QVÆSTIO LI.

An spurius possit acquirere bona patris sui, casu, quo ille contrahat societatem omnium bonorum cum filio legitimo patris, vel alio, & hic deinde à patre heres instituatur?

REspondeo posse in dicto casu spurium acquirere bona patris, hoc est, dimidiam partem hereditatis relictæ filio legitimo (dummodo non appareat id factum fuisse in fraudem legis.) Ratio est, quia in societate contracta vniuersim omnium bonorum, inter duos, cùm omnia bona, quæ acquiruntur, siue ex negotiatione, siue ex testamento, siue ex quocumque alio modo lucroso, aut oneroso efficiantur communia, dimidia pars, extincta societate, ad socium pertinet, *l. si societatem vniuersorum, ff. pro socio*: ergo casu, quo socius spurij institutus sit heres à patre spurij, ad spurium pertinebit media pars hereditatis relictæ, eo quod iure societatis ipsi debeatur. Sic Bartol. *in l. si is, qui duos, ff. de liberat. legata, num.* 6. Bald. *in l.* 1. *C. pro socio, q.* 15. Corsetus *in singular. verb. spurius.* Quos citat, & sequitur Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 1. Molina *tract.* 2. *disp.* 412. *in principio*, Fragosus *part.* 3. *lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 5. *num.* 155. qui & citat Couarru. *in* 4. 2. *p. cap.* 8. *§.* 5. *num.* 3. sed in hoc numero nil agit ille ad rem, bene tamen *n.* 11.

QVÆSTIO LII.

An item casu, quo pater ea bona relinquat socio spurij, ea intentione, vt ad suum filium spurium media eorum pars perueniat, tunc ipse spurius acquirat medietatem paternorum bonorum?

AFfirmant nonnulli ex Doctoribus citatis, vt refert Couarru. *num.* 11. his verbis: Sunt & quidam, qui patri consulant, contracta inter spurium, & capacem alium integerrima omnium bonorum societate, illum spurij socium heredem instituere, vt ex illa societate optimam partem filius spurius capiat, ratione societatis. Bald. *in d. l.* 1. *C. pro socio, col. fin.* Corset. *in singul. suis, verb. spurius.* Optimus textus, & ibi Bartol. *in l. is qui duos, ff. de deliber. legat.* Ioan Lup. *in rubr. de donat. inter vir. & vxor. §.* 65. *n.* 11. Hæc Conarr. qui tamen ait, ab hoc consilio esse abstinendum, vnde cum ipso.

Respondeo vt certum dicendum, non acquirere; quia tunc talis institutio facta fuit, vt ad spurium media pars hæreditatis perueniret, & sic facta fuit in fraudem legis, & consequenter fuit nulla. Sic Conarru. *loco cit.* qui verbis relatis hæc adiecit: Ab hoc tamen consilio cauendum censeo, tum propter fraudis non leuem coniecturam: tum ob animæ salutem, cui non admodum conuenit his vti dolis ad fugiendas sanctissimarum constitutionum prohibitiones. Sic ille, & sic Azor, *loco cit. vers. nec est, quod suspicemur.* Fragosus, & alij.

QVÆSTIO LIII.

An in casu, quo facta fuit institutio dicta in fraudem legis, posit spurius in foro conscientiæ retinere medietatem bonorum patris prouenientem sibi ratione societatis initæ, donec per sententiam tali portione priuetur?

AFfirmant nonnulli, quia leges prohibentes filium spurium accipere aliquid ex bonis paternis, siue per donationem, siue per testamentum, sunt pœnales: ergo non videntur obligare in conscientia, nec impediunt translationem dominij ipso facto: ergo actus ipse sustinetur donec rescindatur per sententiam. Pro hac parte citat Fragosus Diuum Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. & Caiet. *ibi*, & *in sum. verb. pœna.* Syluest. *verb. Assassinus, n.* 4 *vers. quintò.* Medinam *C. de rebus restituend. quæst.* 1. Alexand. de Imola *in l. si quis maior, C. de transactaion.* Vbi ait, quod cùm reus nequeat temperare pœnam, cum non sit Iudex in causa propria, neo

tenetur

tenetur executioni mandare, quod dispositum est à lege ipso facto; nec tenetur de seipso vindictam sumere: Emmanuelem Sà *verb. hæreditas, num.* 11. *& verbo filius, num.* 30. & Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 66. Sed ex his Authoribus Sà id non docet *verb. Hæreditas, num.* 11. sed *num.* 19. illis verbis: Cùm in pœnam delicti prohibetur aliquis hæreditare, requiritur sententia Iudicis. Et Henriquez id non docet *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 66. quia non scribit per dubia, nec habet *num.* 66. Certè voluit Fragosus citare Lessium, qui *lib.* 2. *de iust. dubit.* 6. *num.* 66. hæc scribit: Aduerte secundò, quosdam sentire, quibus accedit Emman. Sà, *verb. Hæreditas, &* Henriquez *lib.* 1. (lege 11.) *de matrim. cap.* 21. *num.* 1. posse retinere ea, quæ mater ipsa reliquit, donec per Iudicem priuetur, modò notabiliter non noceat legitimis liberis. Quæ sententia mihi videtur non improbabilis. Ita Lessius. Ita item tenet Henriquez *cap.* 20. *sub. num.* 5. & dicit Fragosus esse id probabile. Certè hi Authores non solùm in casu dubij, verùm etiam in certo casu affirmant posse spurium in foro conscientiæ retinere dictam hereditatem, donec per sententiam Iudicis tali hereditate priuetur.

Sed multò longè probabilius, imò, vt mihi certum, respondeo dicendum, quod casu, quo dicta institutio facta fuerit in fraudem legis, minimè possit spurius retinere in foro conscientiæ hereditatem paternam, sed teneri illam non admittere, aut si admiserit, restituere ante sententiam Iudicis. Ratio est, quia lex humana prohibens, spurium posse acquirere donatione, aut testamento, aliqua bona patris, est sanctissima, & habet vim in foro conscientiæ, vt constat ex dictis: ergo si aliqua paterna bona illi aliquo ex dictis modis aduenіant, cùm sit incapax illorum, nequit illa admittere, & retinere. Sic Couarru. *in reg. peccatum,* 2. *p.* §. 8. *n.* 6. Graffis *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *num.* 46. 47. *&* 48. & alij, quos sequitur Fragosus 3. *p. lib.* 2. *disp.* 2. §. 5. *num.* 155. dicens, id non solum esse probabilius, sed certum. Sed certè non consequenter id dicit. Tenent communiter Doctores. Nec obstat quod leges dictæ sint pœnales: quia esto quod tales sint, sunt etiam pariter præceptiuæ, redduntque spurios omnino inhabiles ad bona paterna percipienda, exceptis alimentis: & ideò obligant in vtroque foro. Legantur à nobis dicta *p.* 6. *tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 17.

QVÆSTIO LIV.

An si spurius in aliqua Religione profiteatur, posit tunc à patre aliquid habere?

Respondeo dicendum posse, quia olim spurius Curiæ oblatus, eo ipso natalibus restituebatur, vt aiunt Bald. *in l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles. num.* 25. Iason *in Authent. non licet, C. de liberis patern. n.* 4. & Ruinus *consil.* 89. *in* 3. *volum.* ergo non est cur negemus spurium, qui sese Religioni dedicat, habilem factum esse ad consequenda aliqua bona à patre. Sic Decius *consil.* 576. Marsilius *in singular.* 273. & Cardin. Paleotus *in lib. de nothis, & spuriis cap.* 45. *n.* 6. Quos sequitur Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 2.

QVÆSTIO LV.

An item spurius qui sacris Ordinibus est initiatus, possit consequi bonorum aliquid à patre?

Negat Decius *loco cit.* eo quod Clericus ex bonis Ecclesiæ possit commodè sustentari.

Sed probabilius respondeo, etiam huiusmodi spurium habilem factum fuisse per receptionem sacrorum Ordinum, ad recipiendum aliquid bonorum à patre: quia etiam per receptionem sacrorum Ordinum sese seruitio Ecclesiæ dedicat. Sic Marsil. Paleot. & Azor *locis citatis.*

QVÆSTIO LVI.

An nepos ex filio spurio, possit ab auo heres institui, deficiente prole legitima?

Negant aliqui Doctores docentes, minimè posse auum heredem instituere nepotem ex filio spurio. Primò, quia filio spurio nihil relinqui à patre potest, nec per se immediatè, nec per tertiam personam, vt constat *ex l.* 1. *C. de naturalib. liberis,* & ex nuper dictis: ergo nec constitui nepos ex eo poterit, quia pater eius vsumfructum acquireret, *l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis.*

Secundò, quoniam absurdum videtur, nepotem melioris esse conditionis, quàm filius sit, *argum. l. si vina,* §. *in nepotib. C. de bonis matern.* Ita Cynus *in l. vlt. C. de naturalib. liberis.* Baldus *in l. Gallus,* §. *quidam rectè, ff. de liber. & posthum.* & multi alij, quos commemorat Anton. Gabriel *lib.* 4. *commun. conclus. tit. de hered. instit. concl.* 3. *num.* 10.

Alij distinguendo respondent sic. Aut nepos est in potestate patris sui, aut non, sed sui iuris effectus. Si in potestate patris, tunc inquiunt, non potest institui heres ab auo suo: secus verò (aiunt) si iam est sui iuris. Ratio eorum est lex *quæritur, ff. de bonis libertor.* Terentius Clemens: *Quæritur* (ait lex) *an filio exheredato, etiam nepotes ex eo à bonorum possessione liberti excludantur. Quod vtique sic dirimendum est, vt viuo filio, donec in potestate eius liberi manent, non admittantur ad bonorum possessionem: ne qui suo nomine à bonorum possessione submouentur, per alios eam consequantur. Si autem emancipati à patre fuerint, vel alio modo sui iuris effecti, sine aliquo impedimento ad bonorum possessionem admittantur.* Sic lex, propter quam ita tenet Speculator *tit. de successionib. ab intestato,* §. 1. *vers. quid si habens spurium,* & ita intelligit Angelum Paulus Castrens. *in l. Gallus.* §. *quid si is, ante num.* 7. *ff. de liber. & posthum.*

Sed ego clariùs, & certiùs respondeo primò, nullo modo potest auus instituere nepotem heredem causâ filij spurij, hoc est, vt filius suus spurius vsumfructum, vel aliquod emolumentum habeat ex bonis relictis nepoti. Hanc responsionem probat ratio prima adducta pro prima sententia, & illam tenent Bartol. Azor, Fachineus, Couarru. & alij mox citandi, & Authores primæ sententiæ, & roborabitur ex conclusione sequenti.

Respondeo secundò: Probabilius est, quod possit auus instituere heredem nepotem, siue legitimum, siue naturalem ex filio suo spurio, dummodo deficiat proles legitima, & id faciat auus causa, non filij sui, sed tantum sui nepotis. Hanc, & antecedentem

responsionem probat lex *vltim. C. de natural. liber.* his verbis. *Liceat eis* (idest nepotibus) *quantum voluerint sua substantia in eos conferre, scilicet, nulla legitima sobole subsistente. Filiis enim naturalibus relinqui constitutiones quantum voluerint ideo prohibuerunt, quia vitium parentum refrenandum esse existimauerunt. In nepotibus autem non eadem obseruatio in præfatis speciebus custodienda est, vbi legitima soboles minimè faciat impedimentum.* Sic lex, quæ licèt non loquatur de nepotibus ex filiis spuriis, sed ex filiis naturalibus; eadem tamen est ratio in nepotibus ex filiis spuriis; & cùm nulla lege prohibeantur institui heredes ab auo, illique nullam prorsus culpam admiserint, certè contra rationem iuris videtur eos excludere ab aui hereditate relicta, vbi nulla subest auo legitima proles, ficut loquitur ipse Iustinianus. Sic tenent Anton. Gabriel, *loco suprà citato, concl. 3. tit. de testamento,* Cardin. Paleotus *in lib. de nothis, & spuriis, cap.* 53. & Andreas Geyll. (qui testatur in Spirensi Auditorio receptum) *lib. 2. obseruat.* 115. *num.*, quos sequitur Andreas Fachineus *lib. 5. controuers. iuris, cap.* 97. *col.* 999. Quibus addo Ioan. Azorium *p. 2. lib. 2. cap.* 11. *q.* 3. & apud ipsum, Corneum *consil.* 1. *in lib.* 3. & Iulium Clarum *lib. 3. sentent.* §. *testamentum, quæst.* 31. Couarru. *in epitome 2. p. cap.* 8. §. 5. *n.* 13. Bartol. Imolam, Alexand. Aretin. *in l. Gallus, cit.* Decium *consil.* 462. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 20. *n.*8. ibi: Tertiò potest Clericus heredem instituere nepotem legitimè natum ex spurio ipsius filio, quia dispositio legis pœnalis non extenditur vltra casum & personas in ea expressas. Sic ille.

Ad primum argumentum primæ sententiæ, respondet Fachineus dicendo, eo in casu minimè acquiri patri vsumfructum, licèt nepos in eius sit potestate. Nam non acquiritur vsusfructus bonorum relictorum parenti, inuito eo, qui filium eius heredem instituit, *vt in authent. excipitur, C. de bonis, quæ liberis.* Hoc autem in casu, auus præsumitur nolle vsumfructum parenti acquiri, quia non potest: nemo enim id voluisse præsumitur, quod legi repugnat, & nullam reddit suam dispositionem.

Ad secundum negandum est, esse absurdum, cùm filius sit incapax hereditatis, nepos verò capax sit. Id enim iuri consentaneum est, nec contrarium probat lex adducta, quia non loquitur de hac specie.

Ad argumentum autem secundæ opinionis respondet idem Fachineus, illum textum locum habere potuisse secundum leges veteres, cùm videlicet, quidquid filius acquirebat, parenti acquireret. Hodierno autem iure non acquiritur, etiam quantum ad vsumfructum, inuito eo, qui relinquit, *vt in Authent. excipitur, citata:* & vt est dictum, in hoc casu merito præsumimus, auum nihil acquiri voluisse filio suo, ob rationem dictam ad primum argumentum.

QVÆSTIO LVII.

An etiam nepos ex filio, post sacros Ordines suscepto, ab auo presbytero, institui possit heres?

NEgandum videtur, quia nepos ex filio nato ex incestu heres institui non potest ab auo, vt statim dicemus: at sic est, quod filius Clerici in sacris constituti Ordinibus, dicitur natus ex incestu, Glossa, Bald. & Paul. *in l. 1. C. de Episcop. & Cleric.* ergo.

Sed nihilominus respondeo dicendum, posse institui, quia hic filius propriè non dicitur incestuosus, ex Glossa *in capit. per venerabilem, qui filij sint legitimi*: quæ eum adulterinum appellat. Sic Couarru. *num.* 13. *cit.* ibi: Vnde hæc conclusio secunda procedit etiam in nepote legitimo, vel naturali, ex filio Clerici sacris Ordinibus insigniti, quod Bald. voluit *in d. l. si quis incesti.* Petrus, Cynus, & Salic. *in l.* 2. Alexand. *in d. §. quid si is, col. fin.* Roder. Suarez *in l. 9. tit. 11. lib. 1. fori, 2. columna,* & Corset. *in singul. verbo fornicatio*, vbi expressim fatetur hanc opinionem communem esse. Sic ille. & tenent Henriquez, cuius verba habes quæstione antecedenti, & alij. Et ego de hoc casu consultus in contingenti casu, hoc consilium dedi.

QVÆSTIO LVIII.

An nepotes ex filio nato ex incestu, heredes possint institui ab auo?

AFfirmat Iason *in l. Gallus, §. quid si is, n. 25. ff. de liber. & posthum.* docens, quod si filius ex incestu natus sit, possit auus instituere heredem natum ex eo nepotem. Ratio eius (inter alias) est, quia odium est irrationabile in hac specie contra nepotem, qui nihil peccauit: ergo.

Sed vt mihi certum respondeo, non posse institui heredem, quia sic colligitur *ex l. si quis incesti, C. de incestis nupt.* in qua Arcadius, & Honorius prohibent ei, qui incestas contraxerit nuptias, testamento quidquam relinquere extraneis, & potestatem concedunt relinquendi certis dumtaxat personis ibi expressis, nempe descendentibus ex iusto, & legitimo matrimonio, vt filius, filia, nepos, neptis, pronepos, & proneptis: & ascendentibus, vt pater, mater, auus, auia. Tunc sic: Sed nepos ex filio notho ex incestu, non est ex illis, vt patet: neque enim est ex descendentibus ex legitimo matrimonio, quia parens eius est ex incestis nuptiis procreatus: ergo ei ab auo nihil relinqui potest, reputaturque extraneus, & ideo exclusus ab omni successione, siue testati, siue intestati aui. Sic Fachineus *lib. 5. controuers. iuris, cap.* 98. *col.* 1000. qui ad argumentum Iasonis respondet, durum esse contra legem calcitrare, quæ non ipsum nepotem odio persequitur, sed eum, qui crimen incestus admisit, quem ita puniendum existimauit, vt nec liberè posset de suis bonis testari; ac proinde intelligere prolem ex nuptiis turpibus susceptam, & natos natorum, & eos, qui nascentur ab illis, omni solatio destitutos fore, quod de successione, & hereditate percipitur, egenos perpetuò futuros: quæ maxima parentis proculdubio pœna & afflictio erit, *argum.* §. *vltim. Nouella, quibus modis natur. efficiant. legitim.* ac proinde causa eiusmodi libidines coërcendi, ad quod respexit probus Legislator. Sic ille. Et tenent hanc sententiam Baldus *in l si quis incesti, C. de incest. nupt.* Antonius Gabr. *lib. 4. commun. conclus. tit. de herede instit. concl.* 3. *num.* 2. Paleotus *de nothis, & spur. cap.* 53. *num.* 19. Couarru. *in epitome 2. p. cap.* 8. §. 5. *n.* 13. Corset. *in singul. verb. heres.* Hippol. *sing.* 143. & est sententia communiter recepta.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LIX.

An filij spurij possint succedere patri ab intestato?

RESpondeo vt certum, non posse; quia prohibitum est illis *in authent. quibus modis naturales efficiantur sui*, §. *vlt. l.* 1. *& l. licet patri, C. de naturalib. liber. & l.*10. *Regia, tit.*13. *part.*6. & docent omnes. Couarru. *loco cit. num.*3. Azor *part.*2. *lib.*2. *cap.*9. *q.*1. & constat ex à nobis dictis *suprà q.*38. *&* 39.

---

§. II.

De ratione, qua filij spurij possint succedere matri.

QVÆSTIO LX.

An mater prole legitima destituta, possit relinquere filio suo spurio quidquid voluerit?

AFfirmant quidam de omni spurio loquendo; eo quod Authent. *licet, cit.* & Nouella 74. vbi prohibetur, ne quid relinquatur filiis spuriis, solùm loquuntur de patre: ergo matres non comprehenduntur in dicta prohibitione; ergo possunt relinquere filiis suis spuriis quidquid voluerint, dummodo filiis legitimis careant. Pro hac parte citat Fragosus Emmanuelem Sà *v. hereditas, num.*7. Henriquez *lib.*1. (lege tu 11.) *de matrim. cap.*21. *num.*1. & Leonardum Lessium *lib.*2. *de iust. cap.*19. *dubit.*6. sed certè non benè. Nam hic Author oppositum docet ibi *num* 64. vt infrà videbimus: quamuis *num.*66. id dicat esse probabile, iis verbis: Aduerte secundò, quosdam sentire, quibus accedit Emm. Sà, & Henriquez *locis citatis*, spurium posse retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per iudicem priuetur, modo notabiliter non noceat legitimis liberis. Quæ sententia mihi videtur non improbabilis, præsertim de matre non illustri: nam si quis benè expendat iura quibus Doctores probant matrem non posse aliquid ei relinquere, non omninò vrgent. Authentica enim *licet*, & Nouella 74 loquuntur apertè de patre. Similiter Authent. *ex complexu, C. de incestis nuptiis*, vbi dicitur. *Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato liberi, nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ita vt nec alantur à patre.* Cur hoc extendamus ad substantiam maternam, cùm odia sint restringenda. *In dicta l. si qua illustris, C. ad S.C. Orficianum*, solùm dicitur, mulierem illustrem, si proles habet legitimas, non posse quidquam dare, vel testamento relinquere suo spurio: hinc tamen non sequitur, quin mulier non illustris id possit, etiamsi alias proles habeat. Item non sequitur illustrem non posse, si aliis liberis careat. Hæc omnia Lessius.

Negat contrà Fragosus sine vlla distinctione, *loco infrà citando.*

Sed multò longè probabiliùs respondeo minimè posse matrem, adhuc legitima prole destitutam, relinquere filio suo spurio in testamento quidquid voluerit, exceptis alimentis, casu, quo spurius natus sit ex damnato coitu, secus aliàs. Sic expressè Lessius *dub.*6. *cit. n.*64. qui sic hanc partem probat; quia illegitimus qui non potest succedere patri, non potest etiam succedere matri, nisi aliquo iure sit de hoc exceptio, vt colligitur *ex Authent. licet*, suprà, & *ex Nouella* 74. *cap.*6. Atqui nulla de successione spurij in bonis maternis extat in iure exceptio, sicut de aliis legitimis, vt patet *Instit. ad S.C. Orficianum*, §. *nouissimè, & l. si qua illustris* 5. *C. eodem.* Sic Lessius: cuius ratio in nostro Regno fortiùs probat nostram sententiam. Nam *in ordinat. Regia, tit.*93. *lib.*4. apertè statuitur, quod mater non possit succedere filio suo spurio, ibi, *Aque ò Pay, ò May non pode succeder.* Ergo cùm ius succedendi sit mutuum, ac reciprocum, sicut mater non potest succedere filio spurio, sic etiam nec matri spurius succedet, cùm sit incapax. Sic intelligo Fragosum *p.*3. *regim. Christ. Reipub. lib.*2. *disp.*2. §.4. *num.*145. qui (simul cum Lessio) citat pro hac parte Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.*8. §.5. *n.*3. & Molinam *tom.*1. *de iust. disp.*167. *concl.*3. sed non ita benè. Tum quia Couarru. non agit de hac quæstione *num.*3. (nec *num.*20. vt citat Lessius, cùm ille §. 5. non habeat nisi 19. numeros) sed *num.*15. & Molina non *concl.*3. sed 4. tum quia hi Doctores solùm id docent de spuriis conceptis ex coïtu damnato, & punibili lege humana. Tenet etiam nostram sententiam Sanchez *lib.*4. *consil. cap.*3 *dub.*10. *num.*1. vbi ita ait: Nota certissimum esse omnes filios spurios esse legitimos, ac necessarios heredes matris, deficientibus filiis, & descendentibus legitimis, licet mater habeat ascendentes legitimos, demptis his, qui ex damnato sunt concubitu; & demptis filiis Clericorum Ordine sacro insignitorum, & Monachorum, ac Monialium professarum. Est enim lex expressa de hoc *l.*9. *Tauri, quæ est l.*7. *tit.*8. *lib.*5. *nouæ recopilat.* vbi autem mater habet filios, aut descendentes legitimos, posset dictis spuriis quintam bonorum partem relinquere, sicut supià de filiis naturalibus dictum est. Idem enim omninò de filiis naturalibus, & spuriis, demptis dictis, quoad maternam successionem dispositum est dicta *lege* 9. *& dicta l.*7. Hæc Sanchez, necnon Azor 2. *p. lib.*2. *cap.*9. *q.*1. quod ampliùs ex quæst. sequenti clarescet. Sit ergo,

QVÆSTIO LXI.

An filij spurij ex damnato concubitu, succedant matri intestatæ, aut ex testamento?

REspondeo vt quid certum, quod non; quia id habetur expressè *lege* 9. *Tauri, citata*, & ita docet Couarru. *num.*13. *citato* his verbis: tertia conclusio. Filius spurius natus ex damnato coïtu matri intestatæ non succedit, nec ex testamento, etiamsi mater non sit illustris, nec proles legitima supersit, &c. Sic ille, & Sanchez *dub.*10. *cit. n.*1. *& dub.*12. *num.*1. dicens id esse certissimum, intelligens in nostro Regno: & Vasquez *de testam. cap.*5. §.8. *dub.*2. & alij citati suprà.

QVÆSTIO LXII.

An filius illegitimus, non tamen natus ex damnato coitu, succedat matri illustri, carenti filiis legitimis?

NEgat Anton. Gomez *l. 9. Tauri, num.* 10. cui videtur fauere Couarru. *num.* 13. *citato*, illis verbis: Licèt alias spurius natus ex coitu non damnato, matri non illustri succedat simul cum legitimis, *l. si qua illustris, &c.* Ita ille: ergo matri illustri non succedet.

Sed ex dictis respondeo dicendum, quod verè, stando legi 9. *Tauri*, succedit; quia dicta *lex* 9. solùm excipit natos ex Clericis, vel professis, necnon ex damnato coitu; vt notat Vasquez *vbi suprà*: ergo cùm dictus filius spurius, non sit ex his, vt supponimus, verè succedet matri illustri carenti filiis legitimis, tam ab intestato, quàm ex testamento. Sic Tello *l. 9. Tauri, num.* 2. Matienzo *lib. 5. ordinamenti, tit.* 8. *l.* 7. *glossa* 6. *num.* 2. vocans sententiam Gomezij falsissimam. Gutierrez *lib. 2. qq practicar. q.* 208. *num.* 1. Sanchez *lib. 4. consilior. cap. 3. dub.* 12. *num.* 3.

QVÆSTIO LXIII.

An filius natus ex stupro succedat matri intestata, aut ex testamento?

NEgat Ledesma 2. 4. *q.* 18. *art.* 1. *dub.* 16. *ad* 3. & Sotus *lib. 4. de iust. q. 5. art.* 1. *ad* 4. existimantes, talem filium procedere ex coitu damnato, & ideò non posse succedere matri. Audi Sotum. Si verò (inquit) sint ex damnato concubitu nati ex parte matris, putà ex incestu, aut stupro, & potissimùm ex adulterio, non succedunt, neque ex testamento, neque ab intestato. Non tamen prohibetur, quin tam mater, quàm pater, possit illis quintam etiam partem legare. Hæc autem extra vllam sunt controuersiam. Hucvsque Sotus.

Sed certè vt mihi certum respondeo filium natum ex stupro verè succedere matri intestatæ, & ex testamento; quia certum est mihi, talem filium non procedere ex coitu damnato, cùm iuxta legem Tauri, mater non incurrat mortis pœnam propter stuprum: & sic talis filius ei succedet. Sic Anton. Gomez *l. 9. Tauri, num.* 14. Couarru. *in epitome 2. p. cap.* 8. §. 5. *num.* 18. Quos citat, & sequitur Sanchez *loco citato, num.* 4. sed certè Couarru. oppositum docet ibi, attento iure communi; licet innuat oppositum dicendum, attento iure Cæsareo.

QVÆSTIO LXIV.

An filius conceptus ex adultera, possit succedere matri carenti filiis legitimis?

AFfirmant omnes Doctores, qui existimant, filios natos ex coitu coniugati cum coniugata, non esse dicendos natos ex damnato concubitu, & consequenter, attento iure Regio *l. 9. Tauri*, possunt succedere matri ex testamento, & ab intestato, cum per dictam legem omnes spurij illi succedant, nisi sint ex damnabili coitu. Sunt autem Bald. Paul. Castrens. Perez, & alij citati à nobis suprà *q.* 6.

Sed probabiliùs respondeo, non posse succedere, quia probabilius existimauimus, *illa quæst.* 6. tales filios esse dicendos natos ex damnato concubitu (cùm hic pœna mortis plectatur:) sed sic est, quod filij spurij nati ex damnato concubitu, non possunt vllo modo succedere matri, vt constat *ex d. l. 9. Tauri*: ergo. Sic tenent Sanchez, Tello, Matienzo, Villalp. Cifuentes, Plaza, & alij citati à nobis *sup. q.* 6. Sed audi obsecro Vasquez sic dicentem: Vnde constat, quod filius natus ex adultera, matri non succedat vllo pacto, neque ad hoc capax est: & quod adulterinus non succedat matri in casu dicto, docet Anton. Gomez *in l. 9. Tauri, num.* 14. & Roder. Suarez *in l. 1. tit. 6. lib. 3. fori*, & hoc certissimum est. Sic ille *opusc. de test am c.* 5. §. 8. *num.* 175. *fine*. Secus dicendum est, casu, quo filius natus sit ex coitu viri coniugati cum fœmina soluta, quia cùm talis coitus non puniatur pœna mortis, non dicitur coitus damnatus, vt diximus *suprà quæst.* 5. & ampliùs constabit ex mox dicendis.

QVÆSTIO LXV.

An filij suscepti ex adultera, lenocinio tamen, & consensu mariti, possint succedere matri carenti filiis legitimis?

REspondeo dicendum, quod huiusmodi filij benè possint succedere matri; quia non dicuntur nati ex coitu damnato, cùm talis mulier adultera non incurrat pœnam mortis. Nam licèt ille maritus pœna mortis sit plectendus, vt docuit Anton. Gomez *l. 80. Tauri, num.* 73. (quod tamen in praxi receptum non est) tamen illa in eo casu, morte non punitur, sed vterque flagellis cæditur, tam maritus, quàm adultera vxor. Sic Vasquez *dub. 2. citato, n.* 176. *vers. hinc infera.*

QVÆSTIO LXVI.

An filij nati ex sponsa de futuro, quam alius ab sponso cognouit, succedant etiam matri?

REspondeo dicendum, verè succedere; quia non sunt filij adulterini ex coitu damnato, vt constat ex dictis suprà *q.* 5. & 7. Sic Vazquez, dicens tamen, quod tales filij sint spurij, & non naturales; sed esse naturales ex iure Castellano, & Lusitano, docuimus suprà *q. 7. citata.*

QVÆSTIO LXVII.

An filius natus ex muliere, quæ proprio seruo se coniunxit, possit succedere matri?

REspondeo vt certum, non posse, quia est filius ex concubitu damnato ortus, cùm talis mulier morte puniatur, *in l. 1. C. de mulier. quæ propriis seruis*, &c. vt diximus suprà *q.* 3. *in primo casu.* Ergo non potest succedere matri. Sic Authores ibi citati.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXVIII.

An filius natus ex incestu simul & adulterio, possit matri succedere?

RΕspondet P. Vasquez, hunc casum habere difficultatem in antiquo, & communi iure, quia in eo (inquit) non puniebatur pœna mortis adulterium, sed incestus, & adulterium simul puniebantur. Nunc verò difficultate caret, cùm solùm adulterium puniatur pœna mortis. Sed & hic casus haberet difficultatem modò, quando per adulterium non incurritur pœna mortis. Ita ille *dub. 2. cit. num. 179.*

Sed absolutè respondeo vt certum, dicendum, quod talis filius nequeat matri succedere; eo quod natus sit ex concubitu damnato, cùm mater pœna mortis puniatur propter admixtionem criminum, vt diximus suprà *q. 3. in casu 2.* vnde id esset verum, etiam casu, quo per adulterium non incurratur pœna mortis.

QVÆSTIO LXIX.

An filius natus ex coïtu habito inter Christianam, & Iudæum, vel Maurum, possit succedere matri?

NOn audet negare Vasquez *dub. 2. citato, fine*, cùm dicat, hunc casum dubium esse, saltem in Iudæo.

Sed ferè absque dubio respondeo non posse; quia ferè sine dubio existimo, talem coïtum esse damnatum, & ideò filium ex ipso ortum, non posse succedere matri. Sic tenet Tello Fernandez, & alij citati à nobis *quæst. 3. in 3. casu.*

QVÆSTIO LXX.

An filius natus ex coïtu habito inter fœminam, & consanguineum, vel affinem, intra quartum gradum, possit succedere matri?

NEgant posse matri succedere, qui contendunt, talem filium esse ortum ex coïtu damnato, & vt tali puniendo pœna mortis: sunt autem Tello, Roxas, & Azor citati à nobis *suprà q. 4.*

Alij contrà affirmant posse succedere, quia negant talem filium natum esse ex coïtu damnato: sunt autem Matienzo, Auendaño, Anton. Gomez, Greg. Lopez, & Vasquez relati *q. 4.* pro secunda sententia.

Sed iuxta ibi dicta respondeo dicendum, si talis filius ortus est ex concubitu solùm incestuoso, & non admixto alio cum crimine, tunc probabilius est, quod talis filius possit succedere matri; quia probabilius est, quod hodie concubitus incestuosus non punitur pœna mortis, sed pœna Iudici arbitraria; & consequenter talis filius, cùm non sit natus ex concubitu damnato, benè potest succedere matri, vt benè docent Authores secundæ sententiæ.

Secus dicendum est, iuxta ibidem dicta, si talis filius nascatur ex complexu incestuoso, simul & adulterino; aut ex incestu & stupro simul, aut ex coïtu habito inter ascendentes & descendentes; quia tunc cum oriatur ex coïtu damnato, & punibili pœna mortis, nequit matri succedere. Et in his casibus verior est prima sententia. Legantur *dicta q. 4.*

QVÆSTIO LXXI.

An filij spurij Clericorum, præcipuè Ordinis sacri, possint succedere matri carenti filiis legitimis, ex testamento, & ab intestato?

AFfirmant nonnulli Iuristæ, eo quod *lege 9. Tauri* dicitur, omnem spurium, demptis filiis ex damnato concubitu, esse heredem legitimum matris carentis legitimis descendentibus: atqui filij Clericorum, etiam Ordinis sacri, non sunt ex damnato concubitu, vt docent communiter Doctores: ergo succedunt matri. Confirmatur *ex l. 3. tit. 21. part. 4.* in qua expressè dicitur, filios Clericorum posse succedere in bonis maternis: atqui non est lex recentior, quæ expressè oppositum disponat: ergo. Ob id ita apud Sanchez sentiunt Greg. Lopez *in d. l. 3. in glossa, los de la madre*; vbi ait, quod nec de iure ciuili, nec de iure Castellæ, filij Clericorum excludantur à successione matris. Perez *lib. 8. ordinam. tit. 15. l. 298.* Auendaño *l. 9. Tauri, glossa 10. n. 5. 6. & 7.* Montalb. *lib. 3. fori, tit. 5. l. 10. §. in adulterio, el 1.* (Quamuis hi omnes hanc suam sententiam multis modis limitent, vt infrà.) Ita etiam Matt. de Afflictis, apud Couarru. *infrà.*

Alij contrà negant, dicentes, filios Clericorum, præcipuè Ordinis sacri, minimè posse matri succedere. Probant primò *ex illa l. 9. Tauri*, quæ, loquens de successione materna, postquam dixit, spurios succedere matri, statim subdit, *Saluo si fueren hijos de Clerigos, ò Freyles, ò Freylas, ò Monjas professas, que en tal caso queremos que se guarde la ley de D. Iuan echa en Soria.* Atqui exceptio debet esse de contentis in dicta lege, aliàs esset vana, vt cum aliis docet Couarru. *lib. 2. variar. cap. 5. num. 4. & 5.* ergo illa exceptio, *Saluo si fueren hijos de Clerigos*, debet intelligi de contentis in illa lege, quæ tantum loquebatur de successione matris. Et sic vult lex, quod dicti non possint succedere matri. Sic Sanchez *lib. 4. consil. c. 3. dub. 10. num. 7.* dicens, hanc sententiam esse multò probabiliorem. Citatque pro illa Greg. Lopez, sibi contrarium, *l. 11. tit. 12. part. 6. vers. natus.* Couarru. *4. decret. 2. p. cap 8. §. 5. n. 17.* Mieres *de maioratu 2. p. q 2. n. 16.* Tello *l. 9. Tauri, n. 54.* Anton. Gomez *ead. l. 9. n. 15.* Gomez Arias *l. 7. Tauri, n. 65.* Cifuentes *l. 9. Tauri, n. 5.* Roxas, Plaza, Auendaño, Menchaca, Gutierrez, Spino, Azeuedo, & alios. Quibus addi possunt Vasquez *opusc. de testam. cap. 5. § 8. dub. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dubit. 6. n. 65.* Molina *de iust. tom. 1. disp. 167.* Fragos. *part. 3. lib. 1. disp 2. §. 4. n. 145. vers. dicendum tamen est.* Vbi ait in Lusitania esse omnino improbabilem oppositam sententiam, eo quod *in Ordin. lib. 4. tit. 93.* expressè dicitur, *que algun fillio de Clerigo à que ò Pay, ò May, no poden succeder.*

Sed ego clariùs respondeo dicendum primò: certum est, quod filius Clerici Ordinis sacri, habitus ex coniugata, vel consanguinea Clerici, non possit succedere matri, quia procedit ex concubitu damnato, vt constat ex nuper dictis. Sic tenet à fortiori

fortiori omnes DD. pro secunda sententia adducti; & ex adductis pro prima, Perez, Montalbus, & Anendaño, vt ait Sanchez *num.5.*

Respondeo secundò: multò probabilius est, quod indistinctè nullus filius Clerici Ordinis sacri, etiamsi sit ex soluta, & accidentaliter cognita, possit succedere matri etiam carenti filiis legitimis. Id constat *ex d. l.9. Tauri citata, & ex l. 6. tit.8. lib.5. noua recopil. regia, & l.7.* ibi: *Por no dar occasion que las mugeres, assi viudas, como virgines, sean barraganas de clerigos, si sus hyos heredassen sus bienes, y de sus padres.* Sic lex, & sic omnes Authores secundæ sententiæ.

QVÆSTIO LXXII.

An saltem filij spurij Clericorum primæ Tonsuræ orti ex fœmina soluta, possint succedere matri carenti filiis legitimis?

NEgant adhuc aliqui DD. existimantes, quod filius habitus ex soluta, & ex Clerico primæ tonsuræ habente beneficiũ Ecclesiasticum, nequeat similiter matri succedere. Quia putant, dictas leges de omnibus Clericis, tam in sacris constitutis, quàm de Clericis primæ tonsuræ loqui; ita apud Vasquez sentiunt Roder. Suarez *in l.2. tit. de las herencias, lib.5. Ordinamenti.* Palac. Rubios *in l.9. Tauri, num.39.* & Cifuentes *ibi, n.6.*

Sed longè multò probabilius respondeo huiusmodi filios posse matri carenti filiis legitimis, tam ab intestato, quàm ex testamento succedere. Quia longè multò probabilius est, quod filij Clerici primæ tonsuræ, vel in sacris non constituti, licèt beneficium habeant, non excludantur per dictas leges à successione patris & matris; quia filij Clericorum primæ tonsuræ etiam beneficium obtinentium, si sunt ex soluta habiti, sunt verè naturales, & legitimantur per subsequens matrimonium, vt suprà est habitum: ergo non ita sunt excludendi ab hereditate patris, & matris. Sic Couarru. *cap.8. cit. §.5. num.17.* ibi: Nec temerè diximus, coïtum inter solutam, & constitutum in sacris, damnatum esse, vt excluderemus coïtum inter solutam fœminam, & Clericum minoribus præditum Ordinibus, etiamsi is beneficium Ecclesiasticum habeat. Non enim opinamur hanc copulam damnatam dici, ac subinde censemus liberos ex ea susceptos matri succedere. Sic ille, & Tello Fernandez, quos citat, & sequitur Vasquez *dub.4. citato, n.187. vers. sed quod isti filij.*

QVÆSTIO LXXIII.

An filij Religiosorum, vel Monialium professarum, possint succedere matri?

REspondeo ex dictis dicendum, quod non possint succedere, quia id constat *ex l. 9. Tauri*, excludente dictos filios à successione materna, illis verbis: *Saluo si fueren hijos de Clerigos, ò frayles, ò freyles, ò de Monjas professas.* Sic tenent omnes Doctores citati *quæst. 71.* præcipuè Vasquez *dub. 4. citato.* Qui benè notat, quod quamuis quod dicitur de Religiosis mulieribus, seu de Monialibus ergá filios, locum non habeat in successione materna, illis enim non est in quo succedant filij; in hoc tamen intelligitur extensa lex Numantiæ (idest, *echa en Soria*) per hanc nostram legem (nempe *9. Tauri*) ad successionem paternam: ita quod talis filius respectu patris Religiosi, & consanguineorum, ex patre, & ex matre non poterit succedere; sicut nec filius Clerici suo patri, nec matri, nec vtriusque consanguineis: in omnibus ergo extensa est ad lineam maternam, sicut antea erat ad paternam. Sic Vasquez.

QVÆSTIO LXXIV.

An item filij Religiosorum Militarium, præcipuè S. Ioannis, excludantur à successione etiam materna?

REspondeo dicendum, non excludi à materna successione, quia non comprehenduntur in citatis legibus. Sic notat Vasquez *dub. 4. cit.* his verbis: Notandum tamen est, quod non est hoc obseruandum in filiis omnium Religiosorum Militarium, qui votum emiserunt solemne Religionis. Non enim excluduntur filij Religiosorum Militarium, etiam S. Ioannis. Notanter enim dixit lex 9. Tauri: *Saluo si fueren hijos de Clerigos, ò frayles, ò freyles, ò de Monjas professas.* Intelligenda tamen est de omni vero Religioso non Militari. Sic ille.

QVÆSTIO LXXV.

An filij Clericorum Ordine sacro insignitorum, vel Religiosorum, aut Monialium, qui sunt incapaces ad successionem matris, possint saltem succedere consanguineis ex parte matris?

NEgant multi, & graues Doctores, docentes, non succedere; quia existimant, quod lex Numantiæ (hoc est, *de Soria*) extenditur, & ampliatur per leg. *9. Tauri*, disponendo, vt filij dictorum, non solùm non possint succedere matri, verum nec consanguineis maternis. Ita Tello *l.9. Tauri, num.23. & 24.* Anton. Gomez *ead. l. n. 51.* Gomez Arias *l.7. Tauri, n.65.* Matienzo *lib.5. Ordinam. tit.8. l.6. glossa 4. n.7. & 8.* Vasquez *opusc. de testam. cap.5. §.8. dub.4. n.192. & 196.*

Sed probabiliùs respondeo posse succedere suis consanguineis ex parte matris. Probat Sanchez, quia iure communi, & Partitarum, filij dictorum Clericorum, & Religiosorum, &c. succedebant matri, ac eius consanguineis. Sed lex 9. (sic lege non 6.) Tauri, tantùm ampliat dispositionem legis de Soria, respectu matris, à qua filium Clerici excludit; non verò excludit à successione consanguineorum ex parte matris: tantùm enim lege Tauri habetur sermo de successione matris; & ita nati ex damnato concubitu, qui illa lege excluduntur à successione materna, possunt succedere consanguineis ex parte matris. Cùm ergo sit correctoria, debet limitari ad casum, in quo loquitur, scilicet, ad matrem, & non extendi ad alios consanguineos ex parte matris, *l. sancimus, C. de testam. l. præcipimus, C. de appell.* Sic Sanchez *lib.4. consil. cap.3. dub.11. num.2. & 3.* & penes illum Greg. Lopez *l.11. vers. natus, tit.13. part.6.* Gutierrez *lib.2. practic.*

practic. 49. q. 103. & Spino *specul. testam. glossa* 16. *tit. de filiis spuriis, n.* 19. *&* 20.

QVÆSTIO LXXVI.

An item filij spurij nati ex damnato concubitu, possint succedere consanguineis ex parte matris?

NEgant, & à fortiori, qui negant filios Clericorum, & Religiosorum posse succedere consanguineis ex parte matris, Tello, & Anton. Gomez, & alij suprà relati.

Sed consequenter probabilius respondeo posse succedere, quia iure communi talis successio erat permissa: ergo & nunc, cùm non corrigatur per leg. 9. Tauri. Nam per hanc solùm excluduntur dicti filij à successione materna: ergo cùm sit odiosa, non est amplianda ad successionem consanguineorum ex parte matris. Sic apud Sanchez Matienzo *loc. cit. n.* 9. (sed certè non consequenter) Socin. & Greg. Lopez, quos citat, & sequitur Sanchez *vbi sup. dub.* 14.

QVÆSTIO LXXVII.

An mater habens filios legitimos, possit relinquere quintum filiis ex damnato concubitu?

NEgat Palacios Rubios *l. 9. Tauri, num.* 48. existimans, id posse solùm, quando caret filiis legitimis. Quod idem sentit Lupus, mox citandus.

Sed omninò respondeo dicendum, posse matrem relinquere filiis habitis ex damnato concubitu quintum bonorum, etiam sine obligatione alimentorum, quamuis habeat filium legitimum: quia lex 9. Tauri absolutè loquitur, & ratio, quam assignat, æquè procedit in hoc casu, scilicet, quod de hoc quinto possit disponere inter extraneos: ergo. Sic Couarru. *cap. 8. cit. §. 6. n. 6.* fine, loquendo de patre, ibi: Ex quo ego infero, etiam Regio iure, patrem, qui filio ex incestu nato, tenetur alimenta dare, posse eidem quintam bonorum partem relinquere, alimentorum titulo, licèt ipse pater legitimos liberos habeat, contra Ioan. Lup. *in l. 9. Tauri, n.* 10. Hæc ille. Tello etiam *in d. l. 9. n.* 33. Matienzo, Gutierrez, & Rojas, quos sequitur Sanchez *lib. 4. cap. 3. dub. 13. concl.* 1. Sic etiam Vasquez *loco cit. §. 8. dub. 5. in princip.* Legantur dicta à nobis *quæst.* 17. *& seqq.*

QVÆSTIO LXXVIII.

An etiamsi dicti filij ex damnato coïtu nati, sint ditissimi, possit nihilominus mater eis quintum bonorum relinquere?

AFfirmant adhuc Tello, & Matienzo, quos sequitur Sanchez, *vbi suprà, concl.* 2. Cuius ratio est, quia lex 9. Tauri, vniuersaliter, & absolutè hoc permittit, & eius ratio id probat, scilicet, quod de hoc quinto possit disponere inter extraneos.

Sed certè probabilius respondeo, non posse tunc matrem relinquere quintum, quia nec pater potest in tali casu, vt probatum manet *suprà q.* 19. & docuit cum aliis ipsemet Sanchez, vt ibi videbis.

QVÆSTIO LXXIX.

An item possit mater quintum bonorum relinquere filiis habitis ex Clerico, vel Religioso, etiam sine obligatione alimentorum?

REspondeo dicendum, non posse, nisi solùm ratione alimentorum. Sic Pater Vasquez *opusc. de testam. cap. 5. §. 8. dub. 5. n.* 195. *vers. sed nunquid.* Ratio est (ait doctissimus Pater) quoniam postquam dictum esset in ea lege 9. Tauri, quod nati ex coïtu damnato, non succedant matri; benè tamen possit illis donari quintum bonorum, subdit lex: *In filiis autem Clericorum, & Religiosorum, licet non sint ex coïtu damnato, obseruetur tamen id, quod dispositum est circa successionem paternam in iis filiis; & circa maternam, vt exposuimus.* Sed pater non potest nec quintum illis donare, nisi pro alimentis, quando iis filius indiget (vt suprà est habitum) ergo nec mater poterit quintum relinquere sine obligatione alimentorum. Sic ille.

§. III.

De obligatione, quam habet mater alendi, & educandi filios spurios & naturales.

QVÆSTIO LXXX.

An æquè mater, ac pater teneatur ad alimenta filio spurio præstanda?

AFfirmauit Panormitan. *in cap. cùm haberes, de eo, qui duxit in matrim. &c.* æquè matrem ac patrem teneri ad alimenta filio spurio.

Sed vt certum respondeo non æquè teneri; quia licèt tam pater, quàm mater ad præstanda filiis spuriis alimenta, iure naturæ, & canonico teneantur, vt ex habitis suprà est notum, non tamen ad id æquè tenentur, vt iam diximus. Sic omnes communiter. Legatur Molina *tom. 1. de iust. & iure disp.* 168. *n.* 10.

QVÆSTIO LXXXI.

An filij alendi sint à matre primo ætatis triennio?

REspondeo vt certum dicendum, quod mater verè teneatur alere filios suos integro ætatis primo triennio; post illud verò pater. Sic enim habetur *in l. nec filium, C. de patr. potest.* vbi decernitur, non aliter matrem de filij alimentis aduersus patrem audiendam, quàm priori vitæ triennio fœtum lactauerit, leuauerit, & reliqua educationis officia debitè exhibuerit. Idem habetur *in l. 3. tit. 19. part. 4.* ibi: *Nodrescer, è criar deuen las madres à sus fijos, que fueren menores de tres años, è los*

los padres à los que fueren mayores de esta edad. Et *in l. 3. tit. 8. lib. 3. fori.* Sic communiter Doctores, statuentes pro regula, matrem, siue legitimam, siue aliam, teneri filium lactare, & nutrire, quouſque is trimus efficiatur, & eius ætatis, qua à lacte depelli, exuberari, & ablactari possit. Quod ante triennium minimè licuisse, ex Vlpiano *tit.* 16. Cuiacius docuit *lib.* 19. *obseruat. cap.* 40. & velut à natura institutum esse, ex illo Machabæor. 2. *cap.* 7. *Fili mi miserere mei, qui te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui.* Legantur Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 13. Molina Theolog. *disp.* 168. *cit. num.* 11. & alter Molina *de primogen. lib.* 2. *cap.* 15. Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 3. *& cap.* 5. *q.* 8. *& p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 2. Bonac. *in* 4. *Decalogi disp.* 6. *q. vnica*, §. 1. *num.* 3. Vasquez, *de testam. cap.* 5. §. 8. *dub.* 5. *num.* 197. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 10. *dubit.* 6. *num.* 42. & alij plures, quos citat & sequitur Didacus Narbona *de ætate, &c. anno* 3. *q.* 1. *à num.* 2. *& q.* 2. *num.* 6.

QVÆSTIO LXXXII.

An matres teneantur proprio lacte filios suos alere, & nutrire?

NEgandum videtur, eo quod, vt constat ex Vlpiano *l.* 1. §. *ad nutricia quoque, ff. de variis, & extraordin. cognition.* antiquitus vsitatum fuerit, quemadmodum in nostris est temporibus, filios lactandos nutricibus tradere: ergo.

Sed omninò respondeo dicendum, quod verè teneantur matres (nisi oppositum suadeat necessitas, seu occasio alia) filios suos proprio lacte nutrire, & alere. Quia id expressè clamant iura, præcipuè D. Gregor. *in responsion. ad Augustinum Anglum*, *cap.* 10. relatus à Gratiano *in cap. ad eius verò, dist.* 5. vbi manifestè ait, prauam irrepsisse in coniugibus consuetudinem, vt filios suos, quos gignunt, matres nutrire negligant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant. Et talem consuetudinem ex solius carnis incontinentia ortum habuisse, multi testantur. Nam dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Sic D. Ambros. *sup. Gen.* 27. *& epist.* 62. Couarru. *num.* 13. *cit.* Azor. Bald. & Paulus, Bartol. & Abbas apud ipsum. Didac. Narbona *loco cit. num.* 13. *&* 14. & alij plures statim citandi.

QVÆSTIO LXXXIII.

An matres, quæ sine iusta causa, non proprio, sed alieno lacte nutriunt filios, mortaliter peccent?

AFfirmandum videtur. Tum, quia D. Gregor. (vt nuper vidimus) talem consuetudinem appellat prauam. Tum quia multi Authores affirmant esse contra naturam: ergo dicendum est, mortaliter peccare matres, quæ sequendo tam prauam consuetudinem, contra naturam, filios suos alieno lacte nutriunt, & alunt.

Sed vt ferè certum respondeo dicendum, quod verè peccent, sed non mortaliter, sed venialiter tantum. Sic Nauarr. *c.* 14. *n.* 17. his verbis: Decimosextò peccat mater, quæ filium proprio lacte non nutrit, vel negligit notabiliter deligere nutricem bonam; vel gerere curam circa bonam pueri educationem; vel vsque ad triennium ei non ministrauit necessaria, per ea quæ diximus *in cap. ad eius* 5. *dist. &c.* quamvis nolle filium propriis vberibus lactare sine causa iusta, non sit amplius quàm veniale; & cum causa, neque veniale. Sic Nauarrus, & sic Azor *cap.* 4. *cit. quæst.* 3. *vers. si tamen quæras.* Nam etsi (ait Azor) D. Gregor. *loco prædicto*, prauam eam esse dicat consuedinem, & Gellius, Macrobius, & Plutarchus scribant esse contra naturam, non tamen lethalis culpa videtur, sed venialis dumtaxat, quamvis non leuis, & praua: neque enim pietas, vel charitas debita filio grauiter violatur, cùm is graui damno non afficiatur. Sic Azor. Tenent etiam Couarr. *num.* 13. *cit.* ibi: Nec tamen fœminas proprios lactare filios detrectantes mortalis criminis reas iudicarem, si in eligenda nutrice, atque alendo filio curam huic negotio conuenientem impenderent, quod & ipse Plutarchus admonet. Hæc Couarr. Quem & alios citat, & sequitur Narbona *loco citato, num.* 15. Bonacin. *disp.* 6. *punct.* 6. §. 1. *num.* 4. Molfes. Clauis Regia, Reginald. Filliuc. & Layman. apud ipsum, Trullench *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 24.

QVÆSTIO LXXXIV.

An sit contra naturam, matrem suum infantem alteri mulieri eius lacte nutriendum tradere?

REspondeo dicendum, quod sit. Sic enim sentiunt aliqui, quos refert, & sequitur Azor 2. *part. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Nam in primis sic sentit Macrobius *lib.* 5. *Saturnal. cap.* 11. per hæc verba: Hinc est, quod prouidentia naturæ facit cum ipso partu, alimoniæ copiam nasci. Nam postquam sanguis ille opifex in penetrabilibus suis omne corpus effinxit, atque aluit, aduentante iam partus tempore, idem ad corporis materni superna conscendens, in naturam lactis albescit, vt & recèns natis idem fit altor, cui fuerat fabricator. Deinde Plutarchus *in opusc. de liberis educandis*, ita ait: Ideò duo data sunt vbera matribus, vt si mater vno partu gemellos edidisset, vterque haberet sui alimenti fontem. Rursus apud Gellium *lib.* 12. *noct. Attic. cap.* 1. refertur sermo Phauorini Philosophi, quo suasit nobili fœminæ vt liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo ipsa lacte nutriret. Quod est (inquit) hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiecisse? Aluisse in vtero nescio quid, quòd non videret, non alere nunc suo lacte quod videat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem. An tu quoque putas, naturam fœminis mammarum vbera, quasi quosdam næuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim, quod à nobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem arefacere, & extinguere eum periculo quoque auersi, corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet: quantulum hinc abest, iam perfectum, iam genitum, iam filium proprij, atque consueti, atque cogniti sanguinis alimonia priuare? Hæc & alia plura dictus Philosophus. Legatur Azor. *loco cit.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXXXV.

An nobilitas matris sit causa iusta, vt ipsa à lactando filio, proprio vbere, excusetur?

NEgant esse causam iustam aliqui, docentes inde peccare venialiter dictas mulieres, quæ ob solam nobilitatem suos filios aliis mulieribus, vt suis vberibus nutriant, & alant, tradunt. Ita Didacus de Narbona *in suis annal. anno 3.q.1.n.13.* per hæc verba: Longè probabilius censeo, nulli mulieri, nec heroinæ dedecori esse posse lactare filium, quem nouem menses in penitissimis vteri recessibus aluit, & quem ex propriis visceribus eduxit. Ita ille, & antea Couarru. *cap.8. cit. §. 6. n.13.* ita scribens: Verùm ego, ob quamcumque nobilitatem minimè excusarem fœminas à lactandis propriis filiis: nec opinor etiam Reginis id esse dedecus, ex Phauorino apud Aulum Gellium *lib. noct. Atticar.12.cap.1.* & Macrobius *lib.5. Saturn. cap.11.* & Plutarch. *in lib.de liber.educand. fol.2.*& Augustin. *in enarrat. Psalmi 49.* pulchrè,& vberrimè Tiraquel *in tract.de nobilitate, cap.20.n.76.*Ioan. Garcia, Alphons. Carranza, & Acuña apud Narbonam.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, nobilitatem,& splendorem matris esse iustam causam non lactandi vbere proprio filium, non absolutè,& in omni loco, sed solùm in iis locis,in quibus est more,& vsu receptum,vt fœminæ illustri genere natæ proprio lacte non nutriant filios. Quia tunc dedecus est illi, non inspecta natura rerum, vt benè dicunt Authores citati, sed inspecta consuetudine iam in dictis locis inducta. Quis namque audebit dicere,non esse dedecus aliquod Hispaniarum Reginis, suis propriis vberibus, suoque proprio lacte suos filios nutrire, & alere? Quis quod ,quia hoc de facto renuunt, peccare saltem venialiter? Absit. Vnde sic tenent Azo *in sum. C. de patria potest.* Bald. & Paulus *in l. alimenta,C.de neg. gest.* Abbas, Bartol. & Præpositus, quos prò hac parte refert Couarru. Sic etiam Azor *p.2. lib.2.cap.4.q.3.& 4.* Molina *disp.168.cit. n.11.* qui & citat Ordinar. Lusitaniæ *tit.68.* Trullench *lib.4. in Decal. cap.4. dub.3.n.24.* Graff. *lib.2. decis.cap.58. n.3.*

QVÆSTIO LXXXVI.

An item dentur aliæ iustæ causæ ex quibus si matres filios proprio lacte non alant, immunes sint etiam à veniali?

REspondeo vt quid certum, esse & alias multas. Nam primò iusta causa est, cùm mater admodum est naturâ imbecillis, ita vt vix sine vitæ dispendio, aut periculo, lac filio præbere queat. Ita Azor *q.3. citata*, & apud ipsum Nauarr. *cap.14.n.17.* Couarru. *§.6. cit. n.13.* Azor, Bald. Paul. Bartol. & Abbas. Sed certè Nauarr. & Couarru. hanc in specie non assignant causam.

Secunda causa iusta est, quando mater adeò pauper est, vt cogatur manu, & industria propriâ victum quærere, & si lactationi vacaret,inedia periret. Et ratio est, quia mater priùs debet suis manibus se alere, & suam vitæ filiorum præferre, cùm charitas incipiat à seipso. Sic Couatru. *loco cit n.13.* Azo, Bald. Bartol. & alij citati apud ipsum, Azor *loc.cit.*Fragosus *part.3.Regim. Christ. Reip.disp.2.§.2. num.123.* Molina *disp.168.cit.n.12.* Didacus Narbona *in suis annalib: anno 3.q.1. n.8.* & apud ipsum Benincas. Ioan. Garcia, Surdus, Lancellotus, Perez de Lata, & alij plures. Qui id probant etiam ex iure regio *l.3.tit.19.part.4.* ibi: *Empero si la madre fuesse tan pobre que no los pudiesse criar, el padre es tenudo, de darle loque vbiere menester, para criarlos.* Ex qua lege colligitur, quod si in hoc casu velit pater alere matrem, vt ipsa proprio lacte filium alat, tunc possit mater cogi ad lactandum filium, vt benè aduertit Fragosus, citans & benè, Couarruuiam *num.13.*

Tertia causa est, si mater vberum siccitate laboret, aut parum illis lactis suppeteret, vel quouis alio modo ad nutritionem inepta redderetur. Sic Aluar. Valascus *consult.92.n.4.* Didacus Narbona *n.9.* Couarru. *n.13.* Fragosus *n.123. versu excusatur secundò.* Molina *n.12.cit.*

Quarta causa sit, si occultum esset puerum esse filium talis mulieris, & sine sua infamia & dedecore non posset illum lactare. Sic Molina *loco cit.* & Azor *q.3.* & alij. Igitur mater, quæ ex aliqua ex notatis causa filium suum proprio non nutriret lacte, nullum ex ea re peccatum contraheret.

QVÆSTIO LXXXVII.

An saltem peccaret mater, quæ, data iam iusta causa quærendi filio nutricem, illam malam eligeret?

REspondeo vt certum, peccare, & mortaliter; quia filius ob id graue patitur damnum, & nocumentum: ergo mater id faciens mortaliter peccat. Antecedens clarè probant verba Phauorini Philosophi relata ab Azorio *quæst.5.* vbi suprà, quæ sic se habent. Quæ (inquit) ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpusque & animum benignè ingenitis primordiis inchoatum, insitiuo, degenereque alimento lactis alieni corrumpere? Præsertim (attende nunc) si ista, quam ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut serua, aut seruilis, & vt plerumque solet, externæ, atque barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerumque, sine discrimine, quæcumque id temporis lactans est, adhiberi solet. Patiemurne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici, & spiritum ducere in animum, atque in corpus suum, ex corpore, & animo deterrimo. Idipsum est, quod sæpè numero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos, parentum suorum, neque corporibus, neque animis similes existere: quoniam videlicet, in moribus inolescendis magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet, quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configurat. Hæc ille Philosophus, ex cuius verbis planè manet probatum, filium magnum subire damnum ex vbere malæ nutricis. Ideóque matrem eligentem nutricem malam, peccare mortaliter, tenent Nauarrus *c.14.n.17.vers.decimosextò.* Bonac. *in 4 præcep.disp.6. q.vnica, punct. 6. §. 1. n. 4.* vbi quæstioni propositæ respondet, teneri matrem sub mortali bonam nutricem quærere, quæ non sit morbo infecta, &c. sic ille, & ex illo Trullench *lib. 4. in Decal. cap.4. dub. 3. num. 24.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

An casu quo mater, iusta causâ, seu impedimento, lactare puerum nequeat, tunc pater teneatur lactis impensas soluere?

NEgant aliqui, existimantes, quod quando mater iustè excusatur à lactando filium, teneatur pro tempore lactationis, propriis expensis quærere filio nutricem, quia tenetur per eam illum lactare.

Sed multò probabiliùs respondeo, non matrem tunc, sed patrem teneri propriis expensis quærere nutricem, & lactis impensas soluere: quia probabilius multò est, tunc hoc onus patri incumbere, non matri. Quia id ipsum ius naturæ dictat, non solùm in hominibus vsu rationis præditis, verùm etiam in brutis, & animalibus ratione carentibus. Neque mater debet per nutricem lactare, quia ea obligatio est personalis, & cessat omninò, quando illa est impedita, & ideò recurrendum est ad patrem, cui tanquam agenti principaliori onus alendi primariò competit, *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, & cap. finali, de conuerf. infidel.* Sic tenent Abbas *in d. cap. fin. num.* 4. Castro, & Bald. *in l. alimenta, C. de negot. gest.* Couarru. *in epitome 2. p. c.* 8. §. 6. *num.* 13. Molina *disp.* 168. *num.* 12. Bonacina *punct. 6. cit. num.* 3. Fragosus 3. *p. regim. lib.* 1. *disp.* 2. §. 2. *num.* 123. *verf. excusatur secundò.* Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 8.

QVÆSTIO LXXXIX.

An mater tantùm teneatur intra triennium, & tantummodò lac filio præbere?

REspondeo dicendum, quod solùm ad id teneatur mater. Sic Molina *disp.* 168. *cit.* vbi *num.* 11. ita ait: Mater vsque ad tertium annum absolutum tenetur nutrire filium suum illegitimum, quoad lac dumtaxat: reliquas verò expensas, tam eo tempore, quàm post illud, tenetur facere pater. Quod si mater in nutriendo tali filio quippiam expendat, quod pater expendere tenebatur, poterit illud posteà exigere à patre, qui non solùm in conscientiæ foro illud soluere tenetur, sed etiam exteriori ad id cogetur. Ita habetur *lib.* 4. *ordinam. tit.* 68. §. 1. Hæc Molina. Bonac. *num.* 3. *cit. verf. dixi.* Azor *lib.* 2. *cit. cap.* 5. *q.* 8. addens id esse verum, nisi mater dictas expensas ex materna pietate, animo, & voluntate liberaliter donandi, & non repetendi, fecisset, *ex l. alimenta, citata.*

QVÆSTIO XC.

An casu, quo pater sit impotens ad alendum filium illegitimum, tunc teneatur mater illum alere, etiam post triennium?

REspondeo vt certum, quod sic: quia in hoc casu cessat dispositio iuris, qua hoc onus in patrem translatum erat. In defectum verò matris tenentur aui, & alij ascendentes. Sic Molina *loco cit. num.* 13. ita dicens: In defectum patris tenetur mater, si possit integra alimenta præbere filio, *l. si quis à liberis, ff. de liberis agnoscendis.* Quod si mater non possit, tenentur aui, alijque ascendentes. Quod si neque ascendentes possint, constitutum est in hoc Lusitaniæ Regno, vt requirantur alij consanguinei pueri. Si autem illi non velint, aut eiusmodi spurij sint filij Religiosorum, aut Religiosarum, aut mulierum coniugatarum, ita vt minimè expediat requirere consanguineos, sancitum est, vt de bonis hospitalium loci nutriantur. Si verò Hospitalia non sint, vt alantur de redditibus bonorum communium, *dos conselhos.* Quod si hi etiam desint, constitutum est, vt ministri *das Camaras*, eas collectas ad id statuant, quas *fintas* vocant, illasque ab eis tantùm exigant, qui ad res alias eas soluere consueuerunt. Hæc Molina, & id docent communiter DD. Legantur Nauarr. *cap.* 14. *num.* 17. Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 6. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 3. *& vltima, & cap.* 5. *q.* 8. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 6. §. 1. *num.* 3. *verf. dixi nisi, &c.* Couarru. *num.* 13. *cit.* vbi ita dicit: His etiam illud addendum est, post triennium adhuc matrem cogendam esse alere filium, si pater pauper sit, atque id agere nequeat. Legatur *num.* 14. vbi docuit, quod dicit Molina, videlicet, filios etiam spurios non tantùm à parentibus alendos fore, sed etiam ab eorum heredibus.

QVÆSTIO XCI.

An si mater abundans lacte, recuset, sine legitima causa, lactare filium, tunc etiam lactandus sit ille expensis matris, & non patris?

REspondeo ex dictis suprà, q. 88. dicendum, quod tunc debeat lactari filius expensis matris, & non patris. Ratio est, quia nemo propter culpam alterius onerari debet, *l. non debet, ff. de regul. iuris.* Sic Bartol. *in l.* 2. §. *si quis iudicio, ff. si quis caut.* Abbas *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* quos citat, & sequitur Fragos. 3. *part. regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. §. 2. *num.* 123. *verf. quando tamen.*

QVÆSTIO XCII.

An mater teneatur alere filios illegitimos, deficiente patre, quamvis heredes patris existant?

NEgant quidam Doctores, existimantes tunc heredes patris teneri alere filios illegitimos sui patris, quamvis matrem habeant diuitem. Ratio eorum est. Tum, quia heredes repræsentant patrem defunctum: ergo si viuens pater tenebatur, defuncto illo, heredes obligabuntur. Tum etiam, quia obligatio patris descendit ad heredes cum ipsis bonis: ergo. Ita tenent Paulus Castrens. & Cynus *in l. alimenta, C. de negot. gestis*, vbi Cynus, se de facto ita consultum respondisse fatetur, in fauorem matris, excusando illam ab onere alendi, contra heredes patris. Et licèt horum Doctorum sententia sit satis probabilis, adhuc.

Probabiliùs respondeo, teneri matrem alere suos illegitimos filios, quamvis heredes patris existant, dummodò ad id potens sit. Ratio est, quia mater est proximior: ergo priùs obligationem alendi filios contrahit, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnoscend.* Deinde, quia lex charitatis, & coniunctio sanguinis petunt, vt filij priùs, & potiùs à matre, quàm ab aliis capiant alimenta: ergo illa tenetur illos alere, neque excusari

excusari potest, nisi ad id impotens sit, quia eget: quia tunc heredes patris in subsidium tenebuntur.

Nec obstat, heredes repræsentare personam patris defuncti; quia huiusmodi obligatio alendi dependet à sanguine, & amore, quæ pereunt cum persona, nec transeunt ad hæredes, neque sunt in hoc idem cum defuncto. Sic tenet Bartol. *in d. l. si quis à liberis, §. item rescriptum.* Alexand. *in d. l. alimenta, num.* 11. Bero. *consil.* 186. *vol.* 1. Ioan. Andr. *ad Specul. in rubrica de statu monachor, in fine*, quos citat, & sequitur Fragosus *§.* 2. *cit. n.* 124. & alij. Et hæc nostra sententia confirmabitur ex proximè sequenti.

QVÆSTIO XCIII.

An si quis egeat alimentis, & patrem habeat & filium, debeat potiùs à patre, quàm à filio alimenta petere?

NEgant nonnulli Doctores, quos suppressis nominibus refert Azor, existimantes in dicto casu potius debere à filio alimenta petere, quàm à patre; quia filius, qui à patre vitam habet, arctiori vinculo ei alimenta debet.

Sed probabiliùs respondeo, potiùs debere à patre, quàm à filio alimenta petere, casu quo vterque sit diues. Ratio est, quia pater, quem genuit, alere, educare, & instituere debet, vt constat ex sæpe dictis; ergo genitus ab ipso generante, potius, quàm à filio debet alimenta petere. Sic Bartol. Angel. & Siluest. quos citat, & sequitur Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 13.

QVÆSTIO XCIV.

An attento iure antiquo, ad patrem, vel potiùs ad matrem pertineat alere filios, diuortij coniugalis tempore?

REspondeo dicendum, quod attento iure Codicis, in arbitrio Iudicis situm erat, quisnam eorum educaturus esset prolem. Constat *ex l. vnica, C. diuortio facto*, ibi: *Competens Iudex æstimabit, vtrum apud patrem, an apud matrem, matrimonio separato, filij morari, ac nutriri debeant.* Sic P. Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp. vltima, num.* 1. Qui addit, arbitrium debere esse (nisi aliud ex circunstantiis Iudici expedire videatur) vt vsque ad prius triennium soboles apud matrem educetur, & posteà apud patrem, iuxta dispositionem *l. nec filium, C. de patria potest. & l.* 3. *Regiæ, tit.* 19. *part.* 4. Sic ille, ex Angelo, Speculatore, Goffredo, Astens. & Siluestro. Hæc de iure communi antiquo, videamus nunc, quid dicendum in hac materia, attento iure nouiori, & Regio Castellæ. Sit ergo.

QVÆSTIO XCV.

An quando matrimonium bona fide vtriusque coniugis est initum, & posteà propter impedimentum dirimens reperitur inualidum, tunc filij ex eo suscepti sint communibus expensis alendi?

NEgat ex parte Azor ex Pontano, dicens sic. Dissoluto matrimonio ex legitima causa, & impedimento occulto, filius, si infans est, alendus est à matre vsque ad triennium: post triennium verò mater vnà cum patre filium alere debet. Pontan. *de aliment. cap.* 8. *num.* 5. Hæc Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 9.

Sed multò probabiliùs absolutè respondeo dicendum, quod tunc filij debeant communibus expensis ali, etiamsi sint minores triennio. Primò, quia id constat *ex cap.* 2. *qui filij sint legitimi*, vbi de vtroque parente fit mentio, ibi: *De parentum facultatibus nutriantur.* Secundò, quia resoluto matrimonio, non est cur filij illi debeant esse onerosiores patri, quàm matri, cùm vterque in bona fide constitutus fuerit, ac proinde onus communiter est ferendum. Quæ ratio militat, quamvis filius sit minor triennio. Sic Sanchez *disp. citata, num. vltimo*, & apud ipsum Vitalis *in tract. de clausulis, tit. sed an iuri alimentorum possit renunciari, n.* 6 *casu* 3. *tom.* 18. *in recentior. tract.* 1. *ad finem.* Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 14. *num.* 8. *& tit.* 7. *q.* 13. *num.* 18. Quos omnes (excepto Patre Thoma Sanchez) citat etiam, & sequitur Fragosus 3 *p. Regim. Christ. Reip. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 2. *num.* 123. *vers. cæterùm.*

QVÆSTIO XCVI.

An idem sit dicendum in casu, quo alter parens fuerit in mala fide ante matrimonium, altero existente in bona?

REspondeo vt certum, tunc non esse idem dicendum; quia tunc filij alendi sunt expensis existentis in mala fide, nisi hic inops fuerit, & alter diues. Quia ratio pro casu præcedenti in hoc cessat. Et certè, non est cur coniux bonæ fidei onere alendi filios prægrauari debeat, nec fraus existenti in mala fide debet fauere: & sic id onus decipienti est imponendum, nisi paupertas excuset. Sic Sanchez, & Fragos. *locis citatis.* Ex quibus Sanchez addit, quod casu, quo vterque coniux malam ante matrimonium habuerit fidem, tunc cùm filij inde concepti fuerint illegitimi, iudicandum est de alimentis eorum instar aliorum illegitimorum. Hæc Sanchez, quibus cum verbis feliciter, omniumque Doctorum felicissimus, absoluit opus felicissimum de matrimonio.

QVÆSTIO XCVII.

An quando diuortium coniugale sit culpâ alterius coniugis, tunc sit educanda proles apud coniugem innocentem?

NEgat Doctissimus Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 18. fine*, dicens, prolis educationem post diuortium, præcipuè pertinere ad patrem. Accipe eius verba: Cùm propter viri sæuitiam, vel ob directum impedimentum matrimonij, vxor separata est per iudicem, diuiduntur non solùm lucrata ante separationem, sed posteà. Prolis verò educatio præcipuè pertinet ad patrem post diuortium. Hæc Henriquez, citans pro se in Glossa, Couarruuiam *in epitome 2. p. cap. 8. §. 6.* Molinam *lib. 2. cap. 15.* Siluestrum *verb. alimenta*, & Nauarrum *cap. 14. num. 17.* Sed vt bene vidit Sanchez, id non docent isti Authores. Vnde.

Tanquam certum respondeo dicendum, quod tunc educanda sit proles apud insontem, seu innocentem (exceptis quibusdam casibus, vt infià.) Quia sic habetur expressè *in Authent. vt liceat matri, & auiæ, §. illud, collat.* 8. vnde desumitur: *Authentica si pater, C. diuortio facto*, ibi: *Si pater causam diuortij præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris expensis. Si verò contrà, tunc apud patrem matris locupletis expensis, nisi pater minùs idoneus sit. Tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Et idem deciditur *in l. 3. Regia, tit. 19. partita* 4. his verbis: *E si acaeciesse, que se parta el casamiento por alguna razon derecha, aquel por cuya culpa se partio, es tenudo de dar de lo suyo, de que crien los fijos, si fuere rico, quier sean maiores de tres años, quier menores: è el otro que no fue en culpa, los deue criar, è hauer en guarda, por tal razon como sobredicha es. E si se casasse, entonces no los deue hauer en guarda, ni es tenudo el padre de darle à ella ninguna cosa por esta razon; antes deue el recebir los fijos en guarda, è criarlos, si vbiere riqueza, ò con que lo pueda facer.* Sic lex Regia, & sic docent Sà *verb. diuortium, num. vltimo*, quem citat, & sequitur Sanchez *disp. vltima de matrim. n.* 2. Fragosus *loco cit. num. 123. versu de iure autem.* Gutierrez *lib. 1. canon. qq. cap. 24. num.* 19.

Sed nota, quod ab hac regula excipiuntur aliqui casus. Primus est, si parens innocens in diuortio celebrando, sit infidelis, is autem qui in culpa fuit, est fidelis; tunc enim in fauorem fidei, ne proles in infidelitate procreetur, tradenda est coniugi fideli, *cap. fin. de conuers. infidel.* Secundus est, quando culpâ viri factum est diuortium, & mulier transit ad secundas nuptias. Constat *ex l. 3. allegata.* Tertius, quando mater dedit causam diuortij, & ipsa est locuples, vir autem pauper: tunc apud matrem alenda est proles. Sic Sanchez *num.* 3. cum aliis. Sed inter illos est difficultas, an vtrius coniugis expensis educatio prolis debeat fieri. Sit ergo pro illa decidenda.

QVÆSTIO XCVIII.

An quando patris culpâ factum est diuortium, ali debeat filius apud matrem expensis patris?

REspondeo vt certum, quod sic; quia sic est decisum *in Authent. si pater, & l. 3. tit. 19. part. 4.* allegatis nuper *q.* 97. & docet Sanchez *num.* 4. dicens de hac re nullam esse controuersiam. Sic etiam Azor *part. 2. lib. 2. cap. 5. q.* 9. Siluest. *verb. filij, quæst.* 21. Fragosus *loco cit. num.* 123. *vers. de iure autem*, & omnes.

QVÆSTIO XCIX.

An item è contra, quando matris culpâ sit diuortium, tunc debeat filius ali apud patrem expensis matris?

NEgant aliqui Doctores, quia ius commune, vltra primum triennium, non imponit matri obligationem alendi filium, sed id onus patri subeundum reliquit, vt constat ex suprà dictis: ergo. Et ideò ita sentiunt Salicetus *l. alimenta, num. 3. ff. de negotiis gestis.* Alex. *ead. l. numero 6.* & Boetius *consil. 17. num.* 11.

Sed distinctiùs respondeo primò sic. Certum est, quod attento iure Regio Castellæ, in casu assignato, sit filius apud patrem alendus expensis matris. Quia, vt vidimus *q.* 97. lex 3. Regia de vtroque coniuge id disponit: ergo. Sic Sanchez *num.* 7. dicens id, attento dicto iure, esse manifestum.

Respondeo secundò, etiam attento iure communi, est multò probabilius, quod in dicto euentu, expensis matris sit alendus filius apud patrem. Tum quia sic colligitur ex Authentica *si pater, q. 97. cit.* vt bene probat Sanchez citatus, *num.* 7. Tum & fortiùs, quia cùm pater, & mater sint correlatiua, dispositum in vno, censetur dispositum in alio, vt constat ex lege correlatiuorum. Sed sic est, quod *in Authentica, vt liceat matri, & auiæ, §. illud, coll* 8. disponitur, quod patre delinquente, sit alendus filius apud matrem expensis patris: ergo è contra quando mater est delinquens, filius ali debet apud patrem expensis matris locupletis. Sic docent Angel. Siluest. Gutierrez, Astens. Henricus, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *disp. vltima de matrim. num. 6. & 7.* Azor *q. 9. citata*, Fragosus *lib. 3. regim. Christ. Reip. lib. 1. disp. 2. §. 2. n. 123. fine*, & communis.

QVÆSTIO C.

An quando neutrius coniugis culpâ diuortium celebratur, tunc filius alendus sit apud patrem?

REspondeo quod tunc seruandum sit ius Codicis relatum suprà *q.* 94. Itaque, si coniuges mutuo consensu separari velint, vt vitam cœlibem ducant, voto emisso, tunc filius minor triennio educandus est à matre; post triennium verò à patre, nisi aliud iudici expedire viderit. Sic Sanchez *n.* 10. Fragosus *loco cit. vers.* si alter, & communis.

DISPVT

DISPVTATIO XI.

De causis, ob quas parentes filios exhæredare possunt, & è contra.

QVÆSTIO PRIMA.

An ex omnibus causis, ex quibus parentes suos filios, & filij suos parentes exhæredare possunt, possint eis alimenta denegare?

RESPONDEO vt quid certum, posse: valet enim argumentum de exhederatione ad negationem alimentorum. Sic colligitur *ex l. vltima, C. de alend. liberis, l. si quis à liberis, §. idem iudex, ff. de liber. agnoscendis*, & Glossa vtrobique, & *l. 6. tit. 19. part. 4.* & tenent communiter Doctores. Molina Theologus *tom. 1. de iust. disp. 168. n. 14 & disp. 176. n. 43.* Couarru. *in epitome 2. p. cap. 8. §. 6. num. vltimo*, ibi: Considerandum est, hæc alimenta filiis negari posse ex his causis, quæ iustæ à iure censentur, vt filius exheredari possit à parentibus. Glossa ab omnibus recepta *in d. cap. cum haberet*. Sic ille, & apud illum Franc. Cremens. *sing. 19.* Ferrat. *in reg. iura sanguinis, ff. de regul. iuris*. Gerard. à Petra Sancta *singul. 1.* Carol. Molinæus, Parisius, Bartol. Iason. & Ioan. Lupus. Sic etiam Azor *part. 2. lib. 2. c. 5. q. 6.* Graffius *lib. 2. decis. cap. 58. num. 4.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 24. à num. 7. & lib. 4. de matrim. disp. 26. num. 1.* Molina Iurista *lib. 2. de primogen. cap. 16. num. 3.* Fagundez *lib. 4. in 4. Decalogi, cap. 3. n. 1.* Trullench *lib. 4. in Decalog. cap. 5. dub. 3. & lib. 7. cap. 5 dub. 3. n. 3.* Fragosus *part. 3. lib. 1. disp. 2. §. 2. n. 1.* Qui tamen minus benè dicit hoc esse probabile, est namque plusquam probabile.

§. I.

De causis, ob quas parentes possunt suos filios exhæredare.

QVÆSTIO II.

An si filius in parentes manus iniecerit, possit ab illis exhæredari?

RESpondeo vt certum, posse exhæredari, dummodo cum lethali culpa id faciat. Nam si in patriæ, aut sui ipsius, aut alterius proximi legitimam defensionem id faceret, exhæredari ea de causa non posset, vt constat ex habitis suprà *disp. 2. q. 9. & sequent.* Sic habetur *in Authentica, vt cum, de appellation. cognos. §. causas autem*, & *in l. 4. 5. & 6. tit. 7. part. 8.* Et tenent Molina *disp. 76. cit. num. 1.* Qui iniectionē manuum eodem modo esse intelligendam, quo earumdem iniectionem in Sacerdotem quoad incurrendam excommunicationem, affirmat. Trullench *loco cit.* Fagundez *lib. 4. cap. 3. n. 29.* Latè Couarru. *in cap. Raynutius, n. 9. vers. prima igitur.* Vazquez *opusc. de testam. c. 6. §. 3. dub. 4.* March. *verb. desheredar, resol. 242. n. 4.* Villalob. *tract. 30. diff. 17. num. 1.*

QVÆSTIO III.

An item exhæredari possit filius, vel filia, qui contra patrem, vel matrem verba iniuriosa protulerint?

RESpondeo etiam vt certum, posse. Constat namque id ex iuribus citatis. Sic Molina & Fagundez *locis citatis*, notantes, quod arbitrio iudicis relinquatur iudicandum, quæ grauis, atque inhonesta, & acerba iniuria censenda sit, attentis qualitatibus parentum, filiorum, loci, & reliquarum circunstantiarū concurrentium. Ita etiam disponitur *in nouis ordinat. lib. 4. tit. 8.* & in antiquis *lib. 4. tit. 72. §. 5.* Sic etiam Villalob. *loc. cit.* & etiam March. *verb. desheredar. resol. 242. n. 3.* & omnes.

QVÆSTIO IV.

An rursus exhæredari possit filius, qui patrem, vel matrem accusauit in publico iudicio de crimine aliquo?

RESpondeo etiam vt certum, posse exhæredari casu, quo de causa criminali (quæ non sit contra Principem, aut patriam, seu Rempublicam) accusauerit; licet parentes verè crimen commiserint. Sic textus *in Authent. vt cum, de appellat. §. aliud quoque*, & lex Regia supra citata. Sic Molina *disp. 176. n. 3.* his verbis. Tertia causa est, si parentes in criminalibus causis accusauerit, quæ non sunt aduersus Principem, aut Rempublicam. Nam si aduersus Principem, aut Rempublicam sint, nequit ea de causa exhæredari. Ac proinde neque exhæredari potest, quòd accuset de crimine hæresis, quod est contra Maiestatem diuinam, Rempublicamque Ecclesiæ. Lex *4. tit. 7. part 6.* ait, causam talem esse debere, vt parens morte plectendus sit, aut exilio perpetuo, aut vnde infamia notabilis parenti sequeretur. Greg. Lopez *ibidem*, & Couarru. *in cap. Raynuncius, in princip. num. 11.* efficaciter ostendunt, idem esse, si puniendus sit membri amissione. Addit Couarru. idem esse si talis filius non coactus, testis sit in eadem causa, aut Aduocatus, vel Procurator aduersus parentes, vel delator criminis. Sic Molina *num. 3. cit. columna* (non *folio*, vt citat Fagundez) 721. & ex illo Fagundez *lib. 4. c. 3. n. 40.* Trullench *lib. 4 c. 5 dub. 3. n. 15.* Vazquez *dub. 4. cit. num. 62. vers. secunda causa.* Qui bene notat, quod si filius accuset patrem de crimine heresis, tunc confiscantur bona patris, & ita filius eis priuatur. Legantur à nobis dicta suprà *disp. 2.* Villalob. & Acacius March. *locis citatis.*

QVÆSTIO V.

An item exhæredari possit filius, qui cum veneficis vt veneficus conuersatur?

RESpondeo vt certum, posse etiam ex hac causa exhæredari. Sic Molina *loco cit. num. 4.* vbi notat, quod prædicta verba vtrumque coniunctim exigant, nempe, vt filius & cum maleficis versetur, & maleficus sit; licèt lex *4. tit. 7. part. 6.* vtrumuis sufficere statuta: vnde non bene Vazquez *loco cit.* docet, *ex d. lege* vtrumque coniunctim exigi.

 Cum

Cum Molina sentiunt ipse Vasquez *loco cit. dub.* 4. Couarru. *num.* 12. Fagundez *num.* 30. addens, idem esse dicendum de filiis, qui contra voluntatem parentum mimos egerint, & se histrionibus, aut arenariis associauerint; modò tamen parentes eiusdem professionis non fuerint. Sed de hac causa infrà. Sic etiam Trullench *loco cit. n.* 15. & Villalob. *loco cit.* ibi *La quarta causa, si fuere hechizero, ò encantador, y tratare con los tales: aunque por la ley del Reyno, vno, ò otro, &c.*

Si autem inquiras, quid nomine veneficorum intelligatur? Respondet Carol. Molinæus *in consuetud. Parisiens. tit.* 1. §. 30. q. 37. quod intelligantur solùm illi, qui incantatores appellantur, seu, qui incantantiones, & magicam artem perniciosè exercent.

Sed meliùs cum aliis respondeo dicendum, quod non solùm intelligantur incantatores, qui malefici appellantur; sed etiam venefici, qui veneficia conficiunt, hispanè *hechizeros.* Sic colligunt *ex ead. authent. vt cùm, de appell. cit.* Couarru. *n.* 12. *cit.* Vasquez, Molina, Fagundez *locis citatis.*

QVÆSTIO VI.

An item exhæredari possit filius, qui vitæ parentum suorum, vel veneficio, vel alio modo insidiari conatus fuerit?

Respondeo vt certum, quod sic; quia sic expresè habetur *in dicta Nouella*: & ideò ita docent Couarru. *num.* 13. Molina *num.* 5. Vazquez *num.* 62. Fagundez *num.* 32. *&* 33. Trullench. *n.* 15. Villalob. & March. *locis citatis.* Sed sunt circa hanc causam exhæredationis dubia nonnulla.

Sit primum, an satis sit, vt locus sit exhæredationi, attentatio, aut procuratio mortis patris, vel matris, licèt mors sequuta non fuerit?

Respondeo esse satis; quia in hac re attentatio punitur eadem pœna exhæredationis, etiamsi nullus alius sequatur effectus. Sic optimè Couarru. *num.* 13. *citato*, his verbis: Si venenum patri præparauerit filius, & fecerit quidquid ab eo ad id crimen agendum erat; pater verò deprehenso dolo, abstinuerit potione, aut ea secutâ, medicamento venenum abegerit, opinor posse exhæredationem (sic lege) procedere. Idem etiam arbitror, si parato veneno insidiæ patefiant parenti, ita vt patris diligentiâ, potius quàm pœnitentiâ filij, mors secuta non sit, *l.* 1. *ff. de parricid.* vbi Bartol. *singul.* secundum Angel. *de maleficiis*, §. *ex interuallo. Regia l.* 7. *tit.* 8. *& l.* 2. *tit.* 31. *part.* 7. *l.* 50. *tit. vltimo*, *& l.* 2. *tit.* 13. *lib.* 8. *ordin. & l.* 2. *&* 6. *tit.* 23. *lib.* 8. Bald. *in cap.* 1. *verb. ad mortem*, *de præsumpt.* Abbas *in cap. fin. de donation.* & Ripa *in d. l. fin. q.* 27. *l.* 3. *ff. de sicariis.* Hæc Couarru. quem sequuntur Molina, Vazquez, Fagundez, & Trullench citati.

Sit secundum dubium, an casu, quo filius pœnitentiâ ductus, antequam eius crimen detegatur, resipiscat, reuocetque propositum, & insidias, tunc adhuc sit locus exhæredationi?

Respondeo cum eodem Couarruuias, tunc iam non esse locum. Sic enim scribit *loco citato.* Si verò filius, parato veneno, ante deprehensionem libenter pœnituerit, non poterit vt ingratus exhæredari. Non enim video hanc pœnitentiam excludi per dicta iura. Sic ille, quem sequuntur Molina, Vazquez, Fagundez, Trullench, & Villalob.

Sit tertium dubium, an ad incurrendam pœnam dictæ exhæredationis, satis sit præbere fauorem, vel auxilium, aut consilium, aut consensum vt venenum patenti porrigatur?

Respondeo, esse satis tale crimen, ad incurrendam dictam exhæredationis pœnam. Sic tenet Molina *num.* 5. *citato*, & Fagundez *num.* 32. qui id colligunt *ex ordinat. Lusitaniæ lib.* 4. *tit.* 72. §. 8. *&* 9. *sequenti*, vbi id expresè cauetur.

QVÆSTIO VII.

An item, si filius cum vxore patris sui (hoc est, cum nouerca) vel concubina eius rem habuerit, pœnam exhæredationis admittat?

Respondeo vt certum, quod sic; quia sic habetur *in citata Authentica, vt cùm, de appellat. collat.* 8. §. *aliud quoque*, *& in l.* 4. 5. 6. *&* 7. *tit.* 7. *part.* 6. & docent Couarru. Molina, Vazquez, Fagundez, Villalob. March. & Trullench citati, & omnes. Sed sunt circa hanc causam aliqua dubia.

Sit primum, an vt hæc causa exhæredationis locum habeat, necessum sit, vt filius scienter hoc crimen commiserit? Respondeo, esse necessum, quia sicut ignorantia excusat ab irreuerentia, quæ fit patri, ita & à pœna, quam ob illam incurreret filius. Sic Vazquez *dub.* 4. *cit. num.* 63. ex Couarru. *in cap. Raynutius*, *in princip. num.* 14. Molina *n.* 6. Fagundez *num.* 34. Villalob. mox citandus, & alij.

Sit secundum, an vt filius dictam pœnam incurrat, habendo scienter rem cum concubina patris sui, concubina debeat esse vnica patris sui, & domi retenta? Respondeo quod sic, quia sic leges ciuiles accipiunt concubinam. Et Regia *lex* 4. *tit.* 7. *part.* 6. & ius Lusitanum *tit.* 72. *cit.* §. 10. & docent Couarru. *num.* 14. *cit.* & apud ipsum Ripa. Vazquez *num.* 63. *verb. quinta.* Molina, & Fagundez *loco cit.* (Qui idem dicunt dicendum loquendo de filia, quæ cum marito matris, aut cum eo, cuius mater esset concubina domi retenta, rem haberet.) Sic etiam Villalob. *ibi: La septima, si trato carnalmente con su madrastra, ò con la concubina de su padre, loqual se entiende, siendo manceta vnica que la tiene en casa; y podria escusarse, si tuuiesse ignorancia.*

QVÆSTIO VIII.

An item filius exhæres à patre fieri possit, si ex delatione eiusdem filij pater graue dispendium sustinuerit?

Respondeo vt certum, quod sic; quia sic habetur *in d. authentica*, *& l.* 4. *tit.* 7. *part.* 6. & docent Couarru. *in cap. Raynutius*, *cit. num.* 14. *vers. sextò*, & apud ipsum Ripa. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 176. *num.* 7. Vazquez *opusc. de testam. c.* 6. §. 3. *dub.* 4. *num.* 63. *vers. sexta*, Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. *num.* 35. Trullench *lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 15. Villalob. & March. *locis citatis.*

Sed circa hanc exhæredationis causam sit primum dubium, an satis sit ad exhæredationem, quod delatio à filio facta sit extra iudicium? Negant Couarruuias & Vazquez *loco citato*, vt ex eorum verbis facilè colligitur, & clarè id negat Trullench.

Sed distinctiùs respondeo cum Molina, quod attẽta Authentic

Authentica Iustin. & iure Lusitano, non sufficiat, quod delatio fiat extra iudicium. Quia dicta iura apertè loquuntur de accusatione parentum in iudicio. Attenta verò Lege Castellæ 4. *tit.* 7. *part.* 6. dicendum est, quod sufficiat. Quia hæc lex apertè loquitur de delatione, & infamatione, etiam extra iudicium. Et sic in vtroque Regno suo iuri standum erit, vt optimè dicit Fagundez *loco cit. num.* 35.

Sit secundum dubium, an item necessum sit ad exhæredationem ob hanc causam, quod dispendium fiat in patrimonio paterno:

Affirmat Couarruuias *loco cit.* vbi verba illa Authenticæ, *Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem grauia eos dispendia fecerit sustinere*; de dispendio in patrimonio exponit. Idemque sentit Vasquez, exponens eodem modo dicta verba Authenticæ.

Sed probabiliùs respondeo, non esse necessum præcisè, quod dispendium fiat in patrimonio: nam sufficit, quod vel in illo, aut in honore, vel in aliis bonis temporalibus, & fortunæ, graue damnum parentes passi sint. Nam hæc omnia, verbum illud, *grauia dispendia*, comprehendit. De dispendio autem in bonis corporis, in tertia causa exhæredationis, de qua *quæst.* 4. tractatum est. Sic Molina, & Fagundez *locis citatis*.

Sit tertium dubium, quantum, vel quale hoc dispendium esse debeat, vt filius pœnam exhæredationis incurrat? Respondeo, quod hoc iudicis arbitrio relinquitur, vt colligitur *ex l.* 1. *§.* 1. *ff. de iure deliber. cap. de causis, de offic. delegati.* Sic Couarru. Vasquez, Fagundez, & Molina *locis citatis*: qui aduertit, quod ad hoc, vt hæc pœna incurratur, necesse sit, vt parentes grauia dispendia propter delationem filij re ipsa sustineant, vt ex verbis legis est manifestum.

QVÆSTIO IX.

An filius, qui pro persona, vel debito patris fideiubere noluit, possit à patre exhæredari?

RESpondeo vt certum posse; quia sic habetur *in Authent. cit.* vbi octauam causam exhæredationis iis verbis proponit. *Si quemlibet ex prædictis parentibus inclusum esse contigerit, & liberi qui possunt ab intestato ad eius successionem venire, petiti ab eo, vel vnus ex his in sua eum noluerit fideiussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum esse qui petitur, probatur idoneus. Hoc tamen, quod de fideiussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere.* Sic ius, & sic omnes. Molina *loco cit. vers. octaua.* Vasquez *vers. octaua*, Fagundez *n.* 36. Trullench *n.* 15. *cit. vers. octaua*, & antea Siluest. *verb. hæreditas* 2. *q.* 2. Villalob. *loco cit. vers. la octaua*, & omnes.

Sed circa hanc exhæredationis causam, sit dubium primum, an vt hæc pœna ob illam incurratur, necesse sit, vt parentum aliquis in vinculis, vel ob debitum, vel ob aliam causam detineatur?

Ad hoc respondet Fagundez, quod id velit Molina: sed Ordinationes Lusitanæ de solo debito loquantur. Sed certè Molina loquutus fuit, attento Authentico citato, nec latuit illum Ordinationes Lusitanas de solo debito loquutas fuisse. Audi Molinam. Ex his autem verbis (legis videlicet) constat, vt exhæredationis pœna ob hanc causam incurratur, necesse esse, vt parentum aliquis in vinculis detineatur; vel ob debitum, vel alia de causa (quamuis Ordinationes huius Regni *loco cit.* §. 12. de solo debito loquantur:) & vt filius, vel filij requisiti à tali parente, vt pro debito, aut persona ipsius fideiussores sint, vt à vinculis eruatur, id non velint efficere, cùm tamen possint, idoneique ad id sint. Sic Molina.

Sit secundum dubium, an pœnam hanc ob dictam causam, solùm filij masculi incurrant?

Huic dubio respondet Siluest, *verb. hæreditas* 2. *q.* 2. & ex illo Vasquez *loco cit. vers. octaua*, quod solùm masculi, non fœminæ incurrant: quia, inquiunt, filiæ non possunt fideiubere, *ff. ad Velleianum, l.* 1. *&* 2.

Sed clarius respondeo tanquam certum, solos filios, non filias, dictam pœnam incurrere: quia sic expresè cauetur in dicto Authentico, vt habitum est, & ratio huius decisionis, & exceptionis, non est illa, quam præbent Siluest. & Vasquez; nempe, quia filia non potest fideiubere, iuxta *l.* 1. *&* 2. *citat.* nam reverà potest, renunciato priuilegio Velleiano, fideiussorem esse: sed quia noluit ius filias ad id adstringuere, eo quod coniugatæ esse poterant: & vniuersim minus idoneæ sint ad seipsas defendendum aduersus creditores. Sic Molina, & ex illo Fagundez *locis citatis*; & Caldas Pereyra *in l. si curatorem, verbo læsio, n.* 10. Villalob. *loco cit. vers. la octaua.* Acacio March. *verb. desheredar, resol.* 242. *n.* 7. *vers. la nona.*

QVÆSTIO X.

An si filius, vel filia impediat aliquem suorum parentum facere testamentum; possint, si post eam prohibitionem illud condere potuerunt, in ipsomet testamento ab hæreditate eos excludere?

RESpondeo vt certum, posse: quia sic habetur *in d. Authent.* vbi nonam causam exhæredationis his verbis ponit. *Nonò, si conuictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quia prohibuerit parentes suos condere testamentum: vt si quidem postea facere potuerint testamentum, sit eis pro tali causa filium exhæredandi licentia.* Sic lex, & sic omnes, Molina, Siluest. *locis cit.* Vasquez *dub.* 4. *cit. vers. septima.* Fagundez *n.* 37. Trullench *n.* 15. *cit.* Villalob. & Acacius *locis citatis.*

Sed dubium est, primùm, quid faciendum, si tunc pater propter prohibitionem filij, sine testamento decesserit, aut præcedens testamentum, vt volebat, non mutauit, aut reuocauit? Respondeo quod tunc, qui ita impedimento fuit, per Iudicis sententiam amittit fisco Regio quod ipsi de bonis testatoris obuenire debebat. Comparatione tamen læsi, qui alioquin hæres erat instituendus, aut cui legatum erat relinquendum, punitur pœna dupli, vt constat ex Authent. *Vt nulli iudicium, §. & hoc peruenit*, & ex *l.* 29. *tit.* 1. *part.* 6. Sic Molina, & ex illo, licet non ita plenè, Fagundez *loco cit.*

Sit dubium secundum, quisnam prohibere testari dicendus sit, vt dictam pœnam subire possit? Respondeo quod non solùm ille, qui impedit voluntatem patris per se, dicatur prohibere testari, sed

sed etiam ille, qui id efficit impediendo tabellionem, aut testes, ne accedant ad testamentum conficiendum. Sic ex iure ciuili, & Regio, tenet Molina *loco cit. num. 9. fine*, Villalob. *loco cit. vers. la nona*, ibi: *Y diziesse tambien impedir que haga testamento, el que impide que vengan el Escriuano, y los testigos.*

QVÆSTIO XI.

An item possit exhæredari filius, qui inter mimos, & arenarios, contra voluntatem parentum sese sociauerit, & permanserit?

Respondeo vt certum, posse exhæredari, nisi aliàs parentes essent eiusdem professionis, quia sic expressè habetur *in d. Authent.* vbi de causa decima: & *in Authent. vt cùm, de appellat. cognosc. §. causas, & l. 5. tit. 7. part. 6.* Sic Molina *disp. 176. cit. num. 10.* Vasquez *dub. 4. vers. nona.* Siluest. *vers. vndecima.* Trullench *vers. nona*, Fagundez *lib. 4. cap. 3. num. 31 in principio*, vt citaui *quæst. 5.* Villalob. *vers. la decima*, & Acacius *vers. la vndecima.*

Sed dubium est, an hæc exhæredationis causa, intelligenda sit de omnibus, qui quocumque modo dicta officia exercent, & talibus ludis vacant? Respondeo cum Molina, quod non, sed solùm est intelligenda de iis, qui pretio, aut qui ex officio mimi sunt, aut se ad gladiandum, aut pugnandum cum bestiis conducunt. Sic ille. Addunt item Villalob. & Acacius, ex Molina *vbi suprà, Que à penas tiene lugar el dia de oy esta causa, porque cree que no està en vso.*

QVÆSTIO XII.

An possit exhæredari filia, cui parentes volentes maritum dare, & pro sua substantia illam dotare, non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit?

Respondeo vt certum, posse, quia sic habetur *in cit. Authentico*, his verbis: *Vndecimò, si alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit.* Hæc ius. Addit tamen hæc pro alio euentu. *Si verò vsque ad vigintiquinque annorum ætatem peruenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum marito se libero tamen, coniungere: hoc ad ingratitudinem filiæ noluimus imputari; quia non sua culpâ, sed parentum id commisisse cognoscitur.* Sic ibi, & sic Siluest. *loco cit.* Molina *n. 11.* Vasquez *vers. decima*, Couarr. *in cap. Raynutius, num. 15. ex l. Regia 5. tit. 7. part. 6.* Trullench *num. 15. cit.* Villalob. & Acacius *vbi suprà.*

Sed sit primum dubium circa hanc vndecimam causam, an pater, qui luxuriosè viuit, possit in dicto casu exhæredare filiam, quæ luxuriosam degere vitam elegit.

Respondeo posse patrem, secus matrem, si similiter luxuriosè viuat. Sic Couarr. *n. 15. cit.* ibi: Et quamvis pater viuens luxuriosè possit hac exhæredatione vti. Fulgos. *in Authent. sed si post.* Iason *in l. arenam. C. de inoffic. testam.* Mater tamen meretrix filiam itidem meretricem exhæredare non poterit: Bart. Bald. & Doctores communiter *in d. l. arenam.* Sic ille & Vasquez ex illo, & ex Tello Fernandez *in l. 6. Tauri, n. 22.* Molina *n. 15.* qui rationem differentiæ assignat, dicens, quod vita luxuriosa, quoad honorem, & damna, quæ inde sequuntur, non adeò vituperatur in viris, sicut in fœminis. An verò possit talis mater exhæredare filiam meretricem, si tempore quo fecit testamentum mater, emendata fuerit? Respondeo quod sic: sic Fragosus *lib. 2. disp. 5. §. 2. n. 29.* & alij apud ipsum.

Sit dubium secundum, an vt in dicto casu filia exhæredari possit, sufficiat, quod semel, aut bis furtim sui corporis copiam faciat? Respondeo vt certum, non sufficere, vt constat ex Authentico relato, exigente quod filia luxuriosam vitam degere eligat in lupanari, vt explicat lex Castellæ *5. tit. 7. p. 6.* vel extra lupanar ad minùs, vt volunt quidam. Sic Molina *loco cit. n. 13.* & Greg. Lopez *in d. l. Castellæ*, Villalob. *loco cit. vers. la vndecima*, & Acacius *vers. la duodecima.*

Sit dubium tertium, an si filia, inuitis parentibus, ante 25. annum alicui nubat, possint parentes ob eam causam, illam exhæredare? Respondeo, quod non; quia nullum est verbum *in d. Authent.* ex quo id colligatur. Sic docent glossa Accursij *in d. Auth.* Sot. *in 4. dist. 29. q. 1. art. 4.* Molina *disp. 176. cit. n. 14.* Iulius Clarus *lib. 3. § testamentum, q. 41. vers. sed quid si filia*, & apud ipsum Abbas, Iason, & Bertrand. Vasquez etiam, *dub. 4. cit. n. 64.* & alij communiter apud Villalob. *loc. cit. n. 2. in fine*, & Acacium *resol. 241. citata, num. 8. propè finem.*

QVÆSTIO XIII.

An si pater, aut mater in furorem, vel amentiam, deuenerint, & filius, vel filia debitam curam non impenderint, possint parentes posteà ad sanam mentem redeuntes, illos exhæredare?

Respondeo vt certum, posse parentes dictos filios ita ingratos exhæredare; quia sic habetur *in d. Authentico, vt cùm, de appellat. cognosc. collat. 8. §. aliud quoque capitulum, causa 12. vers. si quis de prædictis.* & *in Authent. liberi, C. de Episcopali audientia*, & *in l. 5. Regia, part. 6.* & sic docent omnes, Molina *numero 31.* Siluest. *verb. hæreditas 2. quæst. 2.* Vasquez & Trullench *vbi suprà*, Fagundez *libro 4. capite 3. numero 38.* Villalob. *disp. 17. cit. num. 7.* & Acacius vbi suprà, *num. 11.* & omnes.

Sed, circa hanc duodecimam exhæredationis causam, sit dubium primum, quid faciendum in casu quo pater, vel mater, ante ipsum furorem, vel dementiam testamentum condiderit? Respondeo, quod tunc, probata negligentia in curandis parentibus, poterit iudex omnes, & singulos illorum filios, & filias repellere ab illorum hæreditate, & illam nepotibus adiudicare. Sic Molina, & Fagundez *locis citatis.*

Quod

Quod si subdubites secundò, quid sit faciendum in dicto casu, casu quo nepotes, aut alij ascendentes, vel descendentes, ingrati fuerint, & extraneus aliquis misericordia motus, illorum curam egerit?

Respondeo, quod tunc tota hæreditas à iudice ipsi adscribi debeat; quia tota ad ipsum spectat. Ita tamen, vt si furiosus ante dementiam testamentum confecerat, legata, & reliqua in eo scripta præter hæreditatis institutionem impleantur. Sic habetur in iuribus citatis, & ex illis docent Authores adducti, præcipuè Villalob. & Acacius.

Quod si tertiò subdubites, quid dicendum in casu, quo nullus curam furiosi egerit?

Respondeo dicendum, quod tunc auferenda sit ab hæredibus hæreditas tanquam ab indignis, & applicanda sit fisco, *ex l. 3. ff. de iis quibus vt indig.* licèt hoc locum non habeat ante latam sententiam. Sic Molina *num.* 31. *citato.* vbi addit, quod tota pœna huius duodecimæ causæ, solùm se extendat ad hæredes ingratos, qui expleuerunt decimumoctauum suæ ætatis annum, *ex l. 6. tit. 7. part. 6.*

QVÆSTIO XIV.

An si quis parentum in captiuitate detineatur, & filij ipsius, aut vnus illorum non festinauit illum redimere, possit ea de causa filios exhæredare?

Respondeo vt certum, posse, quia sic habetur in dicto Authentico, *causa* 13. his verbis. *Si vnum de prædictis parentibus in captiuitate detineri contingat, & eius liberi, siue omnes, siue vnus, non festinauerint eum redimere: si quidem valuerit calamitatem captiuitatis euadere, in eius sit potestate, vtrum hanc causam ingratitudinis testamento suo velit adscribere.* Sic Iustinianus, & sic omnes. Molina *disp.* 176. *num.* 32. Fagundez *num.* 39. Trullench *num.* 15. necnon Siluest. & Vasquez *locis citatis,* quamvis isti minùs bene de negligentia extrahendi parentes è carcere loquantur, cùm lex de extractione à captiuitate sermonem hic agat (vt vidisti) de extractione autem carceris in octaua causa, vt habitum est *quæst.* 9.

Sed circa hanc exhæredationis causam primùm dubito, quid sit faciendum, casu quo aliquis ex prædictis parentibus in captiuitate, culpâ filiorum, moriatur? Respondeo quod tunc, probata culpa, excludendi sunt filij ab hæreditate. Sic Iustinianus *in d. Authent.* his verbis: *Si autem per liberorum negligentiam, vel contemptum, non fuerit liberatus, & in captiuitate decesserit, illos ad successionem eius venire non patimur, quia non festinauerunt eius redemptionem citius procurare: sed omnibus liberis in hoc negligentibus res vniuersas ab eodem relictas, Ecclesiæ Ciuitatis ex qua oritur, applicari, inuentario scilicet, sub publica attestatione celebrando, ne quid ex eius facultatibus pereat: ita, vt quidquid exinde ad Ecclesiam peruenerit, captiuorum redemptioni proficiat.* Sic Imperator, & sic omnes.

Sed dubito secundò, quid sit faciendum, si parens captiuus iam testamentum confecerat? Respondeo, quod tunc adimplenda sint omnia in eo contenta, præter hæredum institutionem. Sic Molina, & Fagundez *locis citatis*; qui tamen addunt, pœnam hanc solùm habere locum in ingratis hæredibus, qui decimumoctauum ætatis annum excesserint, iuxta ius Regium, vt notauimus suprà *quæst.* 13. *fine.* Legatur Villalob. *loco cit. vers. la decima tercia.*

QVÆSTIO XV.

An parentes possint exhæredare filios, qui à fide catholica defecerint?

Respondeo vt certum, quod sic, quia est decimaquarta causa exhæredationis, quam adstruit Iustinian. *in Authent. vt cum, cit.* his verbis: *Si quis de prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit suum filium, vel liberos non esse catholicæ fidei, nec in sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ vna conspiratione, & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos, Nicænam; Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem amplecti, seu recitare noscuntur; licentiam habeant pro hac maximè causa ingratos eos, & exhæredes inscribere testamento.* Sic Imperator, & sic etiam Regia lex *6. tit. 7. p. 6.* & omnes DD. Legantur Molina *num.* 33. Villalob. & Acacius *locis citatis.*

QVÆSTIO XVI.

An attento iure communi, ex aliis causis, ab illis quatuordecim, ex Authentica à nobis assignatis, possit filius, vel filia à patre exhæredari?

Negant quamplures Doctores. Primò, quia id expresse habetur *in d. Authent. vt cùm, de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum,* ibi: *Sed, quia causas, in quibus ingrati liberi debeant iudicari, in diuersis legibus dispersas, & non apertè declaratas inuenimus, quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt, aliquæ verò, cum essent dignæ, prætermissæ sunt: ideò necessarium esse perspeximus eas nominatim præsenti lege comprehendere, vt præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* Hæc Imperator. Quid clarius?

Secundò, quia lex Castellæ 8. *tit. 7. part. 6.* id apertè statuit. Nam statutis quatuordecim causis prædictis, addit: *Mas si por alguna otra razon qualquier que no fuesse de las sobredichas en estas leyes, desheredasse el padre à su hijo, no valdria tal desheredamiento.* Ergo iuxta has leges non possunt filij exhæredari ex aliis causis ab illis quatuordecim in dicto Authentico assignatis. Et ideò sic sentiunt Hostiens. & Alexand. & Gregor. Lopez, quos refert, & sequitur Molina *disp.* 176. *citata, num.* 47. *& sequen.* vbi latè id probat. Fagundez etiam *lib. 4. cap. 3. num.* 54. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst. vnica, punct.* 6. §. 3. *num.* 2. Trullench *num.* 15. *fine*, vbi malè citat pro hac parte Didacum Couarruu.

Alij autem contrà affirmant, posse filios aut filias exhæredari à parentibus ex aliis causis, quæ sint similes, vel maiores illis quatuordecim assignatis. Sic Angel. *in l. lex Cornelia, ff. de iniur.* Hyppolitus *singul.* 78. Ioan. Lup. *in rubrica de donation.* §. 16. *num.* 10. Guillelm. Acuña, Iason, Curtius, Ripa, Felinus, Guillelm. Benedictus, Emman.

Emman. à Costa, quos omnes refert; ac sequitur Couarr. *in cap. Raynutius, de testam. num.* 17. Quibus addi possunt Iulius Clarus *lib.* 3. *§. testamentum, q.* 41. *vers. sed quaero.* Anton. Gomez *tom.* 1. *variar. resol. cap.* 11. *num.* 12. Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.* 9. *num.* 32. *& sequent.* Siluester *haereditas* 2. *quaest.* 2. *versu, sed praeter dictas sunt quaedam alia.* Fragosus *part.* 3. *lib.* 2. *disp.* 5. *§.* 2. *num.* 28. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 17. *num.* 10. Vasquez *opusc. de testam. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 4. *num.* 64. ibi: Sed licèt istae causae numerentur in iure, bene tamen possunt esse aliae, vel similes, vel grauiores, quae eadem ratione sufficiant exhaeredare filium. Ratio eorum est, quia omnes leges rationi nituntur: sed sic est, quod ratio postulat, vt propter alias grauiores causas, quae passim dari possunt, quibus se filij praebeant ingratiores, & magis iniurios erga parentes, possint exhaeredari: ergo.

Sed ego distinctiùs sic respondeo. Primò, attento iure communi, & lege Regia Castellae, probabilius est, quod filij non possint exhaeredari, nisi propter aliquam causam ex quatuordecim ibi assignatis. Ratio sit, quia in poenis non est facienda extensio ad alia, quae non sunt in lege expressa, estò grauia aequè, aut grauiora sint, & magis digna, quae eadem poena puniantur: at leges citatae, quae concedunt facultatem, & licentiam exhaeredandi, sunt poenales, cum in poenam ingratitudinis sint statutae, vt constat *ex d. Authentica cit. vt cum, de appellat.* & *l.* 8. *Castella*: ergo vbi est receptum tale ius commune, sicuti est in Castella, nullis aliis de causis potest exhaeredationis poena infligi, praeter causas ibi recensitas. Sic Authores primae sententiae.

Respondeo secundò, certum est, quod praeter illas quatuordecim causas assignatas *in d. Authentica, & lege Regia*, sunt aliae sufficientes ex se ad exhaeredandum filium, cùm sint aliae non solùm aequè graues, sed & grauiores. Et ideò, non attento iure communi, & vbi non est receptum, optimè, & licitè possunt propter illas exhaeredari filij. Haec responsio est mihi certa, & constabit ex dicendis quaest. sequenti, & infrà *quaest.* 18. vbi probabimus, etiam sine vlla saltem graui causa, ex lege particulari Regni Aragoniae, licitè exhaeredari filios: ergo. Sic à fortiori debent sentire Authores secundae sententiae, imò forsitan multi primae non dissentient. Sed videamus iam, quae causae vltra dictas quatuordecim dari ad exhaeredationem possint. Sit ergo.

QVAESTIO XVII.

Quae causae praeter dictas quatuordecim dentur, quae ex se ad exhaeredandum filium sufficiant?

RESpondeo, quod Siluester *verb. haereditas* 2. *quaest.* 2. sequentes assignet. Prima est, si filius sit haereticus, cùm pater sit Catholicus. Sed certè haec causa in ipso iure assignatur pro vltima. Secunda, si non exhaeredetur malo animo, sed vt virtuti accuratiùs vacet, vel creditoribus satisfaciat, *l. multi, ff. de liber. & posthum.* vbi Bart. illam legem summando dicit, quod exhaeredatio fit quandoque propter bonum. Tertia, si filius tempore testamenti dicit patri, se nolle quicquam de suo, & exhaeredatur. Quarta si filius sit furiosus, & nepos ex eo sanus, qua legitimè poterit exhaeredari, modò instituatur nepos. Sic Siluester. Alij aliam causam assignant, nempe casu, quo filius sit proditor patriae, quia tunc potest à patre exhaeredari: quia haec causa grauior est, quàm multae assignatae à iure. Sic Iulius Clarus, & alij suprà citati.

QVAESTIO XVIII.

An licita sit lex Regni Aragoniae, quae leuibus, & nullis ex causis concedit facultatem liberam exhaeredandi filium?

NEgant aliqui, quos suppressis nominibus refert Vasquez infrà. Primò, quia non tantùm alimenta, sed & haereditas filio debetur iure naturae, vt expressè docet Isidorus *lib.* 5. *etymolog. cap.* 4. & refertur *in cap. ius naturale, dist.* 1. Atqui hoc ius nequit abrogari lege positiua: ergo. Secundò, quia valde reprehensibile videtur, filios vel exhaeredare sine causa, vel inaequalitatem inter eos seruare, & ideò id valde reprehendit D. Basil. *homil.* 8. *hexameron. pag.* 89. *fine*: ergo dicta lex non videtur licita. Hanc partem, ni fallor, tenentur amplecti Authores primae sententiae, relati *q.* 16. siquidem asserunt, non posse exhaeredari filium ob aliquam causam ex assignatis *in Authentico, vt cum, de appellat. &c.*

Sed iuxta dicta respondeo dicendum, quod verè dicta Aragoniae lex sit iusta. Probatur primò, quia verè potest fieri lex ab aliquo Regno, quae permittat exhaeredationem sine vlla culpabili ex parte filij causa: ergo dicta lex facta ab illo Regno, licita, & iusta erit. Antecedens probatur primò ex dictis quaest. antecedenti: nam (vt ait Siluester ex Bart.) exhaeredatio potest fieri propter bonum: ergo, vt & filius virtuti accuratiùs vacet: ergo vt diligentiùs parentibus obediat, si non amore, & debito, ad minùs timore, ne exhaeredetur à patre: atqui hic est finis, hic scopus dictae Aragoniae legis: ergo ex fine licita, & iusta redditur.

Secundò, quia non est verum, quod sit de iure naturae filios instituere, sed solùm postulat natura educationem filiorum, vel per totam eorum vitam, vt aliqui volunt; vel tantùm dum ipsi non possunt sibi alimenta comparare, vt docet Pater Vasquez *opusc. de testam. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 4. *num.* 66. *vers. sed quamvis valde*, ex Sarmiento *lib.* 2. *selectar. cap.* 14. *num.* 6. ergo per diuersas leges rationabili ex causa potest limitari, & taxari legitima filiorum. Legantur dicta à nobis suprà *disp.* 8. *quaest.* 2. & Acacius *tom.* 1. *verbo desheredar. resol.* 142. *num.* 15. vbi hanc nostram sententiam amplectitur, licèt cum aliqua restrictione.

Ad *cap. ius naturale*, respondet ipse Vasquez, quod pater non cogitur iure naturae filium instituere haeredem, sed solùm lege positiua: & ideò quod D. Isidorus intelligendus est de successione ab intestato, ita quod mortuo patre ab intestato, iure naturali filius succedit. Sic ille. Legatur etiam Nauarr. *cap.* 16. *num.* 38.

Sed nota, quod quamvis pater in causis assignatis habeat ius exhaeredandi filios, tenetur tamen semper alimenta illis ad vitam necessaria praebere, dum filiis aliunde non suppetunt, vt docent omnes, & patet ex dictis.

QVAESTIO

QVÆSTIO XIX.

An causa ingratitudinis, aut exhæredationis, tollatur per pœnitentiam patrati delicti, à filio actam.

AFfirmant multi, existimantes, quod si filius exhæredari dignus, agat ante mortem patris pœnitentiam, tollatur ingratitudo, nec possit exhæredari, possitque opponere hæredi instituto eiusmodi pœnitentiam, vt nihil causante exhæredationem, ad paternam admittatur hæreditatem. Ita *ex cap. ferrum, dist.* 40. tenent Abbas *in cap. Quintauallis. col.* 2. *de iureiur.* Alexand. *in l.* 1. *n.* 33. *ff. soluto matrim.* Iason *in l. in arenam, col. fin.* Roder. Suarez, & alij apud Couarruu. *vbi infrà.*

Sed probabiliùs respondeo, non tolli causam ingratitudinis, aut ius exhæredandi per pœnitentiam patrati delicti; quia licèt quoad Deum, & in foro conscientiæ per pœnitentiam tollatur culpa, imò & pœna; non tamen tollitur pœna temporalis, ex legum ordinatione inflicta, & ita adhuc post peractam pœnitentiam à filio criminis commissi, puniri potest pœna exhæredationis. Sic Couarr. *in cap. Raynutius, num.* 18. *&* 19. & apud illum Felinus *in cap. Rodulphus, de rescriptis, col* 3. Curt. Iunior *in Authent. non licèt, col.* 1. Sic etiam Acosta *§. & quid si tantùm, part.* 3. *à num.* 138. Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 176. *num.* 57. Vasquez *opusc. de testam. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 5. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 5. *quæst. vnica, punct.* 6. *§.* 3. *n.* 12.

QVÆSTIO XX.

An ad minus tollatur per pœnitentiam ius, & causa exhæredationis, quando hæc non concernit directè iniuriam patris, sicuti vitium arenarij, meretricum, & similia?

AFfirmat tunc tolli Couarr. *num.* 19. *citato,* quatenus dicit, priorem opinionem quæstionis antecedentis, posse procedere in isto casu, & citat Ripam *in l. fin. C. de reuocand. donat. q.* 67.

Sed adhuc veriùs respondeo, nec tolli per pœnitentiam ius, aut causam exhæredationis, adhuc casu quo delicto non intendebatur iniuria patris. Quia, vt bene Molina, vniuersim eatenus fas est patri, etiam post filij pœnitentiam exequi pœnam ingratitudinis, quatenus legibus præscribitur, estque ei permissum: ergo. Sic ille *num.* 57. *citato, fine.*

QVÆSTIO XXI.

An causa exhæredationis tollatur per reconciliationem patris cum filio, quando reconciliatio antecedit exhæredationem.

NEgant tolli per talem reconciliationem, causam exhæredationis, ac proinde talem exhæredationem esse validam, Molina & Emman. à Costa, apud Bonac. *loco citato, num.* 12. vbi ita ait: Si verò exhæredatio sequatur post reconciliationem, maior controuersia est, an exhæredatio valida sit. Couarr. *num.* 17. negat validam esse. Molina verò affirmat cum Emmanuele à Costa, addens tamen competere filio querelam inofficiosi testamenti. Mihi placet opinio Couarr. nam cùm instrumento exhæredationis inseratur causa ingratitudinis, ob quam infertur exhæredatio, cumque per reconciliationem abolita sit causa ingratitudinis, sequitur patri non competere ius exhæredandi ex illa causa iam abolita, & consequenter exhæredationem ea de causa factam non subsistere, vtpotè factam sine causa, ob quam iura exhæredandi facultatem concedunt. Nec obstat *l. filio, cit.* nam ibi sermo est de reconciliatione subsequente exhæredationem, non de antecedente. Hæc omnia Bonacina.

Cum quo respondeo dicendum, quod per reconciliationem, quæ antecedat exhæredationem, verè tollatur causa ingratitudinis, & exhæredationis, & consequenter etiam tollatur patri ius, & facultas exhæredandi filium, vt optimè probat Bonacina ex Couarruuia, cuius sententiam sequitur Vasquez *dub.* 5. *cit. vers. secundò inquit*: necnon, quidquid Bonacina dicat, Molina & Emman. à Costa; Molina namque *disp.* 176. *cit. col.* 733. *num.* 54. sic dubitat: Vtrum si pater filium in suo testamento, inserta legitima causa, exhæredauit; & postea eumdem in suam recepit amicitiam, censeatur exhæredatio reuocata? Et respondet sic: Couarr. *cap. Raynutius, in initio num.* 17. cum alijs, quos refert, ac sequitur, consentit (attende nunc) si pater antequam conficeret testamentum, vel expressè, vel tacitè remisit ingratitudinem filij, cum in pristinam amicitiam recipiendo, non posse deinceps conficere testamentum, in quo illum exhæredet: quod si exhæredare illum attentet, inserta ea causa, inualidum esse testamentum. Ratio est, quoniam eo ipso quod tacitè, vel expressè ingratitudinem remisit, absoluta est ea causa exhæredandi, ac proinde sine legitima causa deinceps exhæredat. Posse autem ingratitudinem tacitè remitti, censerique tacitè remissam, si filium ad pristinam amicitiam admittat, colligitur apertè *ex l.* 3. *§. vltimo, iuncta l.* 4. *sequenti, ff. de adimendis legatis, ex l. in ipsum, C. familia excifcundæ,* & ex aliis iuribus, quæ Emman. à Costa *§. & quid si tantùm, part.* 3. *num.* 183. citat. Atque in hoc conuenire videntur Doctores. Hucvsque Molina. Malè ergo ille vnà cum Emman. à Costa citatur pro contrario à Bonacina, qui absque dubio solum titulum dubij legit, non resolutionem intermediam nostræ quæstionis. Tenent etiam nostram sententiam Fagundez, & Villalobos mox citandi.

QVÆSTIO XXII.

An item causa exhæredationis tollatur per reconciliationem cum patre factam post exhæredationem?

AFfirmant nonnulli Doctores, dicentes, quod quando pater legitimè filium in testamento exhæredauit, & post illud confectum, in suam eum recepit amicitiam, testamentóque minimè reuocato, pater è vita discessit, tunc censeatur abolita præcedens illa exhæredationis causa, filiusque propter illam, quondam legitimè exhæredatus, succedere debeat patri. Ita Bartol. *in l.* 3. *cum l. sequenti, ff. de adimend. legat.* Iason *in Authem. non licet,*

licet, ad finem. Siluest. *verb. hæreditas 2. num. 3.* & Vasquez *dub. 5. cit.* per hæc verba: Sed certè nescio, quare non sit admittenda Bartoli opinio *in l. 3. citata*, qui asserit, quod per reconciliationem eo ipso censetur ablata exhæredatio: si enim pater iniuriam remittit, & filium suum ad suam admittit gratiam, & reconciliationem, cur non facere ipsum hæredem præsumendum est? Sic Doctissimus P. & alij, quos citat & sequitur Villalob. *diff. 17. citata, num. 11.*

Alij contrà dicunt, quod per talem reconciliationem factam post exhæredationem in testamento scriptam, minimè tollatur causa exhæredationis, ac proinde firma maneat exhæredatio. Nam si exhæredatio censeretur extincta, filius maneret præteritus, essetque testamentum nullum, quod minimè conuenit parentis voluntati. Sic tenent Couarruu. *num. 17. citato.* Roder. Suarez *in l. 2. tit. de matrim. lib. Fori, vers. vlteriùs.* Barbosa *in l. filio, quem pater, ff. de liber. & posthum.* Rebell. & Reginald. quos sequitur Bonac. *num. 12. citato*, Fagundez *lib. 4. cap. 3. num. 50. fine.*

Sed media via respondeo dicendum, quod quamvis in dicto casu, testamentum, quo exhæredatus fuit filius ingratus, maneat firmum, & validum; nihilominus, cùm per arrogationem, aut quamvis aliam tacitam, vel expressam ingratitudinis remissionem, causa exhæredationis aboleatur, nec vlteriùs subsistat, sanè tali filio competit, non quidem ius dicendi nullum testamentum illud, quoniam, quoad hoc exhæredatio adhuc ipsi nocet, sed querela inofficiosi testamenti. Quare petere poterit aduersus hæredem scriptum, possessionem hæreditatis, aut partis illius, quæ sibi tanquam legitimo hæredi debetur. Si verò obiiciatur, exhæredatum fuisse legitima causa inserta; replicabit, causam remissam fuisse, ac proinde non subsistere, annullandumque proinde esse tale testamentum, tanquam sibi iam nunc inofficiosum. Atque hoc pacto intellecta opinio Bart. & eorum, qui illum sequuntur, vera est, & amplectenda. Hæc omnia Molina *loco citato, num. 56.* & Emman. à Costa *vbi suprà, num. 180.*

QVÆSTIO XXIII.

An per professionem in Religione emissam à filio ante mortem patris, tollatur omnis præterita ingratitudo; ita vt dictus filius exhæredari iam non possit; aut si ante professionem erat exhæredatus, per illam inualida talis exhæredatio reddatur?

AFfirmat Gratianus 19. *quæst. 3. cap. vltimo*, ex Nouella, quam refert, in qua in fauorem Religionis sancitum est, quod nullo modo talis filius possit exhæredari; & quod si ante professionem exhæredatus erat, inualida talis exhæredatio reddatur. Gratianum sequuntur Roman. *singul. 476.* Campeg. *de dote 1. part. quæst. 47.* Felin. *in cap. Rodulphus, de rescriptis*, Chass. Abbas, & alij apud Couarr. *num. 20.* Quibus addi possunt Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 176. num. 58.* Bonac. *punct. 6. cit. §. 3. num. 12.* Fragosus *3. part. regim. lib. 2. disput. 5. §. 2. num. 31. fine*, & Spino apud ipsum. Villalob. *diff. 17. citata, fine.*

Negant contrà alij, existimantes per professionem in Religione non extingui vitium ingratitudinis, & sic posse ob dictam causam filium exhæredari. Probant primò aliqui, tum *ex l. Deo nobis, §. 1. C. de Episcop. & Cleric.* qua prohibetur patrem exhæredare filium, ex ea sola causa, quod Religionem profiteatur: ergo si alia adsit causa, bene poterit pater filium Monachum exhæredare. Tum etiam, quia non est certum extare Nouellam citatam à Gratiano: nam Alciatus *in lib. 4. parerg. cap. 23.* & Franciscus Balduinus *in præfatis de iure ciuili 122.* negant extare talem constitutionem, sed confictam esse à Gratiano arbitrantur: ergo. Ita aliqui apud Couarr. & Molinam, & tenet Vasquez *opusc. de testam. cap. 6. §. 3. dub. 6.* dicens ita sensisse Couarr. *num. 20.* sed id non tenuit absolutè Couarr. sed limitatè. Tenent autem apud Fragosum Franciscus Molina, Aug. Barbosa, & Iason.

Alij media via incedendo, dicunt duo. Primum, est, quod verè extet dicta Nouella citata à Gratiano. Secundum, quod sit coarctanda, ita vt intelligatur in causa, & vitio, quod directè ipsum tantùm filium concernit: nam tunc, inquiunt, tollitur ingratitudo per professionem; non verò si patris personam causa directè spectet, aut læserit, quia tunc non tollitur ingratitudo per professionem. Vtrumque docet Couarr. *in cap. Raynutius, cit. num. 20.* & vtrumque probat. Primum sic. Quia dicta Nouella, licet in vulgatis Authenticorum codicibus non extet, extat tamen apud Constantinum Harmenopulum *lib. 5. epitom. tit. 9.* & *in Nouella constit. 123. tit. de Ecclesiasticis, & diuersis capitul.* Secundum probat ex Baldo *in d. l. Deo nobis*, ex Aretin. *in l. 3. §. 1. ff. de liber. & posthum.* & ex aliis.

Sed ego ex his tribus sententiis, primam, vt probabiliorem longè eligo, vtpote, quia in fauorem Religionis militat, & pro defensione ipsius priuilegiorum pugnat. Legatur Molina *loco citato, num. 59.*

An autem possint parentes exhæredare filios, quando ipsis inuitis matrimonium contrahunt, diximus ob hoc non posse *2. p. tr. 9. disp. 7. q. 8.* Quod intellige, nisi aliàs lex alicuius Regni hanc eis facultatem tribuat.

---

§. II.

De causis, ob quas possunt filij parentes exhæredare, eisque alimenta negare.

QVÆSTIO XXIV.

An licitum sit, aut liberum filiis, ob aliquas causas suos parentes exhæredare?

REspondeo quod sic, quia sic expressè habetur *in Authent. vt cùm, de appellat. cognosc. cap. 4.* vbi sic loquitur Iustinianus Imperator. *Iustum autem perspeximus, & è contrariò de liberorum testamentis hac eadem cum aliqua distinctione disponere. Sancimus itaque non licere liberis parentes suos præterire, aut quolibet modo à rebus propriis, in quibus habent testandi licentiam, eos omnino alienare: nisi*

nisi causas, quas enumerauimus, in suis testamentis specialiter nominauerint. Hæc Imperator. Adde *l.* 15. *ff. de inoffic.* & *l.* 7. *ff. unde liberi,* & *Reg. l.* 11 *tit.* 7. *par.* 6.

QVÆSTIO XXV.

An ex omnibus causis, ob quas liberum est filiis parentes exhæredare, liberum sit etiam eis alimenta negare?

RESpondeo vt certum, liberum eis esse alimenta denegare, seclusa extrema necessitate. Probatur primò *ex l. vltim. C. de alend. liber. l. si quis à liberis, §. idem index, ff. de liber. agnosc.* & *l.* 6. *tit.* 19. *part.* 2. Secundò, quia vt suprà *quæst.* 1. est habitum, ex omnibus causis, ob quas liberum est parentibus filios exhæredare, possunt eis alimenta negare, seclusa etiam extrema necessitate: ergo è contrà idem est dicendum de liberis. Patet ex regula correlatiuorum. Sic Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 168. *fine.* Fagundez *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 42. qui non bene ad propositum citat Nauarrum, Couarru. & alios: nam hi solùm loquuntur de parentibus respectu filiorum, non contrà, de filiis respectu parentum, de quibus nunc est sermo.

QVÆSTIO XXVI.

An causæ, ob quas filij possunt suos exhæredare parentes, sint octo?

NEgat Fagundez *cap.* 3. *cit. num.* 43. asserens, esse tantùm septem, his verbis: Reliquum est, vt modò assignemus cásus, in quibus è contrario possint filij parentibus etiam alimenta negare, eosque exhæredare. Et hi septem tantùm sunt, vt habetur in prædicto Authentico, *vt cum,* &c. & in nouis ordinat. *lib.* 4. *tit.* 88. Hæc Fagundez.

Sed verissimè respondeo esse octo; quia expresse octo causas enumerat Authent. cit. vnde illud non vidit Fagundez. Legantur Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 176. *à num.* 34. & quæ in quæst. sequenti dicimus.

QVÆSTIO XXVII.

Quales sint octo illæ causæ, ob quas liberum est filiis exhæredare suos parentes?

REspondeo quod sequentes. Prima est, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderint; citra causam tamen, quæ ad Maiestatem pertinere cognoscitur. Hæc prima causa, quam Imperator, relatis verbis assignat, & explicat Molina sic. Si parentes liberos suos ad interitum vitæ tradiderint, eos videlicet accusando de crimine, propter quod ea pœna sint puniendi. Adde, vel si de tali crimine eos denunciauerint. Lex 11. *tit.* 7. *part.* 6. addit, aut de crimine, ob quod sint mutilandi. Excipitur, nisi accusatio, aut denunciatio fit de crimine læsæ Maiestatis. Idemque est de crimine hæreseos, læsæve Maiestatis diuinæ, vt circa causas, ex quibus permissum est parentibus exhæredare suos liberos, dictum est. Hæc Molina. Legantur dicta à nobis suprà *quæst.* 4.

Secunda causa est, si venenis, & maleficiis, aut alio modo, parentes filiorum vitæ insidiari probentur. Sic Imperator. & Molina *num.* 35. *vers. secunda,* & Fagundez *num.* 43 licèt malè in hac causa addat, quæ Molina addit in explicatione primæ, & nos retulimus. Lege dicta suprà *q.* 6.

Tertia causa est, si pater nurui suæ, aut concubinæ filij sui (intellige domi retentæ) sese immiscuerit. Sic Imperator, & Molina *n.* 36. Fagundez *num.* 44. *vers. secunda est.* Lege dicta *q.* 7.

Quarta est, si parentes filios suos testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam. Eadem quippe omnia in hoc euentu dicenda sunt, quæ de filiis, parentes testari prohibentibus, diximus suprà *quæst.* 10. Sic Molina *num.* 37. Fagundez *num.* 45.

Quinta est, si vir vxori suæ, aut è contrario, vxor viro, venenum dederit, vt interficiat, aut mente alienet, vel quouis alio modo vnus eorum, vitæ alterius fuerit insidiatus; filij namque ea de causa exhæredare possunt parentem, qui crimen tale commiserit. Sic Authent. *causa* 5. & Molina *num.* 38. vnde non bene Fagundez *num.* 46. hanc causam aliter ponit, dicens, quartam causam esse, si pater, vel mater filios, & filias suas potu aliquo, vel modo, à statu sanæ mentis deturbauerint, amentes fecerint, vel quouis alio modo eorum vitæ fuerint insidiati, aut illis mortem fuerint machinati. Hæc Fagundez, sed non Iustinianus.

Sexta, si liberis, vel vno ex his in furore constitutis, parentes eos curare neglexerint, potest filius compos mentis factus, etiam diuinitus, eos exhæredare. Additque Iustinianus, quod omnia, quæ in hoc euentu de parentibus, qui rationis iudicium amiserunt, heredum comparatione dicta sunt, similiter locum habeant quando filij in eundem morbum inciderunt. Sic Molina *num* 39. Fagundez *num.* 47.

Septima, si filius, aut filia in captiuitate detineantur, & parentes negligentes fuerint in curanda eorum redemptione, cùm possint; tunc recuperata posteà libertate, poterunt eos exhæredare. Quod si parentum, aut heredum negligentiâ in captiuitate moriantur, ex ipsorum bonis, de quibus testari poterant, alij captiui sunt redimendi. Sic Molina *disp.* 176. *num.* 40. (non 4. vt leges apud Fagundez) & Fagundez *num.* 48. Hîc etiam applicanda erunt quæ de parentibus captiuis diximus suprà *q.* 14.

Octaua, si filij, vel filiæ sint Catholici, parens verò vel parentes hæretici. In hoc enim casu hi possunt à filiis exhæredari. De hac causa lege quæ in simili *quæst.* 15. diximus de parentibus respectu filiorum.

Igitur ex omnibus his causis enumeratis, ob quas filij à parentibus, & parentes à filiis exhæredari possunt, possunt etiam ab alimentis excludi, seclusa extrema necessitate. Quibus ex omni parte fit satis disputationi inquirenti, quibus de causis possint parentes filij, & filij parentibus alimenta denegare.

An autem ex aliis causis, ac istis octo commemoratis, æquè grauibus, possint filij parentes exhæredare, dicendum est, posse, sicut & patres posse filios exhæredare, diximus suprà *q.* 16.

Nota deinde, quod ob easdem causas, quibus tolli diximus causam parentibus exhæredandi suos filios, ob easdem dicendum est tolli causam filiis exhæredandi parentes suos. Legantur dicta à *quæst.* 19. Lege Molinam, & Fagundez *locis citatis,* necnon Villalob. *tom.* 2. *tract.* 30. *diff.* 17. *num.* 9. Acacius March. *tom.* 1. *verb. desheredar, resolu.* 243.

DISPVTATIO XII.

De obligatione quam habent parentes, & aui, ad dotandas filias, & neptes.

QVÆSTIO PRIMA.

Vnde dos dicta sit?

RESPONDEO dicendum, quod dicta sit à dando, quasi datum quodpiam, aut donatum aliquod bonum vtile. Hinc fit, quod dicantur dotes animæ, & corporis, quas Author naturæ Deus homini communicat. Sic Iodocus, *verbo dos*, *n.* 1. Andreas Fachineus *lib.* 10. *controuersiis iuris*, *cap.* 24. *vers. tertium argumentum.*

QVÆSTIO II.

Quid sit dos, quomodo-ve definiatur?

RESpondeo dicendum, quod quantum colligitur ex legibus, & canonibus, dos est, quod datur viro ab vxore, vel ab aliquo nomine eius, putà à patre, vel extraneo, pro oneribus matrimonij præcipuè sustinendis, hoc est, ad alendam vxorem, & familiam: vnde & dicitur patrimonium vxoris, *ff. de minorib. l.* 3. *§. sed virum.* Sic D. Thom. *in* 4. *d.* 49. *q.* 4. *art.* 1. Siluest. *verb. dos*, *num.* 1. Armilla *ibi*, *num. etiam* 1. Angel. *ibidem*, *num.* 1. vbi ita ait: Dos est quædam donatio facta à patre mulieri, vel ab extraneo, vel facta à muliere ipsi viro, pro oneribus matrimonij sustinendis. Ita notant Canonistæ, Gothofred. & Hostiens. *in cap. Raynutius, de testam.* & per Legistas *in rubr. ff. soluto matrim.* Sic Angel. & sic etiam Iodocus *loco cit.* Fragosus 3. *p. de regim. Christ. Reipublicæ*, *lib.* 2. *disp.* 5. §. 1. *n.* 1. & omnes, apud Azon. *in sum. C. de iure dotali*, Villalob. *tom.* 2. *tract.* 27. *diff.* 1. *num.* 1.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit dos?

RESpondeo dicendum, quod multiplex. Nam dos diuiditur in dotem profectitiam, & in dotem aduentitiam. Profectitia est, quæ à patre, vel ab auo, vel proauo, vel ab alio superiori ascendente de linea patris, pro filia, nepte, pronepte, aliisque similibus, ex illorum bonis proficiscitur, & constituitur. Item talis dicitur dos, quæ datur ab alio quocumque de ipsorum mandato, & iussu, aut nomine, si ipsi ratum habeant, *l. profectitia*, *ff. de iure dotium*, vel à Præside, aut curatore, si pater sit prodigus, aut furiosus. Sic Siluest. Angel. *loco cit.* Armilla *n.* 4. Iodocus *n.* 2. Molina *tom* 2. *de iust. disp.* 423. *à num.* 4. Bonac. *de contract. lib. disp.* 3. *q.* 11. *punct.* 1. *num.* 3. Fragosus *disp.* 5. *citata*, *num.* 3. & Villalob. *diff.* 1. *cit. num* 3.

Dos verò aduentitia illa dicitur, & est, quæ non à patre, vel ab auo, aut ab aliis ascendentibus ex parte patris proficiscitur, aut descendit, sed aliunde, putà vel à muliere ipsa, vel ab alio extraneo à linea paterna; siue sit frater, siue auunculus, siue alius Sic colligitur *ex d. l. profectitia*, *& ex l.* 2. *§. quod si in patris*, *ff. soluto matrim.* & ibi Iason *n.* 2. *&* 15. dicens, in hoc omnes conuenire. Legantur citati.

Si dubites, an sit dos aduentitia illa, quæ datur à patre, ex bonis tamen alienis? Respondeo quod sic, quia propriè non proficiscitur ex bonis paternis. Item erit dos aduentitia, si pater debeat aliquid filiæ, & ipsa consentiat, vt debitum soluat pro dote, *l. profectitia, in princip. & §. si pater pro filia*, *ff. de iure dot.* Item si pater non quasi pater, sed pro alio dotem promittente fideiusserit, & soluerit tanquam fideiussor, erit dos aduentitia: idemque erit dicendum, quando pater dedit dotem de bonis suis filiæ benemeritæ, & quando vxor dat marito sub ea conditione, vt pro filia det genero in dotem; tunc dos magis etiam dicetur aduentitia, quàm profectitia. Legantur Molina, Iodocus, Siluest. Angel. Bonac. Fragosus, & Villalob. *vbi suprà.*

QVÆSTIO IV.

An pater teneatur constituere dotem filiabus, quas matrimonio collocat?

REspondeo vt certum teneri, & sub mortali. Primò, quia dos succedit in locum alimentorum, vt suprà *disp.* 11. *q.* 1. est habitum: sed pater tenetur alimentare filias, vt suprà *disp.* 8. probauimus: ergo & tenebitur eas dotare. Secundò quia sic expressè habetur *in l. qui liberos*, *ff. de ritu nuptiar.* ibi: *Coguntur in matrimonium collocare, & dotare*, & *l. fin. C. de dotis promissione*, & *l.* 8. *tit.* 11. *part.* 4. Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. Siluest. *verb. dos*, *n.* 4. Iodocus *ibidem num.* 3. Thuscus *tom.* 2. *concl.* 755. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 6. *q. vnica*, *punct.* 6. §. 2. *n.* 1. Trullench. *lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 17. Fragosus *part.* 3. *disp.* 5. §. 1. *num.* 4. Couarru. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 20. (non 1. vt legi apud Fragosum) Andreas Fachineus *lib.* 10. *controuer. iuris cap.* 38. Villalob. *tract.* 27. *diff.* 3. *n.* 1. Acacius *verb. dote*, *resol.* 273. *num.* 1. & alij.

QVÆSTIO V.

An pater teneatur dotare filiam iure obligationis?

NEgant aliqui, quos suppressis nominibus refert Sanchez *vbi suprà*, existimantes, non teneri ad hoc iure obligationis, sed iudicis officio ad id compellendum esse patrem.

Sed vt quid verum respondeo teneri iure obligationis, & quasi ex iustitia, & pietate paterna; quia vt nuper habitum est, pater tenetur alere filias præcepto naturali, & positiuo: ergo & eas dotare. Consequentia ex dictis nuper constat. Sic Sanchez *num.* 2. *citato*, ex Menoch. *de præsump. lib.* 4. *præsump.* 189. *num.* 64. Fragosus *parte* 3. *regim. Christ. Reip. lib.* 2. *disp.* 5. §. 1. *num.* 4. & penes illum Couarru. §. 6. *cit. num.* 11. Lara *in l. si quis à liberis*, *cit.* Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 1. Villalob. & Acacius *loc. cit.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An teneatur pater filiæ suæ diuiti dotem constituere?

NEgant aliqui, quia dos, vt nuper diximus, succedit loco alimentorum: sed pater non tenetur filiæ diuiti alimenta præstare, vt habitum est suprà *disp.* 8. *q.* 7. ergo nec tenebitur dotem præstare. Ita tenet Bartol. *in l. si mulier, §. cùm proponeretur, num.* 3. *ff. ad Senatusconsult. Trebell.* vel (vt alij citant) *Velleian.* quem sequitur Fachineus *cap.* 38. *cit. col.* 1923. *vers. verùm istis non morantibus*: & apud ipsum Duard. & Alciatus.

Sed longè multò probabilius respondeo teneri patrem dotare filiam, quamvis sit diues. Primò, quia sic colligitur *ex l. fin. C. de dotis promiss. & l.* 8. *Reg. tit.* 11. *part.* 4. id expressè decernitur, ibi: *El padre quando casa à su fija que tiene en su poder, ca quier aya ella algo de lo suyo, ò de otra parte, ò non; tenudo es el padre de la casar, è de la dotar.* Ergo iure sic disponente, tenetur pater filiam, etiam diuitem, dotare. Vnde in hoc casu non valet argumentari ab alimentis ad dotem. Tum ob ius speciale. Tum etiam, quia dos succedit loco legitimæ: sed pater filiis legitimis, etiamsi sint diuites, tenetur legitimam dare: ergo & dotem. Sic sentit Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 5. & penes illum Bald. Angel. Paul. Alexand. Hippol. quos refert, & sequitur Baeza, *de non meliorand. filiab. c.* 2. *n.* 26. *& c.* 5. *n.* 5. Couarru. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 3. *§.* 8. *num.* 8. Greg. Lopez *d. l.* 8. *cit. verb. el padre*, Iason, Padilla, Ripa, Crottus, & alij. Quibus addo Rebellum 2. *p. lib.* 5. *q.* 4. *n.* 1. Fragosum *disp.* 5. *cit. §.* 1. *n.* 11. Bonac. *punct.* 6. *cit. §.* 2. *n.* 1. *vers. amplia primò.* Thuscus *tom.* 2. *concl.* 779. Trullench *lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 17. Villalob. *tract.* 27. *diff.* 3. *num.* 5.

QVÆSTIO VII.

An pater teneatur dotare filiam, quæ iam matrimonio est collocata ex eiusdem patris consensu, absque tamen dotis mentione?

NEgant aliqui Iurisconsulti, quia pater tenetur dotare filiam, vt virum inueniat: ergo dum iam inuenit, cessabit obligationis effectus. Ita tenent Bartol. *in l. obligamur, n.* 1. *ff. de action. & obligationib. & in authent. res quæ, C. communia de legatis.* Bald. Salic. Fulgos. Matesil. quos refert Baeza *cap.* 5. *num.* 2. *cit.*

Sed vt ferè certum respondeo, teneri adhuc patrem talem filiam dotare; quia dos non tantùm constituitur filiæ, vt virum inueniat, & alimenta habeat, sed etiam ad sustinenda matrimonij onera, *l. pro oneribus, C. de iure dotali, & cap. salubriter, de vsuris*; & ne à viro spernatur: mulier enim indotata facilè ab ipso despicitur. *Authent. de nuptiis, §. si quis itaque, vers. si quis enim, collat.* 4. Ergo quamvis cesset ratio vna, ob quam dos constituitur, videlicet, vt inueniat virum, non cessant aliæ rationes assignatæ, ob quas semper manet obligatus pater. Nam vbi alicuius dispositionis plures inueniuntur causę, etiamsi vna cesset, non propterea cessat dispositio, *argum. textus in §. affinitatis. Instituta de nuptiis, l. si non lex, ff. de hæredib. instuend.* Sic tenent Sanchez *disp.* 26. *cit. n.* 4. & apud illum Glossa, Abbas, Alexand. de Neuo, Baldus etiam, Pręp. [illegible] Iason, Alexand. & Couarruuias *cap.* 3. *cit. §.* 8. *n.* 7. Molina 2. *de primogen. c.* 16. *n.* 16. Anton. Gomez *l.* 40. *Tauri, n.* 87. & alij. Sic etiam Palat. Rubios, & Mexia, quos citat, & sequitur Fragosus *disp.* 5. *cit. §.* 1. *num* 6. dicens, id etiam, contrarium sibi, sentire Bartol. *in l. nupta, in princip. n.* 2. *ff. soluto matrim.* Villalob. *tr.* 27. *diff.* 3. *n.* 3.

QVÆSTIO VIII.

An pater teneatur dotare filiam nuptam viro digno, sine consensu tamen ipsius patris?

NEgatiuam sententiam esse probabilem innuit Socin. Sen. *cons.* 57. *num.* 2. *lib.* 4. *vers. sed contraria opinio*, illamque tuetur Bartol. quæst. antecedenti citatus.

Alij dicunt teneri patrem dotare talem filiam, casu, quo illam dotem marito promiserit, secus aliàs. Ita apud Couarru. tenent Abbas *in cap.* 1. *de sponsal. impub. & consil.* 12. *vol.* 1. Ioan. Lupus, Iason, Decius, & alij. Et apud Sanchez Montalbus, Rosella, Angelus, Siluest. Tabiena, & Armilla.

Sed distinctiùs respondeo primò: certum est ferè, quod pater teneatur dotare filiam, quæ nupsit viro digno, inconsulto eodem patre, casu, quo filia dotem promiserit viro. In hac responsione conuenire omnes, testatur Ripa *in l.* 1. *num.* 57. *ff. soluto matrim.* & ex illo Sanchez *disp.* 26. *cit. n.* 16.

Respondeo secundò vt longè probabilius, etiam casu, quo filia non promiserit dotem viro digno, cui inconsulto patre nupsit, tenetur pater illam dotare, ob rationes adductas *quæst. antecedenti.* Et ideò sic sentit Couarru. *de sponsal.* 2. *p. c.* 3. *§.* 8. *n.* 7. & apud illum Bald. Angel. Paulus, & Iason, & Curt. Iunior *in Authent. res quæ, C. commun. de legatis.* Ripa *loco cit.* Parisius *consil.* 29. *vol.* 3. *n.* 62. & alij. Fragosus etiam 3. *p. cit. lib.* 2. *disp.* 5. *§.* 1. & apud illum Aret. Curt. Senior, Ioan. Andreas, Socin. & Imola, & est cõmunis, quam cum aliis tenet Sanchez *n.* 17.

QVÆSTIO IX.

An pater teneatur dotare filiam maiorem vigintiquinque annis, ipso inuito nubentem?

NEgant nonnulli teneri, nisi casu, quo filia promiserit dotem. Ita tenent apud Sanchez *disp.* 26. *cit. num.* 10. Bartol. Abbas, Montalbus, Siluest. & Tabiena, citati à nobis *quæst. antecedenti.*

Sed iuxta ibidem dicta longè probabiliùs respondeo teneri, quamvis filia minimè dotem promiserit, indignoque nupserit. Quia filiæ ex consensu patris nubenti, absque dotis promissione tenetur pater dotem præstare, vt diximus nuper *quæst. antecedenti*: atqui filiæ maiori vigintiquinque annis, non est culpæ tribuendum, sine patris consensu nupsisse, cùm pater fuerit in mora, Authent. *sed si post, C. de inoffic. testam.* ergo non est, cur ob hoc dote priuari debeat. Sic omninò Sanchez *n.* 11. & penes illum Ripa *l.* 1. *n.* 57. *ff. solut. matrim.* Menoch. *de præsump. lib.* 4. *præsumpt.* 189. *n.* 58. Francus, & Baeza. Sic etiam Bonac. *disp.* 6. *q. vnica. punct.* 6. *§.* 2. *n.* 1. *vers. amplia tertiò, & amplia quartò.* Villalobos *tract.* 27. *diff.* 3. *n.* 9. Acacius *verb. dote, resol.* 273. *n.* 3.

QVÆSTIO X.

An item teneatur pater dotare filiam minorem vigintiquinque annis, ipso inuito nubentem?

AFfirmant absolutè teneri, Glossa *in cap. fin. verb. parentum, el* 1. 32. q. 2. Dominicus, Alex. de Neuo, Paulus, Decius, & Paz, quos pro hac parte adducit Sanchez *num.* 12.

Alij docent, teneri dotare, quando nupsit digno, secus quando indigno. Ita Glossa, Archidiac. Ioan. Andr. Anton. & Francus apud eundem Sanchez *num.* 13.

Alij absolutè dicunt, teneri dotare filiam, etiamsi nupserit indigno; quia hanc filiam nequit pater alimentis priuare: ergo neque dote. Ita Imola, Iason, Ioan. Lupus, & Molina, quos citat Sanchez *num.* 14.

Alij denique existimant, teneri patrem dictam filiam dotare, si nupserit digno, dotemque promiserit: secus si nupsit indigno, vel non promisit. Ita Montalbus, Rosella, Angel. Siluest. & Tabiena, vt refert Sanchez *num.* 15.

Sed ego respondeo dicendum, quod pater verè teneatur dotare filiam minorem vigintiquinque annis, patre ipso inuito nubentem, etiamsi nubat indigno, & non promiserit dotem. Ratio est, quia nullum ius potest afferri, quo sufficienter probari possit, patrem eximi ab obligatione dotandi filiam, ipso inuito nubentem, aut cum indigno contrahentem (saltem casu, quo filia non sit diues, de quo statim:) ergo dicendum est, teneri patrem illam dotare. Sic docent Authores primæ, & tertiæ sententiæ, quibus consentiunt Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 16. *&* 17. Bonac. *punct.* 6. *cit.* §. 2. *num.* 1. *vers. amplia quartò.* Basseus *tom.* 2. *verb. dos, num.* 3.

QVÆSTIO XI.

An saltem liberetur pater ab onere dotandi filiam ipso inuito nubentem viro indigno, si ipsa filia diues sit?

NEgabunt liberari Authores primæ sententiæ nuper adducti, cùm sine vlla distinctione absolutè doceant teneri patrem dotare filiam absque eius consensu nubentem. Probarique potest ex dictis *q.* 6. Quia pater tenetur dotare filiam, etiam diuitem: ergo.

Sed probabiliùs respondeo, non teneri, casu quo nubat indigno, & aliàs ipsa sit diues, ita vt alimentis patris non egeat: quia non est æquum compellere parentes ad dotandam filiam diuitem, quæ turpi matrimonio totum familiæ decus denigrauit. Nec obstat lex 8. Regia adducta pro nobis *q.* 6. decernens, teneri patrem dotare filiam, etiam diuitem. Quia intelligenda est de casu, quo patris consensu nupsit, quod apertè ex ea colligitur ibi, *Teniendo es el padre de la casar, è de la dotar.* Sic Couarru. *in epitome* 2. *p. cap.* 3. §. 8. *num.* 7. *&* 8. Sanchez *disp.* 26. *cit. num.* 18. *&* 19. vbi addit, quod si huiusmodi coniuges alimentis careant, tunc teneatur pater dotare filiam in modica quantitate conuenienti ad alimenta vitæ necessaria, propter æquitatem naturalem, ne fame pereant. Sic etiam (omninò ex Sanchez, quem non citat) Bassæus *tom.* 2. *verb. dos, num.* 3. Gutierrez 2. *practicar. q.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 14. *num.* 4. Bonac. *loco citato*, & alij plures apud Couarru. & Sanchez. Sic etiam Villalob. *loco cit. num.* 11.

QVÆSTIO XII.

An teneatur pater secundam dotem constituere filiæ volenti secundas nuptias contrahere, si primam dotem perdiderit?

AFfirmant quidam teneri casu, quo filia absque sua culpa amiserit dotem, secus aliàs. Ita Bartol. *in l. si cùm dotem*, §. 1. *ff. solut. matrim.* quem citat, & sequi videtur Siluester *verb. dos, quæst.* 3. Bonac. *disp.* 6. *cit. punct.* 6. §. 2. *num.* 1. *vers. amplia* 5. Trullench *lib.* 4. *Decal. cap.* 5. *dub.* 3. *q.* 6. *num.* 17. Villalob. *loco citato, num.* 19.

Sed probabiliùs respondeo, teneri patrem dotare secundò filiam, etiamsi sua culpâ, & dolo amiserit dotem; quia dos succedit loco alimentorum: atqui pater semper tenetur filio alimenta præstare, etiam casu quo ille malè illa expendat, modo dicto à nobis suprà *disp.* 8. §. 1. *q.* 18. ergo. Sic tenet Baldus *in l. si cùm dotem. cit.* apud Siluest. & posteà Emm. Sà *verb. dos, num.* 2. his verbis: Pater filiam tenetur iterum dotare, si illa etiam ex culpa dotem perdiderit. Sic ille. Et id videtur innuere Rebell. *de obligat.* 2. *p. lib.* 5. *q.* 4. *num.* 19.

QVÆSTIO XIII.

An item teneatur pater constante primo matrimonio nouam dotem filiæ constituere, si illa sine culpa priorem amiserit?

REspondeo dicendum, tunc non teneri. Sic Rebell. *loco cit. num.* 21. sic scribens: Quando autem dicimus, patrem teneri ad secundam dotem conferendam filiæ, priori amissa, intellige, si secundò nubat: nam constante primo marito non obligatur pater ad nouam dotem refundendam, etiamsi sine culpa filiæ, prima sit amissa, *l. pater filia, ff. de euictionibus.* Sic Rebell. quem citat, & sequitur Fragosus 3. *p. regim. Christ. Reipub. lib.* 2. *disp.* 5. §. 1. *num.* 8.

QVÆSTIO XIV.

An pater teneatur dotare filiam, quæ iam non est sub sua potestate, sed emancipata?

REspondeo dicendum, teneri, quia pater non tenetur dotare filiam iure patriæ potestatis, sed iure sanguinis, & legitimæ propagationis. Sic colligitur *ex l. vltim. C. de dotis promissione*, ibi: Ex legibus non est incognitum, paternum omninò esse officium, dotem dare pro sua progenie. Et habetur *in l. profectitia*, §. *vltim. ff. de iure dotium*, vbi datur intelligi, onus dotandi, patri competere iure sanguinis, §. *penult.* ibi: *Quia non ius potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit.* Ita lex. Vnde lex *qui liberos*, aliàs *capite*, 19. *ff. de ritu nupt.* quæ loquitur de filiis in potestate patris existentibus, debet extendi, vt

locum

locum habeat etiam in filiis emancipatis. Sic omninò Fragosus *num.* 12. qui pro hac parte *num.* 5. citat Valasc. Gammam, Petr. Barbosam, Cardos. Menoch. & Pereyram.

QVÆSTIO XV.

An filiam volentem Monasterium ingredi, teneatur pater dotare?

RESpondeo vt certum, teneri. Ratio est; quia pater tenetur dotare filiam volentem se matrimonio temporali copulare: ergo à fortiori tenebitur dotare filiam volentem se coniugio spirituali tradere. Patet, quia coniugium spirituale fauorabilius est doti, ac matrimonium temporale. Sic Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 7. & apud ipsum, Bald. Anchar. Felin. Auendaño, Greg. Lopez, & Menochius. Bonac. *num.* 1. *cit. vers. amplia secundò*, Trullench *dub.* 3. *cit. num.* 17. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 4. *vers. quartò extenditur.* Villalob. *tract.* 27. *diff.* 3. *num.* 4.

---

§. II.

De quantitate dotis, quam pater tenetur filiæ assignare.

QVÆSTIO XVI.

An pater teneatur filiæ nubenti assignare dotem parem legitimæ tali filiæ debitæ in bonis patris?

AFfirmant aliqui, quos refert Baeza *de non meliorand. filiabus cap.* 1. *n.* 1. Pro quorum sententia referunt Sanchez, & Bonacina Gregorium Lopez *l.* 8. *verb. dotar, tit.* 11. *part.* 4. & Molinam *tom.* 2. *de iust. disp.* 424. *num.* 1. Sed certè Molina, non id ita absolutè docet, vt referunt hi Authores, sed cum moderamine aliquo. Ait enim sic: Mensura autem vsque ad quam pater compelli potest dotare filiam, est legitima tali filiæ debita in bonis patris: si enim pater (attende nunc) commodè posset eam integram illi dare, compelli potest, vt illi eam exhibeat, vt cum Salyceto, & Alexand. ait Greg. Lopez *l.* 8. *citata, verb. dotar, & l.* 8. *tit.* 4. *part.* 5. *verbo, à otro.* Hæc Molina.

Sed clariùs, & veriùs respondeo primò, non semper teneri patrem ad assignandam filiæ dotem æqualem legitimæ sibi debitæ. Primò, quia id non potest commodè à patre fieri. Secundò, quia obstare possunt leges alicuius Regni de quantitate dotis latæ: ergo. In hac responsione omnes conuenire debent, vt patet.

Respondeo secundò dicendum, quod dotis quantitas assignanda sit à patre secundum loci consuetudinem, dignitatem filiæ, & mariti, facultatem patris dotantis, numerum filiorum, &c. Sic Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 8. qui id probat *ex cap. nullum* 30. *q.* 5. *& ex l. si filia pater. ff. de legatis* 3. *l. quæro, ff. de iure dotali; l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6. Sic etiam apud illum Angel. *verb. dos, n.* 3. & ibi Siluest. *q.* 3. Greg. Lopez *l.* 8. *tit.* 4. *part.* 5. *verbo, à otro.* Sed hunc Authorem pro se citat Molina *in ead. l. cit.* vt vidimus. Sic etiam tenent Bonacina *disp.* 6. *q. vnica*, §. 2. *num.* 3. & penes illum Cardin. Thuscus *tom.* 2. *concl.* 733. Grammaticus, Ruinus, & Gabriel. Bassæus *verbo dos, n.* 4. Layman *loco cit. vers. porrò dotis quantitas*, & Trullench *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 18. Villalob. *tract.* 27. *diff.* 3. *num.* 7.

QVÆSTIO XVII.

An possit aliquando pater vni filiæ maiorem dotem, & alteri minorem assignare?

REspondeo ex dictis dicendum, posse, quia maritus vnius potest esse maioris dignitatis, & excellentiæ, quàm alterius maritus: ergò si in assignanda dote est habenda ratio dignitatis mariti, optimè poterit pater filiæ nubenti digniori marito maiorem dotem assignare. Sic Bonac. Trullench, & Bassæus *locis cit.* imò Sanchez, & alij citati, qui omnes id intelligunt, vt nos diximus, præcisa in contrarium legitima prohibitione.

QVÆTIO XVIII.

An pater, qui dotem minimè competentem filiæ tradidit, teneatur competentem assignare?

REspondeo vt certum teneri, si filia competentem petat. Ratio est, quia, vt ex dictis constat, pater tenetur filiæ nubenti (cùm consensu eiusdem patris) dotem competentem tradere: ergo si talis filia, quæ cum modica, & minùs competenti dote nupsit, petat augmentum dotis, donec perueniat ad quantitatem dotis competentis, tenebitur pater tale augmentum tradere. Sic Bald. Paul. & Baeza, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *num.* 4. *vers. imò si filia*, Thuscus *tom.* 2. *concl.* 784. Bonac. *disp.* 6. *cit. punct.* 6. §. 2. *num.* 4. Trullench *lib.* 4. *Decal. cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 18.

QVÆSTIO XIX.

An dotis quantitas in re parua, & minima possit consistere?

REspondeo ex dictis dicendum, posse, quia possunt deesse facultates patri dotanti. Sic Siluest. *verb. dos, q.* 3. *ibi*: Quanta autem debeat esse dos, dico, quod etiam in modico potest constitui, vt dicit Glossa *in l. imperialis, C. de nupt. in verbo, dotalibus*, quod est circa medium: & quia dos succedit loco alimentorum, vt notat Bart. *in l. Titio centum*, §. *Titio genero, ff. de condit. & demonstr.* & per Bald. *in l.* 1. §. *ius naturale, ff. de iust. & iure.* Ideò secundum hoc æstimabitur, & fiet compensatio conditionibus, & aliis qualitatibus. Sic Siluester, quem citat, & sequitur Iodocus *verb. dos*, §. 4. Sic etiam Andreas Fachineus *lib.* 10. *controuer. iuris, cap.* 24. *fine, & cap.* 25. *vers. Ad* §. *Titio.*

QVÆSTIO XX.

An possit contingere, congruam esse dotem, etiamsi legitimam excedat?

RESpondeo ex dictis posse, quia potest contingere, quod personæ qualitas, aliæque circunstantiæ extrinsecæ, excessum legitimæ exigant. Sic Baldus *Nouella de dote*, 6. *p. priuileg.* 17. *num.* 3. Baeza *lib. de non meliorand. ratione dotis filiab. cap.* 1. *num.* 6. *&* 9. *& cap.* 2. Matienzo *l.* 1 *glossa* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *noua collect.* & Azeuedo ibi, quos citat & sequitur Castro Palaus *de iustitia disp.* 9. *punct.* 6. *n.* 2. qui & citat Thomam Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 26. *n.* 8. Sed Sanchez solùm refert Menoch. *de præsump. lib.* 4. *præsump.* 189. *n.* 10. id dicentem.

QVÆSTIO XXI.

An licitè, & prudenter mensura dotibus assignetur in aliquibus Regnis, & Nationibus?

RESpondeo vt certum, quod sic. Ratio est, tum ne dotantes depauperentur: tum ne aliis fratribus præiudicetur: tum denique, vt mulieres obsequentiores viris sint. Sic Matienzo *loco citato*, & ex illo Palaus *num.* 2.

QVÆSTIO XXII.

Qualis sit mensura dotis, attento iure communi, & Regio nostro Castellæ?

RESpondeo primò dicendum, quod attento iure communi, mensura dotis arbitrio prudentis relinquitur. Vnde secundum ius commune, ea dos congrua reputabitur, quam prudens iudicat, dignitatem personarum contrahentium, patriæ consuetudinem, & facultatem dotantis ad se, suorumque familiam alendam, non excedere, *l. quæro, l. cùm post*, *§. gener*, *ff. de iure dotium*, *& l. filia*, *ff. de legatis* 3. Sic ibi Bart. & Palaus, *loco cit.* & constat ex dictis *sup. q.* 16.

Respondeo secundò, quod iure nostro Regio, mensura dotium præscripta est *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *noua recopilat. iuncta l.* 29. *Tauri*: ibi enim præscribitur modus seruandus in his, qui annuos redditus habent. Regula tamen omnibus communis est, ne dos legitimam filiæ excedat, ita vt neque expressè, nec tacitè causâ dotis per contractum inter viuos, vlla donatio, aut melioratio excedens legitimam sit valida, sed ipso iure nulla. Sic Sanchez *num.* 8. *cit.* Baeza *tract. de non meliorand. ratione dotis filiab. cap.* 1. *à num.* 29. Castro Palaus *num.* 3. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An non obstante dicto iure Regio, possit pater causâ dotis meliorare filiam, si non per contractum inter viuos, per suum testamentum?

RESpondeo dicendum, posse: quia melioratio causâ dotis ex testamento à dotante facta, seclusa fraude, non prohibetur in dicta lege, vt aduertunt, & docent Baeza *loco cit. cap.* 20. *num.* 13. Gutierrez *de iuram.* 1. *p. cap.* 59. *num.* 15. Azeuedo *d. l.* 1. *num.* 17. Matienzo *loco cit. glossa* 2. *num.* 4. *& glossa* 3. *n.* 2. quos sequitur Palaus *disp.* 9. *de iust. punct.* 6. *n.* 4. qui aduertũt, quod tunc censeatur fraus committi, si melioratio dotis causâ facta fuerit in testamento, dependenter à contractu inter viuos; vt si cùm matrimonium contractum fuit, conuenerunt parentes cum genero de melioranda filia. Et idem est, si tempore testamenti agebatur de matrimonio, & vt ad effectum perduceretur, melioratio in testamento facta est; hæc enim censetur facta in fraudem legis, & ex contractu.

QVÆSTIO XXIV.

An si non pater suam filiam, saltem auus possit per contractum inter viuos, meliorare in tertio, & quinto suam neptem, causâ matrimonij contrahendi?

NEgant quidam Doctores, existimantes, comprehendi non solùm filias, sed etiam neptes, in dicta dispositione legis Regiæ: quia licèt hæc Regia lex solùm expresserit filias, sub nomine tamen *filias*, comprehendi neptes debent; cùm dispositio eiusmodi legis bonum publicum respiciat; & rationes, ob quas in filiabus interdicitur melioratio causâ dotis, vrgentiùs procedunt in neptibus, cùm indecentius sit, occasione neptum dotantes depauperari, aut aliis fratribus præiudicium irrogari, quàm occasione filiarum depauperari parentes, aliisque fratribus præiudicari, maximè cùm filiabus debita sit à patre dos, quæ tamen ab auo non debetur, nisi in subsidium. Ita sentiunt Gaspar Baeza *lib. de non melior. ratione dotis filiab. cap.* 7. *num.* 11. *& seqq.* & Pelaez *de maioratib.* 1. *p. q.* 15. *n.* 19. quorum sententiam vocat Palaus satis probabilem.

Sed probabiliùs respondeo, posse auum meliorare in tertio, & quinto suam neptem, causâ dotis, per contractum inter viuos. Quia probabilius est, sub dispositione dictæ legis Regiæ non comprehendi neptes. Ratio est, quia huiusmodi dispositio legis Regiæ est correctoria iuris communis, siquidem iure communi inspecto, & antiquo Regni Castellæ, *l.* 22. *Tauri*, occasione matrimonij filiæ meliorari poterant; at in dispositione correctoria, sub nomine *filiarum* non comprehenduntur neptes, vt docent Bart. *in l. liberorum*, *ff. de verb. signif.* & ibi Alciat. *n.* 12. & alij DD. *in l. Gallus*, *§. instituens*, *ff. de liberis*, *& posthum.* Sic omninò Palaus *disp.* 9. *cit. punct.* 6. *num.* 5. qui attentè est legendus; nam ob incuriam Typographi in sua resolutione deest verbum *non*. Nec fundamentum oppositæ sententiæ vrget multùm, quia (vt bene Palaus) ratio decidendi non æquè in nepte, ac in filia procedi, eo quod neptis, non sic ab auo ametur, sicuti

cuti amatur filia à parente, neque ipsi debetur dos; quæ tamen filiabus omnibus debetur. Leuior ergo occasio est, vt occasione neptis depauperentur dotantes, & præiudicium filiis inferatur.

QVÆSTIO XXV.

An attenta dicta lege Regia, sit validum pactum factum in fauorem filiæ nubentis, de non meliorando aliquem ex filiis?

NEgant esse validum aliqui, quia lex regia non solùm prohibet, ne filiæ occasione matrimonij in tertio, vel quinto meliorentur, sed ne tacitè, vel expresè vltra legitimas meliorem accipiant, ibi: *Ni se entienda ser mejorada, tacita, ni expressamente, por ninguna manera de contracto entre viuos.* At si prædictum pactum valet, & vi illius nullus alius filius melioratur, filia meliorata permanet, non quidem actu, sed in potentia, quatenus non auferetur ab ea, quod licitè auferri poterat, nempe pars tertij, & quinti bonorum defuncti: ergo. Ita sentit Gutierrez *de iuram. confirmat. cap.59. n.14.* qui aliis argumentis id probare nititur.

Sed probabiliùs respondeo tale pactum, occasione matrimonij initum in fauorem filiæ, esse validum. Ratio est, quia in prædicta lege regia solùm prohibetur meliotatio: at sic est, quod ex vi prædicti pacti non melioratur filia, cùm portionem æqualem cum aliis fratribus accipiat: ergo. Nec obest, quod poterat minùs accipere, si aliquis ex fratribus melioraretur, vt arguit Gutierrez; quia inde inferri non potest, esse melioratam, quod prohibet lex; sed solùm inferri potest, non esse deterioratam, aliàs omnes æquas portiones recipientes meliorari dicerentur, quod est absurdum. Sic omninò Palaus *disp.9. de iust. commut. punct.6.n.6.* & apud ipsum in simili Baeza *lib. de non meliorand. filiab. &c. cap.22. n.9.* & expresè Matienzo *l.6. glossa 1. n.6. & 7. lib.5. nouæ collect.* & ibi Angulo *glossa 1. num.4.* Auendaño *l.22. Tauri, num.10.* & Azeuedo *l.1. tit.2. lib.5. collect. n.6.*

QVÆSTIO XXVI.

An viuente dotante possint impugnare dotem creditores illius, eo quod in præiudicium eorum, ab illo cum excessu facta sit?

REspondeo vt certum dicendum, quod viuente marito dotatæ, nec fraudis conscio, nequeunt creditores dotantis alienationem, seu dotationem reuocare, seu impugnare, secus est, mortuo marito; quia tunc cùm comparatione mulieris sit dos ex causa lucratiua concessa, bene potest reuocari à creditoribus dotantis. Sic Azeuedo *l.1. tit. 2. num.18. lib.5. nouæ collect.* Matienzo *d.l. 1. glossa 1. num.3.* Palaus *punct.6. cit. n.11.*

QVÆSTIO XXVII.

An saltem filij, viuente patre, possint petere excessum dotis datæ ipsorum sorori?

AFfirmat Azeuedo *loco cit. à num.21.* docens, posse filios, & fratres dotatæ, viuente patre, excessum dotis petere. Quia constitutio ipsa dotis est ipso iure nulla, & patri adimitur excessus, & filiis præiudicatis redditur, iuxta *l.fin. C. de litigiosis*: ergo filij, etiam viuente patre, possunt tanquam rem sibi propriam eam vendicare.

Sed multò probabiliùs respondeo minimè posse filios, viuente patre dotante suam sororem, petere excessum dotis ipsi datæ, quia nullatenus habent ius pro tunc infirmandi doris constitutionem. Ratio est quia quoadvsque pater obeat, nequit cognosci, an dos constituta habeat excessum, cùm eius quantitas non sit regulanda necessariò ex bonis tempore promissionis habitis, sed ex bonis eo tempore, vel tempore mortis possessis, provt dotata elegerit, *iuxta l.29. Tauri.* Sic tenent Baeza *tract. de non meliorand. ratione dotis filiab. cap.34. à num.9.* Ayora *de partitionib. q. 20.* Matienzo, affirmans hanc sententiam esse omnium, *d.l.1. glossa 4. n.2. & l.3. tit.8. lib.5. glossa 7. num.4.* Gutierrez *lib. 3. practicar. q.41.* quos sequitur Palaus *punct. 6. cit. num.13.* dicens, hanc sententiam esse in praxi omninò receptam. Lege à nobis dicta suprà, *disp.10. q.33.*

QVÆSTIO XXVIII.

An ad minus ipsemet pater dotans possit reuocare promissionem dotis inofficiosæ?

AFfirmant aliqui, quia quisquis rectè potest venire contra proprium factum, quoties id nullum est: sed sic est, quod pater dotans filiam cum excessu, processit contra legem, actum nullum, & irritum efficiendo: ergo. Ita tenent Baeza *d. cap.34. à num.1.* Matienzo *d l.3. glossa 7. num.6.* & Azeuedo *d.l.1. num.21. & seqq.* & alij plures, quos refert, & sequitur Barbosa *tract. var. axiom.93. num.24.*

Sed alij respondent dicendo, quod licèt horum Doctorum sententia sit vera, attento iure communi; non tamen attenta regia lege 29. Tauri, quæ est *l. 3. tit.8. lib.5. nouæ recopilat.* vbi deciditur, inofficiosam dotem esse sumendam ex quantitate bonorum possessorum tempore constitutionis doris, vel tempore mortis donantis: ergo attenta hac regia lege, quovsque pater dotans moriatur, non est locus probandi excessum dotis. Sic Gutierrez *d. q.41. num.19.* Palaus *disp.9. de iust. commut. punct.6. num.15.*

Sed nihilominus tu tene primam sententiam, quam in simili defendimus suprà *q. 33. disp.10.*

QVÆSTIO XXIX.

An recipiens dotem excessiuam teneatur in conscientia excessum restituere?

Affirmant multi, eo quod existiment, dictam constitutionem regiam habere vim in foro conscientiæ. Quia eiusmodi constitutio prohibet parentes, ne occasione dotis filias meliorent, & irritat quidquid in contrarium factum fuerit; atqui quoties lex irritat factum, impedit dominij translationem, vt tradunt DD. *in l. frater à fratre, ff. de condict. indebiti.* Ergo tanquam res aliena restui debet. Ita Baeza *tract. de non meliorand &c. cap.19. num.1. & 2.* Tello Fernandez *l. 19. Tauri, fine.* Rojas *epitome success. cap.3. n.41.* & Angulo *de meliorationib. l.10. glossa 9. n.3.*

Sed clariùs & distinctiùs respondeo dicendum, quod licèt inspecto rigore constitutionis Regiæ, sit omninò verum, quod docent Authores præcedentis sententiæ, vt eorum ratio demonstrat; attamen, attenta praxi, & consuetudine, qua passim videmus, parentes absque vllo scrupulo constituere dotes vltra metam dicta constitutione præscriptam, neque vllam filiam restituere, quovsque à Iudice post mortem parentum dotantium compellatur ad fratrum instantiam; dicendum est, talem legem iam esse derogatam in hac parte, nec teneri filiam dotatam restituere, donec à Iudice compellatur. Sic Padilla *in Authent. res quæ, C. communia de legatis*, Corduba *in sum. q. 124. in fine*, Henriquez *lib. 11. de matrim. cap.20. num.4.* Ludou. Lopez *lib.1. Instruct. cap.175. in 2. edit.* Rodrig. *tom.1. sum. cap.97. num.3.* Sanchez *lib. 6. de matrim. disp.33. n.1* Palaus illos referens, *punct.6. cit. num.17.*

De mensura autem dotis constituendæ filiabus illegitimis, diximus suprà *disp. 10. quæst. 29. & seqq.*

---

§. III.

De obligatione matris dotandi filias.

QVÆSTIO XXX.

An mater teneatur filiam dotare?

Respondeo vt certum, non teneri, nisi vrgeat aliqua magna, & rationabilis causa; quia sic habetur expressè *in l. neque mater, C. de iure dotium,* ibi: *Neque cogitur mater pro filia dotem dare, nisi ex magna, & probabili causa. Neque pater de bonis vxoris suæ inuitæ, vllam dandi habet facultatem.* Et etiam *in lege Regia 9. tit.11. part.4.* Ratio est, quia proprium munus patris est, & filias dotare, & filiis tradere donationes ad nuptias, vt habetur *l. vltim. C. de dotis promissione.* Sic omnes. Legantur Bart. *in l.1. n.12. ff. soluto matrim. & in Authent. res quæ, num 3.* Molina *tom.2. disp.424.* Sanchez *lib.4. de matrim. disp.26. num.3.* Surdus *consil.393.* Layman *tom.1. lib.3. tract.4. cap. 13. n.5.* Bonac. *disp.6. q. vnica, punct.6. §.2. num.5.* Palaus *de iust. commut. disp. 9. punct.5. §.1. num.7.* Rebell. *2.p. de obligat. lib.5. q.4. num.2.* Fragosus *3.p. regim. Christ. Reip. lib.2. disp.5. §.3. num.38.* Trullench *lib.4. cap.4. dub.3. num.19.* & Villalobos *tract. 17. diff. 4. num.1.*

QVÆSTIO XXXI.

An teneatur mater filiam dotare, casu, quo filia ex defectu dotis nequeat nubere?

Respondeo tunc teneri. Ratio est, quia sicut mater tenetur alimenta indigenti filiæ præbere, quando pater ea præstare non potest, vt habitum est suprà *disp. 10. q. 90.* ita tenetur etiam illam dotare. Id enim apertè innuit lex *neque mater, cit.* ibi: *Nisi ex magna, & probabili causa.* Sic Molina, Rebell. Bonac. Trullench, & Palaus citati, & Fragos. *num.58.* his verbis: Eodem modo auus maternus non tenetur dotare neptem, sicut nec mater, nisi in subsidium. Bald. *Nouella in tract. de dote, p.6. priuileg.16.* & Ripa *in l.1. n.81. ff. soluto matrim.* Dicitur autem mater, & auus maternus dotare filiam in subsidium, & neptem, quando nec pater, nec auus paternus supersunt, vel quando neuter eorum habet facultates idoneas. Sic ille.

QVÆSTIO XXXII.

An item casu, quo mater esset hæretica, aut infidelis, & filia fidelis esset, teneretur filiam dotare?

Respondeo vt certum teneri; quia tunc ob fauorem Christianæ Religionis compelli posset mater filiam dotare vsque ad integram portionem legitimam tali filiæ in bonis matris debitam, etiamsi à patre, aut aliunde dotem competentem haberet. Sic enim deciditur *l. cognouimus, C. de hæreticis, & l. Regia 9. tit.11. p.4.* concinitque lex *neque mater, citata.* Sic Molina *tom. 2. disp. 424. num.1.* Palaus *loco cit. num.7. fine.* Villalob. *diff.4. citata, num.1.*

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam possit mater sine consensu sui viri, validè promittere dotem filiæ communi?

Affirmant quidam, quia (inquiunt) vxor potest ad pias causas, inconsulto marito aliquid donare: atqui dos est pia causa, vt habetur *in l. cùm his, §. si in ea opinione, ff. de condict. indebiti*: ergo. Ita Matienzo *in l.5. glossa 6. num.8.* & Spino *in suo speculo, glossa 10. num. 23. & 24.*

Sed probabiliùs respondeo, non posse validè, quia onus dotandi incumbit patri de iure communi, vt constat ex dictis: ergo illo inconsulto nequit vxor validè promittere dotem filiæ vtrique communi. Nec obest fundamentum contrariorum, quia negandum est, quod dos sit propriè causa pia, quia solùm talis potest impropriè dici, & ideò non gaudet priuilegiis piæ causæ, vt docet Andreas Fachin. *lib.10. controuers. iuris, cap. 37. col. 1921. vers. quartum argumentum est.* Vnde nostram

nostram sententiam tenent Azeuedo *in l.8.num.1. & 2. tit. 9. lib.5. noua recopil.* Baeza *cap. 11. de diuib. num.55.* Morcheq. *de bonorum diuisione lib.2. cap.17. num.4.* & Fragosus *disp.5.cit.§.3.num.37. verf. ambigitur.* Villalob. *diff. 4. cit. num. 4.* qui contrarium docet casu, quo *la dotasse para tiempo hauil, que es despues de desecho el matrimonio.* Sic ille ex Rebello *2.p. lib.3.q.6. à n.2.*

QVÆSTIO XXXIV.

An pater eximatur ab onere dotandi filiam, casu, quo mater, vel alius extraneus, dotem filiæ tradiderint?

RESpondeo dicendum, non eximi adhuc ab onere dotandi filiam, nisi aliàs extraneus intendat dotem loco patris assignare, eo quod tunc censeatur donatio facta patri, vt pater ab hoc onere subleuetur. Ratio est, quia, vt nuper vidimus, pater, vi iuris communis, & tenetur filiam in matrimonium collocare, & illam dotare. Sic Bonacina *punct.6. cit.§.2. num. 6.* qui pro hac parte citat Baezam, Surdum, Thuscum, Sanchez, Reginaldum, & alios. Sed ex his Sanchez id non docet *lib.4. de matrim. disp.26. num.6.* vbi citatur à Bonacina; nam ibi solùm remissiuè hac de re agit; ait enim sic: Si autem extraneus, vel mater dotet, an eximatur ab hoc onere pater, vel possit dos data ab ipso repeti, videndi sunt Ioan. Lupus *eod. §.14. num.10.* Greg. Lopez *l.8. verb. el padre.* Baeza *de non meliorand. filiab. cap.5. num. 6. & cap.12. num. 11.* Riminald. *consil. 514. num. 24. volum.5.* Hæc Sanchez. Tenet etiam Trullench *loco cit. num.20.* omninò ex Bonacina, quem non citat.

---

§. IV.

De obligatione filiorum dotandi matrem.

QVÆSTIO XXXV.

An filius obligetur ad dotandam matrem viduam, nubere iterum volentem?

AFfirmandum videtur, ex eo quod filius teneatur ad alendam matrem pauperem, vt constat *ex l.1. §.1. ff. de tutelis, & rationibus distrahendis*: ergo & tenebitur ad dotandam matrem inopem iterum nubere volentem.

Sed vt verum respondeo, non teneri filium ad dotandum matrem inopem, etiamsi ille diues sit. Nam estò adstringatur alimenta ei subministrare, non tamen ad dotem ei constituendam; cùm illud nouum matris connubium in iniuriam ipsius filij quodammodo cedat. Sic colligitur *ex l. si vinea, C. de prescript. longi temp.* & docent Baldus *in l. qui liberos, in fine, ff. de ritu nupt.* Alexand. *in l.1. num. 20. ff. soluto matrim.* & ibi Angel. & Imola *num. 7.* & Roman. *num. 12.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib.12. tit.16. num.24.* Petr. Barbosa *4 p. l.1. ff. soluto matrim. num. 136.* Rebell. *de obligat. 2.p. lib.5. q.4. num.31.* Fragosus *disp.5. cit.§.3. num.39.* Palaus *disp.9. cit. punct. 4. §. 1. num.8.* Emm. Sà *verbo dos, num.1.* & Fagundez *lib.4. Decal. cap.16. fine*, Villalob. *tract.27. diff.4. num.10.*

---

§. V.

De obligatione aui dotandi neptem, & patrui dotandi sobrinas.

QVÆSTIO XXXVI.

An auus paternus teneatur dotem dare nepti, quando filius, pater illius, est inops, aut defunctus?

REspondeo vt certum, teneri: quia sic colligitur *ex l. vltim. C. de dotis promissione*, vbi dicitur; *Omninò paternum esse officium, dotem, vel ante nuptias donationem, pro sua dare progenie.* Sic lex. Sed sic est, quod nomine progeniei, non solùm filia, sed etiam neptis continetur, vt docet Aug. Barbosa *tract. de appellat. verb. iuris signif. appellatiuo 222.* his verbis: Progeniei appellatione veniunt propriè descendentes, vt per Franc. *in cap. si pater, col.55. verf. quartò qui veniant, de testam. lib.6.* Curt. Iunior *consil.5. num.40.* Laurent. de Pallat. *in tract. quod stamibus masculis, num. 149.* Simon de Prætis *de interp. vlt. volunt. fol.292.n.60.* Peregrin. *de fideicom. art.22.n.23.* quos refert & sequitur Busar. *de substitut. q. 335. num. 1.* quibus addo Cardin. Thuscum *practic. conclus. tom.6. lit. P. concl.891.num.1.* ac proinde, quod comprehendantur nepotes, pronepotes, & deinceps, tradunt Socin. Iunior *consil.79.num.35. lib.3.* Stephan. Gratian. *discept. forens. tom. 2. cap. 259. num. 3.* Sic Barbosa: vnde nostram responsionem tenent communiter omnes, præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XXXVII.

An item teneatur auus paternus dotare neptem, etiamsi filius eiusdem aui, & pater neptis illius, diues sit.

AFfirmant nonnulli Authores, docentes auum paternum teneri ad dotandam neptem ex filio diuite. Probant hoc, tum *ex l. vltima*, nuper citata; tum ex *l. dedi dotem, ff. de collat. bonorum*, vbi dicitur, quod officium aui circa neptem, ex officio patris erga filium pendet; & quia pater filiæ, ideò auus propter filium nepti dotem dare debet. Sic lex. Ita sentiunt, absolutè loquendo, Socin. Senior *l.1. num. 49. ff. soluto matrim.* & ibi Socin. Iunior *num.190.* qui sic argumentatur: Ex præcitatis legibus constat, quod auus teneatur dotare neptem, licèt ob bona, quæ possidet materna, diues sit: ergo consequens est, vt eam dotare teneatur, licèt ipsius pater diues sit. Itaque iuxta horum sententiam, auus paternus potiùs tenetur neptes dotare, quàm filius, licèt sit pater, & diues.

Alij non ita absolutè, sed cum distinctione docent, teneri auum paternum ex suis bonis neptes, etiam diuites, si in eius sint potestate, dotare: secus verò

verò si sint extra, nisi aliàs sint inopes. Ita Rebell. *2.p. lib.5.q.4. num.23.* per hæc verba: Et si auus paternus neptes etiam diuites, quas in sua potestate habet, teneatur primo loco dotare, quàm filius, etsi diues sit filius ipse, qui pater est earum, *ex l. qui liberos, ff. de ritu nupt.* ex qua habetur, onus dotandi principaliter prouenire ex patria potestate; & cùm simpliciter dotat neptem, ex bonis suis propriis dotare censeatur. Quoad neptes verò, quas in potestate non habet, non tenetur eas dotare, nisi in subsidium, si videlicet filius non sit soluendo, vel neptis inops sit, vel quando ipse filius moritur ante patrem, quod in Hispania seruandum erit, in qua nulla neptis est in potestate, aui. Si tamen ipse filius hæredes relinquat, potiùs illi ad dotandas filias defuncti emancipatas cogendi erunt, cùm succedant in locum defuncti. Hucvsque Rebellus. Vnde non solùm sententia hæc non displicuit illi, vt ait Palaus, sed reuerà amplexus est, vt vidisti. Fauet etiam illi Fragosus *lib.2. cit. disp.2. §.3. num.44.* licèt satis obscurè.

Sed absolutè, vt ferè certum, respondeo minimè teneri auum dotare neptem, casu quo filius eius, & pater neptis, sit diues. Probatur clarè, quia filias dotare immediatè competit patri: nam *ex dicta l. vltim. C. de dotis promiss. paternum est officium filiam dotare.* Si igitur pater diues sit, & commodè possit filiam suam dotare, nulla est occasio recurrendi ad auum.

Ad argumentum primæ sententiæ benè respondet Fachin. quod non velit Iurisconsultus *in d. l.1. dedi dotem*, quod auus teneatur neptem dotare, sed ait, filium teneri, auum autem dotem dedisse propter filium. Et quod ait de officio aui erga filium, hunc sensum habere, vt ad officium aui pertineat dotem dare nepti pro filio suo, quando ipse filius non est idoneus. Deinde ad argumentum desumptum *ex l. vltim. C. de dotis promiss.* Respondetur, quod loquitur de patre, non de auo paterno: & dato quod ad auum paternum extendi possit, intelligitur, quando filius non esset diues.

Ad argumentum autem Rebelli desumptum *ex l. qui liberos.* Respondeo primò, non esse verum, quod onus dotandi principaliter proueniat ex patria potestate, sed ex iure sanguinis, vt habitum est *sup. q.14.* Secundò, quod dato, & non concesso, quod proprium sit patriæ potestatis dotare filias, nihil contra nos; quia hæc patria potestas priùs conuenit patri, quàm auo, & ideò primò obligatur pater, & in eius subsidium auus. Vnde hanc sententiam vt euidentem, defendit Andreas Fachineus *lib.10. controuers. iuris, cap. 40.* dicens, esse communem Doctorum, Bald. *in Authent. res quæ, C. communia de legat.* Greg. Lopez *l.8. glossa 4. tit. 11. part. 4.* Menochius *conf.183. num.14. lib.2.* Palaus *disp.9. de iust. commut. punct. 4. §.2.* Villalob. *tract. 27. diff.4. n.8.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An casu, quo neptis patrem inopem habeat, matrem verò, & auum paternum diuites; tunc teneatur mater potiùs quàm auus dotare neptem?

NEgant multi, existimantes in hoc casu, obligandum esse primo loco auum paternum ad dotandam suam neptem; secundo verò loco matrem. Probant *ex d.l. qui liberos,* & *ex l. vltim. C. de dotis promiss.* & *ex l. dedi dotem*, suprà citatis: quæ, vt vidimus, nullam matri obligationem imponunt, sed solùm auo: ergo. Vnde ita tenent Bart. Angel. & alij Scriptores *in dictis leg.* vterque Barbosa, quem refert, & sequitur Fragosus *p.3. regim. Christ. Reip. lib.2. disp.5. §.3. num.44. vers. quod si filius.* Rebell. *2. p. de obligat. lib. 5. q.4. num.24.* ita dicens: quando autem neptis inops habet auum paternum diuitem, & matrem diuitem, priùs cogendus est auus paternus, quàm mater, vel auus maternus ad neptem inopem dotandam. Ita ille, & Villalob. *diff.4. cit. num.8.* ibi: *Si la nietá tiene abuelo de padre rico, y madre rica, primero está obligado el abuelo que no la madre, como lo defiende Barbosa por doctrina de Bartolo contra Lara.*

Sed probabiliùs respondeo in assignato casu, potiùs matrem, quàm auum teneri dotare neptem. Ratio est, quia matri competit dotare filiam, ex causa rationabili, vt *ex l. neque mater*, probatum manet suprà *quæst. 30.* At sic est, quod causa rationabilis censetur, si pater inops sit, & filia nulla bona possideat, quibus nubere queat, vt cum Molina, Rebello, Bonac. & aliis multis diximus *dict. q.30.* ergo attenta dicta lege, mater potiùs quàm auus tenetur dotare filiam. Sic tenet Palaus *punct.4 cit. §.2. num. 4.* qui & citat Andream Fachineum, *vbi supra, cap.40.* quasi id indicantem, Bonac. *de contract. disp. 3. quæst.9. punct.2. num. 21.* & alij. Legantur dicta à nobis *q.29. & 30.*

QVÆSTIO XXXIX.

An patruus teneatur dotare sobrinas, idest, filias sororis suæ.

AFfirmant apud Rebellum, Baldus, & Afflictus.

Sed longè multò probabiliùs, imò vt mihi certum, respondeo non teneri, quia nullibi hæc obligatio, etiam in subsidium, in iure reperitur. Sic Alexand. Ripa, Campeg. Greg. Lopez, & Barbosa, quos citat, & sequitur Rebellus *loco cit. num. 26.* Palaus *num.5.* Fagundez *lib.4. cap.16. num.21.* & alij communiter. Villalob. *tract.27. diff.4. num.9.* ita dicens: *El tio no está obligado à dotar las sobrinas, porque no está mandado en derecho, como despues de muchos tiene Barbosa.*

§.VI.

§. VI.

De bonis è quibus coniuges suis filiabus dotem assignare debent?

QVÆSTIO XL.

An pater, qui habens aliqua bona propria, & alia propria filiæ, promittit certam summam in dotem, non exprimendo, ex quibus bonis sit eam soluturus, censeatur promittere de suis propriis bonis?

RESpondeo quod sic: quia cùm proprium munus sit patris dotare filias, vt suprà sæpè est dictum, in dubio præsumit ius intendisse dotare de suis propriis bonis, iuxta suum proprium munus, non verò de bonis filiarum, estò administrator sit illorum. Si verò pater exprimeret se aliquid velle soluere de bonis propriis, & aliquid de bonis propriis filiæ, tunc solùm teneretur soluere de bonis propriis quod expressisset, & reliquum de bonis filiorum. Sic *ex l. vltima, C. de dotis promiss.* docet Molina *tom. 2. de iust. disp.4. q. 424. num. 2.* Fragosus etiam mox citandus *num. 19. & 20.* & penes illum Corneus, Menoch. Morchequus, Fulgos. Roman, Alexand. & Iason.

QVÆSTIO XLI.

An item casu, quo pater expressè promittat dotem, tam de bonis propriis suis, quàm de bonis propriis filiæ, censendus sit, se promisisse dotem de bonis filiæ, si pater inops sit?

AFfirmat Fragosus *3. p. de regim. Christ. Reipub. lib. 2. disp. 5. §. 1. num. 16.* ita scribens: Quæritur duodecimo, ex quibus bonis præsumatur pater dotare filiam, de bonisne suis propriis, an de bonis filiæ? Respondetur, si pater est inops, & promisit dotem, tam de bonis suis, quàm de bonis filiæ, præsumi dedisse dotem de bonis filiæ, vt probatur *ex l. fin. C. de dotis promiss.* vt notant ibi scribentes, Campegius *in tract. de dot. priuil. priuileg. 16. num. 2.* Socin. *in l. 1. num. 167. ff. soluto matrim.* Parisius *ibi*, *num. 113.* & Menoch. *de præsump. lib. 3. præsump. 15. num. 28. vers. quartum afferri potest exemplum.* Hucvsque Fragosus.

Sed ego clariùs respondeo iuxta doctrinam nuper ex ipso, & Molina traditam, dicendo, quod vel pater promittens modo dicto dotem, est ita inops, vt non possit commodè soluere partem, quam promisit; vel non ita inops, quin possit. Si primum illi contingat, tunc non tenebitur; secus verò si secundum. Si tandem possit aliquid, licèt non totum promissum, tunc de bonis propriis tenebitur illud soluere, & quod defuerit, supplere de bonis filiæ. Sic docet in simili idem Fragosus *loco cit. n. 19. ex l. Gallus, §. 1. ff. de liber. & posthum.* Baldo, Alciato, & Menochio.

QVÆSTIO XLII.

An casu, quo pater excessiuam dotem promittat, censeatur promisisse de suis propriis bonis, si tot bona habeat, vnde possit soluere?

REspondeo dicendum, quod attento iure communi, sic censeatur, vt docent Bald. *Nouella in tract. de dote, part. 6. priuileg. 6.* & Hieronym. Gabriel *consil. 166. num. 21.* Attento verò iure Castellæ *l. 1. tit. 2. lib. 5. noua recopil.* vbi certa summa pro dote constituitur, & excessus annullatur; dicendum est, patrem de bonis propriis promisisse dotem filiæ, secundum legitimam illi debitam: excessum autem dotis promissæ soluendum esse de bonis filiæ, quia de his promisisse præsumitur. Nisi dicas, quod dos promissa, quoad excessum sit nulla, cùm sit vltra taxam *in d. l. 1. cit.* constitutam. Sic omninò Fragosus *3. p. lib. 2. disp. 5. §. 1. num. 17.*

QVÆSTIO XLIII.

An casu, quo pater dicat, se dotare filiam de bonis suis, & de bonis filiæ, censeatur tunc dotare illam de bonis suis, non autem de bonis filiæ?

AFfirmat Fragosus, dicens, censeri tunc patrem dotare de bonis suis, & non de bonis filiæ; nisi alias bona sua non sufficiant, quia tunc censebitur dotasse de bonis ipsius filiæ id quod deest. Probat, quia quamuis copula &, secundum propriam naturam æqualiter diuidat, *l. reos, §. cùm in tabulis, ff. de duobus reis,* quando tamen ponitur copula inter personas, in quibus reperitur necessitatis ordo, intelligitur ordine successorio. Glossa, & Scribentes *in l. Gallus, §. quàm rectè, ff. de liber. & posthum.* Confirmatur, quia pater tenetur constituere dotem filiæ: igitur si habeat dotem idoneam, seu substantiam, intelligitur priùs de illa dotem promittere, per *l. vltim. C. de dotis promiss.* atque ita, quando facultates patris non sufficiunt, præsumitur dotasse de bonis ipsius filiæ, quia ratio necessitatis non obligat patrem, nisi pro modo facultatum. Quocirca, quando pater dixit, se daturum dotem de bonis suis, & filiæ, voluit dicere, priùs de bonis suis; & illis exhaustis, de bonis ipsius filiæ, vt habetur expressè *in d. l. vltim. C. de dotis promiss.* & ita secundùm ordinem charitatis creditur promisisse. Ita Morchequus, *de success. bonor. lib. 2. cap. 17. ex num. 21. ad num. 25* Mantic. *sup. d. lib. 12. tit. 19. num. 8. & num. 15* Hucvsque Fragosus.

Sed ego clariùs respondeo primò tanquam certum, sic. Si pater, illis promissionis propositæ verbis, reuerà intenderet promittere partem summæ de bonis filiarum, & partem de bonis suis, tunc in foro conscientiæ non teneretur soluere totam summam dotis promissæ de bonis propriis, sed solùm vsque ad portionem legitimam debitam filiæ, aut si quid vltra intendisset promittere. Sic Molina *disp. 424. cit. num. 3.* qui id probat ex eo, quod lex citata (à Fragoso) fundatur in præsumptione,

prione, statutaque est, vt parentes distinctè loquerentur, nec eos deciperent, qui cum filiabus ip orum matrimonium contraherent: in foro autem conscientiæ veritati statur, & non præsumptioni; igitur in hoc f ro non teneretur totam summam dotis ex propriis bonis soluere.

Respondeo secundò, etiam vt certum: si pater cùm dixit, se daturum dotem filiæ, aut se dotare filiam de bonis suis, & de bonis filiæ; voluit dicere, priùs de bonis suis, & illis exhaustis, de bonis ipsius filiæ, vt existimat Fragosus, tunc in foro conscientiæ debet, vt voluit, adimplere dotem, vt clarè constat ex se, & ex nuper dictis, & in hoc benè Fragosus.

Respondeo tertiò, in dubio quid pater intentenderit per prædicta verba, probabilius iudico, præsumendum esse voluisse id quod verba exprimunt, nempe dotare filiam de propriis bonis vsque ad legitimam debitam filiæ, & quod superest, de bonis propriis filiæ, quia reuerà copula &, æqualiter copulat, vt idem sit de vno, quod de altero ex copulatis, vt *ex l. si hæredi plures, ff. de condit. instit. & ex l. reos, cit.* notant Iason, Felin., Decius, & alij plures citati ab Aug. Barbosa *in tract. de dictionibus vsufrequent, diction.* 110. Et, *n.* 9.

Nec obstat, quod pro Fragoso idem Barbosa dicat, *num.* 17. quod quando dictio &, ponitur in materia necessaria respiciente personas coniunctas, tunc non copulet æqualiter, sed potiùs designet ordinem, vt quod primo loco expressum est, præcedat, & illud quod sequitur, veniat in subsidium: quia in hoc casu non versamur in materia necessaria, cùm quantum promissum pro dote, à libera voluntate promittentis procedat, & ad summum solùm sit necessarium ex parte, nempe, in quantum illud, quod respicit legitimam pro dote sibi debitam; non verò in quantum illud, quod superat ad dotem promissam; quia id liberè promittitur à parte, & sic intra limites materiæ liberæ permanet.

QVÆSTIO XLIV.

An quando ex pacto coniugali omnia bona, tam viri, quàm vxoris sunt communia, tunc dotes filiarum ex communibus bonis vtrique coniugi constitui debeant?

RESpondeo tanquam certum, debere ita constitui, etiamsi nullum ea de re pactum interueniat. Probatur. Tum, quia tunc nulla alia sunt bona, præter communia vtrique coniugi, ex quibus constitui dos possit. Tum etiam, quia tunc coniuges, implicitè saltem, paecisci censentur, vt ex bonis communibus dos exsoluatur, iuxta *l. omne as, ff. pro socio.* Sic Rebellus *de obligat. 2. p. lib. 5. q. 5. num.* 3. Palaus *disp. 9. de inst. commut. punct. 5. n.* 1. & 2. vbi ita ait: Hinc inferendum est, si matrimonium contrahatur per contractum medietatis omnium bonorum, sicuti contrahitur in Lusitania, coniux dotans filias, ex communibus bonis censendus est illas dotare. Neque postmodum dissoluto matrimonio patri potiùs quàm matri dos imputanda est. Sic ille ex Rebello *loco cit. n.* 3. & 4.

QVÆSTIO XLV.

An quando contrahitur matrimonium absque vlla bonorum communicatione, tunc dos à patre filiæ communi promissa, sit etiam exsoluenda ex bonis vtriusque coniugis?

RESpondeo tanquam certum, quod non. Tunc enim ex bonis solius patris dos exsoluenda est, *ex l. fin. C. de dotis promiss. l. 8. tit. 11. part.* 4. quia, vt suprà est habitum, patri incumbit filias nuptui tradere, & dotare; matri verò non nisi in subsidium, & patre deficiente. Sic cum communi Palaus *loco cit. num.* 3. & constat ex dictis *q. 4. & seqq. & §. 3. à quæst.* 29.

QVÆSTIO XLVI.

An saltem casu, quo pater, & mater dotem filiæ constituant, tunc censeantur ambo pro dimidio concurrere?

RESpondeo tanquam certum, sic censeri, & teneri pro dimidio soluere, saltem casu, quo vxor tempore promissionis dotis haberet alia bona præter dotalia. Sic Molina *tom. 2. tract. 2. disp. 424. num.* 10. hoc modo dicens: Quando tam pater, quàm mater simul aliquid promiserunt in dotem filiæ, aut in donationem propter nuptias filio, tunc vnusquisque eorum tenetur soluere medietatem, tam de iure communi, quàm de iure Castellæ, *argum. text. in l. reos, §. cùm in tabulis, ff. de duobus reis, iunctis l. dotare, & l. generaliter, C. ad Velleian. l. siue vxor, ff. de donat. inter vir. & vxorem, l. Lucius Titius, ff. quibus modis pign. vel hypoth. & l. quamuis, ff. soluto matrim.* In primo enim ex iurib. cit. habetur, quando duo aliquid promittunt, nihilque aliud exprimunt, vnumquemque teneri soluere medietatem. In reliquis verò habetur, alienationem vxoris causâ dotis, validam esse in euentibus, in quibus alioquin non valeret. Sic Molina, dicens, sic sentire omnes in casu, quo vxor tempore promissionis haberet alia bona, præter dotalia, de quibus id promitteret. Palaus ex illo, *loco citato, num.* 3.

QVÆSTIO XLVII.

An adhuc in præcedenti casu teneretur mater medietatem dotis soluere, si tempore, quo id promisit, nulla haberet bona præter dotalia?

NEgat tunc teneri soluere, secluso iuramento, Palaus *loco citato, num.* 3. ibi: Si autem nulla alia bona haberet, variant Doctores, an inde aliquam obligationem subiret? Et probabilius reputo, secluso iuramento, nulla obligatione teneri; quia inspecto communi iure, non permittitur vxori bonorum dotalium alienatio, nisi ex causa necessaria, quæ tamen in præsenti non intercedit, cùm vxor necessitatem non habeat filias dotandi, cùm bona parentum suppetunt. Hæc ille.

Sed distinctiùs respondeo primò sic. Certum est,

est, quod attento iure Regio Castellæ, teneatur mater adhuc in dicto casu soluere medietatem dotis; quia certum est, valere, iuxta dictum ius, factam promissionem de bonis etiam dotalibus. Sic est sancitum *in l. 53. Tauri*, quæ est 8. *tit. 9. lib. 5. noua recopilat.* Sic Molina *loco cit.*

Respondeo secundò, quod adhuc attento iure communi, probabilius sit, valere dictam promissionem, præsertim iuramento firmatam; & ideò, quod adhuc attento illo, teneatur soluere mater medietatem dotis de suis bonis dotalibus; quia sic iura citata dicunt. Sic Molina *vbi suprà.*

QVÆSTIO XLVIII.

An si maritus filias habeat è priore vxore, possit eas dotare ex bonis communibus, tam sibi, quàm vxori contingentibus, sicuti dotat cùm filiæ sunt communes?

AFfirmat Ferdinand. Perez, docens licitum esse tali marito in vtroque foro huiusmodi filiam dotare ex bonis mobilibus, & pecuniis superlucratis communibus, inuita adhuc secunda vxore. Quia vir est legitimus administrator eorum bonorum; ergo potest ea alienare. Ita ille apud Rebellum; cui omninò consentit Molina *disp. 424. cit. n. 12.* per hæc verba: Si vir filios, aut filias habeat alterius prioris vxoris, poterit sine consensu posterioris vxoris dotare eas filias, & donare propter nuptias filiis, de bonis mobilibus, modò quæ ita dederit, non contingant legitimas in bonis ipsius cæteris filiis debitas, & modò id non præiudicet bonis posterioris vxoris. Sic ille, quem simul cum Rebello citat & sequitur Palaus *punct. 5. citato, n. 4.* sic scribens: Cæterùm omninò dicendum existimo, etsi possit vir ex bonis communibus superlucratis dotem suæ filiæ constituere, vt rectè potest; attamen cum obligatione computandi in partem, quæ ipsum, dissoluto matrimonio, contingat. Iniurium namque vxori esset, velle maritum ex illius bonis propria debita, & ante matrimonium contracta exsoluere. Sic rectè, aliis relatis, tradunt Rebellus *lib. 5. q. 5. n. 11.* Molina *disp. 424. ad finem.* Hucvsque Palaus. Sed non rectè citans pro se Rebellum; nam oppositum omninò quæstioni propositæ respondet *loco citato* à Palao, vt dicunt hæc sua verba, ait enim: Sit sexta conclusio. Verosimilius est, in neutro foro licitum esse regulariter, inuita vxore dotare filiam prioris matrimonij, ex bonis non solùm immobilibus, sed etiam mobilibus, aut pecuniis per secundam vxorem adductis: quod tamen si fortè bona, vel mala fide faciat, in partem suam totum, soluto matrimonio, imputare debebit, vel de bonis propriis eam partem vxoris resarcire. Priorem partem asserunt Anton. Gomez *ad l. Tauri 5. num. 25.* Pal. *repet. rubrica, §. 66. n. 18.* & alij. Hæc Rebellus. Malè ergo illum citat Palaus quoad primam, & principalem partem quæsiti.

Ego vtramque sententiam iudico probabilem, & sententiam Molinæ cum suis limitationibus parum differre à sententia Rebelli, & ita in praxi posse amplecti, & sequi. Quare illa supposita sit.

QVÆSTIO XLIX.

An similiter, si vxor velit dotare filiam prioris mariti, quæ aliunde non haberet sufficientem dotem, nec suus maritus vellet consentire, posset adhuc illa licitè de dictis bonis id facere?

NEgabunt, & à fortiori, Rebellus, & alij à se citati, quia ipsa non est administratrix bonorum, sed vir; ergo non potest, sicuti vir potest, disponere de dictis bonis: ergo, &c.

Sed iuxta nuper dicta respondeo, posse similiter vxorem dotare suam filiam, & ad hoc faciendum, posse authoritate iudicis cogere maritum ad præbendum consensum. Sic Molina *loco citato,* qui id probat, quoniam vxor tunc dotare tenetur filiam, iuxta *l. neque mater, C. de iure dotium.* Maritusque irrationabiliter est inuitus, ne vxor dotet filias, &c. ergo.

QVÆSTIO L.

An si pater magnam filiæ dotem promittat, & posteà alij filij eidem patri nascantur, tunc reuocari & annullari debeat talis dos?

REspondeo dicendum, quod attento iure communi, reuocari, & inualidari debeat, solùm quatenus contingit legitimas filiorum, non verò quoad id in quo pater potuit meliorare talem filiam. At verò attento iure Castellæ, *l. 1. tit. 2. lib. 5. noua recopilat.* dicendum est, quod debeat reuocari, & annullari, etiam quoad id, in quo pater potest meliorare descendentes: & sic quod solùm sit valida quoad legitimam talis filiæ, eo quod lege citata prohibitum, cassumque sit redditum dare filiabus in dotem aliquid de tertio, aut quinto, in quo alioquin possunt illas meliorare. Sic omninò Molina *loco cit. num. 13.* & penes illum Baeza, & Gutierrez.

QVÆSTIO LI.

An pater dare possit in dotem filiæ suæ rem emphyteuticam sine consensu domini?

NEgandum videtur *ex l. fin. C. de iure emphyt.* vbi prohibetur alienatio rei emphyteuticæ: ergo.

Sed cum communi, vt certum respondeo, posse patrem sine metu commissi, dare in dotem filiæ suæ rem emphyteuticam, irrequisito domino. Ratio est, quia causa dotis, ex priuilegio, non comprehenditur in generali dispositione, cùm causa priuilegiata semper veniat excepta, *l. vnica, §. si quæ verò, C. de instit.* Et licèt datio dotis sit alienatio, in parentibus tamen est necessaria; vnde leges prohibentes alienationem, solùm loquuntur de voluntaria, non verò de necessaria. Sic Speculator *tit. de locat. §. nunc aliqua,* quem citat & sequitur Siluest. *verb. dos, num. 9. quæst. 8.* notans, quod tunc dotans non plus iuris transfe-

I rat,

rat, quàm habeat ipse. Bertrand. *consil.* 380. *duo sunt, lib.*2. Tiraquel *lib.*1. *retract. glossa* 14. *n.*91. §.1. Alexand. *consil.*173. *num.*1. *lib.* 2. Ruin. *consil.*148. *num.*13. *lib.*1. Fragoso 3.*p. regim. lib.* 6. *disp.*10. §.1. *n.*5. & alij.

QVÆSTIO LII.

An in dicto casu possit filia, seu gener, apprehendere possessionem emphyteusis in dotem datam, inconsulto domino?

NEgant aliqui Iuristæ, qui præcipuè id probant ex lege Lusitana *lib.* 4. *tit.* 38. dicente sic: *En caso que a quiser doar, ou dotar, ò fara à saber ao senhorio.* Hoc est, quod in casu, quòd emphyteusin in dotem voluerit constituere, id domino denunciabit. Vnde ita tenent Valasc. *de iure emphyteut. q.*14. *num.*10. & Cald. Pereyra *de extinctione cap.*10. *n.*31.

Sed probabiliùs respondeo, posse apprehendere possessionem illam, inconsulto domino; quia alienatio facta in filium, vel filiam, aliàs successuram in emphyteusim, potest fieri irrequisito domino, & potest pater filiæ sic dotatæ tradere possessionem realem rei emphyteuticæ. Nec obstat lex Lusitana (adhuc pro illo Regno) quæ requirit certiorem fieri dominum in tali casu; quia intelligenda est, de dote data extraneæ personæ, non verò filiæ. Sic tenent Valascus (sibi contrarius) *de iure emphyt. q.*18. *num.*28. dicens, de praxi non requiri consensum domini, vt possessio capiatur. Cabed. 1.*p. decis.*104. Petr. Barbosa *in l. vsusfructus* 58. *ff. soluto matrim. num.* 28. & alij, quos citat, & sequitur Fragosus *vbi suprà, num.* 5. *vers. contrarium nihilominus.*

QVÆSTIO LIII.

An possit pater dare feudum filiæ in dotem?

AFfirmant apud Siluestrum, Innocent. *in cap. nuper, de donat. inter virum & vxorem,* & ibi Panormitan. Qui idem dicunt de donatione propter nuptias.

Negant contrà Ioan. Andr. *in d. cap. nuper,* Iason *in Authent. res quæ, num.*33. *vers. sextò limita, C. commun. de legatis,* Aluarotus *in cap.*1. §. *donare, in tit. qualiter olim feudum poterat alienari.* Bald. & Bursatus apud Fragosum 3.*p. regim. lib.*8. *disp.*17. §.5. *n.*13.

Sed probabiliùs, distinguendo respondeo, posse patrem dare feudum filiæ in dotem, in quo filia succedit; secus verò in quo non succedit. Sic Siluest. *verb. dos, q.*9. *num.*10. & ex illo Iodocus *eod. verbo, n.*5. *ibi*: Feudatarius non potest filiæ dotem constituere in feudo, in quo ipse non habet ius successionis, secus si habet. Sic ille, & Armilla *verb. dos, n.*9. Angel *verb. dos, n.*8. vbi concordat duas sententias nuper relatas. Legatur Fragosus *loco cit. num.*13.

QVÆSTIO LIV.

An pater vsurarius possit dotare filiam rebus, aut pecuniis vsura acquisitis?

REspondeo vt certum, non posse, casu quo eius bona non sufficiant ad soluenda debita: vnde gener ab eo talem dotem accipiens, peccat grauiter, & obligatur ad restitutionem. Sic Nauar. *in Man. cap.*17. *num.* 271. ita scribens: Peccat qui capit dotem à socero vsurario, cuius bona soluendis vsuris, quas debet, non sufficiunt; sciens id, aut debens scire, quod nostra sententia intelligitur, non solùm quando res ipsæ vsurâ acquisitæ in dotem dantur, & quando dos est extra modum; sed etiam quando in pecunia, aut in aliis rebus, quarum dominium ad vsurarium transfertur, moderata, & necessaria datur: quia capit ab eo, qui nec donare, nec dotare sine peccato potest. Et quia vxor sine marito illam dotem restituere non potest, si illa vult, & maritus repugnat, maritus peccat, & non illa, modò statuat, mortuo marito, aut quàm citiùs poterit, restituere. Et si maritus vult, & illa non, vxor peccat, & non maritus, qui tamen de tali dote participare non debet. Et si inter vtrumque conuenit de non restituendo, vterque in statu damnationis versatur, *cap. peccatum, de regul. iur. in* 6. Hæc meus Nauarrus. Quem citat, & sequitur Iodocus *verb. dos, n.*5. & tenent omnes.

---

§. VII.

De causis, ob quas pater excusatur à dotandis filiabus.

QVÆSTIO LV.

Quid sit exhæredatio?

REspondeo quod est priuatio hæreditatis. Sic Bart. *in l.*3. §. *si filius, num.*4. *ff. de liber. & posthum.* Iason *in l.*1. *num.*1. *eodem titulo.* Fragosus 3.*p. regim. Christ. Reip. lib.*2. *disp.*5. §.2. *num.*1. & omnes.

QVÆSTIO LVI.

An pater possit priuare dote filias, ob easdem causas, ob quas potest illas exhæredare?

REspondeo vt certum, posse ob easdem causas, quia seueriori iure debetur filiis, & filiabus legitima, quàm dos: ergo optimè infertur, quod si liberis non debeatur legitima, nec dos debeatur. Sic communiter DD. Baldus, Alex, Iason, quos refert, & sequitur Petr. Barbosa 4. *part. leg.* 1. *ff. soluto matrim. n.*32. Couarru. *in epitome* 2.*p. cap.*8. §.6. *fine,* Rebell. *de obligat.* 2. *p. lib.*2. *q.*14. *n.*32. Lara, Spino, & alij, quos sequitur Fragosus *loco citato, n.*24. & 26.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LVII.

An non solùm ex causis, ex quibus pater potest filias exhæredare; sed etiam ex aliis possit filiam dote priuare?

Respondeo, posse etiam ex aliis causis; quia minor causa ad negandam dotem, quàm ad priuationem legitimæ sufficit; quamvis Palat. *in rep. cap. inter vestras, 3. notab. §. 13.* inaduertenter contrarium dixerit. Sic Rebell. *loco cit.* Fragosus *loco cit. num. 26.* ibi: Respondetur secundò, propter alias causas, eodem §. non expressas, posse eisdem filiabus dotem auferri, quæ satis erant ad hoc de iure antiquo, non tamen hodie sufficere. Sic ille, sed non clarè: quia illa verba sumpsit ex Rebello, sed non vt Rebellus loquitur. Lege igitur illum, sic: Quamvis receptum sit, filias non posse exhæredari, nisi propter causas expressas *in Authent. vt cùm, de appellat. cognosc. §. aliud quoque, versu causas, collat. 8.* denegari tamen eis potest dos propter alias causas *eodem* §. non expressas, quæ iure antiquo ad earum exhæredationem sufficiebant, hodie verò non sufficiunt. Sic Rebellus. Et id voluit dicere Fragosus.

DISPVTATIO XIII.

De obligatione parentum erga filios adoptiuos.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit adoptio secundum iura?

Respondeo dicendum, quod adoptio, sit actio, per quam persona alioqui extranea, in filium, vel nepotem, vel deinceps, secundum leges assumitur: vel breuiùs, est actio legitima, per quam, qui filius alioqui non est, pro filio habetur. *Institut. de adoptionib. in glossa.* Sic omnes Iuristæ ibi, & Theologi cum S. Thoma *in 4. dist. 42.* Azor *part. 2. lib. 2. de 4. Decal. precepto, cap. 18.*

QVÆSTIO II.

Qua de causa adoptio à lege instituta fuit?

Respondeo, quod fuit instituta ad solatium eorum, qui liberos non habebant, & optabant. Vnde aliqui adoptionem ex eo dictam putant, quasi valdè optet liberos, qui adoptat. Et id insinuat *l. 7. tit. 7. part. 4.* illis verbis: *E tal parentesco, como este es dicho segun las leyes, aleganza derecha de prosijamiento; que fassen los omes entresi, con grande deseo que han de dejar en su lugar quien herede sus bienes.* Et ideò huiusmodi genus transitûs in alienam familiam, est actus legitimus, quo certa persona in filium eligitur, ad solatium eorum, qui liberos non habent, inuentus. Sic ex Corrasio *in præfat. ad tit. ff. de adoptionib. n. 7.* docet Didacus de Narbona *in annalibus, &c. anno 60. q. 13. num. 1. & 2.*

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit adoptio?

Respondeo dicendum, quod duplex. Altera, quæ speciale nomen habet, & dicitur arrogatio; & altera, quæ generis nomen retinens, dicitur adoptio, *l. 1. & 2. ff. de adoptiou.*

Arrogatio dicitur, & fit, quando is, qui patrem non habet, aut non est in sua potestate, sed sui iuris, transit vnà cum filiis, & rebus suis, & omni iure, quod habet, in potestatem eius, qui arrogat Principis auctoritate. Adoptio verò dicitur, & fit, quando is, qui est in potestate patris, siue generatim, quando is, qui alieni iuris est, in filium assumitur auctoritate Magistratus, *l. 1. & 2. ff. de adopt.* Sic omninò Azor *part. 2. lib. 2. cap. 18. q. 2.*

QVÆSTIO IV.

In quo differant arrogatio, & adoptio?

Respondeo quod præcipuè in sex sequentibus. Primò enim, quod arrogatio solùm fit auctoritate Principis; adoptio verò fit auctoritate cuiuslibet Magistratus competentis. Sic colligitur ex lege citata.

Secundò differunt, quod arrogatio expressum consensum, tam arrogantis, quàm arrogati requirit, adoptio verò non item: nam sufficit consensus tacitus eius, qui adoptatur, vt si sciens non contradicit: vnde infans adoptari potest, non arrogari, *l. vltim. C. de adopt. ff. eod. tit. l. etiam infantem, ff. de adoption.*

Tertiò differunt in eo, quod qui arrogatur, est sui iuris, qui adoptatur est in aliena potestate, vt constat ex dictis.

Quartò differunt in eo, quod qui arrogatur, statim cum suis omnibus bonis, & vnà cum liberis, & nepotibus, quos in sua potestate habet, transit in potestatem arrogantis, *l. 2. §. vlt. ff. de adopt.* at verò qui adoptatur, non transit in potestatem adoptantis, quando is, qui adoptat, est extraneus, hoc est, non est è numero ascendentium, sed manet in potestate patris naturalis; nisi quando is, qui adoptatur, auo materno datur; vel quando post emancipationem genuit filium, & auo materno dedit, *Instit. de adopt.*

Quintò differunt in eo, quod is qui arrogat, debet coram tabellione fideiussores dare, si impubes ante pubertatem decesserit, de restituendis illis bonis ei, ad quem alioqui essent ventura, si is, qui arrogatur, in suo statu mansisset, *l. 2. C. de adoption.*

Sextò tandem differunt in eo, quod qui arrogatur, habet ex legis necessitate quartam partem in bonis arrogatoris; adoptiuo tamen, is qui adoptat, nihil legis necessitate relinquere compellitur, *l. 1. & 2. C. de adopt.* Hæc omnia Azor. *q. 3.* sed sunt circa illa aliquæ quæstiones discutiendæ. Sit ergo.

§. II.

De personis, quæ adoptari, & adoptare valent.

QVÆSTIO V.

An omnis infans, siue masculus, siue fæmina, adoptari posit?

RESpondeo ex dictis dicendum, posse; quia sic habetur *l. adoptio, ff. de adopt.* & constat ex dictis *in 2. differ.* quia licèt infans adrogari nequeat, bene tamen adoptari potest. Sic Modestin. *in l. etiam, ff. de adopt. & l.4. tit.16. part.4.* ibi: *Infante es llamado segun Latin todo mozo que es menor de siete años, è este à tal, no hauiendo padre, no lo puede ninguno prohijar.* Sic lex. Nunc ego: Ergo si patrem habeat, bene poterit ab ipsomet patre naturali in adoptionem dari. Et sic docent omnes DD. præcipuè Alberic. Odofred. Corras. Faber, Donellus, & alij, quos citat & sequitur Narbona *in suis annal. anno 1. q.17. n.1. & 2.*

QVÆSTIO VI.

An aliquot annorum infans esse debeat, vt à patre naturali posit in adoptionem dari?

RESpondeo dicendum, non requiri numerum annorum, & ideò infans, etiam recens natus, adoptari potest. Ratio est, quia ad adoptionem non requiritur consensus expressus adoptati, vt *q.4. in 2. differ.* est habitum: ergo in quacumque ætate sit infans, adoptari potest. Sic tenet Narbona *in suis annalib. anno 1. q.17. n.3.* qui & probat *ex l. etiam, ff. de adoption.* vbi dicit; *Etiam infantem in adoptionem nos dari posse, &c.* Sed sic est, quod infans propriè quis dicitur, ex quo matris vtero egreditur: ergo. Sic ille. Legatur per totam quæstionem, vbi ad obiecta aliqua respondet, & benè.

QVÆSTIO VII.

An adoptatus debeat esse minor natu, quàm adoptans?

RESpondeo vt certum, quod debeat esse natu minor, quàm adoptans, itavt qui adoptatur, possit esse filius naturalis adoptantis. Ratio est, quia absonum esset, eum fieri generatione ciuili patrem, qui naturaliter esse non posset. Sic Azor *lib.2. cit. cap.18. q.5.* Narbona *in suis annal. anno 7. q.15. num.4. & anno 60. q.13. num.6.* his verbis: Quod ita intelligendum erit, dummodo qui adoptare, vel adrogare desiderat, ipso adrogando sit prouectior, *d.l. si pater 15. in fine.* Adoptio enim naturam imitatur, & pro monstro esset, vt maior inueniretur filius, quàm pater, *§. minorem, Instit. hoc tit. de adopt. &c.* Et paulò post: Sicque definit Caius *in suis institutionib. tit. de adoptione*: Adoptio, naturæ similitudo est, vt aliquis filium habere possit, quem non generauit; illamque imaginem appellat Papinianus *in l. filio 23. de liber. & posthum. l. 2. tit.16. part. 4. l. 2. tit.22. lib.4. fori.* Ergo quemadmodum naturali generationis ordine attento, impossibile esset filium procreari, quin simul pater maior existeret, verùm & illa cum ætate anteiret, qua ipsius generationi iam suffecisset: ita & in adoptione, quæ ciuilis generatio dicitur, haudquaquam possibile est, filium quem hoc beneficio creare, ni illum legitima ætate præcesserit, ea qua proculdubio esset futurus, si illum naturali modo suscipere contigisset. Hæc Narbona.

QVÆSTIO VIII.

An vir adoptans necessariò debeat præcedere filium adoptatum decem & octo annis?

NEgandum videtur, eo quod sufficere omninò videatur, quod pater adoptans præcedat filium adoptatum pubertate, idest, anno decimoquarto; cùm hæc ætas ab omnibus idonea generationi habeatur; ac proinde omnis huiusce ætatis matrimonium contrahere possit, vt communis omnium tenet sententia: ergo.

Sed attento iure ciuili, vt certum respondeo dicendum, quod adoptans necessariò debeat præcedere filium adoptatum, plena pubertate, idest, decem & octo annis: quia sic habetur *l. adrogato, §. non tantùm, ff. de adoption. §. minorem, Instit. eod. tit. l. 2.* suprà cit. ibi: *Que sea mayor que aquel aquien quiere prohijar, de diez y ocho años. tit. 16. part.4.* Et ratio decisionis fuit, quia licèt ante hanc plenæ pubertatis ætatem adsit in hominibus possibilitas generandi, sed hoc non est ita certum, ac indubitatum, sicut est in ætate plenæ pubertatis, hoc est, in ætate decem & octo annorum, post quam ætatem omnes homines idonei generationi existunt, & ideò hac ætate debent præcedere filios adoptatos. Sic Corrasius, Anton. Faber, & alij, quos citat & sequitur Narbona *anno 60. q.13. num.7.*

QVÆSTIO IX.

An non solùm viri, sed etiam fæminæ possint adoptare, vel adrogare aliquem?

RESpondeo tanquam certum, posse, cum priuilegio tamen & rescripto Principis, ob filios in bello amissos, aut ob vtilitatem, & bonum publicum, *l. mulierem, C. de adoption. & Instit. de adoption. §. fœmina.* Et sic docent omnes. Azor *part.1. lib.2. cap.18. q.6.* Narbona *in suis annalib. anno 60. q.13. n.8.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An fœmina adoptans (seu adrogans) debeat, sicut & vir, præcedere filium adoptiuum annis decem & octo?

RESpondeo tanquam certum, quod non, sed sufficit, quod præcedat filium adoptatum, seu adrogatum, ætate plenæ pubertatis, hoc est, anno decimo quarto; quia hac ætate frequentiùs generare incipiunt. Sic cum aliis tenet Narbona *n.*8. *citato*.

QVÆSTIO XI.

An item sufficiat, vt adoptans aliquem loco nepotis, aut pronepotis, præcedat hos tantùm plena pubertate, hoc est, annis decem & octo?

NEgandum ex dictis videtur, quia in his ea videtur requiri ætas, qua per naturam, & ille auus, seu proauus, adoptans; & is nepos, vel pronepos, adoptatus esse possint.

Sed vt certum respondeo sufficere, vt præcedant annis decem & octo. Sic ex Francisco Balduino *in cit.* §. *minorem, num.* 3. tenet & probat Narbona *vbi supra, num.*89. ex verbis Iustiniani *in d.* §. *Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, idest, decem & octo annis præcedere.* At sic est, quod nomine filij veniunt etiam nepotes, & pronepotes, *l. filij appellatione* 84. *l. liberorum, l. iusta, ff. de verbor. significat.* Ergo. Deinde, quia si nepotem, vel pronepotem adoptare desiderans, illius ætatis esse necessariò deberet, qua secundùm naturæ leges eosdem nepotes, aut pronepotes suffecisse possibile fuisset; vix aut saltem rarissimè tot annorum inueniretur, qui aliquem posset nepotis, vel, quod certius est, pronepotis loco adoptare, quod tamen fieri commodè posse Pomponius demonstrat *in l. adoptionis, ff. de adoption.* & Iustinian. profitetur *in* §. *licet autem. Instit. de adoption.* ergo, &c. lege Narbonam *loco citato*.

QVÆSTIO XII.

An si quis plures filios simul adoptet, tot pubertatibus eos præcedere debeat, quot filios adoptione consequitur?

AFfirmandum videtur, eo quod quando in pluribus locis nouum opus fit, non sufficit vnica tantùm nunciatio, sed plures sunt necessariæ, *l. de pupillo*, §. *si in pluribus, ff. de noui operis nunciatione*: ergo similiter. Ita videtur sentire Accursius *in l. adrogato, verbo plena, ff. de adoption.*

Sed alij multò meliùs negant, existimantes sufficere, si omnes filios pater simul adoptans vna pubertate antecedat. Probant, quia adoptio est altera natura, §. *minorem, supra cit.* atqui secundùm naturam, qui dumtaxat plenæ pubertatis est, plures filios vnico tantum concubitu, vno eodemque tempore gignere potest, vt constat multis exemplis adductis à Iurisconsultis *in l. sed etsi*, §. *fin. de iudic. l. ter enixa, de verbor. significat. l. cùm inter, C. de fideicommiss.* & aliis pluribus. Ergo similiter, & quamplures adoptare poterit, qui vnica tantùm eos pubertate antecessit. Sic Glossa *in l. adrogato, suprà cit.* & alij, quos sequitur Azor *cap.*18. *cit. q.*6.

Sed ego clariùs, & distinctiùs respondeo primò tanquam quid certum, quod benè possit quis ex iusta, & rationabili causa plures filios adoptare, quia sic habetur *in l. si pater in adrogationibus, ff. de adoptionib.*

Respondeo secundò concordando sententias relatas sic. Si pater adoptet plures filios paris conditionis, & ætatis, quamuis sint orti ex diuersis parentibus, tunc sat erit si pater adoptans illos vna tantum pubertate antecedat; quia & tot filios potuisset veritate naturæ, eadem ætate, & vna generatione suscipere. In quo casu habet verum, quod ait secunda sententia. Si verò pater adoptet plures filios imparis conditionis, & diuersæ ætatis, tunc oportet vt pluribus pubertatibus eos antecedat, cùm secundum naturam minimè contingere possit, vt diuersæ ætatis filios habeat, quin in ea ætate constituatur, quæ necessariò ad probabiliter gignendum desideratur. Sic Odofredus *in l. adrogato, cit. ff. de adoption.* & ex illo Narbona *anno* 60. *q.*13. *fine*.

QVÆSTIO XIII.

An ante puberem ætatem possit quis adoptari, vel adrogari?

NEgandum videtur, eo quod apud Romanos pubes solummodò poterat adrogari, vt notat ex Agelio, Fornerio, Vberto, Giphan. & Antonio Hering. Didacus Narbona *in suis annalib. anno* 7. *q.*35. *num.*1. *& seqq.*

Sed iam vt certum respondeo, posse quem ante pubertatem adrogari, cùm iam maior septennio possit, licèt non antea. Ratio est, quia in adrogato requiritur expressus consensus, vt diximus *q.*4. *in differ.* 2. eo quod rogetur, an id fieri patiatur, *l.*2. *ff. de adoption.* Sed ad exprimendum suum consensum sufficit, quod quis octauum inchoauerit annum: ergo in hac ætate constitutus, licèt non ante illam, poterit quis adrogari. Sic expresè habetur *in l. Regia* 4. *tit.*16. *part.*4. illis verbis: *Infante es llamado segun Latin, todo moço que es menor de siete años, e este à tal, no hauiendo padre, no lo puede ninguno profijar, porque no ha entendimiento para consentir. Mas el moço que es mayor de siete años, è menor de catorze, bien lo pueden profijar, con otorgamiento del Rey.* Sic lex. Et sic communis iam sententia Doctorum, vt videre potes apud Narbonam *anno* 7. *cit. q.*35.

QVÆSTIO XIV.

An qui liberos habet, possit alios adoptare?

Respondeo vt certum, posse, quia etsi difficulter concedatur liberos habentibus alios adoptare, *l. neque ei*, §. *cæterorum, vers. prætereà, ff. eodem*; tamen causa cognita permitti aliquando solet, *l. qui in adoptionem, vers. sed filia mea, l. si is qui nepotem, ff. eodem.* Sic Corrass. *in Præfat. ad tit. ff. de adoptionib.* Narbona *in annalibus, anno* 60. *q.*13. & Azor id supponit multoties *cap.*18.*citato.*

QVÆSTIO XV.

An qui generare non possunt, possint nihilominus adoptare, vel adrogare?

Respondeo dicendum, quod vel tales generare non possunt à natura, vel ex accidenti. Si à natura, nec adoptare, nec adrogare possunt; benè verò si ex accidenti aliquo. Vnde *in l. generalis, ff. de adoption.* hæc dicuntur verba: *Ij, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt: castrati autem non possunt.* Vbi nota, quod lex vocauit spadones eos, quibus ex accidenti aliquo abscissa sunt genitalia, vel testiculi: castratos verò eos, qui naturâ his membris carent. Sic Panormit. *cap. 1. de cognat. legali*, & Azorius 2. *parte, lib.*2. *cap.*18. *q.*6. *vers. Item qui.* Inde colligentes, Presbyteros, & reliquos sacris Ordinibus initiatos, adoptare posse; quia non sunt per naturam inhabiles, sed solo castitatis voto impediti.

QVÆSTIO XVI.

An vt quis adoptare, vel adrogare possit, debeat esse ætatis prouectæ?

Respondeo debere ita esse. Vnde ætas sexagesimi anni in viris, & quinquagesimi in fœminis, debet adesse necessariò, vt adoptio subsistat, nisi aliqua sit iusta causa adoptandi, vtputa si aliquam coniunctam sibi personam velint adoptare, &c. Sic, multis probans, tenet Narbona *anno* 60. *cit. q.*13. *num.*2. & 5.

QVÆSTIO XVII.

An tutor, vel curator possit adoptare eum, cuius tutelam, aut curam administrauit?

Respondeo non posse, nisi postquam dictus pupillus fuerit quinque & viginti annorum, aut ætatis beneficium priuilegio principis habeat: quia sic habetur *in l. neque ei, & l. nonnunquam, ff. de adoption.* Quod si pater, aut curator integram suæ administrationis rationem reddiderit, poterit adoptare. Sic ex Bart. *in l. nec ei, prællegata*, docet Azor 2.*p. lib.*2. *cap.*18. *q.*6. *vers. item tutori.* Vbi etiam dicit, quod nec quis possit adoptare libertum alienum, licèt possit proprium; neque seruum alienum, sed proprium: quod si hunc adoptet, eo ipso liber efficiatur. *Instit. de adoption.* §. *vlt.*

§. III.

De obligatione alendi filios adoptiuos.

QVÆSTIO XVIII.

An pater adoptans teneatur alere filios adoptiuos?

Negant aliqui Iuristæ, eo quod filius adoptiuus sit filius legalis, & ciuilis, non naturalis; filiorum tantùm imaginem gerens, non naturam, *l. filio quem pater, ff. de liber. & posthum.* Et ideò ita tenent Glossa *in* §. *sed ea omnia, Instit. de hæred. quæ ab imestato*: & Ioan. Faber *in d.* §. *sed ea omnia.*

Sed multò probabiliùs respondeo teneri patrem adoptantem ad alendos filios adoptatos; quia adoptiui gaudent priuilegio filiorum, vocanturque filij legitimi: ergo debent necessariò ali à patre adoptante. Sic Alberic. *in l. si quis, num.* 14. *de liber. agnosc.* Menoch. *lib.* 4. *de præsump. q.*89.*n.*34. Tiraquel. *in l. si vnquam, verb. susceperit liberos, C. de reuocand. donat. num.*8. Surd. *de aliment. tit.*2. *q.*15. *n.*39. & *tit.*1.*q.*2. Fragosus 3.*p. regim. Christ. Reip. lib.*1. *disp.*2. §.7. *n.*184. & 185.

QVÆSTIO XIX.

An filius adoptiuus, seu adrogatus, succedat patri ab intestato in omnibus bonis?

Respondeo vt certum, succedere in omnibus bonis patris adoptantis, seu adrogantis, tanquam suum hæredem, casu quo adoptator, seu adrogator non habeat alios filios naturales, & legitimos. Quia sic habetur *in Instit. de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, §. *intestatorem, vers. nec interest, & l. vltima, C. de adoptionib. post medium.* Quod intellige, nisi adoptatus sit emancipatus legitimè. Sic Siluester *verbo adoptio, quæst.*1. *num.*2. *fine*, Iodocus *eod. verbo, num.* 2. Azor *part.* 2. *lib.*2. *cap.*18. *q.*8. Fragosus *disp.*2. *cit.* §.7. *n.*192.

QVÆSTIO XX.

Quomodo filius adoptiuus succedat patri intestato, quando hic habet alios filios naturales, & legitimos?

Respondeo dicendum, quod attento iure communi, succedat patri adoptanti cum cæteris filiis naturalibus in portione æquali, dummodo, vt diximus, non sit legitimè emancipatus. Sic habetur *in l.* 2. § *per adoptionem, ff. de suis & legit. hæred. l. penult.* §. *si verò pater, C. de adoptionib. & l. si tibi parens*, §. *sed hodie, Cod. citato.* Et sic sentiunt Octauian. *decis.* 75. Senatus Pedemont. *n.*2. Bart. Salycetus, Angel. Rolandus, & alij, quos citat, & sequitur Fragosus *vbi suprà*, *n.*193. Azor *loco cit. quæst.*8. vbi notat, quod alicubi, iure speciali, quando adrogatori nati sunt filij post adrogatio

rogationem, non potest arrogator filiorum legitimorum partem debitam minuere, ac proinde solùm potest arrogato filio tantam partem relinquere, quantam potest extraneo. Sic ille. Legantur dicenda etiam ex illo *quæst.* 24.

QVÆSTIO XXI.

An deinde filius adoptiuus succedat patri intestato, casu etiam, quo pater non habeat legitimam prolem, habet tamen ascendentes?

Respondeo etiam tunc succedere patri in omnibus bonis, exclusis ascendentibus; quia sic colligitur *ex l. penult. §. sed & si quidem, C. de adoptionib.* Vbi textus disponit, vt ij filij succedant, vt heredes sui. Atqui heredes sui exterminant ascendentes, vt habetur *in Instit. de hereditate, quæ ab intestato, §. 1. & Instit. de seruili cognatione, §. repetitus*, & ibi Angel. Aret. ergo adoptiui excludunt ascendentes patris adoptiui, cùm sint heredes sui, vel ad instar illorum. Quod probatur ex casu in specie *in l. 2. §. liberi, ff. ad Tertyll.* & notat Glossa *in Instit. ad Tertyll. §. præferuntur.* & ex Glossa Fragosus *p. 3. regim. Christ. Reip. lib. 1. disp. 2. §. 7. n. 193.* Qui tamen addit, hoc esse verum, attento iuris rigore; secus verò si præsumatur probabiliter factam fuisse adoptionem in fraudem ascendentium. Nam tunc ascendentes possunt conqueri de inofficiosa donatione, & probata fraude rescinditur adoptatio.

QVÆSTIO XXII.

An filiis adrogatis debeatur quarta pars de bonis parentum adrogantium?

Respondeo deberi quartam partem de bonis parentum adrogantium, ex quo fit quod si pater adrogans, filium adrogatum prætereat in testamento, vel illum absque causa exhæredet, vel emancipet, tenebitur pater illam quartam partem restituere. Sic tenent Glossa, & alij Scriptores *in l. si arrogator, ff. de adoptionib.* Addentes, quod vltra hanc partem deferet dictus filius secum quæcumque tulit, *l. 1. & 2. C. de adoptionib.* Sic Fragosus *num. 191.* Azor *p. 2. lib. 2. cap. 18. q. 7.* ibi: Quod si arrogator sine iusta causa arrogatum emancipauerit, vel in testamento prætererit, vel exhæredauerit, præter prædicta bona iure communi compellitur ei quartam suorum bonorum relinquere; quod ni fecerit, hæredes ipsius soluere iure coguntur. *Instit. de adoption.* Imò si arrogatus è viuis excedat, nondum ei soluta quarta illa bonorum parte, ea pars ipsius heredibus debetur, itavt ad eos illam transmittat, *l. si arrogator, ff. de adoption. & l. 1. §. impuberi, ff. de collat. bonorum.* hæc Azor.

QVÆSTIO XXIII.

An pater adrogans possit in suo testamento relinquere filio adrogato aliquid vltra quartam bonorum partem?

Respondeo quod non potest ex iure, vt iis verbis fatetur Azor *vbi suprà.* Insuper (inquit) arrogator non potest impuberi substituere, nisi in sola quarta bonorum partem, quam illi, vtminimùm relinquere cogitur; nec potest in ea parte onus aliquod imponere, secus si alia bona relinqueret, *l. si arrogator, ff. de adoptionib.* Hæc Azor.

QVÆSTIO XXIV.

An filio adoptato ab extraneo debeatur illa quarta pars bonorum, quæ debetur filio adrogato?

Respondeo quod non, quia iura, quæ loquuntur de quarta parte danda, non de filio adoptiuo simpliciter, sed de filio adrogato sunt necessariò accipienda. Sic *in §. sed ea omnia, Instit. de hæreditate, quæ ab intestato*, ibi: *Neque quarta ei seruatur, neque vlla actio ei competit.* Possunt tamen hi dati extraneo in adoptionem, succedere ex testamento pro arbitratu patris adoptantis; non tamen contra, vel præter eius voluntatem. Idcircò nihil potest petere sic adoptatus ex bonis illius, quando pater ei nihil voluit relinquere, vt constat *ex d. §. aliqua autem*, ibi: *Nisi in hoc tantummodò casu, vt possit ab intestato ad patris adoptiui successionem venire. Instituta, de hæredit. quæ ab intestato.* Sic omninò Fragosus *3. p. regim. lib. 1. disp. 2. §. 7. num. 194.* & antea Azor *2. p. lib. 2. cap. 18. quæst. 9.* vbi quærens, quomodo succedat in hæreditate ex testamento, siue ab intestato is, qui propriè dicitur adoptatus; sic quæstionem resoluit. Respondeo, in primis integrum esse adoptanti, quandocumque voluerit, adoptionem dissoluere: qua soluta, adoptatus neque ex testamento, nec ab intestato succedit in bonis eius. Quod si adoptans moriatur, non soluta adoptione, nihil ex testamento iure compellitur relinquere filio adoptiuo. Si verò intestatus decedat, succedit illi, non aliis cognatis illius filius adoptiuus in omnibus bonis, si nullos alios habeat liberos, nec naturales, nec adoptiuos, alioqui succedit æqualiter cum aliis liberis. Vnde quia filius adoptiuus manet in potestate patris naturalis, succedit ei, ac si adoptatus non esset, & ius est illi dicendi, testamentum patris naturalis nullum esse, vel inofficiosum, si præteritus, vel exhæredatus sine causa fuerit, vel non institutus hæres in integra sibi debita portione. Sic Azor.

QVÆSTIO XXV.

An saltem debeatur illa quarta pars filio adoptato ab auo, aut proauo paterno, vel etiam materno?

Respondeo tunc deberi ex iure communi. Ratio est, quia per eam adoptionem soluta, vel saltem suspensa est patria potestas patris naturalis; & filius adoptiuus transit in potestatem aui, aut

proaui adoptantis, vt habetur *in l. cum in adopt. C. de adoption. & Instit. eod tit. §. sed cum hodie.* Confirmatur, quia quarta pars bonorum datur filio adrogato, eo quod cum persona, & bonis fertur in potestatem patris adrogantis: sed sic est, quod datus in filium coniunctæ personæ, auo videlicet, aut proauo, traditur in potestatem cum bonis, ac rebus suis eidem auo, aut proauo, sicuti patri adoptiuo: ergo si in vno casu quarta pars assignatur, etiam in altero est assignanda. Sic cum communi Fragosus §. 7. *cit. num.* 195. & antea Azor *cap.* 18. *cit. q.* 9. *vers. quando is, qui adoptat est auus.*

QVÆSTIO XXVI.

An filius adoptiuus veniat sub nomine filiorum, ita vt statutum, quod loquitur de filiis absolutè, & simpliciter, intelligi debeat etiam de adoptiuis?

RESpondeo tanquam certum, non venire sub nomine filiorum, nec statutum, quod loquitur de filiis simpliciter, intelligi debere de adoptiuis. Ratio est, quia verba naturaliter sunt intelligenda in statutis, aut testamentis, non autem fictè, *l. vltim. C. de iis, qui veniam ætatis impet.* Sed sic est, quod filij adoptiui non sunt veri filij, sed ficti, & imaginarij, vt probat text. optimus *in l. filio, quem pater, ff. de liber. & posthum.* ibi: *Vt veri patris adoptiuus filius nunquam intelligatur, ne imagine naturæ veritas obumbretur.* Et *l. penult. §. sed ne articulum,* ibi: *Quasi imaginaria, C. de adoptionibus.* Sic Barbosa *tract. de appellat. verb. iuris signif. verb. filius, num.* 75. vbi ita ait: Receptissima est Doctorum sententia, appellatione filiorum, tam in dispositiuis, quàm in conditionalibus, non venire filios adoptiuos, ac proinde in fideicómissis, & conditione, *si sine liberis*; non facere deficere conditionem. Ita probant text. *in l. fideicommissum, ff. de condit. & demonstrat. & in l. si ita quis* 53. *§. fin. ff. de legat.* 2. Prosequuntur latè Corn. *consil.* 85. *lib.* 3. Ruin. *consil.* 173. *lib.* 2. Castrens. *consil.* 30. *in principio, lib.* 1. Alexand. *consil.* 2. *in princip. lib.* 1. Tiraquel. *in l. si vnquam, verb. susceperit liberos, n.* 60. *cum seqq. C. de reuocand. donat.* Sfort. Odd. *de compend. substit. part.* 6. *art. vltim. num.* 4. Petr. Anton. Anguis. *consil.* 77. *num.* 6. *lib.* 6. Cardin. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 8. Cost. *in cap. si pater, p.* 1. *verb. si absque liberis, n.* 46. *de testam. lib.* 6. Intrigl. *de substit. cent.* 3. *q.* 61. *num.* 9. Alex. Trentacinq. Ascan. Clem. Pereg. Menoch. Fusar. & Cardin. Thuscus. Hæc Barbosa. Lege etiam Fragosum *loco cit. num.* 199. *cum seqq.* Qui omnes idem esse dicendum de adrogatis, affirmant: vnde adrogatos minimè adhuc nomine filiorum venire, censendum est.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem in aliquibus casibus adoptiui, seu adrogati filij, appellatione filiorum veniant?

RESpondeo dicendum, in aliquibus venire, quos sequentibus verbis refert Barbosa *loco cit. num.* 78. Limita primò (inquit) non procedere nostram principalem resolutionem, quoties aliqua apparet specialis voluntatis coniectura, ex qua colligitur testatorem de adoptiuis quoque sentire voluisse; veluti, si adoptio facta fuisset volente ipso substituto. Tiraquel. Menoch. Fusar. Vel quando adoptio est facta voluntate, & iussu testatoris, *l. si cognatis, ff. de reb. dub.* text. & Glossa *in l. si quis posthum. ff. de liber. & posthum.* Tiraquel. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Menoch. Peregr. & Rustic. *locis ab ipso ibi citatis.* Vel si grauatus ipse tempore testamenti liberos adoptiuos habebat, idque testator sciebat, vt post Cuman. Socin. Alciat. Tiraquel. & alios notant Costa, Mantic. Alexander Raudens. Menoch. Peregr. Intrigl. & Fusar. Vel si is grauatur, qui veros filios habere non potest. Card. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Ascan. Clem. Menoch. Intrigl. Petegr. & Fusar. Vel quando testator illum sibi in nepotem tanquam ex filio suo adoptasset, siue ante, siue post testamentum facta sit adoptio; nam sic adoptatus succederet. Card. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Menoch. Intrigl. & Rustic. Hucvsque Barbosa, qui & citat loca vbi id doceant citati Authores, & aduertit *num.* 79. quod ea quæ dicta sunt de adoptiuis, procedant & in adrogatis, & in filiis spiritualibus ex sacro Fonte susceptis; non enim veniunt in fideicommissis, & conditionibus appellatione filiorum, nisi ex verbis, aut mente testatoris id specialiter colligatur.

QVÆSTIO XXVIII.

An patres adrogantes, seu adoptantes, succedant filiis suis adrogatis, seu adoptatis, morientibus ab intestato?

RESpondeo dicendum, quod in primis succedunt in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si filij erant iam puberes. Deinde succedunt in bonis aduentitiis quoad proprietatis dominium, cùm iam haberent vsumfructum illorum. Præterea succedunt, & à fortiori, in bonis profectitiis filiorum decedentium sine prole naturali, siue talia bona quæsita essent filiis contemplatione patris naturalis, siue intuitu patrum adrogatorum; dummodo per patrem naturalem nulla data fuisset filiis substitutio. Sic *ex l. 2. ff. ad Macedonianum,* docet Fragosus 3. *p. Regim. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 7. *num.* 203.

QVÆSTIO XXIX.

An casu, quo filius adoptatus, seu adrogatus, moriatur ab intestato, superstite patre carnali, & adoptiuo, seu adrogante, vterque sit admittendus ad hæreditatem dicti filij?

AFfirmant quidam vtrumque parentem admittendum esse ad hæreditatem filij, ita vt pater naturalis dimidiam partem habeat, pater verò adoptiuus dimidiam alteram. Ratio eorum est, quia fratres, tam legitimi & naturales, quàm adoptiui, admittuntur ad hæreditatem patris carnalis, & adoptiui, per text. *in l. si te, C. de suis, & legitimis*: ergo idem est dicendum de istis duobus patribus, provt videtur probare *l. penult. §. fin. C. de adoption.* vbi dicitur, inter hos parentes nihil differre. Ita Angel. *in §. mortuo, Instit. de acquisitione per adrogationem,* quem citat, & sequitur Fragosus *loco cit. quæst.* 8. *num.* 205.

Sed

Sed probabiliùs respondeo in dicto casu, patrem naturalem præferendum esse patri adrogatori, seu adoptiuo in bonis filij præmortui. Ratio est, quia pater naturalis est verus ascendens naturalis; pater verò adrogator, est pater, seu ascendens fictus, & imaginarius, vt habitum est suprà q. 26. ergo pater naturalis præferri debet adrogatori. Confirmatur, quia duo vincula pro vna parte plus operantur, quàm vnum pro altera, *Authent. de hæredit. quæ ab intestato deferuntur, verb. notas, & l. cùm in adoptiuis; §. si verò pater naturalis, C. de adoptionib.* Ergo potiùs pro duplici vinculo, quàm pro vno standum est: sed pater naturalis, ac legitimus, habet pro se duo vincula, seu rationes; pater verò arrogator non habet nisi vnum, nempe nexum adrogationis: ergo si vterque concurrat ad hæreditatem filij præmortui, præualere debet pater carnalis, & naturalis, pro quo stant duo vincula.

Præterea si adoptatus, seu adrogatus fuit quis, non à persona coniuncta, sed ab extranea, tunc certum est, quod pater adoptans in nullo succedet filio adoptato, sed pater naturalis; ipsi enim soli reseruantur omnia iura, *l. cùm in adoptiuis, §. sed ne articulum.* Igitur pater naturalis debet præferri adrogatori patri. Sic Nicol. de Vbaldis *in tract. successionum ab intestato, in 2. p. num. 26.* Ioan. Faber *in §. cùm autem, Instituta de adoptionib.* Octauiah. *decis. Senat. Pedemont. decis. 75. §. in contrarium,* vbi probat, matrem naturalem, & legitimam admitti ad bona adrogati, excluso adrogante. Ex quibus constat, patrem adoptiuum non nocere naturali.

QVÆSTIO XXX.

An pater adrogans possit filium adrogatum emancipare, & adrogationem dissoluere?

Respondeo vt certum, non posse, nisi ex iusta causa, & legitimè coram iudice probata. Sic Azor *part. 2. lib. 2. cap. 18. q. 7.* vbi duas assignat causas, ex quibus id possit facere iustè. Vna est, si filius adoptiuus, seu adrogatus, patri talem iniuriam irrogauerit, quæ ad reuocandam donationem sufficeret. Altera est, cùm quis adoptat ea conditione, vt emancipare possit, *Instit. de adoption. §. cùm autem impubes, vers. non aliter.* In his casibus adrogator nihil filio arrogato relinquere cogitur, sed solùm debet ei restituere omnia bona, quæ principio, vel cursu temporis ab eo accepit, vsufructu deducto, quem adrogator ratione patriæ potestatis ex illis bonis sibi acquisiuit, *Instit. de adoption. §. cit.* Hæc Azor.

TRACTATVS II. DE OBLIGATIONE CONIVGVM INTER SE.

DISPVTATIO I.

De obligatione mariti erga vxorem.

§. I.

Deobligatione, quam habet maritus alendi vxorem.

QVÆSTIO PRIMA.

An maritus teneatur alere suam vxorem?

Respondeo tanquam quid certum, teneri. Tum, quia sic cauetur in iure, *l. dotis fructus, ff. de iure dotali, l. penult. ff. vt in possessione legat. l. si filia, §. 1. ff. famil. ercisc. l. si quis pro vxore, in 1. respons. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Tum, quia vxor seruit marito, *cap. est ordo 33. q. 5.* Ergo tenetur eam alere. Sic omnes. Legantur Couarru. *in epitome in 4. lib. decret. part. 2. cap. 3. §. 8. num. 5. & cap. 7. num. 2.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 32. num. 11. & tit. 7. q. 19. num. 1,* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5.* Molina *tom. 2. de iust. disp. 425.* Bonac. *tom. 2. disp. 6. q. vnica. punct. 7.* Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 9.* Trullench *lib. 4. cap. 4. dub. 4.* Fragosus *p. 3. regim. Christ. Reip. lib. 3. disp. 6. §. 1.*

QVÆSTIO II.

An vir teneatur alere vxorem, quam absque dotis promissione duxit?

Respondeo vt quid certum, dicendum teneri. Tum, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem postulauerit. Tum etiam, quia tacitè videtur personam vxoris pro dote accipere. Sunt enim nonnullæ, quarum industria plus valet, quàm multa dos. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 8.* dicens, nullum se inuenisse contrarium asserentem. Citatque pro hac parte Siluestrum *verb. dos, q. 10.* Angel. *ibi,* & Tabienam *q. 8. n. 9.* Armillam *num. 9. & 10.* Anton. Gomez *l. 53. Tauri, num. 31.* Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 1. l. 3. glossa 2. num. 29.* Surdum *q. 32. cit.* Molinam *vbi supra,* Innocent. Ioan. Andreas, Abbatem, Alexand. de Næuo, & alios, quibus adde Couarru. Fagundez, & alios suprà citatos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An item teneatur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, casu quo illa, aut pater eius diues sit?

AFfirmat adhuc Molina *disp. 425. cit. num. 4. vers. si marito dos*, his verbis: Quod si quis duceret aliquam vxorem, nulla illi promissa dote, tunc si parentes vxoris dotare eam possent, cogendi essent id facere, &c. Et siue eam dotarent, siue non, teneretur maritus in eo euentu sustentare illam, ipsaque præstare ei teneretur operas suas. Ita Molina, & Lara, *l. si quis à liberis*, *§. si quis ex his, ff. de liber. agnoscend.* & Petr. Surdus *de aliment. tit. 7. q. 19. num. 1. & seqq.* & *tit. 1. q. 32. à num. 12.* Licèt hic fateatur, posse virum petere ab vxore illa, vt sibi dotem competentem constituat, & si id renuat, ei posse negare alimenta. Ita etiam Couarru. Ludou. Lopez, Matienzo, & alij apud Fragosum infrà.

Sed probabiliùs respondeo primò. Nullo modo tenetur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, si illa diues sit, & dotem constituere renuat: quia dum mulier diues absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè elicere actum de dote constituenda, & omnia bona sua in dotem promittere, vt docent Bartol. Anton. Gomez & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 59. n. 4. & disp. 60. num. 2.* Ergo dum dos tacitè promissa non soluitur ab vxore, iustam causam vir habet denegandi alimenta. Sic Baldus, Iason, Ioan. Lupus, & Gom. Arias, quos sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 9.* Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 4.* Fragosus *3. p. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 7.*

Respondeo secundò, casu quo non ipsa mulier, sed pater eius diues esset, dotemque constituere nollet, tunc verè teneretur maritus ipsam alere; quia dotem in pactum non deduxit, quamvis liberum ei esset à patre dotem petere. Sic Molina *loco cit.* Sanchez *num. 9. cit. fine.* Couarru. *in epitome cap. 7. in initio.* Fagundez *vbi suprà, num. 5.* & Fragosus *num. 7. cit. vers. & quamvis glossa.*

QVÆSTIO IV.

An maritus possit agere, vt mulier diues sibi dotem constituat, quando illam, nulla facta mentione dotis, duxit?

REspondeo dicendum, posse facere, & petere ab illa vt dotem constituat, quia abs re erit, quod maritus de suo patrimonio præstet alimenta vxori, quæ potest sibi dotem constituere, & renuit. Sic Bald. *in l. fin. num. 9. C. de sentent. quæ sine certa quantitate*, & *cap. iurauit, num. 3. & 5. de probat.* Ioan. *in l. si donaturus, §. si quis indebitam, n. 5. ff. de condict. causa data.* Fragosus *loco cit. num. 7.* & Surdus citatus *q. 3.*

QVÆSTIO V.

An vir possit negare debitum coniugale vxori ob dotem non solutam?

REspondeo vt quid certum, quod non, quia obligatio reddendi debitum coniugale, non ex dotis traditione, sed ex ipso matrimonij contractu consurgit. Sic omnes. Angel. *verb. dos. num. 9.* & ibi Siluest. *q. 10.* Armilla *num. 10.* Molina *disp. 425. cit. vers. si marito dos.* Sà *verb. dos, num. 3.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 1.*

QVÆSTIO VI.

An item possit vir negare alimenta vxori, quando hæc promissam dotem non soluit?

REspondeo tanquam certum, item posse; quia dos datur quasi in pretium, vt ex eius fructibus maritus onera matrimonij sustineat, vxoremque alat, *l. pro oneribus, C. de iure dotium, l. dotis fructus, ff. eodem.* Ergo dote minimè soluta ab vxore, cùm possit, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Sic ex Glossa *in Authent. de non eligendo secundò nubente, §. fin. verb. onera*, docet Sanchez *disp. 5. cit. n. 2.* Cynus *in l. quod in vxorem, col. 1. C. de negot. gest.* vbi ait; *Deceptis, & non decipientibus subuenire iura.* Salyc. *ibi*, dicens vxorem, quæ non soluit dotem, quam promisit, extra domum esse culpa sua, & ideò non esse alendam. Hostiens. Ioan. Andr. Couarr. & alij, quos sequitur Fragosus *disp. 6. cit. §. 1. num. 8. vers. limitatur secundò.*

QVÆSTIO VII.

An rursus possit vir denegare alimenta vxori, etiam casu, quo vxor, licèt non totam dotem, partem tamen eius soluerit?

AFfirmant adhuc nonnulli Doctores, quia si tota dos non soluitur viro, contractus fides illi non seruatur: ergo nec ipse seruare fidem tenetur alimentando vxorem. Ita Bald. *in l. in insulam, §. vsuras, ff. soluto matrim.* & ibi Castro *numero 2.* Ioan. Lupus *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. notab. 3. in principio, num. 2.*

Sed meliùs respondeo, non posse tunc virum denegare suæ vxori omnia alimenta, sed teneri ad aliquam alimentorum partem, nempe pro rata dotis solutæ. Quia sicut tota dote recepta tenetur vir ad integra alimenta, ita recepta parte tenetur ad partem. Nam eadem est ratio partis quoad partem, quæ est totius quoad totum. Sic Surdus *de alimentis tit. 7. q. 17. n. 3.* quem citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 3.* Bonac. *disp. 6. punct. 7. num. 7.* Trullench. *lib. 4. cap. 5. dub. 4. num. 11.* Fragosus *part. 3. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 8. vers. quinimò.* Qui aduertunt, id esse verum, siue dos promissa sit ab ipsa vxore, siue à patre ipsius, vel ab alio extraneo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An ad minus quando vxor est in obsequio mariti, teneatur hic illam alere, etiam dote non soluta?

AFfirmant quidam teneri maritum illam alere, sicuti tenetur quis alere famulum quemcunque sibi ministrantem. Ita Abbas *consil.* 85. *n.* 2. *&* 3. *vol.* 2. Anchar. *cap. per vestr.u, de donat. inter vir. & vxorem, n.*14. vbi Ioan. Lupus *notab.*3. §. 1. *n.* 1. Roman. *in consil.* 517. *col.* 2. Grammat. *decis.* 130. *num.* 25. & Benincas *in tract. Pauper, q* 8. Quos sequitur Fragosus 3. *p. regim. cit. lib.*3. *disp.*6. §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur quartò.*

Sed probabiliùs respondeo, tunc non teneri necessariò virum ad vxorem alendam. Ratio est, quia vxor tenetur ad duo, nempe & ad dotem præstandam, & ad obsequia viro exhibenda. Cùm ergo vtrumque non præstet, estò retineatur in obsequio illius, non tenebitur ab illo ali, dum promissa dos non soluitur. Sic Surdus *de aliment.* quem citat, & sequitur Pater Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 5. *num.* 6. quibus addo Vbertum de Bob. *in l. quod in vxorem, C. de negot. gest.* Qui tamen addunt, quod casu, quo vir alat vxorem, nondum soluta dote, minimè possit petere alimenta ab ipsa, eo quod affectu coniugali videatur facta donatio.

QVÆSTIO IX.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri ipsius, ab eius consortio recedit?

REspondeo vt certum, non teneri, quia, vt nuper est habitum, vxor debet seruire marito, nec debet abesse ab eius obsequio sine causa: ergo si hoc vxor præstare nolit, non tenebitur maritus eam alere. *Qui enim non facit, quod debet, non recipit quod oportet, l. si ea, C. de condit. insertis, l. Iulianus, §. affinis, ff. de act. empt.* Et quia obligatio viri ad alendam vxorem oritur etiam ex iure naturæ cohabitandi simul, propter debitum reddendum, iuxta illud *Genes.* 2. *Erunt duo in carne vna.* Et celebrato matrimonio, emit vxor à viro hanc sustentationem, constituta dote, & pecunia dotali, sub illa conditione: *Modò cum viro habitet, & ab eo culpâ sua, & propria temeritate non recedat.* Sic Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 32. *num.*17. *& tit.*7. *quæst.* 16. *à num.* 1. Couarru. *in* 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 7. §. 5. *num.* 2. Gutierrez *qq. Canon. lib.* 1. *c.* 24. *num.* 7. Petr. Barbosa 2. *p. rubr. ff. soluto matrim. num.* 42. Baldus, Salic. Guido, Hippolit. Matienzo, & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*9. *de matrim. disp.* 4. *n.* 20. *&* 21. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 16. Fragosus *disp.* 6. *cit.* §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur primò.*

QVÆSTIO X.

An saltem casu, quo vxor propria culpâ à suo viro recesserit, & non simul habitent, teneatur vir eam alere, si dotem iam receperit?

AFfirmandum ex dictis videtur, quia vxor ratione dotis veluti pretio emit à suo viro sustentationem: ergo dote suscepta tenetur vir ex iustitia eam alere.

Sed ex dictis etiam respondeo dicendum, adhuc in eo casu non teneri virum ad suam vxorem alendam; quia vxor, vt nuper habitum est, & tenetur viro dotem tradere, & in eius obsequio, & seruitio esse: ergo si in altera harum conditionum vxor deficiat, cessabit ipsam alendi obligatio. Sic Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 14. Sanchez *disp.* 4. *cit. num.* 21. Fagundez *num.* 18. & alij.

QVÆSTIO XI.

An ad minus teneatur vir suam alere vxorem, quando hæc non propria temeritate, sed culpâ viri ab eo recedit?

REspondeo tanquam certum, tunc teneri, quia in eo casu censetur esse in obsequio viri, & præsumitur cùm eo viuere, quia cùm per vxorem non stet, quominus in domo seruiat marito, fit vt habeatur perinde, ac si esset in obsequiis illius, *l. iure ciuili, ff. de cond. & demonst.* Vbi conditio habetur pro impleta, quando per eum, cui erat implenda, stat quominus impleatur, *l. exequutione, §. fin. de verb. obligat.* Ergo in dicto casu vxor alenda est à viro. Sic Ioan. Lupus, Matienzo, & Barbosa, quos citat, & sequitur Sanchez *num.* 21. *cit.* Gutierrez, & Lara, quos citat, & sequitur Fragosus *num.* 8. *citato, vers. limitatur* 6. Fagundez *num.* 18.

QVÆSTIO XII.

An vxor, quæ à viro suo recedit, ob nimiam ab ipso castigationem, aut ob periculum imminentis mortis, vel veneni, sit alenda necessariò à viro ipso?

REspondeo vt certum, quod sic, quia tunc culpâ viri recessit: ergo ex dictis quæst. antecedenti, tenetur vir eam alere. Sic omnes DD. citati, præcipuè Sanchez *num.* 21. *&* 22. Fagundez *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

An item teneatur vir alere vxorem, quæ ab illo recessit, ob moderatam castigationem, & punitionem?

REspondeo vt certum, tunc non teneri virum illam alere; quia tunc non culpâ viri, sed propria ipsius culpa, & temeritate recessit; quia permissum est viro vxorem corrigere, & moderatè punire, *l. rei indicatæ, ff. solut. matrim.* At cautè, & comiter oportet eam tractare; talis enim est inter illos

illos societas, qualis inter patrem, & filium, non qualis inter mancipium, & dominum. Sic Sanchez *disp. 4. cit. num. 22.* qui existimat, nimium castigationis excessum exigi, quo fuga hæc vxoris culpâ vacet, ac proinde extra viri domum, ea non obstante, ipsi debeantur alimenta. Quamvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda vxore excedat, non continuò licet vxori ab eius consortio aufugere. Sic doctus Pater. Legantur Ludou. Viues *in lib. de offic. mariti, cap. de eligenda vxore,* Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n.* 110. *ff. de liber. agnoscend.* Surd. *de aliment. tit. 7. q. 16. num. 5.* Fagundez *num. 19. citato.*

QVÆSTIO XIV.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri, sed propria authoritate recessit; casu quo sit parata redire, & maritus redeuntem non vult eam admittere?

RE spondeo dicendum, quod in hoc casu iam teneatur vir vxorem alere, quia ex tunc iam censetur vxor culpâ viri absens à domo. Sic Glossa *in cap. significasti, de diuortio, verb. materiam*; vbi inquit, mulierem, quæ recessit propria authoritate, & posteà vult redire, esse restituendam; & si ex eo puncto non vult maritus recipere, illam videtur spoliare, & ab ea die potest repetere expensas, non antea factas. Sic post dictam Glossam, & Innocent. Speculat. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbatem, D. Anton. Siluestrum, Tabienam, & alios, tenet Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 12. num. 16.* Fragosus *p. 3. regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 8. vers. quin etiam.*

QVÆSTIO XV.

An vir teneatur vxori adulteræ alimenta præstare?

AFfirmant nonnulli teneri maritum præstare vxori adulteræ alimenta, etiam facta tori separatione. Fundamentum eorum est, quia maritus, in opinione communi, peccat mortaliter occidendo vxorem adulteram in adulterio apprehensam: ergo etiam peccabit mortaliter ei alimenta denegando, cùm alimenta dentur ad alendam vitam, & illorum negatio, sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ enecatio. Ita tenent Iulius Clarus *lib. 5. receptar. §. Adulterium, vers. facta autem.* Anton. Gabriel *tom. 1. communium opinion. lib. 1. fol. 11. versu adulteram vxorem.*

Alij distinguendo, dicunt, vxorem expulsam à viro ob adulterium non notorium, alendam esse à viro: secus ob adulterium notorium. Quia in priori casu non priuatur vxor iure, quod habet in virum, nec alimentis, nisi sequuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Secus verò in secundo casu; nam ob adulterium notorium potest vir vxorem domo expellere, &c. Sic Alex. de Neuo *cap. plerumque, de donation. inter vir. & vxor. num. 9. & 10.* Rosella *verb. diuortium, num. 11.* Angel. *verb. dos, num. 20.* Vbi Siluest. *q. 14. dub. 9.* Armilla *num. 18.* Tabiena *q. 11. num. 12.* Petrus Surdus *de aliment. tit. 1. q. 118. num. 5. & tit. 7. q. 16. & 17.* Ioan. Lupus, Roland. Lata, & alij, quos pro hac parte refert Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. n. 24.* Ita etiam sentit Fragos. *p. 3. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 9. vers. limitatur septimò.*

Sed adhuc clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod licèt hæc secunda sententia habeat verum in foro externo, in quo sicut vir non potest negare habitationem, & conuictum vxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta, sed cogetur ad vtrumque, donec diuortij sententia feratur; at in foro conscientiæ non sic. Nam sicut in hoc foro vir conscius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, potest negare conuictum, & cohabitationem illi, ita & alimenta; quia omni iure maritali potest tuta conscientia omnibus illis illam priuare. Sic Sotus *in 4. dist. 36. q. vnica, art. 3. ad fin. corp.* Barthol. à Ledesma *de matrim. dub. 67.* Rodriguez *tom. 1. sum. 2. edit. cap. 240. num. 4.* Quos citat, & sequitur Sanchez *vbi suprà, num. 25.* Fagundez *lib. 4. Decal. cap. 9. num. 22. & 23.* Qui *num. sequenti* benè respondet ad fundamentum primæ sententiæ, negando consequentiam; quia Christus Dominus permisit dimissionem vxorum ob adulterium earum; & non permisit occisionem, imò prohibuit omnes occisiones propria authoritate factas, *in 5. præcepto Decal. Non occides.* Et consequenter etiam permisit illis negationem alimentorum, quia hæc non debentur vxoribus, nisi dum in obsequio virorum sunt, (vt suprà diximus q. 9.) Et quamvis alimentorum negatio sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ necatio; attamen id quidem est lato modo, non persè, & per se loquendo. Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An etiam possit vir negare alimenta vxori, si eam in solis osculis, & amplexibus deprehendat?

AFfirmant aliqui Iuristæ, eo ducti, quia sicut per prædicta priuatur vxor dote, ita & alimentis. Ita Lata *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, num. 77. ff. de liber. agnoscend.* & Surdus *de aliment. tit. 7. q. 16. num. 35.*

Sed longè probabiliùs respondeo, minimè posse virum negare vxori alimenta in dicto casu; quia longè probabilius est, quod in eo casu non priuetur vxor dote, vt cum multis vt quid verum docet Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 12.* ergo nec alimentis priuari potest. Sic Sanchez *lib. 10. cit. disp. 8. n. 27.* Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 25.*

QVÆSTIO XVII.

An maritus teneatur alimenta, & litis expensas vxori adulteræ præstare, durante lite intentata ab ipso ad diuortium?

NEgant in primis aliqui, quos refert Ceuallos *in suis qq. commun. quæst. 734. numero 17.* docentes, non teneri maritum præstare vxori adulteræ dicta alimenta, & litis expensas, quando adulterium est publicum, quia tunc nulla alimenta debet vir vxori, vt multi, quos retulimus *suprà q. 15.* docent: ergo.

Alij

Alij contrà dicunt, teneri maritum alimenta, & litis expensas vxori præstare, quamdiu litigat cum vxore, vt se ab accusatione adulterij tueatur. Quia aliàs maneret indefensa; sed hoc solùm in casu, quo mulier nulla habeat bona, ex quibus viuat, & litis expensas faciat. Probant id *ex l. qua legatorum, ff. vt in possessionem legatorum*, ibi: *Ne suum quicquam habeat.* Sic tenet Fragosus *part. 3. Regim. Christ. Reipub. lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 8. vers. dicendum tamen est*, vbi pro se citat Laram *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, n. 55. ff. de liber. agnosc.* Felin. *in cap. ex parte.* Boer. *decis. 325. n. 2.* Couarru. *practicar. cap. 6. num. 5.* Menochium *de præsumption. lib. 1. quæst. 35.* Gutierrez *qq. Canon. cap. 24. lib. 1. num. 7.* vbi dicit, ita fuisse sæpe iudicatum, & se iudicasse. Valasc. *consult. 1. num. 4.* & Quessada *quæst. iuris cap. 25. num. 6.*

Alij tandem absolutè, & sine vlla distinctione affirmant, teneri in eo casu maritum, tam alimenta, quàm expensas litis ministrare vxori adulteræ, ne illi negetur iusta defensio, quæ omnibus iure naturali debetur. Sic Ioan. Lupus *de donat. inter vir. & vxor. cap. per vestras, §. 39. num. 5.* Rebuff. *tom. 1. ad ll. Gallic. de sentent. prouisionalib. art. 3. glos. 1. n. 17.* Surd. *de aliment. tit. 1. quæst. 128. num. 5.* Ceuallos *num. 17. cit.* & alij plures apud ipsum.

Sed iuxta à nobis dicta *q. 15.* respondeo dicendum, quod in foro externo cogendus sit vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori vsque ad condemnationem; in foro autem conscientiæ, quod minimè teneatur vir adulterij conscius ea dare. Sic Sanchez *disp. 8. citata, num. 28.* & Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 26.* qui pro se citat Barbosam, Trentacinq. Card. Thuscum, Farinacium, & Vallascum.

QVÆSTIO XVIII.

An item teneatur vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori, quando hæc litem diuortij aduersus ipsum virum, ob adulterium ab eo contra eam commissum, indiceret?

Respondeo vt certum, tunc etiam teneri, ne vxor aliàs expensis destituta à causa cadat. Ita Sanchez *num. 28. cit. fine*, dicens, de hoc non esse dubium, qui & citat Barbosam, Gutierrez, & Peguera. Quibus addo Fagundez *cap. 9. cit. n. 27.* sic dicentem: Similiter, quando vxor aduersus virum litem diuortij ob adulterium ab eo contra eum commissum, indiceret, non est dubium ei virum debere alimenta dare, & expensas ad litem, ne expensis destituta à causa cadat, & ne ei negetur iusta defensio. Et ita sæpe vidi iudicari in Senatu Bracharensi, in causis matrimonialibus. Hæc ille.

QVÆSTIO XIX.

An rursus teneatur vir alere vxorem, quam iniustè domo expulit, si illa posteà necessitate oppressa in adulterium labatur?

Affirmant teneri aliqui Doctores. Nam inprimis id sentit Cifuentes *l. 81. Tauri, limitatione 4.* vbi asserit, quod quando vir iniustè vxorem expulit, si illa posteà fornicata est, ei debeat alimenta; quia viri culpâ in adulterium lapsa fuit. Sic ille. Quod idem sentire debent (vt ait Sanchez) omnes, qui docent, in tali casu virum minimè lucrari dotem, vt sunt Lupus, Tiraquel. Couarru. Fetronius, Ludou. Lopez, quos refert Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

Sed vt multò longè probabilius respondeo, non teneri virum in eo casu, in conscientia vxori adulteræ alimenta præstare. Ratio est, quia expulsio illa iniusta minimè excusat adulterium vxoris, neque ipsi imputatur marito, nisi tanquam causa remota: ergo in conscientia maritus non debet ei alimenta. Sic Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. n. 26.* Fagundez *lib. 4. Decalogi, c. 9. n. 29.* Et debent tenere omnes, qui docent hanc causam remotam adulterij à viro datam, malè vxorem vexando, iniustéve expellendo, non impedire accusationem adulterij ad dotis amissionem, & vt eam lucretur vir. Sunt autem Lara, Barbosa, Surdus, & Azeuedo, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

QVÆSTIO XX.

An saltem teneretur vir alere vxorem, si eo fine illam expelleret, vt adulterium committeret?

Respondeo vt certum, tunc teneri illam alere; quia certum est, quod tunc non posset vir de illo adulterio accusare ad diuortium, nec ad dotis amissionem: ergo nec ad priuationem alimentorum. Sic Sanchez *disp. 5. cit. n. 10. & disp. 8. n. 26.* Fagundez *n. 29. cit.* ibi: Quod intelligo, nisi eo fine expelleret, vt vxor adulterium committeret; tunc enim sicut adultera non posset priuari dote, ita nec alimentis, quia in adulterium, saltem tacitè consentit; & maritum etiam dantem causam lenocinij, & illud procurantem, in illumq; consentientem, ab accusatione, tam adulteri, quàm adulteræ, & amissionis dotis, apposita, & probata exceptione repelli posse, est melior resolutio, quam docet Perez *l. 1. prope finem, tit. 14. lib. 8. ordinam. pag. 276.* Hortens. Caualcan. *de brachio regio, 1. p. n. 282. vers. sextò, lit. N.* Itaque neque etiam in foro externo vxor excusatur à pœna adulterij, vel amissionis dotis, propter famis necessitatem, aut propter paupertatem; secus si eò hæc tenderent, vt vxor adulterium committeret. Sic ille.

QVÆSTIO XXI.

An quando vir non tenetur vxorem alere, ob dotem non solutam, possit eam similiter non traducere, aut traductam domo expellere?

Affirmant aliqui, dicentes, posse tunc virum vxorem non traducere, traductamque domo expellere; eique alimenta, & cohabitationem denegare. Probant primò *ex c. per vestras de donat. inter vir. & vxor. & ex l fin. C. ad Senatusconsult. Velleian.* Secundò, quia vir non tenetur vxori alimenta præstare, dum minimè ei soluitur dos promissa, vt habitum est suprà *q. 3.* Ergo neque habitationem, cùm hæc nomine alimentorum veniat, vt habitum est *sup. tract. 1. disp. 8. quæst. 10.* Tertiò, quia vir sine dote non adstringitur onera matrimonij subire, vt habitum est suprà, *quæst. 6. & seqq.* atqui inter onera illud maximum videtur, ferre videlicet leuitatem, loquacitatem, importunitatem, aliasque

illos societas, qualis inter patrem, & filium, non qualis inter mancipium, & dominum. Sic Sanchez *disp.* 4. *cit. num.* 22. qui existimat, nimium castigationis excessum exigi, quo fuga hæc vxoris culpâ vacet, ac proinde extra viri domum, ea non obstante, ipsi debeantur alimenta. Quamvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda vxore excedat, non continuò licet vxori ab eius consortio aufugere. Sic doctus Pater. Legantur Ludou. Viues *in lib. de offic. mariti, cap. de eligenda vxore*, Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n.* 110. *ff. de liber. agnoscend.* Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 5. Fagundez *num.* 19. *citato.*

QVÆSTIO XIV.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri, sed propria authoritate recessit; casu quo sit parata redire, & maritus redeuntem non vult eam admittere?

RESpondeo dicendum, quod in hoc casu iam teneatur vir vxorem alere, quia ex tunc iam censetur vxor culpâ viri absens à domo. Sic Glossa *in cap. significasti, de diuortio, verb. materiam*; vbi inquit, mulierem, quæ recessit propria authoritate, & posteà vult redire, esse restituendam; & si ex eo puncto non vult maritus recipere, illam videtur spoliare, & ab ea die potest repetere expensas, non antea factas. Sic post dictam Glossam, & Innocent. Speculat. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbatem, D. Anton. Siluestrum, Tabienam, & alios, tenet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 12. *num.* 16. Fragosus *p.* 3. *regim. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1. *num.* 8. *vers. quin etiam.*

QVÆSTIO XV.

An vir teneatur vxori adulteræ alimenta præstare?

AFfirmant nonnulli teneri maritum præstare vxori adulteræ alimenta, etiam facta tori separatione. Fundamentum eorum est, quia maritus, in opinione communi, peccat mortaliter occidendo vxorem adulteram in adulterio apprehensam: ergo etiam peccabit mortaliter ei alimenta denegando, cùm alimenta dentur ad alendam vitam, & illorum negatio, sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ enecatio. Ita tenent Iulius Clarus *lib.* 5. *receptar.* §. *Adulterium, vers. facta autem.* Anton. Gabriel *tom.* 1. *communium opinion. lib.* 1. *fol.* 11. *versu adulteram vxorem.*

Alij distinguendo, dicunt, vxorem expulsam à viro ob adulterium non notorium, alendam esse à viro: secus ob adulterium notorium. Quia in priori casu non priuatur vxor iure, quod habet in virum, nec alimentis, nisi sequuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Secus verò in secundo casu; nam ob adulterium notorium potest vir vxorem domo expellere, &c. Sic Alex. de Neuo *cap. plerumque, de donation. inter vir. & vxor. num.* 9. & 10. Rosella *verb. diuortium, num.* 11. Angel. *verb. dos, num.* 20. Vbi Siluest. *q.* 14 *dub.* 9. Armilla *num.* 18. Tabiena *q.* 11. *num.* 12. Petrus Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 118. *num.* 5. & *tit.* 7. *q.* 16. & 17. Ioan. Lupus, Roland. Lara, & alij, quos pro hac parte refert Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 8. *n.* 24. Ita etiam sentit Fragos. *p.* 3. *Regim. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1. *num.* 9. *vers. limitatur septimò.*

Sed adhuc clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod licèt hæc secunda sententia habeat verum in foro externo, in quo sicut vir non potest negare habitationem, & conuictum vxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta, sed cogetur ad vtrumque, donec diuortij sententia feratur; at in foro conscientiæ non sic. Nam sicut in hoc foro vir conscius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, potest negare conuictum, & cohabitationem illi, ita & alimenta; quia omni iure maritali potest tuta conscientia omnibus illis illam priuare. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 36. *q. vnica, art.* 3. *ad fin. corp.* Barthol. à Ledesma *de matrim. dub.* 67. Rodriguez *tom.* 1. *sum.* 2. *edit. cap.* 240. *num.* 4. Quos citat, & sequitur Sanchez *vbi suprà, num.* 25. Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 9. *num.* 22. & 23. Qui *num. sequenti* benè respondet ad fundamentum primæ sententiæ, negando consequentiam; quia Christus Dominus permisit dimissionem vxorum ob adulterium earum; & non permisit occisionem, imò prohibuit omnes occisiones propria authoritate factas, *in* 5. *præcepto Decal. Non occides.* Et consequenter etiam permisit illis negationem alimentorum, quia hæc non debentur vxoribus, nisi dum in obsequio virorum sunt, (vt suprà diximus q. 9.) Et quamvis alimentorum negatio sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ necatio; attamen id quidem est lato modo, non presè, & per se loquendo. Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An etiam possit vir negare alimenta vxori, si eam in solis osculis, & amplexibus deprehendat?

AFfirmant aliqui Iuristæ, eo ducti, quia sicut per prædicta priuatur vxor dote, ita & alimentis. Ita Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, num.* 77. *ff. de liber. agnoscend.* & Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 35.

Sed longè probabiliùs respondeo, minimè posse virum negare vxori alimenta in dicto casu; quia longè probabilius est, quod in eo casu non priuetur vxor dote, vt cum multis vt quid verum docet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 4. *num.* 12. ergo nec alimentis priuari potest. Sic Sanchez *lib.* 10. *cit. disp.* 8. *n.* 27. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 25.

QVÆSTIO XVII.

An maritus teneatur alimenta, & litis expensas vxori adulteræ præstare, durante lite intentata ab ipso ad diuortium?

NEgant in primis aliqui, quos refert Ceuallos *in suis qq. commun. quæst.* 734. *numero* 17. docentes, non teneri maritum præstare vxori adulteræ dicta alimenta, & litis expensas, quando adulterium est publicum, quia tunc nulla alimenta debet vir vxori, vt multi, quos retulimus *suprà q.* 15. docent: ergo.

Alij

Alij contrà dicunt, teneri maritum alimenta, & litis expensas vxori præstare, quamdiu litigat cum vxore, vt se ab accusatione adulterij tueatur. Quia aliàs maneret indefensa; sed hoc solùm in casu, quo mulier nulla habeat bona, ex quibus viuat, & litis expensas faciat. Probant id *ex l. quæ legatorum, ff. vt in possessionem legatorum*, ibi: *Ne suum quicquam habeat*. Sic tenet Fragosus *part. 3. Regim. Christ. Reipub. lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 8. vers. dicendum tamen est*, vbi pro se citat Laram *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, n. 55. ff. de liber. agnosc.* Felin. *in cap. ex parte*. Boer. *decis. 325. n. 2.* Couarru. *practicar. cap. 6. num. 5.* Menochium *de præsumption. lib. 1. quæst. 35.* Gutierrez *qq. Canon. cap. 24. lib. 1. num. 7.* vbi dicit, ita fuisse sæpe iudicatum, & se iudicasse. Valasc. *consult. 1. num. 4.* & Quessada *quæst. iuris cap. 25. num. 6.*

Alij tandem absolutè, & sine vlla distinctione affirmant, teneri in eo casu maritum, tam alimenta, quàm expensas litis ministrare vxori adulteræ, ne illi negetur iusta defensio, quæ omnibus iure naturali debetur. Sic Ioan. Lupus *de donat. inter vir. & vxor. cap. per vestras, §. 39. num. 5.* Rebuff. *tom. 1. ad ll. Gallic. de sentent. prouisionalib. art. 3. glos. 1. n. 17.* Surd. *de aliment. tit. 1. quæst. 128. num. 5.* Ceuallos *num. 17. cit.* & alij plures apud ipsum.

Sed iuxta à nobis dicta *q. 15.* respondeo dicendum, quod in foro externo cogendus sit vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori vsque ad condemnationem; in foro autem conscientiæ, quod minimè teneatur vir adulterij conscius ea dare. Sic Sanchez *disp. 8. citata, num. 28.* & Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 26.* qui pro se citat Barbosam, Trentacinq. Card. Thuscum, Farinacium, & Vallascum.

QVÆSTIO XVIII.

An item teneatur vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori, quando hæc litem diuortij aduersus ipsum virum, ob adulterium ab eo contra eam commissum, indiceret?

RESpondeo vt certum, tunc etiam teneri, ne vxor aliàs expensis destituta à causa cadat. Ita Sanchez *num. 28. cit. fine*, dicens, de hoc non esse dubium, qui & citat Barbosam, Gutierrez, & Peguera. Quibus addo Fagundez *cap. 9. cit. n. 27.* sic dicentem: Similiter, quando vxor aduersus virum litem diuortij ob adulterium ab eo contra eum commissum, indiceret, non est dubium ei virum debere alimenta dare, & expensas ad litem, ne expensis destituta à causa cadat, & ne ei negetur iusta defensio. Et ita sæpe vidi iudicari in Senatu Bracharensi, in causis matrimonialibus. Hæc ille.

QVÆSTIO XIX.

An rursus teneatur vir alere vxorem, quam iniustè domo expulit, si illa posteà necessitate oppressa in adulterium labatur?

AFfirmant teneri aliqui Doctores. Nam inprimis id sentit Cifuentes *l. 81. Tauri, limitatione 4.* vbi asserit, quod quando vir iniustè vxorem expulit, si illa posteà fornicata est, ei debeat alimenta; quia viri culpâ in adulterium lapsa fuit. Sic ille. Quod idem sentire debent (vt ait Sanchez) omnes, qui docent, in tali casu virum minimè lucrari dotem, vt sunt Lupus, Tiraquel. Couarru. Ferronius, Ludou. Lopez, quos refert Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

Sed vt multò longè probab.lius respondeo, non teneri virum in eo casu, in conscientia vxori adulteræ alimenta præstare. Ratio est, quia expulsio illa iniusta minimè excusat adulterium vxoris, neque ipsi imputatur marito, nisi tanquam causa remota: ergo in conscientia maritus non debet ei alimenta. Sic Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. n. 26.* Fagundez *lib. 4. Decalogi, c. 9. n. 29.* Et debent tenere omnes, qui docent hanc causam remotam adulterij à viro datam, malè vxorem vexando, iniustéve expellendo, non impedire accusationem adulterij ad dotis amissionem, & vt eam lucretur vir. Sunt autem Lara, Barbosa, Surdus, & Azeuedo, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

QVÆSTIO XX.

An saltem teneretur vir alere vxorem, si eo fine illam expelleret, vt adulterium committeret?

REspondeo vt certum, tunc teneri illam alere; quia certum est, quod tunc non posset vir de illo adulterio accusare ad diuortium, nec ad dotis amissionem: ergo nec ad priuationem alimentorum. Sic Sanchez *disp. 5. cit. n. 10. & disp. 8. n. 26.* Fagundez *n. 29. cit.* ibi: Quod intelligo, nisi eo fine expelleret, vt vxor adulterium committeret; tunc enim sicut adultera non posset priuari dote, ita nec alimentis, quia in adulterium, saltem tacitè consentit; & maritum etiam dantem causam lenocinij, & illud procurantem, in illumq; consentientem, ab accusatione, tam adulteri, quàm adulteræ, & amissionis dotis, apposita, & probata exceptione repelli posse, est melior resolutio, quam docet Perez *l. 1. prope finem, tit. 14. lib. 8. ordinam. pag. 276.* Hortens. Caualcan. *de brachio regio, 1. p. n. 282. vers. sextò, lit. N.* Itaque neque etiam in foro externo vxor excusatur à pœna adulterij, vel amissionis dotis, propter famis necessitatem, aut propter paupertatem; secus si eò hæc tenderent, vt vxor adulterium committeret. Sic ille.

QVÆSTIO XXI.

An quando vir non tenetur vxorem alere, ob dotem non solutam, possit eam similiter non traducere, aut traductam domo expellere?

AFfirmant aliqui, dicentes, posse tunc virum vxorem non traducere, traductamque domo expellere; eique alimenta, & cohabitationem denegare. Probant primò *ex c. per vestras de donat. inter vir. & vxor. & ex l fin. C. ad Senatusconsult. Velleian.* Secundò, quia vir non tenetur vxori alimenta præstare, dum minimè ei soluitur dos promissa, vt habitum est suprà *q. 3.* Ergo neque habitationem, cùm hæc nomine alimentorum veniat, vt habitum est *sup. tract. 1. disp. 8. quæst. 10.* Tertiò, quia vir sine dote non adstringitur onera matrimonij subire, vt habitum est suprà, *quæst. 6. & seqq.* atqui inter onera illud maximum videtur, ferre videlicet leuitatem, loquacitatem, importunitatem, aliasque

aliasque mulierum molestias, quæ omnia, cohabitatione negata, vitat: ergo. Ita tenent Abbas *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 4. vbi Anchar. *num.* 13. Præpositus *num.* 2. Alex. de Næuo *n.* 3. & 4. Ioan. Lupus *ibi, notab.* 3. *num.* 2. Bald. Paul. Roman. Mandos. Socin. Ruin. Iason citati à Sanchez, necnon etiam apud ipsum Angel. *verb. dos, num.* 9. Tabiena *q.* 8. *n.* 9. Armilla *n.* 10. Anton. Gomez *l.* 53. *Tauri, num.* 31. Gomez Arias *l.* 27. *Tauri, n.* 129. & alij, quos sequitur Fragos. 3. *p. lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 7.

Eandem sententiam tenet Nouellus Baldus *de dote p. 6. priuilegio* 43. *num.* 3. cum limitatione tamen, nempe, quod attento iure Canonico, expulsio prædicta vxoris fiat, non propria authoritate, sed præcedente iudicio Ecclesiæ. Et pro ista sententia sic limitata citat Fagundez, vbi infra, Angelum, & Tabienam locis à nobis pro eadem sine limitatione citatis. Sed malè, vt vidi illos.

Deinde hanc ipsam sententiam tenet Sà *verbo dos, n.* 3. limitans aliter quoad expulsionem, dicendo, quod licèt maritus possit vxorem expellere; non tamen casu, quo ipsa vacet culpâ non solutionis dotis. Accipe verba Emmanuelis: Acceptam sine dote, tenetur vir alere. Quod si dos promissa non soluitur, non tenetur in domum accipere, aut alere. Non potest tamen ea de causa à domo pelli, si ipsa sine culpa est: nec ei potest debitum coniugale negari. Sic Sà. Pro cuius sententia citat Mag. Sacri Palatij, Couarruuiam 2. *p. Epitomes, cap.* 8. §. 6 *num.* 2. sed omninò malè, quia ibi nec verbum de hac re loquitur, sed *cap.* 7. *initio, num.* 2. vbi nostram sententiam infrà adducendam docet.

Alij distinguendo docent, quod si vxor non sit traducta, tunc possit vir eam non traducere, quoad vsque dos promissa sibi soluatur. Si verò iam traducta sit, tunc non possit illam à domo expellere propria authoritate.

Primam partem huius responsionis probant argumentis primæ sententiæ. Secundam verò *ex cap. porrò, de diuortiis*, decidente vxorem adulteram propria authoritate dimitti non posse. Pro hac sententia citat Fagundez Petrum Barbosam, *l.* 1. *part.* 3. *ff. soluto matrim.* Molinam 2. *tom. de iust. disp.* 425. *vers. si marito dos.* Couarruuias *in* 4. *decret. cap.* 7. *in princip. num.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri, num.* 31. Siluestrum *verb. dos, quæst.* 10. *num.* 11. & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 3. *fine, & cap.* 17. *num.* 2.

Sed nullus ex his Doctoribus, excepto primo, & vltimo, sunt pro hac parte: constat ex verbis eiusdem Molinæ, quæ sunt hæc. Si marito dos non persoluatur cum vxore, non tenetur eam alere, neque illam adducere in domum, ad eam sustentandam, & sustinenda onera matrimonij; quin potiùs si illam iam adduxerat, potest eam expellere, ac mittere in domum parentum illius, ad effectum eam non sustentandi, nec sustinenda onera matrimonij. Ratio est, quoniam dos quasi in pretium datur pro sustentanda vxore, & sustinendis cum illa oneribus matrimonij, eaque de causa, deficientibus, qui in pretium, aut quasi pretium pro oneribus matrimonij sustinendis dotem promiserant, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Ita Panormitan. *cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 5. Siluest. *verbo dos, quæst.* 9. Couarru. *in epitome* 4. *lib. decret. cap.* 7. *in princip. n.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri, num.* 31. & communis Doctorum sententia, quam citant. Hæc Molina. Ex quo constat, malè citari ipsum, & alios citatos à Fagundez pro hac sententia, *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 8

Vnde cum ipso Molina probabiliùs respondeo & teneri virum traducere vxorem, dote non solutâ, quam cum dote duxit; & iam traductam teneri in conscientia eam domi retinere, & non posse eam expellere, & ad illius retentionem posse in foro externo obligari; non tamen teneri ad eam alendam.

Hæc sententia (vt ait Surdus mox citandus) est iuri Canonico conformior, saluti animarum vtilior, magis amorem inter coniuges fouens, & naturæ matrimonij, qui est contractus perpetuus, & indissolubilis, magis accommodata, & ideò magis à nobis probanda.

Ratio pro illa sit; quia promissam dotem solui, aut non solui, nihil ad ius cohabitandi attinet: patet, quia ius cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex intrinseca natura contractus ipsiusmet matrimonij, & ex lege naturali, & diuina, sicut & obligatio reddendi debitum coniugale: ergo sicut non solutio dotis non eximet virum ab obligatione reddendi debitum, ita non eximet ab obligatione cohabitandi. Sic Sanchez latè id probans *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 17. & apud illum Carol. *in addit. ad Alex. consil.* 55. *num.* 10. *lib.* 4. Vezil. *in addit. ad Afflict. decis.* 284. *n.* 4. Couarru. *num.* 2. *cit.* Baeza *de non meliorand. filiab. causâ dotis, cap.* 32. *num.* 21. Octauian. *decis. Pedem.* 132. *num.* 18. Anton. Cucus *lib.* 5 *institut. maiorat. tit.* 11. *num.* 127. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *rubr. glossa* 1. *num.* 21. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 17. *num.* 21. Molina *loco à nobis cit.* & Ludou. Lopez 2. *p. instr. de matrim. cap.* 54. *ad finem.* His addo Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 9. *num.* 18. & *cap.* 13. *num.* 2. vbi in vtroque loco citat Afflictum pro hac parte; sed id non docet Afflictus, sed eius additionator Vezil. vt Sanchez *loco citato.*

QVÆSTIO XXII.

An saltem iudicis authoritate posset vxor ob hanc causam, nempe ob dotem non solutam, à viri domo expelli?

Affirmabunt omnes DD. pro prima opinione nuper adducti.

Sed iuxta nostram sententiam respondeo dicendum, quod non possit, quia non solutio dotis non est sufficiens expulsionis causa. Sic Couarru. *cap.* 7. *cit. num.* 2. his verbis: Vnde id verum esse opinor, maritum non posse dimittere vxorem, etiam iudicis authoritate, ex eo quod dos soluta non sit. Sic ille, quem citatum sequuntur Sanchez, & Fagundez *vbi suprà.*

§. II.

De obligatione, quam habet maritus dotandi vxorem, vbi & de donationibus inter illos.

QVÆSTIO XXIII.

An donationes inter virum, & vxorem, constante matrimonio, sint à iure prohibitæ?

Respondeo vt quid certum, esse prohibitas; quia sic habetur expresse *in cap. fin. de donat. inter virum, & vxorem, & l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit. & l. 4. tit. 11. part. 4.* Ratio autem prohibitionis est, ne coniuges se ipsos mutuo amore spoliarent: quia si absque distinctione concederentur, nullus modus, aut finis donationibus poneretur, *l. 1. ff. de donat. cit.* Sic tenent omnes DD. Legantur Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 1. concl. 1. n. 2.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 389.* Lessius *lib. 2. de iust. dubit. 12.* Azor *3. p. lib. 11. cap. 10. q. 1.* Rebell. *part. 2. lib. 6. q. 13. num. 8.* Fragosus *part. 3. regim. Christ. Reip. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 1.*

QVÆSTIO XXIV.

An ex donatione facta inter virum, & vxorem, oriatur aliqua obligatio naturalis, & in foro conscientiæ?

Respondeo vt certum, nullam obligationem, nec ciuilem, nec naturalem, seu in foro conscientiæ, ex tali donatione oriri: quia quando lex alicui conuentioni resistit, nec obligatio oritur naturalis, *l. cùm lex, ff. de fideiuss.* Sic habetur expresse *in l. 3. §. sciendum autem, ff. de donat. inter virum, & vxor.* ibi: *Ipso iure, quæ inter virum, & vxorem, donationis causa geruntur, nullius momenti sunt.* Sic Bart. Greg. Lopez, & Anton. Gomez, quos citat, & sequitur Sanchez *num. 2. cit.* Fragosus *n. 1. versic. quod adeò verum est, & num. 3. vers. similiter.*

QVÆSTIO XXV.

An dictæ donationes inter virum, & vxorem sint prohibitæ iure gentium?

Affirmant aliqui, quos suppressis nominibus refert Fragosus infrà citandus.

Sed vt certum respondeo, quod non. Tum, quia hæc prohibitio non est in vsu apud omnes gentes, apud quas ius gentium custoditur, docente id naturali ratione, *l. omnes populi, de iust. & iure.* Tum etiam, quia in multis casibus hæ donationes permittuntur, vt infrà: ergo nec iure gentium, nec naturali ratione interdictæ sunt. Sic Fragosus *3. p. regim. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 2. & 3.*

QVÆSTIO XXVI.

An huiusmodi donatio inter coniuges ita sit inualida, vt omninò nulla sit, etiamsi iuramento confirmetur?

Affirmant aliqui *ex l. 1. 2. & 3.* vbi dicitur, moribus esse receptum, ne valeant hæ donationes, ne coniuges amore se inuicem spoliarent, profusa erga se liberalitate vtentes: ergo cùm huiusmodi donationes sint contra bonos mores, non modò ciuiles, sed naturales, non possunt firmari iuramento. Ita Ruin. *in consil. 132. n. 15. & consil. 154. num. 3. lib. 4.* & Purp. *consil. 134. à num. 3.* Bald. Bart. Salic. Fulgos. Cardin. Præpositus, Alciatus, & alij apud Sanchez.

Sed multò longè probabilius respondeo huiusmodi donationes posse firmari, & validari iuramento. Tum quia iura citata non omninò illas refellunt, ac reiiciunt, eo quod omninò nullæ sint; sed quia possunt ad libitum à coniuge donante reuocari vsque ad mortem; & mors donantis expectari debet, vt confirmentur, vt ex iure docet Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 1. n. 3. & disp. 14. num. 1.* Tum quia iuramentum, quamvis videatur contra bonos mores ciuiles, non est tamen contra bonos mores naturales, in quo casu confirmat contractum, vt diximus *part. 7. disp. 9. de iuram. q. 42.* ergo, &c. Sic Sanchez *lib. 6. cit disp. 11. num. 2.* & penes illum Gomez Arias *l. 48. Tauri, num. 13.* Rosella *donatio 1. num. 40.* Angel. *donatio 3. num. 4.* Siluest. *donatio 2. q. 4.* Tabiena *donatio 3. q. 3. n. 4.* Armilla *verb. donatio, num. 27.* Couarru. *1. var. cap. 7. num. 4. & rubr. de testam. 2 p. n. 10.* Anton. Gomez *l. 52. Tauri, num. 66. casu 6.* Tello *l. 17. Tauri, num. 92.* Gutierrez *de iuram. 1. p. cap 3. n. 7.* Greg. Lopez *l. 4. verb. son defendidas, tit. 11. part. 4.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 289. ad fin.* Ludou. Lopez *lib. 2. de contractib. cap. 47. §. Nunc verò agendum.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 92. num. 2.* & alij plures. Quibus addo Azorium *part. 3. lib. 11. cap. 10. q. 1.* Lessium *lib. 2. de iust. cap. 18. dubit. 12. num. 88.* Fragosum *3. p. regim. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 6.*

QVÆSTIO XXVII.

An vir possit donare, aut dotare vxorem constante matrimonio?

Affirmandum videtur ex eo, quod vxor non solùm ante matrimonium, sed etiam eo constante potest dotem constituere viro: ergo & vir similiter poterit. Antecedens probatur, quoniam mulier dotata à principio, potest constante matrimonio augere dotem, *Instit. de donat. §. est & aliud, vers. & primis quidem*: ergo à fortiori poterit constituere dotem, quando dotata non est.

Sed vt certum respondeo, non posse virum constante matrimonio dotare vxorem, *l. si quis vxori, ff. de donat. inter vir & vxor.* Et ratio est, quia dotem constituere, est donare, *l. fin. §. si à socero, ff. quæ in fraud. creditor.* Atqui est prohibitum viro constante matrimonio vxori donare, & è contrà, vt suprà est habitum: ergo. Sic Siluest. *verb. dos, q. 6.* Angel. *num. 6.* & Armilla *num. 8.* quos citat, & sequitur Bassæus *tom. 2 verbo dos, n. 1.* & antea Panormit. *in cap. & si necesse, de donat. inter vir. & vxorem.*

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem ante contractum matrimonium possit vir vxorem dotare?

AFfirmat absolutè Armilla *num.* 8. *cit.* ita scribens: Vir ante contractum matrimonium potest vxorem dotare, *l.* 1. *C.de donat. ante nuptias.* post verò non. Ita ille, citans Panormit. *vbi supra.*

Sed clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod si vir ante contractum matrimonium absolutè dotet vxorem, non referendo se ad tempus contracti matrimonij; sed ita, vt statim acquirat illius dominium, tunc hoc modo possit validè dotare illam. Secus verò si ante contractum matrimonium hanc dotem illi constitueret, hac lege, vt inito matrimonio, & non aliàs illam acquireret. Quia donatio inter sponsos relata in tempus matrimonij, nulla est. Sic Angel. *verb. dos, n.* 6. *cit.* vbi inquirens, vtrum vir possit constituere dotem vxori; sic huic quæstioni satisfacit. Respondet Panormit. *in cap. & si necesse, de donat. inter virum, & vxor.* quod non, post contractum matrimonium; secus si ante matrimonium; quia potest, vt *l.* 1. *C. de donat. ante nupt.* nisi sit constituta, vt tunc dominium adipiscatur, cùm matrimonium fuerit subsecutum; quia non valet, vt *in d. l. quod sponsæ, C. de donat. ante nupt.* Quia nec ante matrimonium dominium transiuit, quia noluit; nec post matrimonium, quia non potuit, vt ibi Glossa. Hæc Angelus, & sic omninò ex illo non citato, Siluest. *verbo dos, q.* 6. Bassæus *tom.* 2. *verbo dos, num.* 1.

QVÆSTIO XXIX.

An saltem in aliquibus casibus possit vir constante matrimonio constituere dotem vxori?

REspondeo tanquam quid certum, posse; quia in multis valet donatio inter virum, & vxorem, constante matrimonio, vt latè de hac re agit Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 3. ergo & potest valere donatio, aut constitutio dotis vxori à viro constante matrimonio facta. Sic omnes DD. in casibus sequentibus citandis. Sit ergo.

QVÆSTIO XXX.

An casu, quo vir senex, aut ignobilis, aut ditissimus, ducat vxorem iuuenculam, aut nobilem pauperrimam, possit illam dotare, & illi aliquid donare?

NEgant aliqui DD. Primò, quia omnis donatio inter coniuges indistinctè est interdicta, vt vidimus *tot. tit. ff. & Cod. de donat. inter virum, & vxorem.* Ergo etiam inter senem, & iuuenculam; nobilem, & ignobilem; ditissimam, & pauperrimam. Secundò, quia licèt inter coniuges valeat reciproca, & mutua donatio, quæ datur, quando hinc inde tantum accipitur, quantum donatur; non tamen valet donatio remuneratoria, vt latè probat Fachinæus, & Pinellus mox citandi: ergo in nostro casu nequibit validè vir dotare vxorem, aut ei aliquid donare. Ita tenent Crauetta *in consil.* 51. & Arias Pinellus *ad l.* 1. *C. de bonis matern. p.* 3. *num.* 63. quibus lubens Fachinæus se socium adiungit, eo argumento adductus, quod multi, iure nostro, casus speciales exprimantur, quibus donatio inter virum, & vxorem consistit; & tamen hic de quo agitur, eorum numero non recensetur: ergo verisimile est, cum nec iure enumerandum esse, nec sanè immeritò; sic enim fieret remunerationis huiusmodi prætextu, vt sæpe eluderentur leges tales donationes prohibentes, ne mutuo se coniuges amore spolient, ne matrimonia fiant venalia, ne liberorum curam deserant, vt *in l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Hæc Fachinæus *lib.* 3. *controuers. iuris, c.* 80. *col.* 524. Et licèt attento rigore iuris satis probabilis sit hæc sententia.

Sed adhuc attento illo, probabilius respondeo, posse virum in assignato casu vxorem dotare, aut, vt propriùs loquamur, illi aliquid donare. Ratio est, quia huiusmodi donatio à viro vxori facta, est remuneratoria beneficij collati in ipsum virum per vxorem, quæ cùm nobilis, vel iuuencula esset, non est dedignata ignobili, aut seni nubere: at sic est, quod donatio remuneratoria inter coniuges est licita, & valida: ergo talis donatio in casu nostræ quæstionis valida, & consistens erit. Consequentia est legitima. Maiorem cum aliis docet Molina *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 289. *num.* 17. *col. mihi* 176. his verbis: Si vir senex, aut ignobilis, donet vxori iuueni, aut nobili, in remunerationem nobilitatis, aut iuuentutis; vel contrà, vxor senex, aut ignobilis donet viro iuueni, aut nobili, similiter in recompensationem nobilitatis, aut iuuentutis, valet statim donatio. Ita cum Bart. Panormitan. *cap. vltim. de donat. inter vir. & vxorem, n.* 7. Couarru. *in epitome part.* 2. *cap.* 3. §. 3. *n.* 2. Anton. Gomez *l.* 50. *Tauri, num.* 66. *&* 2. *tom. var. resolut. cap.* 4. *num.* 23. & communis Doctorum sententia, quam citant. Tametsi Iulius Clarus *q.* 9. *cit. num.* 5. Limitandam illam censeat, vt solùm vim habeat, quando fit in ipso actu dotis constituendæ, non verò post dotem constitutam, contractumque matrimonium: Cęterùm contrarium affirmant Doctores communiter. Hucusque doctus pater, cui adiungo amicum, Vvanding. Dianam, & Bassæum statim citandos.

Minor verò nostri discursus, nempe quod donatio remuneratoria inter coniuges sit licita, & valida, constat ex text. expresso *in l. quod autem spectetur*, §. *si vir, & vxor,* 2. *ff. de donat. inter virum, & vxorem, & ex l. si pater puellæ, C. de inofficioso testam.* Et illam docent Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 1. 6. *&* 7. Azor *part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 4. Dicastillus *lib.* 2. *de iust. tract.* 5. *disp.* 1. *dubit.* 5. *num.* 87. Vvadingus *de contract. disp.* 3. *dub.* 11. § 2. *num.* 2. Hurtad. *disp.* 11. *diff.* 8. & alij quamplures, quos refert, & sequitur Diana *parte* 8. *tract.* 6. *resol.* 28.

Vnde nostram sententiam apud ipsum ibi *resol.* 29. tenent Iulius Clarus *lib.* 4. *sent. § donatio, q.* 9. *n.* 5. Thuscus *tom.* 2. *lit. D. concl.* 691. *num.* 22. Couarru. *part.* 2. *cit.* §. 3. *num.* 2. Gomez *loco à nobis nuper cit.* Vvadingus *loco etiam citato.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 12. *n.* 89. Amicus *tom.* 5. *disp.* 18. *sect.* 8. *num.* 127. Hurtad. *disp.* 11. *cit. diff.* 8. Baunius *tom.* 3. *lib.* 2. *tract.* 4. *q.* 6. Dicastillo *loco cit.* & alij; quibus adde Bassæum *tom.* 2. *verb. dos, num.* 2. Fragosum *part.* 3. *lib.* 2. *disp.* 4. §. 1. *n.* 9. *vers. secundò*, Rebellum, & Ceuallos apud ipsum.

QVÆSTIO

*& Collossens.*3. & D. Petrus *in sua* 1. *epist. cap.*3. Sic omnes. Legantur Nauar. *cap.*14. *num.*10. Toletus *lib.*5. *sum. cap.*2. Ludou. Lopez 1.*p. instruct. cap.*1. Philiarcus *de offic. Sacerd. part.*2. *lib.*4. *cap.*19. Rodrig. 1.*p. sum. cap.*15. Sayrus *in Claui Regia lib.*7. *cap.*7. *à num.*10. Bonac. *tom.*2. *disp.*6. *q. vnica, punct.*7. *à num.*11. Trullench. *lib.*4. *in Decal. cap.*5. *dub.*4. *à num.*16. Filliuc. *tract.*28. *cap.*9. *q.*6. & alij infrà citandi.

QVÆSTIO IX.

An non solùm ex obedientia, verùm etiam ex iustitia teneatur vxor obedire marito?

RESpondeo quod sic, quia in matrimonio tacitè hic contractus celebratur inter virum, & vxorem: *Ales me, & ego* (ait vxor) *tibi dotem dabo, & insuper tibi in licitis obediam*: ergo ex vi contractus huius & tenetur vir vxorem alere, & illi cohabitare, iuxta superiùs dicta; & vxor tenetur dotem promissam marito dare, & illi tanquam capiti obedire, & obsequium præstare, iuxta infrà dicenda. Sic Fagundez *lib.*4. *in Decal. cap.*12. *num.*1. *&* 2.

QVÆSTIO X.

An teneatur vxor sub culpa mortali obedire marito in iis, quæ ad gubernationem domus, atque familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, teneri, quia cùm maritus sit caput, ad eum pertinet gubernare domum, & familiam: ergo si vxor in his suo marito obedire renuat, mortaliter peccabit, generaliter loquendo. Sic Nauarr. *cap.*14. *n.*9. *fine*, ita scribens: Vigesimo primò peccat mortaliter vxor, quæ marito est notabiliter inobediens in his, quæ ad regimen domus, & familiæ, bonosque mores pertinent, *cap. est ordo, & cap. hac imago* 33. *q.*5. Ricard. *vbi suprà, dist.*37. Hæc ille, & alij communiter.

QVÆSTIO XI.

An vxor semper peccet mortaliter non obediens marito in his, quæ ad gubernationem domus, & familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, quod non semper peccet mortaliter, quia si desit contemptus, & contumacia, non peccabit mortaliter in hoc, quod velit in aliquibus gubernare, & suum iudicium mariti iudicio præferre; quia obligatio, & subiectio vxoris erga præcepta mariti, non est tanta, vt in licitis, & honestis, absque mariti contemptu non possit illa suum iudicium interponere: nam vxores non sunt mancipia, aut ancillæ, sed sociæ; & ideò in aliquibus debent mariti illarum iudicium sequi. Sic Fagundez *num.* 1. *cit.* & anteà Nauarrus *vbi suprà, num.*10. *in fine*, assignans rationem, inquiens; quoniam cùm præceptum mariti non sit maius, quàm Ecclesiæ, *argum. eorum quæ suprà eod. cap. num.*12. diximus, & illud non obliget semper sub mortali, si desit contemptus, iuxta S. Thom. 2.2. *q.* 186. *art.* 9. & latè per nos *in rubr. de pœnitent.* & communem opinionem; non etiam eius præceptum semper obligat, si contemptus absit, licèt aliquando sic. Hæc meus Nauar. Sic etiam Saytus *loco cit.* & Bonac. *num.*12. dum ait, peccare vxorem, dum inuito marito, ius gubernandi domus sibi arrogat: nam alienam sibi potestatem vsurpat, &c. Trullench. *num.* 16. *cit.* & alij relati *sup. q.*8.

QVÆSTIO XII.

An peccet mortaliter vxor non obediens marito præcipienti illi, vt superflua, & vana, moresque incompositos exuat?

AFfirmandum absolutè videtur, quia tale præceptum verè est iustum: ergò mortale erit ei contrauenire.

Sed iuxta nuper dicta respondeo non peccare mortaliter, si desit contemptus, & contumacia; quia quamuis præceptum illi impositum sit iustum, non tamen tenetur illi vxor obedire sub tanta culpa, ob materiæ leuitatem; & ideò deficiente contemptu, & contumacia, non peccabit vxor mortaliter frangendo illud. Sic Nauar. *loco cit. vers. vigesimo-octauò.* Sayrus *in claui Regia lib.*7. *cap.*7. *n.*10. *vers. quintò*, Trullench *lib.*4. *cap.*5. *dub.*4. *n.*16. ibi: Sic peccat mortaliter vxor, si ex contemptu marito non obediat, dum præcipit, vt superflua, vana, moresque incompositos exuat: sine contemptu autem mariti præceptum non obligat ad mortale. Sic ille.

QVÆSTIO XIII.

An in aliquibus casibus possit vxor sine vllo peccato se ingerere in administratione familiæ, & domus?

RESpondeo posse in duobus præcipuè casibus. Primus est, quando maritus est prodigus, & dilapidat bona familiæ, vel in compotationes, vel in mulieres, &c. tunc enim licitè potest mulier, etiam contra præceptum viri, surripere occultè pecunias, ne disperdantur. Sic Siluester *verbo furtum, num.*10. vbi quærit, vtrum vxor, quæ habens virum prodigum, contra eius prohibitionem celat de bonis eius, vt sibi, & viro prouideat tempore opportuno, furtum committat? Respondet cum Rod. quod non, nec tenetur obedire viro præcipienti omnia sibi tradi; quia sic etiam daretur gladius furioso Sic Siluest. & Trullench *lib.*4. *in Decal. cap.*5. *dub.*4. *n.*18. *& lib.*7. *cap.*5. *dub.*8. *n.*17.

Secundus est, quando vir morosus est, & non vult concedere ea, quæ sunt domui, & familiæ necessaria, tunc etiam potest vxor accipere contra mandatum viri ea, quæ sunt necessaria ad bonam domus gubernationem. Sic Trullench *loco cit.* Legantur pro hac materia dicta à nobis *tract. de eleemosyna, part.*6. *disp.*3. *q.*23. *&* 27. vbi diximus, non peccare vxorem elargiendo contra prohibitionem mariti eleemosynas consuetas, &c.

QVÆSTIO XIV.

An peccet mortaliter vxor, si maritum rixis, litigiis, aut verbis iracundis, ad iram grauem, iuramenta, aut blasphemias prouocet?

RESpondeo vt certum, peccare mortaliter, si id faciat, sciens quod maritus ex data sibi occasione in iram, aut iuramenta grauia prorumpere soleat; quia tunc vxor non præstat marito debitam reuerentiam, & amorem. Sic clauis Reg. *lib.7. cap.7. num.10. vers. sextò peccat vxor.* Filliuc. *tract.28. cap.9. num.145.* Bonac. *disp 6. in 4. precep. Decal. q. vnica, punct.7. n.12. vers. tertiò.* Trullench *lib.4. Decal. cap.5. dub.4. num.16.* Fagundez *lib.4. cap.12. n.2.* Nauar. *cap.14. n.20.* qui id de vtroque coniuge docet iis verbis: Vigesimooctauò peccat, qui, vel quæ coniux per iram, vel rixam ad blasphemiam prouocat coniugem, & sciens, aut scire debens, illum, vel illam, ad blasphemiam, vel ad aliam mortalem culpam prouocatum iri, non se reprimit. Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An vxor teneatur aliqua obsequia præstare suo marito?

RESpondeo vt certum, teneri, quia ea præstare ratione societatis coniugalis debet marito; & ideò tenetur lauare mariti pedes, & caput, cibos condire, domum verrere, fricare, & alia seruilia id generis obsequia ministrare. Sic docent communiter omnes DD. præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XVI.

An etiam vxor nobilis teneatur omnia obsequia licita, etiamsi vilia sint, suo marito præstare?

AFfirmant aliqui Iuristæ, quia non debet esse conditio creditoris deterior ob debitoris nobilitatem, nisi aliter sit iure cautum: at ex iuris dispositione tenetur vxor obsequia præstare viro, cùm ipsi sit subdita, *l. sed si vir ex lana, ff. de donat. inter vir. & vxorem, cap. hac imago, & cap. est ordo 33. q.5.* vbi dicitur, mulierem esse viro subditam, & penè eius famulam: ergo licèt vxor sit nobilis, imò & nobilissima, ad hæc tenetur, cùm in iure non excipiatur. Ita tenent Pinellus, *de bonis matern. lib.1. p.3. num.91. vers. sed prædicti viri.* Barbatius *in addit. ad Baldum, l. si vxorem, C. de condit. insertis.* Ioan. Andr. *cap. literas, n.9. de restit. spoliator.* Angel. *verb. vxor, num.2.* quorum opinionem dicit fortè veriorem Tiraquel. *de nobilitate cap.20. n.95. & sequent.* quos omnes Authores refert pro hac parte Sanchez *lib.6. de matrim. disp.6. num.13.*

Sed probabiliùs respondeo non teneri vxorem nobilem ad obsequia vilia suo marito, quantumuis nobili, præstanda; sed ea sola, quæ iuxta suam dignitatem, & conditionem non dedecent. Vnde non tenebitur lauare mariti pedes, cibos condire, & alia obsequia *quæst.15.* assignata. Ratio desumitur *ex l. interdum, la 1. ff. de operis libert.* ibi: *Sed si liberta, quæ operas promisit, ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens sit præstare patrono operas, ipso iure hæc interdicent*: ergo similiter idem dicendum est in nostro casu.

Vnde ad argumentum primæ sententiæ dicendum est, verum esse, vxorem esse subditam viro suo, & teneri ei obsequia præstare, modò tamen non sint talia, quæ illius dignitatem dedeceant. Nec iura dicunt vxorem esse seruam simpliciter, sed quasi seruam. Vnde non inde colligitur, quod vxor debeat obsequia viro, quæ suæ dignitati officiant, nec ad ea per matrimonium se obligauit, sed solùm ad obsequia decentia. Ideò tenent hanc sententiam Bald. *l. si vxorem, n.6. C. de condit. insertis.* Abbas *cap. literas, n 17. de restit. spoliat.* Felin. *in cap. illud, n.11. de præsumption.* Decius *consil.202.* Corsetus *tract. de potestate Regia, q.30.* Ioan. Lupus *rubr. de donation. §.21. n.2.* Rosella *verbo vxor, num.6.* & ibi Siluest *q.2.* Roder. Suarez *l.9. tit. de los pleytos, lib.1. num. 13.* Garcia *de donation. remuneratoriis, num.28.* quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.6. de matrim. disp.6. num.14.* (non *disp.9. n 24.* vt citat Fagundez.) Quibus addo Fagundez *lib.4. in Decal. cap.12. n.4.*

QVÆSTIO XVII.

An saltem in aliquo casu teneatur vxor, quantumuis nobilis sit, exercere præfata opera vilia in obsequium viri?

RESpondeo dicendum, teneri in casu, quo coniuges ita pauperes sint, vt famulam conducere non possint, dicta obsequia præstituram. Tunc enim vxor, quamuis nobilis, ratione necessitatis ad ea teneretur. Sic Sanchez, & Fagundez *locis citatis*, limitantes, quod dixere Cynus, & Salicetus *ad l. si vxorem*, & Guillelm. Benedictus *capite Raynutius, de testam. verb. dotem, num.47.* nempe, vxorem nobilem non teneri operari viro: intelligendi namque sunt, non teneri, nisi in casu necessitatis.

QVÆSTIO XVIII.

An vxor teneatur sub mortali, viro cohabitare?

RESpondeo vt certum, teneri. Tum ob rationem debiti coniugalis, & redditionem illius. Tum etiam, vt obsequia personalia, quæ illius personam non dedecent, viro præstare possit, cùm ad id teneri, ex nuper dictis constet. Sic omnes Doctores. Legatur inter illos sapientiss. Thom. Sanchez *lib.9. de matrim. disp.4. & lib.1. disp.40. & 41.*

QVÆSTIO XIX.

An item teneatur sub mortali vxor sequi virum, domicilium aliò mutantem?

RESpondeo tanquam certum, etiam teneri. Tum quia sic habetur *in cap. vnaquæque 13. q.2.* ibi: *Vnaquæque mulier sequatur virum suum, siue in vita,*

QVÆSTIO XXXI.

An possit vir dotare virginem, quam violauit, & posteà eam duxit?

RESpondeo vt certum, posse; quia tunc ad id tenetur, *ex cap. 1. de adulter.* Vnde talis dotis constitutio valida erit, licèt propriè non possit dici donatio, cùm sit debita, sic Bassæus *tom. 2. verbo dos, num. 2.* ex Sanchez omninò non citato, *lib. 6. de matrim. disp. 7. num. 6.* & Ioanne Lupo *rubr. de donation. §. 30. num. 3.*

QVÆSTIO XXXII.

An quando Papa dispensat cum duobus consanguineis, ea conditione, vt vir vxorem pauperem dotet, valeat tunc dotis constitutio?

RESpondeo vt certum, valere; quia non dat gratis talem dotem, sed illam vxori constituit ex causa onerosa, nempe vt Pontifex dispenset. Sic Bassæus *loco cit.* qui idem docet casu, quo vir constitueret dotem vxori, vt animi discordes conciliarentur consanguineorum vtriusque coniugis, ex Sanchez non citato *vbi suprà, num. 7. & 9.*

QVÆSTIO XXXIII.

An valeat dotis constitutio vxori à marito facta, vbi viget consuetudo, quod vir dotet vxorem?

RESpondeo vt certum, valere; quia consuetudo est altera lex, quæ contrariam vincit. Sic Ioan. Lupus *rubr. de donat.* Vincentius *cap. & si necesse, de donat. inter vir. & vxorem*, vbi Ioan. Andreas *num. 2.* Anton. *num. 2.* Cardin. *num. 1.* quos citat, & sequitur Sanchez *disp. 7. cit. n. 8.* & Bassæus *n. 2. cit.*

DISPVTATIO II.

De obligatione vxoris erga maritum.

§. I.

De obligatione, quam habet vxor alendi maritum.

QVÆSTIO PRIMA.

An vxor diues teneatur viro suo inopi alimenta præstare?

RESPONDEO vt certum, teneri, & sub mortali; quia maritus, & vxor sunt participes infortuniorum, *l. si cùm dotem, §. si maritus, ff. soluto matrim.* ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse.* Et benè, quia correlatiuorum eadem est ratio, & decisio: sed sic est, quod maritus diues tenetur vxorem alere indotatam, & quæ aliunde non habet, vt diximus suprà *tract. 2. disp. 1. q. 2. & 3.* ergo pari ratione tenebitur mulier dare alimenta viro suo inopi. Sic Pontanus *de aliment cap. 14 num. 1.* Azeuedo *lib. 5. recopilat. tit. 3. l. 9. num. 33.* vbi Matienzo *glossa 4. num. 2.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 35. num. 6. & 7. & q. 36. num. 6. & 7.* Speculat. Bartol. Ioan. Lupus, Lara, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 27.* Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 7. num. 12. vers. quintò,* Trullench. *lib. 4. decal. cap. 5. dub. 4. num. 20.* Fragosus *3. p. regim. Christ. Reipub. disp. 6. §. 1. num. 17.*

QVÆSTIO II.

An etiam casu, quo maritus inciderit sua culpa in paupertatem, teneatur vxor illum alere?

NEgant aliqui, eo adducti argumento; quia filius eximitur ab onere alendi patrem propter delictum: ergo etiam eximetur vxor ab obligatione alendi maritum, quando culpâ sua incidit in paupertatem. Ita tenent Baldus *consil. 478. n. 2. volum. 5.* Tiraquel. *in l. si vnquam, vers. bona, n. 5. C. de reuocandis donat.* Crauetta *in corollar. consilij progenero, num. 39. & 42.*

Sed probabiliùs respondeo etiam, teneri in hoc casu maritum vxorem alere, quia probabilius est, quod filius teneatur alere patrem, qui sua culpâ incidit in paupertatem, vt colligitur ex dictis suprà *tract. 1. disp. 5. q. 3. & seqq.* ergo & vxor maritum. Sic colligitur *ex l. mutus, §. manente, ff. de iure dotali; & ex Authent. de incest. nuptiis, §. si verò contigerit.* Et docent Bartol. *in l. amissione, §. qui deficiunt, ff. de capit. minut.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 3. à num. 4.* Fragosus *part. 3. regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 19.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO III.

An vxor teneatur mittere alimenta suo marito pauperi sua culpâ bannito, vel exulanti, aut damnato ad triremes?

NEgat Glossa *l. si stipulata, in fine, verbo, contra sexus naturam, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Sed probabiliùs multò respondeo teneri. Probatur ex dictis *tract. 1. disp. 5. q. 6.* vbi vt longè probabilius docuimus, teneri filium alere patrem bannitum, aut proscriptum: ergo & tenebitur vxor suum virum pauperem sua culpâ bannitum, exulem, &c. Sic *l. mutus, suprà cit.* Et docent Sanchez *lib. 1. de matrim disp. 41. num. 13.* & *lib. 9. disp. 4. num. 23.* & penes ipsum, Gigas, Cephalus, Dueñas, Bossius, Iul. Clarus, & Anton. Gabriel. Sic etiam Fragosus *loco citato, num. 19.* & latiùs *num. 21.* ibi: Ex dictis (inquiens) vt verum apparet, fructus dotis, & donationis propter nuptias seruire sustentationi mariti, & vxoris; atque ita maritus, non obstante quod sit hostis ciuitatis, si id contingat, debet ali de bonis dotalibus ab vxore. Sic ille.

QVÆSTIO III.

An item teneatur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, casu quo illa, aut pater eius diues sit?

AFfirmat adhuc Molina *disp. 425. cit. num. 4. vers. si marito dos*, his verbis: Quod si quis duceret aliquam vxorem, nulla illi promissa dote, tunc si parentes vxoris dotare eam possent, cogendi essent id facere, &c. Et siue eam dotarent, siue non, teneretur maritus in eo euentu sustentare illam, ipsaque præstare ei teneretur operas suas. Ita Molina, & Lara, *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, ff. de liber. agnoscend.* & Petr. Surdus *de aliment. tit. 7. q. 19. num. 1. & seqq.* & *tit. 1. q. 32. à num. 12.* Licèt hic fateatur, posse virum petere ab vxore illa, vt sibi dotem competentem constituat, & si id renuat, ei posse negare alimenta. Ita etiam Couarru. Ludou. Lopez, Matienzo, & alij apud Fragosum infrà.

Sed probabiliùs respondeo primò. Nullo modo tenetur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, si illa diues sit, & dotem constituere renuat: quia dum mulier diues absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè elicere actum de dote constituenda, & omnia bona sua in dotem promittere, vt docent Bartol. Anton. Gomez & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 59. n. 4. & disp. 60. num. 2.* Ergo dum dos tacitè promissa non soluitur ab vxore, iustam causam vir habet denegandi alimenta. Sic Baldus, Iason, Ioan. Lupus, & Gom. Arias, quos sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 9.* Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 4.* Fragosus *3. p. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 7.*

Respondeo secundò, casu quo non ipsa mulier, sed pater eius diues esset, dotemque constituere nollet, tunc verè teneretur maritus ipsam alere; quia dotem in pactum non deduxit, quamvis liberum ei esset à patre dotem petere. Sic Molina *loco cit.* Sanchez *num. 9. cit. fine.* Couarru. *in epitome cap. 7. in initio.* Fagundez *vbi suprà, num. 5.* & Fragosus *num. 7. cit. vers. & quamvis glossa.*

QVÆSTIO IV.

An maritus possit agere, vt mulier diues sibi dotem constituat, quando illam, nulla facta mentione dotis, duxit?

REspondeo dicendum, posse facere, & petere ab illa vt dotem constituat, quia abs re erit, quod maritus de suo patrimonio præstet alimenta vxori, quæ potest sibi dotem constituere, & renuit. Sic Bald. *in l. fin. num. 9. C. de sentent. quam sine certa quantitate*, & *cap. iurauit, num. 3. & 5. de probat.* Ioan. *in l. si donaturus, §. si quis indebitam, n. 5. ff. de condict. causa data.* Fragosus *loco cit. num. 7.* & Surdus citatus *q. 3.*

QVÆSTIO V.

An vir possit negare debitum coniugale vxori ob dotem non solutam?

REspondeo vt quid certum, quod non, quia obligatio reddendi debitum coniugale, non ex dotis traditione, sed ex ipso matrimonij contractu consurgit. Sic omnes. Angel. *verb. dos. num. 9.* & ibi Siluest. *q. 10.* Armilla *num. 10.* Molina *disp. 425. cit. vers. si marito dos.* Sà *verb. dos, num. 3.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 1.*

QVÆSTIO VI.

An item possit vir negare alimenta vxori, quando hæc promissam dotem non soluit?

REspondeo tanquam certum, item posse; quia dos datur quasi in pretium, vt ex eius fructibus maritus onera matrimonij sustineat, vxoremque alat, *l. pro oneribus, C. de iure dotium, l. dotis fructus, ff. eodem.* Ergo dote minimè soluta ab vxore, cùm possit, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Sic ex Glossa *in Authent. de non eligendo secundò nubente, §. fin. verb. onera*, docet Sanchez *disp. 5. cit. n. 2.* Cynus *in l. quod in vxorem, col. 1. C. de negot. gest.* vbi ait; *Deceptis, & non decipientibus subuenire iura.* Salyc. *ibi*, dicens vxorem, quæ non soluit dotem, quam promisit, extra domum esse culpa sua, & ideò non esse alendam. Hostiens. Ioan. Andr. Couarr. & alij, quos sequitur Fragosus *disp. 6. cit. §. 1. num. 8. vers. limitatur secundò.*

QVÆSTIO VII.

An rursus possit vir denegare alimenta vxori, etiam casu, quo vxor, licèt non totam dotem, partem tamen eius soluerit?

AFfirmant adhuc nonnulli Doctores, quia si tota dos non soluitur viro, contractus fides illi non seruatur: ergo nec ipse seruare fidem tenetur alimentando vxorem. Ita Bald. *in l. in insulam, §. vsuras, ff. soluto matrim.* & ibi Castro *numero 2.* Ioan. Lupus *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. notab. 3. in principio, num. 2.*

Sed meliùs respondeo, non posse tunc virum denegare suæ vxori omnia alimenta, sed teneri ad aliquam alimentorum partem, nempe pro rata dotis solutæ. Quia sicut tota dote recepta tenetur vir ad integra alimenta, ita recepta parte tenetur ad partem. Nam eadem est ratio partis quoad partem, quæ est totius quoad totum. Sic Surdus *de alimentis tit. 7. q. 17. n. 3.* quem citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 3.* Bonac. *disp. 6. punct. 7. num. 7.* Trullench. *lib. 4. cap. 5. dub. 4. num. 11.* Fragosus *part. 3. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 8. vers. quinimò.* Qui aduertunt, id esse verum, siue dos promissa sit ab ipsa vxore, siue à patre ipsius, vel ab alio extraneo.

QVÆSTIO VIII.

An ad minus quando vxor est in obsequio mariti, teneatur hic illam alere, etiam dote non soluta?

Affirmant quidam teneri maritum illam alere, sicuti tenetur quis alere famulum quemcumque sibi ministrantem. Ita Abbas *consil.* 85. *n.* 2. & 3. *vol.* 2. Anchar. *cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxorem, n.*14. vbi Ioan. Lupus *notab.*3. §. 1. *n.* 1. Roman. *in consil.* 517. *col.* 2. Grammat. *decis.* 130. *num.* 25. & Benincas *in tract. Pauper*, q 8. Quos sequitur Fragosus 3. *p. regim. cit. lib.*3. *disp.*6. §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur quartò.*

Sed probabiliùs respondeo, tunc non teneri necessariò virum ad vxorem alendam. Ratio est, quia vxor tenetur ad duo, nempe & ad dotem præstandam, & ad obsequia viro exhibenda. Cùm ergo vtrumque non præstet, estò retineatur in obsequio illius, non tenebitur ab illo ali, dum promissa dos non soluitur. Sic Surdus *de aliment.* quem citat, & sequitur Pater Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 5. *num.* 6. quibus addo Vbertum de Bob. *in l. quod in vxorem, C. de negot. gest.* Qui tamen addunt, quod casu, quo vir alat vxorem, nondum soluta dote, minimè possit petere alimenta ab ipsa, eo quod affectu coniugali videatur facta donatio.

QVÆSTIO IX.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri ipsius, ab eius consortio recedit?

Respondeo vt certum, non teneri, quia, vt nuper est habitum, vxor debet seruire marito, nec debet abesse ab eius obsequio sine causa: ergo si hoc vxor præstare nolit, non tenebitur maritus eam alere. *Qui enim non facit, quod debet, non recipit quod oportet, l. si ea, C. de condit. insertis, l. Iulianus, §. affinis, ff. de act. empt.* Et quia obligatio viri ad alendam vxorem oritur etiam ex iure naturæ cohabitandi simul, propter debitum reddendum, iuxta illud *Genes.* 2. *Erunt duo in carne vna.* Et celebrato matrimonio, emit vxor à viro hanc sustentationem, constituta dote, & pecunia dotali, sub illa conditione: *Modò cum viro habitet, & ab eo culpâ sua, & propria temeritate non recedat.* Sic Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 32. *num.*17. & *tit.*7. *quæst.* 16. *à num.* 1. Couarru. *in* 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 7. §. 5. *num.* 2. Gutierrez *qq. Canon. lib.* 1. *c.* 24. *num.* 7. Petr. Barbosa 2. *p. rubr. ff. soluto matrim. num.* 42. Baldus, Salic. Guido, Hippolit. Matienzo, & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 4. *n.* 20. & 21. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 16. Fragosus *disp.* 6. *cit.* §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur primò.*

QVÆSTIO X.

An saltem casu, quo vxor propria culpâ à suo viro recesserit, & non simul habitent, teneatur vir eam alere, si dotem iam receperit?

Affirmandum ex dictis videtur, quia vxor ratione dotis veluti pretio emit à suo viro sustentationem: ergo dote suscepta tenetur vir ex iustitia eam alere.

Sed ex dictis etiam respondeo dicendum, adhuc in eo casu non teneri virum ad suam vxorem alendam; quia vxor, vt nuper habitum est, & tenetur viro dotem tradere, & in eius obsequio, & seruitio esse: ergo si in altera harum conditionum vxor deficiat, cessabit ipsam alendi obligatio. Sic Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 14. Sanchez *disp.* 4. *cit. num.* 21. Fagundez *num.* 18. & alij.

QVÆSTIO XI.

An ad minus teneatur vir suam alere vxorem, quando hæc non propria temeritate, sed culpâ viri ab eo recedit?

Respondeo tanquam certum, tunc teneri, quia in eo casu censetur esse in obsequio viri, & præsumitur cum eo viuere, quia cùm per vxorem non stet, quominus in domo seruiat marito, fit vt habeatur perinde, ac si esset in obsequiis illius, *l. iure ciuili, ff. de cond. & demonst.* Vbi conditio habetur pro impleta, quando per eum, cui erat implenda, stat quominus impleatur, *l. exequutione*, §. *fin. de verb. obligat.* Ergo in dicto casu vxor alenda est à viro. Sic Ioan. Lupus, Matienzo, & Barbosa, quos citat, & sequitur Sanchez *num.* 21. *cit.* Gutierrez, & Lara, quos citat, & sequitur Fragosus *num.* 8. *citato, vers. limitatur* 6. Fagundez *num.* 18.

QVÆSTIO XII.

An vxor, quæ à viro suo recedit, ob nimiam ab ipso castigationem, aut ob periculum imminentis mortis, vel veneni, sit alenda necessariò à viro ipso?

Respondeo vt certum, quod sic, quia tunc culpâ viri recessit: ergo ex dictis quæst. antecedenti, tenetur vir eam alere. Sic omnes DD. citati, præcipuè Sanchez *num.* 21. & 22. Fagundez *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

An item teneatur vir alere vxorem, quæ ab illo recessit, ob moderatam castigationem, & punitionem?

Respondeo vt certum, tunc non teneri virum illam alere; quia tunc non culpâ viri, sed propria ipsius culpa, & temeritate recessit; quia permissum est viro vxorem corrigere, & moderatè punire, *l. rei iudicatæ, ff. solut. matrim.* At cautè, & comiter oportet eam tractare; talis enim est inter illos

illos societas, qualis inter patrem, & filium, non qualis inter mancipium, & dominum. Sic Sanchez *disp.* 4. *cit. num.* 22. qui existimat, nimium castigationis excessum exigi, quo fuga hæc vxoris culpâ vacet, ac proinde extra viri domum, ea non obstante, ipsi debeantur alimenta. Quamvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda vxore excedat, non continuò licet vxori ab eius consortio aufugere. Sic doctus Pater. Legantur Ludou. Viues *in lib. de offic. mariti, cap. de eligenda vxore*, Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n.* 110. *ff. de liber. agnoscend.* Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 5. Fagundez *num.* 19. *citato*.

QVÆSTIO XIV.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri, sed propria authoritate recessit; casu quo sit parata redire, & maritus redeuntem non vult eam admittere?

Respondeo dicendum, quod in hoc casu iam teneatur vir vxorem alere, quia ex tunc iam censetur vxor culpâ viri absens à domo. Sic Glossa *in cap. significasti, de diuortio, verb. materiam*; vbi inquit, mulierem, quæ recessit propria authoritate, & posteà vult redire, esse restituendam; & si ex eo puncto non vult maritus recipere, illam videtur spoliare, & ab ea die potest repetere expensas, non antea factas. Sic post dictam Glossam, & Innocent. Speculat. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbatem, D. Anton. Siluestrum, Tabienam, & alios, tenet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 12. *num.* 16. Fragosus *p.* 3. *regim. lib.* 3. *disp.* 6. *§.* 1. *num.* 8. *vers. quin etiam.*

QVÆSTIO XV.

An vir teneatur vxori adulteræ alimenta præstare?

Affirmant nonnulli teneri maritum præstare vxori adulteræ alimenta, etiam facta tori separatione. Fundamentum eorum est, quia maritus, in opinione communi, peccat mortaliter occidendo vxorem adulteram in adulterio apprehensam: ergo etiam peccabit mortaliter ei alimenta denegando, cùm alimenta dentur ad alendam vitam, & illorum negatio, sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ enecatio. Ita tenent Iulius Clarus *lib.* 5. *receptar. §. Adulterium, vers. factæ autem.* Anton. Gabriel *tom.* 1. *communium opinion. lib.* 1. *fol.* 11. *versu adulteram vxorem.*

Alij distinguendo, dicunt, vxorem expulsam à viro ob adulterium non notorium, alendam esse à viro: secus ob adulterium notorium. Quia in priori casu non priuatur vxor iure, quod habet in virum, nec alimentis, nisi sequuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Secus verò in secundo casu; nam ob adulterium notorium potest vir vxorem domo expellere, &c. Sic Alex. de Neuo *cap. plerumque, de donation. inter vir. & vxor. num.* 9. & 10. Rosella *verb. diuortium, num.* 11. Angel. *verb. dos, num.* 20. Vbi Siluest. *q.* 14. *dub.* 9. Armilla *num.* 18. Tabiena *q.* 11. *num.* 12. Petrus Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 118. *num.* 5. & *tit.* 7. *q.* 16. & 17. Ioan. Lupus, Roland. Lara, & alij, quos pro hac parte refert Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 8. *n.* 24. Ita etiam sentit Fragos. *p.* 3. *Regim. lib.* 3. *disp.* 6. *§.* 1. *num.* 9. *vers. limitatur septimò.*

Sed adhuc clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod licèt hæc secunda sententia habeat verum in foro externo, in quo sicut vir non potest negare habitationem, & conuictum vxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta, sed cogetur ad vtrumque, donec diuortij sententia feratur; at in foro conscientiæ non sic. Nam sicut in hoc foro vir conscius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, potest negare conuictum, & cohabitationem illi, ita & alimenta; quia omni iure maritali potest tuta conscientia omnibus illis illam priuare. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 36. *q. vnica, art.* 3. *ad fin. corp.* Barthol. à Ledesma *de matrim. dub.* 67. Rodriguez *tom.* 1. *sum.* 2. *edit. cap.* 240. *num.* 4. Quos citat, & sequitur Sanchez *vbi suprà, num.* 25. Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 9. *num.* 22. & 23. Qui *num. sequenti* benè respondet ad fundamentum primæ sententiæ, negando consequentiam; quia Christus Dominus permisit dimissionem vxorum ob adulterium earum; & non permisit occisionem, imò prohibuit omnes occisiones propria authoritate factas, *in* 5. *præcepto Decal. Non occides.* Et consequenter etiam permisit illis negationem alimentorum, quia hæc non debentur vxoribus, nisi dum in obsequio virorum sunt, (vt suprà diximus q. 9.) Et quamvis alimentorum negatio sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ necatio; attamen id quidem est lato modo, non pressè, & per se loquendo. Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An etiam possit vir negare alimenta vxori, si eam in solis osculis, & amplexibus deprehendat?

Affirmant aliqui Iuristæ, eo ducti, quia sicut per prædicta priuatur vxor dote, ita & alimentis. Ita Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, num.* 77. *ff. de liber. agnoscend.* & Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 35.

Sed longè probabiliùs respondeo, minimè posse virum negare vxori alimenta in dicto casu; quia longè probabilius est, quod in eo casu non priuetur vxor dote, vt cum multis vt quid verum docet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 4. *num.* 12. ergo nec alimentis priuari potest. Sic Sanchez *lib.* 10. *cit. disp.* 8. *n.* 27. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 25.

QVÆSTIO XVII.

An maritus teneatur alimenta, & litis expensas vxori adulteræ præstare, durante lite intentata ab ipso ad diuortium?

Negant in primis aliqui, quos refert Ceuallos *in suis qq. commun. quæst.* 734. *numero* 17. docentes, non teneri maritum præstare vxori adulteræ dicta alimenta, & litis expensas, quando adulterium est publicum, quia tunc nulla alimenta debet vir vxori, vt multi, quos retulimus *suprà q.* 15. docent: ergo.

Alij

Alij contrà dicunt, teneri maritum alimenta, & litis expensas vxori præstare, quamdiu litigat cum vxore, vt se ab accusatione adulterij tueatur. Quia aliàs maneret indefensa; sed hoc solùm in casu, quo mulier nulla habeat bona, ex quibus viuat, & litis expensas faciat. Probant id *ex l. quæ legatorum, ff. vt in possessionem legatorum*, ibi: *Ne suum quicquam habeat.* Sic tenet Fragosus *part. 3. Regim. Christ. Reipub. lib. 3. disp. 6. §. 1. n. 8. vers. dicendum tamen est*, vbi pro se citat Laram *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, n. 55. ff. de liber. agnosc.* Felin. *in cap. ex parte.* Boer. *decis. 325. n. 2.* Couarru. *practicar. cap. 6. num. 5.* Menochium *de præsumption. lib. 1. quæst. 35.* Gutierrez *qq. Canon. cap. 24. lib. 1. num. 7.* vbi dicit, ita fuisse sæpe iudicatum, & se iudicasse. Valasc. *consult. 1. num. 4.* & Quessada *quæst. iuris cap. 25. num. 6.*

Alij tandem absolutè, & sine vlla distinctione affirmant, teneri in eo casu maritum, tam alimenta, quàm expensas litis ministrare vxori adulteræ, ne illi negetur iusta defensio, quæ omnibus iure naturali debetur. Sic Ioan. Lupus *de donat. inter vir. & vxor. cap. per vestras, §. 39. num. 5.* Rebuff. *tom. 1. ad ll. Gallic. de sentent. prouisionalib. art. 3. glos. 1. n. 17.* Surd. *de aliment. tit. 1. quæst. 128. num. 5.* Ceuallos *num. 17. cit.* & alij plures apud ipsum.

Sed iuxta à nobis dicta *q. 15.* respondeo dicendum, quod in foro externo cogendus sit vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori vsque ad condemnationem; in foro autem conscientiæ, quod minimè teneatur vir adulterij conscius ea dare. Sic Sanchez *disp. 8. citata, num. 28.* & Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 26.* qui pro se citat Barbosam, Trentacinq. Card. Thuscum, Farinacium, & Vallascum.

QVÆSTIO XVIII.

An item teneatur vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori, quando hæc litem diuortij aduersus ipsum virum, ob adulterium ab eo contra eam commissum, indiceret?

Respondeo vt certum, tunc etiam teneri, ne vxor aliàs expensis destituta à causa cadat. Ita Sanchez *num. 28. cit. fine*, dicens, de hoc non esse dubium, qui & citat Barbosam, Gutierrez, & Peguera. Quibus addo Fagundez *cap. 9. cit. n. 27.* sic dicentem: Similiter, quando vxor aduersus virum litem diuortij ob adulterium ab eo contra eum commissum, indiceret, non est dubium ei virum debere alimenta dare, & expensas ad litem, ne expensis destituta à causa cadat, & ne ei negetur iusta defensio. Et ita sæpe vidi iudicari in Senatu Bracharensi, in causis matrimonialibus. Hæc ille.

QVÆSTIO XIX.

An rursus teneatur vir alere vxorem, quam iniustè domo expulit, si illa posteà necessitate oppressa in adulterium labatur?

Affirmant teneri aliqui Doctores. Nam inprimis id sentit Cifuentes *l. 81. Tauri, limitatione 4.* vbi asserit, quod quando vir iniustè vxorem expulit, si illa posteà fornicata est, ei debeat alimenta; quia viri culpâ in adulterium lapsa fuit. Sic ille. Quod idem sentire debent (vt ait Sanchez) omnes, qui docent, in tali casu virum minimè lucrari dotem, vt sunt Lupus, Tiraquel. Couarru. Ferronius, Ludou. Lopez, quos refert Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

Sed vt multò longè probabilius respondeo, non teneri virum in eo casu, in conscientia vxori adulteræ alimenta præstare. Ratio est, quia expulsio illa iniusta minimè excusat adulterium vxoris, neque ipsi imputatur marito, nisi tanquam causa remota: ergo in conscientia maritus non debet ei alimenta. Sic Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. n. 26.* Fagundez *lib. 4. Decalogi, c. 9. n. 19.* Et debent tenere omnes, qui docent hanc causam remotam adulterij à viro datam, malè vxorem vexando, iniustéve expellendo, non impedire accusationem adulterij ad dotis amissionem, & vt eam lucretur vir. Sunt autem Lara, Barbosa, Surdus, & Azeuedo, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 10. cit. disp. 5. num. 10.*

QVÆSTIO XX.

An saltem teneretur vir alere vxorem, si eo fine illam expelleret, vt adulterium committeret?

Respondeo vt certum, tunc teneri illam alere, quia certum est, quod tunc non posset vir de illo adulterio accusare ad diuortium, nec ad dotis amissionem; ergo nec ad priuationem alimentorum. Sic Sanchez *disp. 5. cit. n. 10. & disp. 8. n. 26.* Fagundez *n. 29. cit.* ibi: Quod intelligo, nisi eo fine expelleret, vt vxor adulterium committeret; tunc enim sicut adultera non posset priuari dote, ita nec alimentis, quia in adulterium, saltem tacitè consentit; & maritum etiam dantem causam lenocinij, & illud procurantem, in illumq; consentientem, ab accusatione, tam adulteri, quàm adulteræ, & amissionis dotis, apposita, & probata exceptione repelli posse, est melior resolutio, quam docet Perez *l. 1. prope finem, tit. 14. lib. 8. ordinam. pag. 276.* Hortens. Caualcan. *de brachio regio, 1. p. n. 282. vers. sextò, lit. N.* Itaque neque etiam in foro externo vxor excusatur à pœna adulterij, vel amissionis dotis, propter famis necessitatem, aut propter paupertatem; secus si eò hæc tenderent, vt vxor adulterium committeret. Sic ille.

QVÆSTIO XXI.

An quando vir non tenetur vxorem alere, ob dotem non solutam, possit eam similiter non traducere, aut traductam domo expellere?

Affirmant aliqui, dicentes, posse tunc virum vxorem non traducere, traductamque domo expellere; eique alimenta, & cohabitationem denegare. Probant primò *ex c. per vestras de donat. inter vir. & vxor. & ex l. fin. C. ad Senatusconsult. Velleian.* Secundò, quia vir non tenetur vxori alimenta præstare, dum minimè ei soluitur dos promissa, vt habitum est suprà *q. 3.* Ergo neque habitationem, cùm hæc nomine alimentorum veniat, vt habitum est *sup. tract. 1. disp. 8. quæst. 10.* Tertiò, quia vir sine dote non adstringitur onera matrimonij subire, vt habitum est suprà, *quæst. 6. & seqq.* atqui inter onera illud maximum videtur, ferre videlicet leuitatem, loquacitatem, importunitatem,

aliasque mulierum molestias, quæ omnia, cohabitatione negata, vitat: ergo. Ita tenent Abbas *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 4. vbi Anchar. *num.* 13. Præpositus *num.* 2. Alex. de Næuo *n.* 3. & 4. Ioan. Lupus *ibi*, *notab.* 3. *num.* 2. Bald. Paul. Roman. Mandos. Socin. Ruin. Iason citati à Sanchez, necnon etiam apud ipsum Angel. *verb. dos, num.* 9. Tabiena *q.* 8. *n.* 9. Armilla *n.* 10. Anton. Gomez *l.* 53. *Tauri*, *num.* 31. Gomez Arias *l.* 27. *Tauri*, *n.* 129. & alij, quos sequitur Fragos. 3. *p. lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 7.

Eandem sententiam tenet Nouellus Baldus *de dote p.* 6. *priuilegio* 43. *num.* 3. cum limitatione tamen, nempe, quod attento iure Canonico, expulsio prædicta vxoris fiat, non propria authoritate, sed præcedente iudicio Ecclesiæ. Et pro ista sententia sic limitata citat Fagundez, vbi infra, Angelum, & Tabienam locis à nobis pro eadem sine limitatione citatis. Sed malè, vt vidi illos.

Deinde hanc ipsam sententiam tenet Sà *verbo dos*, *n.* 3. limitans aliter quoad expulsionem, dicendo, quod licèt maritus possit vxorem expellere; non tamen casu, quo ipsa vacet culpâ non solutionis dotis. Accipe verba Emmanuelis: Acceptam sine dote, tenetur vir alere. Quod si dos promissa non soluitur, non tenetur in domum accipere, aut alere. Non potest tamen ea de causa à domo pelli, si ipsa sine culpa est: nec ei potest debitum coniugale negari. Sic Sà. Pro cuius sententia citat Mag. Sacri Palatij, Couarruuiam 2. *p. Epitomes*, *cap.* 8. §. 6 *num.* 2. sed omninò malè, quia ibi nec verbum de hac re loquitur, sed *cap.* 7. *initio*, *num.* 2. vbi nostram sententiam infrà adducendam docet.

Alij distinguendo docent, quod si vxor non sit traducta, tunc possit vir eam non traducere, quoad vsque dos promissa sibi soluatur. Si verò iam traducta sit, tunc non possit illam à domo expellere propria authoritate.

Primam partem huius responsionis probant argumentis primæ sententiæ. Secundam verò *ex cap. porrò, de diuortiis*, decidente vxorem adulteram propria authoritate dimitti non posse. Pro hac sententia citat Fagundez Petrum Barbosam, *l.* 1. *part.* 3. *ff. soluto matrim.* Molinam 2. *tom. de iust. disp.* 425. *vers. si marito dos.* Couarruuias *in* 4. *decret. cap.* 7. *in princip. num.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri*, *num.* 31. Siluestrum *verb. dos*, *quæst.* 10. *num.* 11. & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 3. *fine*, & *cap.* 17. *num.* 2.

Sed nullus ex his Doctoribus, excepto primo, & vltimo, sunt pro hac parte: constat ex verbis eiusdem Molinæ, quæ sunt hæc. Si marito dos non persoluatur cum vxore, non tenetur eam alere, neque illam adducere in domum, ad eam sustentandam, & sustinenda onera matrimonij; quin potiùs si illam iam adduxerat, potest eam expellere, ac mittere in domum parentum illius, ad effectum eam non sustentandi, nec sustinenda onera matrimonij. Ratio est, quoniam dos quasi in pretium datur pro sustentanda vxore, & sustinendis cum illa oneribus matrimonij, eaque de causa, deficientibus, qui in pretium, aut quasi pretium pro oneribus matrimonij sustinendis dotem promiserant, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Ita Panormitan. *cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 5. Siluest. *verbo dos, quæst.* 9. Couarru. *in epitome* 4. *lib. decret. cap.* 7. *in princip. n.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri*, *num.* 31. & communis Doctorum sententia, quam citant. Hæc Molina. Ex quo constat, malè citari ipsum, & alios citatos à Fagundez pro hac sententia, *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 8

Vnde cum ipso Molina probabiliùs respondeo & teneri virum traducere vxorem, dote non solutâ, quam cum dote duxit; & iam traductam teneri in conscientia eam domi retinere, & non posse eam expellere, & ad illius retentionem posse in foro externo obligari; non tamen teneri ad eam alendam.

Hæc sententia (vt ait Surdus mox citandus) est iuri Canonico conformior, saluti animarum vtilior, magis amorem inter coniuges fouens, & naturæ matrimonij, qui est contractus perpetuus, & indissolubilis, magis accommodata, & ideò magis à nobis probanda.

Ratio pro illa sit; quia promissam dotem solui, aut non solui, nihil ad ius cohabitandi attinet: patet, quia ius cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex intrinseca natura contractus ipsiusmet matrimonij, & ex lege naturali, & diuina, sicut & obligatio reddendi debitum coniugale: ergo sicut non solutio dotis non eximet virum ab obligatione reddendi debitum, ita non eximet ab obligatione cohabitandi. Sic Sanchez latè id probans *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 17. & apud illum Carol. *in addit. ad Alex. consil.* 55. *num.* 10. *lib.* 4. Vezil. *in addit. ad Afflict. decis.* 284. *n.* 4. Couarru. *num.* 2. *cit.* Baeza *de non meliorand. filiab. causâ dotis*, *cap.* 32. *num.* 21. Octauian. *decis. Pedem.* 132. *num.* 18. Anton. Cucus *lib.* 5 *institut. maiorat. tit.* 11. *num.* 127. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *rubr. glossa* 1. *num.* 21. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 17. *num.* 21. Molina *loco à nobis cit.* & Ludou. Lopez 2. *p. instr. de matrim. cap.* 54. *ad finem.* His addo Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 9. *num.* 18. & *cap.* 13. *num.* 2. vbi in vtroque loco citat Afflictum pro hac parte; sed id non docet Afflictus, sed eius additionator Vezil. vt Sanchez *loco citato.*

QVÆSTIO XXII.

An saltem iudicis authoritate posset vxor ob hanc causam, nempe ob dotem non solutam, à viri domo expelli?

AFfirmabunt omnes DD. pro prima opinione nuper adducti.

Sed iuxta nostram sententiam respondeo dicendum, quod non possit, quia non solutio dotis non est sufficiens expulsionis causa. Sic Couarru. *cap.* 7. *cit. num.* 2. his verbis: Vnde id verum esse opinor, maritum non posse dimittere vxorem, etiam iudicis authoritate, ex eo quod dos soluta non sit. Sic ille, quem citatum sequuntur Sanchez, & Fagundez *vbi suprà.*

§. II.

§. II.

De obligatione, quam habet maritus dotandi vxorem, vbi & de donationibus inter illos.

QVÆSTIO XXIII.

An donationes inter virum, & vxorem, constante matrimonio, sint à iure prohibitæ?

RESpondeo vt quid certum, esse prohibitas; quia sic habetur expresse *in cap. fin. de donat. inter virum, & vxorem, & l.* 1. 2. *&* 3. *ff. eod. tit. & l.* 4. *tit.* 11. *part.* 4. Ratio autem prohibitionis est, ne coniuges se ipsos mutuo amore spoliarent: quia si absque distinctione concederentur, nullus modus, aut finis donationibus poneretur, *l.* 1. *ff. de donat. cit.* Sic tenent omnes DD. Legantur Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 1. *concl.* 1. *n.* 2. Molina *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 389. Lessius *lib.* 2. *de iust. dubit.* 12. Azor 3. *p. lib.* 11. *cap.* 10. *q.* 1. Rebell. *part.* 2. *lib.* 6. *q.* 13. *num.* 8. Fragosus *part.* 3. *regim. Christ. Reip. lib.* 3. *disp.* 4. §. 1. *num.* 1.

QVÆSTIO XXIV.

An ex donatione facta inter virum, & vxorem, oriatur aliqua obligatio naturalis, & in foro conscientiæ?

RESpondeo vt certum, nullam obligationem, nec ciuilem, nec naturalem, seu in foro conscientiæ, ex tali donatione oriri: quia quando lex alicui conuentioni resistit, nec obligatio oritur naturalis, *l. cùm lex, ff. de fideiuss.* Sic habetur expresse *in l.* 3. §. *sciendum autem, ff. de donat. inter virum, & vxor.* ibi: *Ipso iure, quæ inter virum, & vxorem, donationis causa geruntur, nullius momenti sunt.* Sic Bart. Greg. Lopez, & Anton. Gomez, quos citat, & sequitur Sanchez *num.* 2. *cit.* Fragosus *n.* 1. *versic. quod adeò verum est, & num.* 3. *vers. similiter.*

QVÆSTIO XXV.

An dictæ donationes inter virum, & vxorem sint prohibitæ iure gentium?

AFfirmant aliqui, quos suppressis nominibus refert Fragosus infrà citandus.

Sed vt certum respondeo, quod non. Tum, quia hæc prohibitio non est in vsu apud omnes gentes, apud quas ius gentium custoditur, docente id naturali ratione, *l. omnes populi, de iust. & iure.* Tum etiam, quia in multis casibus hæ donationes permittuntur, vt infrà: ergo nec iure gentium, nec naturali ratione interdictæ sunt. Sic fragosus 3. *p. regim. lib.* 3. *disp.* 4. §. 1. *num.* 2. *&* 3.

QVÆSTIO XXVI.

An huiusmodi donatio inter coniuges ita sit inualida, vt omninò nulla sit, etiamsi iuramento confirmetur?

AFfirmant aliqui *ex l.* 1. 2. *&* 3. vbi dicitur, moribus esse receptum, ne valeant hæ donationes, ne coniuges amore se inuicem spoliarent, profusa erga se liberalitate vtentes: ergo cùm huiusmodi donationes sint contra bonos mores, non modò ciuiles, sed naturales, non possunt firmari iuramento. Ita Ruin. *in consil.* 132. *n.* 15. *& consil.* 154. *num.* 3. *lib.* 4. & Purp. *consil.* 134. *à num.* 3. Bald. Bart. Salic. Fulgos. Cardin. Præpositus, Alciatus, & alij apud Sanchez.

Sed multò longè probabilius respondeo huiusmodi donationes posse firmari, & validari iuramento. Tum quia iura citata non omninò illas refellunt, ac reiiciunt, eo quod omninò nullæ sint; sed quia possunt ad libitum à coniuge donante reuocari vsque ad mortem; & mors donantis expectari debet, vt confirmentur, vt ex iure docet Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 1. *n.* 3. *& disp.* 14. *num.* 1. Tum quia iuramentum, quamvis videatur contra bonos mores ciuiles, non est tamen contra bonos mores naturales, in quo casu confirmat contractum, vt diximus *part.* 7. *disp.* 9. *de iuram. q.* 42. ergo, &c. Sic Sanchez *lib.* 6. *cit. disp.* 11. *num.* 2. & penes illum Gomez Arias *l.* 48. *Tauri, num.* 13. Rosella *donatio* 1. *num.* 40. Angel. *donatio* 3. *num.* 4. Siluest. *donatio* 2. *q.* 4. Tabiena *donatio* 3. *q.* 3. *n.* 4. Armilla *verb. donatio, num.* 27. Couarru. 1. *variar. cap.* 7. *num.* 4. *& rubr. de testam.* 2 *p. n.* 10. Anton. Gomez *l.* 52. *Tauri, num.* 66. *casu* 6. Tello *l.* 17. *Tauri, num.* 92. Gutierrez *de iuram.* 1. *p. cap* 3. *n.* 7. Greg. Lopez *l.* 4. *verb. son defendidas, tit.* 11. *part.* 4. Molina *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 289. *ad fin.* Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. lib. cap.* 47. §. *Nunc verò agendum.* Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 92. *num.* 2. & alij plures. Quibus addo Azorium *part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 10. *q.* 1. Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 18. *dubit.* 12. *num.* 88. Fragosum 3. *p. regim. lib.* 3. *disp.* 4. §. 1. *num.* 6.

QVÆSTIO XXVII.

An vir possit donare, aut dotare vxorem constante matrimonio?

AFfirmandum videtur ex eo, quod vxor non solùm ante matrimonium, sed etiam eo constante potest dotem constituere viro: ergo & vir similiter poterit. Antecedens probatur, quoniam mulier dotata à principio, potest constante matrimonio augere dotem, *Instit. de donat.* §. *est & aliud, vers. & primis quidem*: ergo à fortiori poterit constituere dotem, quando dotata non est.

Sed vt certum respondeo, non posse virum constante matrimonio dotare vxorem, *l. si quis vxori, ff. de donat. inter vir & vxor.* Et ratio est, quia dotem constituere, est donare, *l. fin.* §. *si à socero, ff. quæ in fraud. creditor.* Atqui est prohibitum viro constante matrimonio vxori donare, & è contrà, vt suprà est habitum: ergo. Sic Siluest. *verb. dos, q.* 6. Angel. *num.* 6. & Armilla *num.* 8. quos citat, & sequitur Bassæus *tom.* 2. *verbo dos, n.* 1. & antea Panormit. *in cap. & si necesse de donat. inter vir. & vxorem.*

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem ante contractum matrimonium possit vir vxorem dotare?

AFfirmat absolutè Armilla *num.* 8. *cit.* ita scribens: Vir ante contractum matrimonium potest vxorem dotare, *l.* 1. *C. de donat. ante nuptias,* post verò non. Ita ille, citans Panormit. *vbi supra.*

Sed clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod si vir ante contractum matrimonium absolutè dotet vxorem, non referendo se ad tempus contracti matrimonij; sed ita, vt statim acquirat illius dominium, tunc hoc modo possit validè dotare illam. Secus verò si ante contractum matrimonium hanc dotem illi constitueret, hac lege, vt inito matrimonio, & non aliàs illam acquireret. Quia donatio inter sponsos relata in tempus matrimonij, nulla est. Sic Angel. *verb. dos, n.* 6. *cit.* vbi inquirens, vtrum vir possit constituere dotem vxori; sic huic quæstioni satisfacit. Respondet Panormit. *in cap. & si necesse, de donat. inter virum, & vxor.* quod non, post contractum matrimonium; secus si ante matrimonium; quia potest, vt *l.* 1. *C. de donat. ante nupt.* nisi sit constituta, vt tunc dominium adipiscatur, cùm matrimonium fuerit subsecutum; quia non valet, vt *in d. l. quod sponsæ, C. de donat. ante nupt.* Quia nec ante matrimonium dominium transiuit, quia noluit; nec post matrimonium, quia non potuit, vt ibi Glossa. Hæc Angelus, & sic omninò ex illo non citato, Siluest. *verbo dos, q.* 6. Bassæus *tom.* 2. *verbo dos, num.* 1.

QVÆSTIO XXIX.

An saltem in aliquibus casibus possit vir constante matrimonio constituere dotem vxori?

REspondeo tanquam quid certum, posse; quia in multis valet donatio inter virum, & vxorem, constante matrimonio, vt latè de hac re agit Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 3. ergo & potest valere donatio, aut constitutio dotis vxori à viro constante matrimonio facta. Sic omnes DD. in casibus sequentibus citandis. Sit ergo.

QVÆSTIO XXX.

An casu, quo vir senex, aut ignobilis, aut ditissimus, ducat vxorem iuuenculam, aut nobilem pauperrimam, possit illam dotare, & illi aliquid donare?

NEgant aliqui DD. Primò, quia omnis donatio inter coniuges indistinctè est interdicta, vt vidimus *tot. tit. ff. & Cod. de donat. inter virum, & vxorem.* Ergo etiam inter senem, & iuuenculam; nobilem, & ignobilem; ditissimam, & pauperrimam. Secundò, quia licèt inter coniuges valeat reciproca, & mutua donatio, quæ datur, quando hinc inde tantum accipitur, quantum donatur; non tamen valet donatio remuneratoria, vt latè probat Fachinæus, & Pinellus mox citandi: ergo in nostro casu nequibit validè vir dotare vxorem, aut ei aliquid donare. Ita tenent Crauetta *in consil.* 51. & Arias Pinellus *ad l.* 1. *C. de bonis matern. p.* 3. *num.* 63. quibus lubens Fachinæus se socium adiungit, eo argumento adductus, quod multi, iure nostro, casus speciales exprimantur, quibus donatio inter virum, & vxorem consistit; & tamen hic de quo agitur, eorum numero non recensetur: ergo verisimile est, eum nec iure enumerandum esse, nec sanè immeritò; sic enim fieret remunerationis huiusmodi prætextu, vt sæpe eluderentur leges tales donationes prohibentes, ne mutuo se coniuges amore spolient, ne matrimonia fiant venalia, ne liberorum curam deserant, vt *in l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Hæc Fachinæus *lib.* 3. *controuers. iuris, c.* 80. *col.* 524. Et licèt attento rigore iuris satis probabilis sit hæc sententia.

Sed adhuc attento illo, probabilius respondeo, posse virum in assignato casu vxorem dotare, aut, vt propriùs loquamur, illi aliquid donare. Ratio est, quia huiusmodi donatio à viro vxori facta, est remuneratoria beneficij collati in ipsum virum per vxorem, quæ cùm nobilis, vel iuuencula esset, non est dedignata ignobili, aut seni nubere: at sic est, quod donatio remuneratoria inter coniuges est licita, & valida: ergo talis donatio in casu nostræ quæstionis valida, & consistens erit. Consequentia est legitima. Maiorem cum aliis docet Molina *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 289. *num.* 17. *col. mihi* 176. his verbis: Si vir senex, aut ignobilis, donet vxori iuueni, aut nobili, in remunerationem nobilitatis, aut iuuentutis; vel contrà, vxor senex, aut ignobilis donet viro iuueni, aut nobili, similiter in recompensationem nobilitatis, aut iuuentutis, valet statim donatio. Ita cum Bart. Panormitan. *cap. vltim. de donat. inter vir. & vxorem, n.* 7. Couarru. *in epitome part.* 2. *cap.* 3. *§.* 3. *n.* 2. Anton. Gomez *l.* 50. *Tauri, num.* 66. *&* 2. *tom. var. resolut. cap.* 4. *num.* 23. & communis Doctorum sententia, quam citant. Tametsi Iulius Clarus *q.* 9. *cit. num.* 5. Limitandam illam censeat, vt solùm vim habeat, quando fit in ipso actu dotis constituendæ, non verò post dotem constitutam, contractumque matrimonium: Cęterùm contrarium affirmant Doctores communiter. Hucusque doctus pater, cui adiungo amicum, Vvanding. Dianam, & Bassæum statim citandos.

Minor verò nostri discursus, nempe quod donatio remuneratoria inter coniuges sit licita, & valida, constat ex text. expresso *in l. quod autem spectetur, §. si vir, & vxor,* 2. *ff. de donat. inter virum, & vxorem, & ex l. si pater puellæ, C. de inofficioso testam.* Et illam docent Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 1. 6. *&* 7. Azor *part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 4. Dicastillus *lib.* 2. *de iust. tract.* 5. *disp.* 1. *dubit.* 5. *num.* 87. Vvadingus *de contract. disp.* 3. *dub.* 11. *§.* 2. *num.* 2. Hurtad. *disp.* 11. *diff.* 8. & alij quamplures, quos refert, & sequitur Diana *parte* 8. *tract.* 6. *resol.* 28.

Vnde nostram sententiam apud ipsum ibi *resol.* 29. tenent Iulius Clarus *lib.* 4. *sentent. §. donatio, q.* 9. *n.* 5. Thuscus *tom.* 2. *lit. D. concl.* 691. *num.* 22. Couarru. *part.* 2. *cit. §.* 3. *num.* 2. Gomez *loco à nobis nuper cit.* Vvadingus *loco etiam citato.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 12. *n.* 89. Amicus *tom.* 5. *disp.* 18. *sect.* 8. *num.* 127. Hurtad. *disp.* 11. *cit. diff.* 8. Baunius *tom.* 3. *lib.* 2. *tract.* 4. *q.* 6. Dicastillo *loco cit.* & alij; quibus adde Bassæum *tom.* 2. *verb. dos, num.* 2. Fragosum *part.* 3. *lib.* 2. *disp.* 4. *§.* 1. *n.* 9. *vers. secundò,* Rebellum, & Ceuallos apud ipsum.

QVÆSTIO

& Collossens.3. & D. Petrus *in sua 1. epist. cap.3.* Sic omnes. Legantur Nauar. *cap.14. num.20.* Toletus *lib.5. sum. cap.2.* Ludou. Lopez *1.p. instruct. cap.1.* Philiarcus *de offic. Sacerd. part.2. lib.4. cap.19.* Rodrig. *1.p. sum. cap.15.* Sayrus *in Claui Regia lib.7. cap.7. à num.10.* Bonac. *tom.2. disp.6. q. vnica, punct.7. à num.11.* Trullench. *lib.4. in Decal. cap.5. dub.4. à num.16.* Filliuc. *tract.28. cap.9. q.6.* & alij infrà citandi.

QVÆSTIO IX.

An non solùm ex obedientia, verùm etiam ex iustitia teneatur vxor obedire marito?

RESpondeo quod sic, quia in matrimonio tacitè hic contractus celebratur inter virum, & vxorem: *Ales me, & ego* (ait vxor) *tibi dotem dabo, & insuper tibi in licitis obediam*: ergo ex vi contractus huius & tenetur vir vxorem alere, & illi cohabitare, iuxta superiùs dicta; & vxor tenetur dotem promissam marito dare, & illi tanquam capiti obedire, & obsequium præstare, iuxta infrà dicenda. Sic Fagundez *lib.4. in Decal. cap.12. num.1. & 2.*

QVÆSTIO X.

An teneatur vxor sub culpa mortali obedire marito in iis, quæ ad gubernationem domus, atque familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, teneri, quia cùm maritus sit caput, ad eum pertinet gubernare domum, & familiam: ergo si vxor in his suo marito obedire renuat, mortaliter peccabit, generaliter loquendo. Sic Nauarr. *cap.14. n.9. fine*, ita scribens: Vigesimo primò peccat mortaliter vxor, quæ marito est notabiliter inobediens in his, quæ ad regimen domus, & familiæ, bonosque mores pertinent, *cap. est ordo, & cap. hac imago 33. q.5.* Ricard. *vbi suprà, dist.37.* Hæc ille, & alij communiter.

QVÆSTIO XI.

An vxor semper peccet mortaliter non obediens marito in his, quæ ad gubernationem domus, & familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, quòd non semper peccet mortaliter, quia si desit contemptus, & contumacia, non peccabit mortaliter in hoc, quod velit in aliquibus gubernare, & suum iudicium mariti iudicio præferre; quia obligatio, & subiectio vxoris erga præcepta mariti, non est tanta, vt in licitis, & honestis, absque mariti contemptu non possit illa suum iudicium interponere: nam vxores non sunt mancipia, aut ancillæ, sed sociæ; & ideò in aliquibus debent mariti illarum iudicium sequi. Sic Fagundez *num. 1. cit.* & anteà Nauarrus *vbi suprà, num.10. in fine*, assignans rationem, inquiens; quoniam cùm præceptum mariti non sit maius, quàm Ecclesiæ, *argum. eorum quæ suprà eod. cap. num.12.* diximus, & illud non obliget semper sub mortali, si desit contemptus, iuxta S. Thom. 2.2. q. 186. *art.9.* & latè per nos *in rubr. de pœnitent.* & communem opinionem; non etiam eius præceptum semper obligat, si contemptus absit, licèt aliquando sic. Hæc meus Nauar. Sic etiam Sayrus *loco cit.* & Bonac. *num.12.* dum ait, peccare vxorem, dum inuito marito, ius gubernandi domus sibi arrogat: nam alienam sibi potestatem vsurpat, &c. Trullench. *num. 16. cit.* & alij relati *sup. q.8.*

QVÆSTIO XII.

An peccet mortaliter vxor non obediens marito præcipienti illi, vt superflua, & vana, moresque incompositos exuat?

AFfirmandum absolutè videtur, quia tale præceptum verè est iustum: ergo mortale erit ei contrauenire.

Sed iuxta nuper dicta respondeo non peccare mortaliter, si desit contemptus, & contumacia; quia quamuis præceptum illi impositum sit iustum, non tamen tenetur illi vxor obedire sub tanta culpa, ob materiæ leuitatem; & ideò deficiente contemptu, & contumacia, non peccabit vxor mortaliter frangendo illud. Sic Nauar. *loco cit. vers. vigesimo-octauò.* Sayrus *in claui Regia lib.7. cap.7. n.10. vers. quintò*, Trullench *lib.4. cap.5. dub.4. n.16.* ibi: Sic peccat mortaliter vxor, si ex contemptu marito non obediat; dum præcipit, vt superflua, vana, moresque incompositos exuat: sine contemptu autem mariti præceptum non obligat ad mortale. Sic ille.

QVÆSTIO XIII.

An in aliquibus casibus possit vxor sine vllo peccato se ingerere in administratione familiæ, & domus?

RESpondeo posse in duobus præcipuè casibus. Primus est, quando maritus est prodigus, & dilapidat bona familiæ, vel in compotationes, vel in mulieres, &c. tunc enim licitè potest mulier, etiam contra præceptum viri, surripere occultè pecunias, ne disperdantur. Sic Siluester *verbo furtum, num.10.* vbi quærit, vtrum vxor, quæ habens virum prodigum, contra eius prohibitionem celat de bonis eius, vt sibi, & viro prouideat tempore opportuno, furtum committat? Respondet cum Rod. quod non, nec tenetur obedire viro præcipienti omnia sibi tradi; quia sic etiam daretur gladius furioso Sic Siluest. & Trullench *lib.4. in Decal. cap.5. dub.4. n.18. & lib.7. cap.5. dub.8. n.17.*

Secundus est, quando vir morosus est, & non vult concedere ea, quæ sunt domui, & familiæ necessaria, tunc etiam potest vxor accipere contra mandatum viri ea, quæ sunt necessaria ad bonam domus gubernationem. Sic Trullench *loco cit.* Legantur pro hac materia dicta à nobis *tract. de eleemosyna, part.6. disp.3. q.23. & 27.* vbi diximus, non peccare vxorem elargiendo contra prohibitionem mariti eleemosynas consuetas, &c.

QVÆSTIO XIV.

An peccet mortaliter vxor, si maritum rixis, litigiis, aut verbis iracundis, ad iram grauem, iuramenta, aut blasphemias prouocet?

RESpondeo vt certum, peccare mortaliter, si id faciat, sciens quod maritus ex data sibi occasione in iram, aut iuramenta grauia prorumpere soleat; quia tunc vxor non præstat marito debitam reuerentiam, & amorem. Sic clauis Reg. *lib.7. cap.7. num.10. vers. sextò peccat vxor.* Filliuc. *tract.28. cap.9. num.145.* Bonac. *disp.6. in 4. præcep. Decal. q. vnica, punct.7. n.12. vers. tertiò.* Trullench *lib.4. Decal. cap.5. dub.4. num.16.* Fagundez *lib.4. cap.12. n.2.* Nauar. *cap.14. n.20.* qui id de vtroque coniuge docet iis verbis: Vigesimooctauò peccat, qui, vel quæ coniux per iram, vel rixam ad blasphemiam prouocat coniugem, & sciens, aut scire debens, illum, vel illam, ad blasphemiam, vel ad aliam mortalem culpam prouocatum iri, non se reprimit. Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An vxor teneatur aliqua obsequia præstare suo marito?

RESpondeo vt certum, teneri, quia ea præstare ratione societatis coniugalis debet marito; & ideò tenetur lauare mariti pedes, & caput, cibos condire, domum verrere, fricare, & alia seruilia id generis obsequia ministrare. Sic docent communiter omnes DD. præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XVI.

An etiam vxor nobilis teneatur omnia obsequia licita, etiamsi vilia sint, suo marito præstare?

AFfirmant aliqui Iuristæ, quia non debet esse conditio creditoris deterior ob debitoris nobilitatem, nisi aliter sit iure cautum: at ex iuris dispositione tenetur vxor obsequia præstare viro, cùm ipsi sit subdita, *l. sed si vir ex lana, ff. de donat. inter vir. & vxorem, cap. hæc imago, & cap. est ordo 33. q.5.* vbi dicitur, mulierem esse viro subditam, & penè eius famulam: ergo licèt vxor sit nobilis, imò & nobilissima, ad hæc tenetur, cùm in iure non excipiatur. Ita tenent Pinellus, *de bonis matern. lib.1. p.3. num.91. vers. sed prædicti viri.* Barbatius *in addit. ad Baldum, l. si vxorem, C. de condit. insertis.* Ioan. Andr. *cap. literas, n.9. de restit. spoliator.* Angel. *verb. vxor, num.2.* quorum opinionem dicit fortè veriorem Tiraquel. *de nobilitate cap.20. n.95. & sequent.* quos omnes Authores refert pro hac parte Sanchez *lib.6. de matrim. disp.6. num.13.*

Sed probabiliùs respondeo non teneri vxorem nobilem ad obsequia vilia suo marito, quantumuis nobili, præstanda; sed ea sola, quæ iuxta suam dignitatem, & conditionem non dedecent. Vnde non tenebitur lauare mariti pedes, cibos condire, & alia obsequia *quæst.15.* assignata. Ratio desumitur *ex l. interdum, la 1. ff. de operis libert.* ibi: *Sed si liberta, quæ operas promisit, ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens sit præstare patrono operas, ipso iure hæc interdicent*: ergo similiter idem dicendum est in nostro casu.

Vnde ad argumentum primæ sententiæ dicendum est, verum esse, vxorem esse subditam viro suo, & teneri ei obsequia præstare, modò tamen non sint talia, quæ illius dignitatem dedeceant. Nec iura dicunt vxorem esse seruam simpliciter, sed quasi seruam. Vnde non inde colligitur, quod vxor debeat obsequia viro, quæ suæ dignitati officiant, nec ad ea per matrimonium se obligauit, sed solùm ad obsequia decentia. Ideò tenent hanc sententiam Bald. *l. si vxorem, n.6. C. de condit. insertis.* Abbas *cap. literas, n.17. de restit. spoliat.* Felin. *in cap. illud, n.11. de præsumption.* Decius *consil.202.* Corsetus *tract. de potestate Regia, q.30.* Ioan. Lupus *rubr. de donation. §.21. n.2.* Rosella *verbo vxor, num.6.* & ibi Siluest *q.2.* Roder. Suarez *l.9. tit. de los pleytos, lib.1. num. 13.* Garcia *de donation. remuneratoriis, num.28.* quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.6. de matrim. disp.6. num.14.* (non *disp.9. n.14.* vt citat Fagundez.) Quibus addo Fagundez *lib.4. in Decal. cap.12. n.4.*

QVÆSTIO XVII.

An saltem in aliquo casu teneatur vxor, quantumuis nobilis sit, exercere præfata opera vilia in obsequium viri?

RESpondeo dicendum, teneri in casu, quo coniuges ita pauperes sint, vt famulam conducere non possint, dicta obsequia præstituram. Tunc enim vxor, quamuis nobilis, ratione necessitatis ad ea teneretur. Sic Sanchez, & Fagundez *locis citatis,* limitantes, quod dixere Cynus, & Salicetus *ad l. si vxorem,* & Guillelm. Benedictus *capite Raynutius, de testam. verb. dotem, num.47.* nempe, vxorem nobilem non teneri operari viro: intelligendi namque sunt, non teneri, nisi in casu necessitatis.

QVÆSTIO XVIII.

An vxor teneatur sub mortali, viro cohabitare?

RESpondeo vt certum, teneri. Tum ob rationem debiti coniugalis, & redditionem illius. Tum etiam, vt obsequia personalia, quæ illius personam non dedecent, viro præstare possit, cùm ad id teneri, ex nuper dictis constet. Sic omnes Doctores. Legatur inter illos sapientiss. Thom. Sanchez *lib.9. de matrim. disp.4. & lib.1. disp.40. & 41.*

QVÆSTIO XIX.

An item teneatur sub mortali vxor sequi virum, domicilium aliò mutantem?

RESpondeo tanquam certum, etiam teneri. Tum quia sic habetur *in cap. vnaquæque 13. q.2.* ibi: *Vnaquæque mulier sequatur virum suum, siue in vita,*

QVÆSTIO XXXI.

An possit vir dotare virginem, quam violauit, & posteà eam duxit?

Respondeo vt certum, posse; quia tunc ad id tenetur, *ex cap. 1. de adulter.* Vnde talis dotis constitutio valida erit, licèt propriè non possit dici donatio, cùm sit debita, sic Bassæus *tom. 2. verbo dos, num. 2.* ex Sanchez omninò non citato, *lib. 6. de matrim. disp. 7. num. 6.* & Ioanne Lupo *rubr. de donation. §. 30. num. 3.*

QVÆSTIO XXXII.

An quando Papa dispensat cum duobus consanguineis, ea conditione, vt vir vxorem pauperem dotet, valeat tunc dotis constitutio?

Respondeo vt certum, valere; quia non dat gratis talem dotem, sed illam vxori constituit ex causa onerosa, nempe vt Pontifex dispenset. Sic Bassæus *loco cit.* qui idem docet casu, quo vir constitueret dotem vxori, vt animi discordes concilientur consanguineorum vtriusque coniugis, ex Sanchez non citato *vbi suprà, num. 7. & 9.*

QVÆSTIO XXXIII.

An valeat dotis constitutio vxori à marito facta, vbi viget consuetudo, quod vir dotet vxorem?

Respondeo vt certum, valere; quia consuetudo est altera lex, quæ contrariam vincit. Sic Ioan. Lupus *rubr. de donat.* Vincentius *cap. & si necesse, de donat. inter vir. & vxorem,* vbi Ioan. Andreas *num. 2.* Anton. *num. 2.* Cardin. *num. 1.* quos citat, & sequitur Sanchez *disp. 7. cit. n. 8.* & Bassæus *n. 2. cit.*

DISPVTATIO II.

De obligatione vxoris erga maritum.

---

§. I.

De obligatione, quam habet vxor alendi maritum.

QVÆSTIO PRIMA.

An vxor diues teneatur viro suo inopi alimenta præstare?

Respondeo vt certum, teneri, & sub mortali; quia maritus, & vxor sunt participes infortuniorum, *l. si cùm dotem, §. si maritus, ff. soluto matrim.* ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse.* Et benè, quia correlatiuorum eadem est ratio, & decisio: sed sic est, quod maritus diues tenetur vxorem alere indotatam, & quæ aliunde non habet, vt diximus suprà *tract. 2. disp. 1. q. 2. & 3.* ergo pari ratione tenebitur mulier dare alimenta viro suo inopi. Sic Pontanus *de aliment cap. 14 num. 1.* Azeuedo *lib. 5. recopilat. tit. 3. l. 9. num. 33.* vbi Matienzo *glossa 4. num. 2.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 35. num. 6. & 7. & q. 36. num. 6. & 7.* Speculat. Bartol. Ioan. Lupus, Lara, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 27.* Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 7. num. 12. vers. quintò,* Trullench. *lib. 4. decal. cap. 5. dub. 4. num. 20.* Fragosus *3. p. regim. Christ. Reipub. disp. 6. §. 1. num. 17.*

QVÆSTIO II.

An etiam casu, quo maritus inciderit sua culpa in paupertatem, teneatur vxor illum alere?

Negant aliqui, eo adducti argumento; quia filius eximitur ab onere alendi patrem propter delictum: ergo etiam eximetur vxor ab obligatione alendi maritum, quando culpâ sua incidit in paupertatem. Ita tenent Baldus *consil. 478. n. 2. volum. 5.* Tiraquel. *in l. si vnquam, vers. bona, n. 5. C. de reuocandis donat.* Crauetta *in corollar. consilij pro genero, num. 39. & 42.*

Sed probabiliùs respondeo etiam, teneri in hoc casu maritum vxorem alere, quia probabilius est, quod filius teneatur alere patrem, qui sua culpâ incidit in paupertatem, vt colligitur ex dictis suprà *tract. 1. disp. 5. q. 3. & seqq.* ergo & vxor maritum. Sic colligitur *ex l. mutus, §. manente, ff. de iure dotali; & ex Authent. de incest. nuptiis, §. si verò contigerit.* Et docent Bartol. *in l. amissione, §. qui deficiunt, ff. de capit. minut.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 3. à num. 4.* Fragosus *part. 3. regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 19.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO III.

An vxor teneatur mittere alimenta suo marito pauperi sua culpâ bannito, vel exulanti, aut damnato ad triremes?

Negat Glossa *l. si stipulata, in fine, verbo, contra sexus naturam, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Sed probabiliùs multò respondeo teneri. Probatur ex dictis *tract. 1. disp. 5. q. 6.* vbi vt longè probabilius docuimus, teneri filium alere patrem bannitum, aut proscriptum: ergo & tenebitur vxor suum virum pauperem sua culpâ bannitum, exulem, &c. Sic *l. mutus, suprà cit.* Et docent Sanchez *lib. 1. de matrim disp. 41. num. 13. & lib. 9. disp. 4. num. 23.* & penes ipsum, Gigas, Cephalus, Dueñas, Bossius, Iul. Clarus, & Anton. Gabriel. Sic etiam Fragosus *loco citato, num. 19.* & latiùs *num. 21.* ibi: Ex dictis (inquiens) vt verum apparet, fructus dotis, & donationis propter nuptias seruire sustentationi mariti, & vxoris; atque ita maritus, non obstante quod sit hostis ciuitatis, si id contingat, debet ali de bonis dotalibus ab vxore. Sic ille.

proaui adoptantis, vt habetur *in l. cum in adopt. C. de adoption. & Instit. eod tit. §. sed cum hodie.* Confirmatur, quia quarta pars bonorum datur filio adrogato, eo quod cum persona, & bonis fertur in potestatem patris adrogantis: sed sic est, quod datus in filium coniunctæ personæ, auo videlicet, aut proauo, traditur in potestatem cum bonis, ac rebus suis eidem auo, aut proauo, sicuti patri adoptiuo: ergo si in vno casu quarta pars assignatur, etiam in altero est assignanda. Sic cum communi Fragosus §. 7. *cit. num.* 195. & antea Azor *cap.* 18. *cit. q.* 9. *vers. quando is, qui adoptat est auus.*

QVÆSTIO XXVI.

An filius adoptiuus veniat sub nomine filiorum, ita vt statutum, quod loquitur de filiis absolutè, & simpliciter, intelligi debeat etiam de adoptiuis?

Respondeo tanquam certum, non venire sub nomine filiorum, nec statutum, quod loquitur de filiis simpliciter, intelligi debere de adoptiuis. Ratio est, quia verba naturaliter sunt intelligenda in statutis, aut testamentis, non autem fictè, *l. vltim. C. de iis, qui veniam ætatis impet.* Sed sic est, quod filij adoptiui non sunt veri filij, sed ficti, & imaginarij, vt probat text. optimus *in l. filio, quem pater, ff. de liber. & posthum.* ibi: *Vt veri patris adoptiuus filius nunquam intelligatur, ne imagine naturæ veritas obumbretur.* Et *l. penult. §. sed ne articulum,* ibi: *Quasi imaginaria, C. de adoptionibus.* Sic Barbosa *tract. de appellat. verb. iuris signif. verb. filius, num.* 75. vbi ita ait: Receptissima est Doctorum sententia, appellatione filiorum, tam in dispositiuis, quàm in conditionalibus, non venire filios adoptiuos, ac proinde in fideicõmissis, & conditione, *si sine liberis*; non facere deficere conditionem. Ita probant text. *in l. fideicommissum, ff. de condit. & demonstrat. & in l. si ita quis* 53. *§. fin. ff. de legat.* 2. Prosequuntur latè Corn. *consil.* 85. *lib.* 3. Ruin. *consil.* 173. *lib.* 2. Castrens. *consil.* 30. *in principio, lib.* 1. Alexand. *consil.* 2. *in princip. lib.* 1. Tiraquel. *in l. si vnquam, verb. susceperit liberos, n.* 60. *cum seqq. C. de reuocand. donat.* Sfort. Odd. *de compend. substit. part.* 6. *art. vltim. num.* 4. Petr. Anton. Anguis. *consil.* 77. *num.* 6. *lib.* 6. Cardin. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 8. Cost. *in cap. si pater, p.* 1. *verb. si absque liberis, n.* 46. *de testam. lib.* 6. Intrigl. *de substit. cent.* 3. *q.* 61. *num.* 9. Alex. Trentacinq. Ascan. Clem. Pereg. Menoch. Fusar. & Cardin. Thuscus. Hæc Barbosa. Lege etiam Fragosum *loco cit. num.* 199. *cum seqq.* Qui omnes idem esse dicendum de adrogatis, affirmant: vnde adrogatos minimè adhuc nomine filiorum venire, censendum est.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem in aliquibus casibus adoptiui, seu adrogati filij, appellatione filiorum veniant?

Respondeo dicendum, in aliquibus venire, quos sequentibus verbis refert Barbosa *loco cit. num.* 78. Limita primò (inquit) non procedere nostram principalem resolutionem, quoties aliqua apparet specialis voluntatis coniectura, ex qua colligitur testatorem de adoptiuis quoque sentire voluisse; veluti, si adoptio facta fuisset volente ipso substituto. Tiraquel. Menoch. Fusar. Vel quando adoptio est facta voluntate, & iussu testatoris, *l. si cognatis, ff. de reb. dub.* text. & Glossa *in l. si quis posthum. ff. de liber. & posthum.* Tiraquel. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Menoch. Peregr. & Rustic. *locis ab ipso ibi citatis.* Vel si grauatus ipse tempore testamenti liberos adoptiuos habebat, idque testator sciebat, vt post Cuman. Socin. Alciat. Tiraquel. & alios notant Costa, Mantic. Alexander, Raudens. Menoch. Peregr. Intrigl. & Fusar. Vel si is grauatur, qui veros filios habere non potest. Card. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Ascan. Clem. Menoch. Intrigl. Peregr. & Fusar. Vel quando testator illum sibi in nepotem tanquam ex filio suo adoptasset, siue ante, siue post testamentum facta sit adoptio; nam sic adoptatus succederet, Card. Mantic. Sfort. Alex. Trentacinq. Menoch. Intrigl. & Rustic. Hucvsque Barbosa, qui & citat loca vbi id doceant citati Authores, & aduertit *num.* 79. quod ea quæ dicta sunt de adoptiuis, procedant & in adrogatis, & in filiis spiritualibus ex sacro Fonte susceptis; non enim veniunt in fideicommissis, & conditionibus appellatione filiorum, nisi ex verbis, aut mente testatoris id specialiter colligatur.

QVÆSTIO XXVIII.

An patres adrogantes, seu adoptantes, succedant filiis suis adrogatis, seu adoptatis, morientibus ab intestato?

Respondeo dicendum, quod in primis succedunt in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si filij erant iam puberes. Deinde succedunt in bonis aduentitiis quoad proprietatis dominium, cùm iam haberent vsumfructum illorum. Præterea succedunt, & à fortiori, in bonis profectitiis filiorum decedentium sine prole naturali, siue talia bona quæsita essent filiis contemplatione patris naturalis, siue intuitu patrum adrogatorum; dummodo per patrem naturalem nulla data fuisset filiis substitutio. Sic *ex l.* 2. *ff. ad Macedonianum*, docet Fragosus 3. *p. Regim. lib.* 1. *disp.* 2. *§.* 7. *num.* 203.

QVÆSTIO XXIX.

An casu, quo filius adoptatus, seu adrogatus, moriatur ab intestato, superstite patre carnali, & adoptiuo, seu adrogante, vterque sit admittendus ad hæreditatem dicti filij?

Affirmant quidam vtrumque parentem admittendum esse ad hæreditatem filij, ita vt pater naturalis dimidiam partem habeat, pater verò adoptiuus dimidiam alteram. Ratio eorum est, quia fratres, tam legitimi & naturales, quàm adoptiui, admittuntur ad hæreditatem patris carnalis, & adoptiui, per text. *in l. si te, C. de suis, & legitimis*: ergo idem est dicendum de istis duobus patribus, prout videtur probare *l. penult. §. fin. C. de adoption.* vbi dicitur, inter hos parentes nihil differre. Ita Angel. *in §. mortuo, Instit. de acquisitione per adrogationem*, quem citat, & sequitur Fragosus *loco cit. quæst.* 8. *num.* 205.

Sed

Sed probabiliùs respondeo in dicto casu, patrem naturalem præferendum esse patri adrogatori, seu adoptiuo in bonis filij præmortui. Ratio est, quia pater naturalis est verus ascendens naturalis; pater verò adrogator, est pater, seu ascendens fictus, & imaginarius, vt habitum est suprà *q.* 26. ergo pater naturalis præferri debet adrogatori. Confirmatur, quia duo vincula pro vna parte plus operantur, quàm vnum pro altera, *Authent. de hæredit. quæ ab intestato deferuntur, verb. notas, & l. cùm in adoptiuis, §. si verò pater naturalis, C. de adoptionib.* Ergo potiùs pro duplici vinculo, quàm pro vno standum est: sed pater naturalis, ac legitimus, habet pro se duo vincula, seu rationes; pater verò arrogator non habet nisi vnum, nempe nexum adrogationis: ergo si vterque concurrat ad hæreditatem filij præmortui, præualere debet pater carnalis, & naturalis, pro quo stant duo vincula.

Prætereà si adoptatus, seu adrogatus fuit quis, non à persona coniuncta, sed ab extranea, tunc certum est, quod pater adoptans in nullo succedet filio adoptato, sed pater naturalis; ipsi enim soli reseruantur omnia iura, *l. cùm in adoptiuis, §. sed ne articulum.* Igitur pater naturalis debet præferri adrogatori patri. Sic Nicol. de Vbaldis *in tract. successionum ab intestato, in* 2. *p. num.* 26. Ioan. Faber *in § cùm autem, Institut. de adoptionib.* Octauian. *decis. Senat. Pedemont. decis.* 75. §. *in contrarium*, vbi probat, matrem naturalem, & legitimam admitti ad bona adrogati, excluso adrogante. Ex quibus constat, patrem adoptiuum non nocere naturali.

QVÆSTIO XXX.

An pater adrogans possit filium adrogatum emancipare, & adrogationem dissoluere?

RESpondeo vt certum, non posse, nisi ex iusta causa, & legitimè coram iudice probata. Sic Azor *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *q.* 7. vbi duas assignat causas, ex quibus id possit facere iustè. Vna est, si filius adoptiuus, seu adrogatus, patri talem iniuriam irrogauerit, quæ ad reuocandam donationem sufficeret. Altera est, cùm quis adoptat ea conditione, vt emancipare possit, *Instit. de adoption. §. cùm autem impubes, vers. non aliter.* In his casibus adrogator nihil filio arrogato relinquere cogitur, sed solùm debet ei restituere omnia bona, quæ principio, vel cursu temporis ab eo accepit, vsufructu deducto, quem adrogator ratione patriæ potestatis ex illis bonis sibi acquisiuit, *Instit. de adoption. §. cit.* Hæc Azor.

TRACTATVS II.
DE OBLIGATIONE CONIVGVM INTER SE.

DISPVTATIO I.

De obligatione mariti erga vxorem.

§. I.

De obligatione, quam habet maritus alendi vxorem.

QVÆSTIO PRIMA.

An maritus teneatur alere suam vxorem?

RESPONDEO tanquam quid certum, teneri. Tum, quia sic cauetur in iure, *l. dotis fructus, ff. de iure dotali, l. penult. ff. vt in possessione legat. l. si filia, §. 1. ff. famil. ercisc. l. si quis pro vxore, in* 1. *respons. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Tum, quia vxor seruit marito, *cap. est ordo* 33. *q.* 5. Ergo tenetur eam alere. Sic omnes. Legantur Couarru. *in epitome in* 4. *lib. decret. part.* 2. *cap.* 3. §. 8. *num.* 5. *& cap.* 7. *num.* 2. Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 32. *num.* 11. *& tit.* 7. *q.* 19. *num.* 1. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 425. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 6. *q. vnica. punct.* 7. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 9. Trullench *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 4. Fragosus *p.* 3. *regim. Christ. Reip. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1.

QVÆSTIO II.

An vir teneatur alere vxorem, quam absque dotis promissione duxit?

RESpondeo vt quid certum, dicendum teneri. Tum, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem postulauerit. Tum etiam, quia tacitè videtur personam vxoris pro dote accipere. Sunt enim nonnullæ, quarum industria plus valet, quàm multa dos. Sic Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 8. dicens, nullum se inuenisse contrarium asserentem. Citatque pro hac parte Siluestrum *verb. dos, q.* 10. Angel. *ibi*, & Tabienam *q.* 8. *n.* 9. Armillam *num.* 9. *&* 10. Anton. Gomez *l.* 53. *Tauri, num.* 31. Matienzo *lib.* 5. *recopilat. tit.* 1. *l.* 3. *glossa* 2. *num.* 29. Surdum *q.* 32. *cit.* Molinam *vbi supra*, Innocent. Ioan. Andreas, Abbatem, Alexand. de Næuo, & alios, quibus adde Couarru. Fagundez, & alios suprà citatos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An item teneatur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, casu quo illa, aut pater eius diues sit?

AFfirmat adhuc Molina *disp.* 425. *cit. num.* 4. *vers. si marito dos*, his verbis: Quod si quis duceret aliquam vxorem, nulla illi promissa dote, tunc si parentes vxoris dotare eam possent, cogendi essent id facere, &c. Et siue eam dotarent, siue non, teneretur maritus in eo euentu sustentare illam, ipsaque præstare ei teneretur operas suas. Ita Molina, & Lara, *l. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, *ff. de liber. agnoscend.* & Petr. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 19. *num.* 1. *& seqq.* & *tit.* 1. *q.* 32. *à num.* 12. Licèt hic fateatur, posse virum petere ab vxore illa, vt sibi dotem competentem constituat, & si id renuat, ei posse negare alimenta. Ita etiam Couarru. Ludou. Lopez, Matienzo, & alij apud Fragosum infrà.

Sed probabiliùs respondeo primò. Nullo modo tenetur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, si illa diues sit, & dotem constituere renuat: quia dum mulier diues absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè elicere actum de dote constituenda, & omnia bona sua in dotem promittere, vt docent Bartol. Anton. Gomez & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 59. *n.* 4. *& disp.* 60. *num.* 2. Ergo dum dos tacitè promissa non soluitur ab vxore, iustam causam vir habet denegandi alimenta. Sic Baldus, Iason, Ioan. Lupus, & Gom. Arias, quos sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 9. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 4. Fragosus 3. *p. Regim. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1. *n.* 7.

Respondeo secundò, casu quo non ipsa mulier, sed pater eius diues esset, dotemque constituere nollet, tunc verè teneretur maritus ipsam alere; quia dotem in pactum non deduxit, quamvis liberum ei esset à patre dotem petere. Sic Molina *loco cit.* Sanchez *num.* 9. *cit. fine*. Couarru. *in epitome cap.* 7. *in initio*. Fagundez *vbi suprà, num.* 5. & Fragosus *num.* 7. *cit. vers. & quamvis glossa.*

QVÆSTIO IV.

An maritus possit agere, vt mulier diues sibi dotem constituat, quando illam, nulla facta mentione dotis, duxit?

REspondeo dicendum, posse facere, & petere ab illa vt dotem constituat, quia abs re erit, quod maritus de suo patrimonio præstet alimenta vxori, quæ potest sibi dotem constituere, & renuit. Sic Bald. *in l. fin. num.* 9. *C. de sentent. quam sine certa quantitate*, & *cap. iurauit, num.* 3. *&* 5. *de probat.* Ioan. *in l. si donaturus*, §. *si quis indebitam, n.* 5. *ff. de condict. causa data.* Fragosus *loco cit. num.* 7. & Surdus citatus *q.* 3.

QVÆSTIO V.

An vir possit negare debitum coniugale vxori ob dotem non solutam?

REspondeo vt quid certum, quod non, quia obligatio reddendi debitum coniugale, non ex dotis traditione, sed ex ipso matrimonij contractu consurgit. Sic omnes. Angel. *verb. dos, num.* 9. & ibi Siluest. *q.* 10. Armilla *num.* 10. Molina *disp.* 425. *cit. vers. si marito dos.* Sà *verb. dos, num.* 3. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 1.

QVÆSTIO VI.

An item possit vir negare alimenta vxori, quando hæc promissam dotem non soluit?

REspondeo tanquam certum, item posse; quia dos datur quasi in pretium, vt ex eius fructibus maritus onera matrimonij sustineat, vxoremque alat, *l. pro oneribus, C. de iure dotium, l. dotis fructus, ff. eodem.* Ergo dote minimè soluta ab vxore, cùm possit, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Sic ex Glossa *in Authent. de non eligendo secundò nubente*, §. *fin. verb. onera*, docet Sanchez *disp.* 5. *cit. n.* 2. Cynus *in l. quod in vxorem, col.* 1. *C. de negot. gest.* vbi ait; *Deceptis, & non decipientibus subuenire iura.* Salyc. *ibi*, dicens vxorem, quæ non soluit dotem, quam promisit, extra domum esse culpa sua, & ideò non esse alendam. Hostiens. Ioan. Andr. Couarr. & alij, quos sequitur Fragosus *disp.* 6. *cit.* §. 1. *num.* 8. *vers. limitatur secundò.*

QVÆSTIO VII.

An rursus possit vir denegare alimenta vxori, etiam casu, quo vxor, licèt non totam dotem, partem tamen eius soluerit?

AFfirmant adhuc nonnulli Doctores, quia si tota dos non soluitur viro, contractus fides illi non seruatur: ergo nec ipse seruare fidem tenetur alimentando vxorem. Ita Bald. *in l. in insulam*, §. *vsuras, ff. soluto matrim.* & ibi Castro *numero* 2. Ioan. Lupus *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. notab.* 3. *in principio, num.* 2.

Sed meliùs respondeo, non posse tunc virum denegare suæ vxori omnia alimenta, sed teneri ad aliquam alimentorum partem, nempe pro rata dotis solutæ. Quia sicut tota dote recepta tenetur vir ad integra alimenta, ita recepta parte tenetur ad partem. Nam eadem est ratio partis quoad partem, quæ est totius quoad totum. Sic Surdus *de alimentis tit.* 7. *q.* 17. *n.* 3. quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 3. Bonac. *disp.* 6. *punct.* 7. *num.* 7. Trullench. *lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 11. Fragosus *part.* 3. *Regim. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1. *num.* 8. *vers. quinimò.* Qui aduertunt, id esse verum, siue dos promissa sit ab ipsa vxore, siue à patre ipsius, vel ab alio extraneo.

QVÆSTIO VIII.

An ad minus quando vxor est in obsequio mariti, teneatur hic illam alere, etiam dote non soluta?

AFfirmant quidam teneri maritum illam alere, sicuti tenetur quis alere famulum quemcumque sibi ministrantem. Ita Abbas *consil.* 85. *n.* 2. & 3. *vol.* 2. Anchar. *cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxorem, n.*14. vbi Ioan. Lupus *notab.*3. §. 1. *n.* 1. Roman. *in consil.* 517. *col.* 2. Grammat. *decis.* 130. *num.* 25. & Benincas *in tract. Pauper, q.* 8. Quos sequitur Fragosus 3. *p. regim. cit. lib.*3. *disp.*6. §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur quartò.*

Sed probabiliùs respondeo, tunc non teneri necessariò virum ad vxorem alendam. Ratio est, quia vxor tenetur ad duo, nempe & ad dotem præstandam, & ad obsequia viro exhibenda. Cùm ergo vtrumque non præstet, estò retineatur in obsequio illius, non tenebitur ab illo ali, dum promissa dos non soluitur. Sic Surdus *de aliment.* quem citat, & sequitur Pater Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 5. *num.* 6. quibus addo Vbertum de Bob. *in l. quod in vxorem, C. de negot. gest.* Qui tamen addunt, quod casu, quo vir alat vxorem, nondum soluta dote, minimè possit petere alimenta ab ipsa, eo quod affectu coniugali videatur facta donatio.

QVÆSTIO IX.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri ipsius, ab eius consortio recedit?

REspondeo vt certum, non teneri, quia, vt nuper est habitum, vxor debet seruire marito, nec debet abesse ab eius obsequio sine causa: ergo si hoc vxor præstare nolit, non tenebitur maritus eam alere. *Qui enim non facit, quod debet, non recipit quod oportet*, *l. si ea, C. de condit. insertis*, *l. Iulianus*, §. *affinis*, *ff. de act. empt.* Et quia obligatio viri ad alendam vxorem oritur etiam ex iure naturæ cohabitandi simul, propter debitum reddendum, iuxta illud *Genes.* 2. *Erunt duo in carne vna.* Et celebrato matrimonio, emit vxor à viro hanc sustentationem, constituta dote, & pecunia dotali, sub illa conditione: *Modò cum viro habitet, & ab eo culpâ sua, & propria temeritate non recedat.* Sic Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 32. *num.*17. & *tit.*7. *quæst.* 16. *à num.* 1. Couarru. *in* 4. *decretal.* 2. *p. cap.*7. §. 5. *num.* 2. Gutiertez *qq. Canon. lib.*1. *c.*24. *num.* 7. Petr. Barbosa 2. *p. rubr. ff. soluto matrim. num.* 42. Baldus, Salic. Guido, Hippolit. Matienzo, & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*9 *de matrim. disp.* 4. *n.* 20. & 21. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 16. Fragosus *disp.* 6. *cit.* §. 1. *n.* 8. *vers. limitatur primò.*

QVÆSTIO X.

An saltem casu, quo vxor propria culpâ à suo viro recesserit, & non simul habitent, teneatur vir eam alere, si dotem iam receperit?

AFfirmandum ex dictis videtur, quia vxor ratione dotis veluti pretio emit à suo viro sustentationem: ergo dote suscepta tenetur vir ex iustitia eam alere.

Sed ex dictis etiam respondeo dicendum, adhuc in eo casu non teneri virum ad suam vxorem alendam; quia vxor, vt nuper habitum est, & tenetur viro dotem tradere, & in eius obsequio, & seruitio esse: ergo si in altera harum conditionum vxor deficiat, cessabit ipsam alendi obligatio. Sic Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 16. *num.* 14. Sanchez *disp.* 4. *cit. num.* 21. Fagundez *num.* 18. & alij.

QVÆSTIO XI.

An ad minus teneatur vir suam alere vxorem, quando hæc non propria temeritate, sed culpâ viri ab eo recedit?

REspondeo tanquam certum, tunc teneri, quia in eo casu censetur esse in obsequio viri, & præsumitur cum eo viuere, quia cùm per vxorem non stet, quominus in domo seruiat marito, sit vt habeatur perinde, ac si esset in obsequiis illius, *l. iure ciuili, ff. de cond. & demonst.* Vbi conditio habetur pro impleta, quando per eum, cui erat implenda, stat quominus impleatur, *l. executione*, §. *fin. de verb. obligat.* Ergo in dicto casu vxor alenda est à viro. Sic Ioan. Lupus, Matienzo, & Barbosa, quos citat, & sequitur Sanchez *num.* 21. *cit.* Gutierrez, & Lara, quos citat, & sequitur Fragosus *num.* 8. *citato, vers. limitatur* 6. Fagundez *num.* 18.

QVÆSTIO XII.

An vxor, quæ à viro suo recedit, ob nimiam ab ipso castigationem, aut ob periculum imminentis mortis, vel veneni, sit alenda necessariò à viro ipso?

REspondeo vt certum, quod sic, quia tunc culpâ viri recessit: ergo ex dictis quæst. antecedenti, tenetur vir eam alere. Sic omnes DD. citati, præcipuè Sanchez *num.* 21. & 22. Fagundez *loco citato.*

QVÆSTIO XIII.

An item teneatur vir alere vxorem, quæ ab illo recessit, ob moderatam castigationem, & punitionem?

REspondeo vt certum, tunc non teneri virum illam alere; quia tunc non culpâ viri, sed propria ipsius culpa, & temeritate recessit; quia permissum est viro vxorem corrigere, & moderatè punire, *l. rei iudicatæ, ff. solut. matrim.* At cautè, & comiter oportet eam tractare; talis enim est inter illos

illos societas, qualis inter patrem, & filium, non qualis inter mancipium, & dominum. Sic Sanchez *disp. 4. cit. num. 22.* qui existimat, nimium castigationis excessum exigi, quo fuga hæc vxoris culpâ vacet, ac proinde extra viri domum, ea non obstante, ipsi debeantur alimenta. Quamvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda vxore excedat, non continuò licet vxori ab eius consortio aufugere. Sic doctus Pater. Legantur Ludou. Viues *in lib. de offic. mariti, cap. de eligenda vxore*, Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 110. ff. de liber. agnoscend.* Surd. *de aliment. tit. 7. q. 16. num. 5.* Fagundez *num. 19. citato*.

QVÆSTIO XIV.

An vir teneatur alere vxorem, quæ sine culpa viri, sed propria authoritate recessit; casu quo sit parata redire, & maritus redeuntem non vult eam admittere?

Respondeo dicendum, quod in hoc casu iam teneatur vir vxorem alere, quia ex tunc iam censetur vxor culpâ viri absens à domo. Sic Glossa *in cap. significasti, de diuortio, verb. materiam*; vbi inquit, mulierem, quæ recessit propria authoritate, & posteà vult redire, esse restituendam; & si ex eo puncto non vult maritus recipere, illam videtur spoliare, & ab ea die potest repetere expensas, non antea factas. Sic post dictam Glossam, & Innocent. Speculat. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Anton. Abbatem, D. Anton. Siluestrum, Tabienam, & alios, tenet Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 12. num. 16.* Fragosus *p. 3. regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 8. vers. quin etiam.*

QVÆSTIO XV.

An vir teneatur vxori adulteræ alimenta præstare?

Affirmant nonnulli teneri maritum præstare vxori adulteræ alimenta, etiam facta tori separatione. Fundamentum eorum est, quia maritus, in opinione communi, peccat mortaliter occidendo vxorem adulteram in adulterio apprehensam: ergo etiam peccabit mortaliter ei alimenta denegando, cùm alimenta dentur ad alendam vitam, & illorum negatio, sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ enecatio. Ita tenent Iulius Clarus *lib. 5. receptar. §. Adulterium, vers. facta autem.* Anton. Gabriel *tom. 1. communium opinion. lib. 1. fol. 11. versu adulteram vxorem.*

Alij distinguendo, dicunt, vxorem expulsam à viro ob adulterium non notorium, alendam esse à viro: secus ob adulterium notorium. Quia in priori casu non priuatur vxor iure, quod habet in virum, nec alimentis, nisi sequuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Secus verò in secundo casu; nam ob adulterium notorium potest vir vxorem domo expellere, &c. Sic Alex. de Neuo *cap. plerumque, de donation. inter vir. & vxor. num. 9. & 10.* Rosella *verb. diuortium, num. 11.* Angel. *verb. dos, num. 20.* Vbi Siluest. *q. 14. dub. 9.* Armilla *num. 18.* Tabiena *q. 11. num. 12.* Petrus Surdus *de aliment. tit. 1. q. 118. num. 5. & tit. 7. q. 16. & 17.* Ioan. Lupus, Roland. Lara, & alij, quos pro hac parte refert Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. n. 24.* Ita etiam sentit Fragos. *p. 3. Regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 9. vers. limitatur septimò.*

Sed adhuc clariùs, & distinctiùs respondeo dicendum, quod licèt hæc secunda sententia habeat verum in foro externo, in quo sicut vir non potest negare habitationem, & conuictum vxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta, sed cogetur ad vtrumque, donec diuortij sententia feratur; at in foro conscientiæ non sic. Nam sicut in hoc foro vir conscius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, potest negare conuictum, & cohabitationem illi, ita & alimenta; quia omni iure maritali potest tuta conscientia omnibus illis illam priuare. Sic Sotus *in 4. dist. 36. q. vnica, art. 3. ad fin. corp.* Barthol. à Ledesma *de matrim. dub. 67.* Rodriguez *tom. 1. sum. 2. edit. cap. 240. num. 4.* Quos citat, & sequitur Sanchez *vbi suprà, num. 25.* Fagundez *lib. 4. Decal. cap. 9. num. 22. & 23.* Qui *num. sequenti* benè respondet ad fundamentum primæ sententiæ, negando consequentiam; quia Christus Dominus permisit dimissionem vxorum ob adulterium earum; & non permisit occisionem, imò prohibuit omnes occisiones propria authoritate factas, *in 5. precepto Decal. Non occides.* Et consequenter etiam permisit illis negationem alimentorum, quia hæc non debentur vxoribus, nisi dum in obsequio virorum sunt, (vt suprà diximus *q. 9.*) Et quamvis alimentorum negatio sit quædam vitæ sublatio, imò quædam vitæ necatio; attamen id quidem est lato modo, non præsè, & per se loquendo. Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An etiam possit vir negare alimenta vxori, si eam in solis osculis, & amplexibus deprehendat?

Affirmant aliqui Iuristæ, eo ducti, quia sicut per prædicta priuatur vxor dote, ita & alimentis. Ita Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, num. 77. ff. de liber. agnoscend.* & Surdus *de aliment. tit. 7. q. 16. num. 35.*

Sed longè probabiliùs respondeo, minimè posse virum negare vxori alimenta in dicto casu; quia longè probabilius est, quod in eo casu non priuetur vxor dote, vt cum multis vt quid verum docet Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 12.* ergo nec alimentis priuari potest. Sic Sanchez *lib. 10. tit. disp. 8. n. 27.* Fagundez *lib. 4. cap. 9. num. 25.*

QVÆSTIO XVII.

An maritus teneatur alimenta, & litis expensas vxori adulteræ præstare, durante lite intentata ab ipso ad diuortium?

Negant in primis aliqui, quos refert Ceuallos *in suis qq. commun. quæst. 734. numero 17.* docentes, non teneri maritum præstare vxori adulteræ dicta alimenta, & litis expensas, quando adulterium est publicum, quia tunc nulla alimenta debet vir vxori, vt multi, quos retulimus *suprà q. 15.* docent: ergo.

Alij contrà dicunt, teneri maritum alimenta, & litis expensas vxori præstare, quamdiu litigat cum vxore, vt se ab accusatione adulterij tueatur. Quia aliàs maneret indefensa; sed hoc solùm in casu, quo mulier nulla habeat bona, ex quibus viuat, & litis expensas faciat. Probant id *ex l. quæ legatorum, ff. vt in possessionem legatorum*, ibi: *Ne suum quicquam habeat.* Sic tenet Fragosus *part.* 3. *Regim. Christ. Reipub. lib.* 3. *disp.* 6. §. 1. *n.* 8. *vers. dicendum tamen est*, vbi pro se citat Laram *in l. si quis à liberis*, §. *si vel parens*, *n.* 55. *ff. de liber. agnosc.* Felin. *in cap. ex parte.* Boer. *decis.* 325. *n.* 2. Couarru. *practicar. cap.* 6. *num.* 5. Menochium *de præsumption. lib.* 1. *quæst.* 35. Gutierrez *qq. Canon. cap.* 24. *lib.* 1. *num.* 7. vbi dicit, ita fuisse sæpe iudicatum, & se iudicasse. Valasc. *consult.* 1. *num.* 4. & Quessada *quæst. iuris cap.* 25. *num.* 6.

Alij tandem absoluè, & sine vlla distinctione affirmant, teneri in eo casu maritum, tam alimenta, quàm expensas litis ministrare vxori adulteræ, ne illi negetur iusta defensio, quæ omnibus iure naturali debetur. Sic Ioan. Lupus *de donat. inter vir. & vxor. cap. per vestras*, §. 39. *num.* 5. Rebuff. *tom.* 1. *ad ll. Gallic. de sentent. prouisionalib. art.* 3. *glos.* 1. *n.* 17. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 128. *num.* 5. Ceuallos *num.* 17. *cit.* & alij plures apud ipsum.

Sed iuxta à nobis dicta *q.* 15. respondeo dicendum, quod in foro externo cogendus sit vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori vsque ad condemnationem; in foro autem conscientiæ, quod minimè teneatur vir adulterij conscius ea dare. Sic Sanchez *disp.* 8. *citata*, *num.* 28. & Fagundez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 26. qui pro se citat Barbosam, Trentacinq. Card. Thuscum, Farinacium, & Vallascum.

QVÆSTIO XVIII.

An item teneatur vir alimenta, & litis expensas ministrare vxori, quando hæc litem diuortij aduersus ipsum virum, ob adulterium ab eo contra eam commissum, indiceret?

Respondeo vt certum, tunc etiam teneri, ne vxor aliàs expensis destituta à causa cadat. Ita Sanchez *num.* 28. *cit. fine*, dicens, de hoc non esse dubium, qui & citat Barbosam, Gutierrez, & Pegnera. Quibus addo Fagundez *cap.* 9. *cit. n.* 27. sic dicentem: Similiter, quando vxor aduersus virum litem diuortij ob adulterium ab eo contra eum commissum, indiceret, non est dubium ei virum debere alimenta dare, & expensas ad litem, ne expensis destituta à causa cadat, & ne ei negetur iusta defensio. Et ita sæpe vidi iudicari in Senatu Bracharensi, in causis matrimonialibus. Hæc ille.

QVÆSTIO XIX.

An rursus teneatur vir alere vxorem, quam iniustè domo expulit, si illa posteà necessitate oppressa in adulterium labatur?

Affirmant teneri aliqui Doctores. Nam inprimis id sentit Cifuentes *l.* 81. *Tauri*, *limitatione* 4. vbi asserit, quod quando vir iniustè vxorem expulit, si illa posteà fornicata est, ei debeat alimenta; quia viri culpâ in adulterium lapsa fuit. Sic ille. Quod idem sentire debent (vt ait Sanchez) omnes, qui docent, in tali casu virum minimè lucrari dotem, vt sunt Lupus, Tiraquel. Couarru. Ferronius, Ludou. Lopez, quos refert Sanchez *lib.* 10. *cit. disp.* 5. *num.* 10.

Sed vt multò longè probabilius respondeo, non teneri virum in eo casu, in conscientia vxori adulteræ alimenta præstare. Ratio est, quia expulsio illa iniusta minimè excusat adulterium vxoris, neque ipsi imputatur marito, nisi tanquam causa remota: ergo in conscientia maritus non debet ei alimenta. Sic Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 8. *n.* 26. Fagundez *lib.* 4. *Decalogi*, *c.* 9. *n.* 29. Et debent tenere omnes, qui docent hanc causam remotam adulterij à viro datam, malè vxorem vexando, iniustéve expellendo, non impedire accusationem adulterij ad dotis amissionem, & vt eam lucretur vir. Sunt autem Lara, Barbosa, Surdus, & Azeuedo, quos citat & sequitur Sanchez *lib.* 10. *cit. disp.* 5. *num.* 10.

QVÆSTIO XX.

An saltem teneretur vir alere vxorem, si eo fine illam expelleret, vt adulterium committeret?

Respondeo vt certum, tunc teneri illam alere; quia certum est, quod tunc non posset vir de illo adulterio accusare ad diuortium, nec ad dotis amissionem: ergo nec ad priuationem alimentorum. Sic Sanchez *disp.* 5. *cit. n.* 10. & *disp.* 8. *n.* 26. Fagundez *n.* 29. *cit.* ibi: Quod intelligo, nisi eo fine expelleret, vt vxor adulterium committeret; tunc enim sicut adultera non posset priuari dote, ita nec alimentis, quia in adulterium, saltem tacitè consentit; & maritum etiam dantem causam lenocinij, & illud procurantem, in illumq; consentientem, ab accusatione, tam adulteri, quàm adulteræ, & amissionis dotis, apposita, & probata exceptione repelli posse, est melior resolutio, quam docet Perez *l.* 1. *prope finem*, *tit.* 14. *lib.* 8. *ordinam. pag.* 276. Hortens. Caualcan. *de brachio regio*, 1. *p. n.* 281. *vers. sextò*, *lit. N.* Itaque neque etiam in foro externo vxor excusatur à pœna adulterij, vel amissionis dotis, propter famis necessitatem, aut propter paupertatem; secus si eò hæc tenderent, vt vxor adulterium committeret. Sic ille.

QVÆSTIO XXI.

An quando vir non tenetur vxorem alere, ob dotem non solutam, possit eam similiter non traducere, aut traductam domo expellere?

Affirmant aliqui, dicentes, posse tunc virum vxorem non traducere, traductamque domo expellere; eique alimenta, & cohabitationem denegare. Probant primò *ex c. per vestras de donat. inter vir. & vxor. & ex l fin. C. ad Senatusconsult. Velleian.* Secundò, quia vir non tenetur vxori alimenta præstare, dum minimè ei soluitur dos promissa, vt habitum est suprà *q.* 3. Ergo neque habitationem, cùm hæc nomine alimentorum veniat, vt habitum est *sup. tract.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 10. Tertiò, quia vir sine dote non adstringitur onera matrimonij subire, vt habitum est suprà, *quæst.* 6. *& seqq.* atqui inter onera illud maximum videtur, ferre videlicet leuitatem, loquacitatem, importunitatem, aliasque

aliasque mulierum molestias, quæ omnia, cohabitatione negata, vitat: ergo. Ita tenent Abbas *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 4. vbi Anchar. *num.* 13. Præpositus *num.* 2. Alex. de Nævo *n.* 3. *&* 4. Ioan. Lupus *ibi, notab.* 3. *num.* 2. Bald. Paul. Roman. Mandos. Socin. Ruin. Iason citati à Sanchez, necnon etiam apud ipsum Angel. *verb. dos, num.* 9. Tabiena *q.* 8. *n.* 9. Armilla *n.* 10. Anton. Gomez *l.* 53. *Tauri, num.* 31. Gomez Arias *l.* 27. *Tauri, n.* 129. & alij, quos sequitur Fragos. 3. *p. lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 7.

Eandem sententiam tenet Nouellus Baldus *de dote p.* 6. *priuilegio* 43. *num.* 3. cum limitatione tamen, nempe, quod attento iure Canonico, expulsio prædicta vxoris fiat, non propria authoritate, sed præcedente iudicio Ecclesiæ. Et pro ista sententia sic limitata citat Fagundez, vbi infra, Angelum, & Tabienam locis à nobis pro eadem sine limitatione citatis. Sed malè, vt vidi illos.

Deinde hanc ipsam sententiam tenet Sà *verbo dos, n.* 3. limitans aliter quoad expulsionem, dicendo, quod licèt maritus possit vxorem expellere; non tamen casu, quo ipsa vacet culpâ non solutionis dotis. Accipe verba Emmanuelis: Acceptam sine dote, tenetur vir alere. Quod si dos promissa non soluitur, non tenetur in domum accipere, aut alere. Non potest tamen ea de causa à domo pelli, si ipsa sine culpa est: nec ei potest debitum coniugale negari. Sic Sà. Pro cuius sententia citat Mag. Sacri Palatij, Couarruuiam 2. *p. Epitomes, cap.* 8. §. 6 *num.* 2. sed omninò malè, quia ibi nec verbum de hac re loquitur, sed *cap.* 7. *initio, num.* 2. vbi nostram sententiam infrà adducendam docet.

Alij distinguendo docent, quod si vxor non sit traducta, tunc possit vir eam non traducere, quoad vsque dos promissa sibi soluatur. Si verò iam traducta sit, tunc non possit illam à domo expellere propria authoritate.

Primam partem huius responsionis probant argumentis primæ sententiæ. Secundam verò *ex cap. porrò, de diuortiis*, decidente vxorem adulteram propria authoritate dimitti non posse. Pro hac sententia citat Fagundez Petrum Barbosam, *l.* 1. *part.* 3. *ff. soluto matrim.* Molinam 2. *tom. de iust. disp.* 425. *vers. si marito dos.* Couarruuias *in* 4. *decret. cap.* 7. *in princip. num.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri, num.* 31. Siluestrum *verb. dos, quæst.* 10. *num.* 11. & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 3. *fine, & cap.* 17. *num.* 2.

Sed nullus ex his Doctoribus, excepto primo, & vltimo, sunt pro hac parte: constat ex verbis eiusdem Molinæ, quæ sunt hæc. Si marito dos non persoluatur cum vxore, non tenetur eam alere, neque illam adducere in domum, ad eam sustentandam, & sustinenda onera matrimonij; quin potiùs si illam iam adduxerat, potest eam expellere, ac mittere in domum parentum illius, ad effectum eam non sustentandi, nec sustinenda onera matrimonij. Ratio est, quoniam dos quasi in pretium datur pro sustentanda vxore, & sustinendis cum illa oneribus matrimonij, eaque de causa, deficientibus, qui in pretium, aut quasi pretium pro oneribus matrimonij sustinendis dotem promiserant, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere. Ita Panormitan. *cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. num.* 5. Siluest. *verbo dos, quæst.* 9. Couarru. *in epitome* 4. *lib. decret. cap.* 7. *in princip. n.* 2. Anton. Gomez *ad l.* 50. *Tauri, num.* 31. & communis Doctorum sententia, quam citant. Hæc Molina. Ex quo constat, malè citari ipsum, & alios citatos à Fagundez pro hac sententia, *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 8

Vnde cum ipso Molina probabiliùs respondeo & teneri virum traducere vxorem, dote non soluta, quam cum dote duxit; & iam traductam teneri in conscientia eam domi retinere, & non posse eam expellere, & ad illius retentionem posse in foro externo obligari; non tamen teneri ad eam alendam.

Hæc sententia (vt ait Surdus mox citandus) est iuri Canonico conformior, saluti animarum vtilior, magis amorem inter coniuges fouens, & naturæ matrimonij, qui est contractus perpetuus, & indissolubilis, magis accommodata, & ideò magis à nobis probanda.

Ratio pro illa sit; quia promissam dotem solui, aut non solui, nihil ad ius cohabitandi attinet: patet, quia ius cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex intrinseca natura contractus ipsiusmet matrimonij, & ex lege naturali, & diuina, sicut & obligatio reddendi debitum coniugale: ergo sicut non solutio dotis non eximet virum ab obligatione reddendi debitum, ita non eximet ab obligatione cohabitandi. Sic Sanchez latè id probans *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 17. & apud illum Carol. *in addit. ad Alex. consil.* 55. *num.* 10. *lib.* 4. Vezil. *in addit. ad Afflict. decis.* 284. *n.* 4. Couarru. *num.* 2. *cit.* Baeza *de non meliorand. filiab. causâ dotis, cap.* 32. *num.* 21. Octauian. *decis. Pedem.* 132. *num.* 18. Anton. Cucus *lib.* 5. *institut. maiorat. tit.* 11. *num.* 127. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *rubr. glossa* 1. *num.* 21. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 17. *num.* 21. Molina *loco à nobis cit.* & Ludou. Lopez 2. *p. instr. de matrim. cap.* 54. *ad finem.* His addo Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 9. *num.* 18. *& cap.* 13. *num.* 2. vbi in vtroque loco citat Afflictum pro hac parte; sed id non docet Afflictus, sed eius additionator Vezil. vt Sanchez *loco citato.*

QVÆSTIO XXII.

An saltem iudicis authoritate posset vxor ob hanc causam, nempe ob dotem non solutam, à viri domo expelli?

Affirmabunt omnes DD. pro prima opinione nuper adducti.

Sed iuxta nostram sententiam respondeo dicendum, quod non possit, quia non solutio dotis non est sufficiens expulsionis causa. Sic Couarru. *cap.* 7. *cit. num.* 2. his verbis: Vnde id verum esse opinor, maritum non posse dimittere vxorem, etiam iudicis authoritate, ex eo quod dos soluta non sit. Sic ille, quem citatum sequuntur Sanchez, & Fagundez *vbi suprà.*

§. II.

De obligatione, quam habet maritus dotandi vxorem, vbi & de donationibus inter illos.

QVÆSTIO XXIII.

An donationes inter virum, & vxorem, constante matrimonio, sint à iure prohibitæ?

RESpondeo vt quid certum, esse prohibitas; quia sic habetur expressè *in cap. fin. de donat. inter virum, & vxorem, & l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit. & l. 4. tit. 11. part. 4.* Ratio autem prohibitionis est, ne coniuges se ipsos mutuo amore spoliarent: quia si absque distinctione concederentur, nullus modus, aut finis donationibus poneretur, *l. 1. ff. de donat. cit.* Sic tenent omnes DD. Legantur Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 1. concl. 1. n. 2.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 389.* Lessius *lib. 2. de iust. dubit. 12.* Azor *3. p. lib. 11. cap. 10. q. 1.* Rebell. *part. 2. lib. 6. q. 13. num. 8.* Fragosus *part. 3. regim. Christ. Reip. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 1.*

QVÆSTIO XXIV.

An ex donatione facta inter virum, & vxorem, oriatur aliqua obligatio naturalis, & in foro conscientiæ?

RESpondeo vt certum, nullam obligationem, nec ciuilem, nec naturalem, seu in foro conscientiæ, ex tali donatione oriri: quia quando lex alicui conuentioni resistit, nec obligatio oritur naturalis, *l. cùm lex, ff. de fideiuss.* Sic habetur expressè *in l. 3. §. sciendum autem, ff. de donat. inter virum, & vxor.* ibi: *Ipso iure, quæ inter virum, & vxorem, donationis causa geruntur, nullius momenti sunt.* Sic Bart. Greg. Lopez, & Anton. Gomez, quos citat, & sequitur Sanchez *num. 2. cit.* Fragosus *n. 1. versic. quod adeò verum est, & num. 3. vers. similiter.*

QVÆSTIO XXV.

An dictæ donationes inter virum, & vxorem sint prohibitæ iure gentium?

AFfirmant aliqui, quos suppressis nominibus refert Fragosus infrà citandus.

Sed vt certum respondeo, quod non. Tum, quia hæc prohibitio non est in vsu apud omnes gentes, apud quas ius gentium custoditur, docente id naturali ratione, *l. omnes populi, de iust. & iure.* Tum etiam, quia in multis casibus hæ donationes permittuntur, vt infrà: ergo nec iure gentium, nec naturali ratione interdictæ sunt. Sic Fragosus *3. p. regim. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 2. & 3.*

QVÆSTIO XXVI.

An huiusmodi donatio inter coniuges ita sit inualida, vt omninò nulla sit, etiamsi iuramento confirmetur?

AFfirmant aliqui *ex l. 1. 2. & 3.* vbi dicitur, moribus esse receptum, ne valeant hæ donationes, ne coniuges amore se inuicem spoliarent, profusa erga se liberalitate vtentes: ergo cùm huiusmodi donationes sint contra bonos mores, non modò ciuiles, sed naturales, non possunt firmari iuramento. Ita Ruin. *in consil. 132. n. 15. & consil. 154. num. 3. lib. 4.* & Purp. *consil. 134. à num. 3.* Bald. Bart. Salic. Fulgos. Cardin. Præpositus, Alciatus, & alij apud Sanchez.

Sed multò longè probabilius respondeo huiusmodi donationes posse firmari, & validari iuramento. Tum quia iura citata non omninò illas refellunt, ac reiiciunt, eo quod omninò nullæ sint; sed quia possunt ad libitum à coniuge donante reuocari vsque ad mortem; & mors donantis expectari debet, vt confirmentur, vt ex iure docet Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 1. n. 3. & disp. 14. num. 1.* Tum quia iuramentum, quamvis videatur contra bonos mores ciuiles, non est tamen contra bonos mores naturales, in quo casu confirmat contractum, vt diximus *part. 7. disp. 9. de iuram. q. 42.* ergo, &c. Sic Sanchez *lib. 6. cit. disp. 11. num. 2.* & penes illum Gomez Arias *l. 48. Tauri, num. 13.* Rosella *donatio 1. num. 40.* Angel. *donatio 3. num. 4.* Siluest. *donatio 2. q. 4.* Tabiena *donatio 3. q. 3. n. 4.* Armilla *verb. donatio, num. 27.* Couarru. *1. variar. cap. 7. num. 4. & rubr. de testam. 2. p. n. 10.* Ant. n. Gomez *l. 52. Tauri, num. 66. casu 6.* Tello *l. 17. Tauri, num. 92.* Gutierrez *de iuram. 1. p. cap. 3. n. 7.* Greg. Lopez *l. 4. verb. son defendidas, tit. 11. part. 4.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 289. ad fin.* Ludou. Lopez *lib. 2. de contractib. cap. 47. §. Nunc verò agendum.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 92. num. 2.* & alij plures. Quibus addo Azorium *part. 3. lib. 11. cap. 10. q. 1.* Lessium *lib. 2. de iust. cap. 18. dubit. 12. num. 88.* Fragosum *3. p. regim. lib. 3. disp. 4. §. 1. num. 6.*

QVÆSTIO XXVII.

An vir possit donare, aut dotare vxorem constante matrimonio?

AFfirmandum videtur ex eo, quod vxor non solùm ante matrimonium, sed etiam eo constante potest dotem constituere viro: ergo & vir similiter poterit. Antecedens probatur, quoniam mulier dotata à principio, potest constante matrimonio augere dotem, *Instit. de donat. §. est & aliud, vers. & primis quidem*: ergo à fortiori poterit constituere dotem, quando dotata non est.

Sed vt certum respondeo, non posse virum constante matrimonio dotare vxorem, *l. si quis vxori, ff. de donat. inter vir. & vxor.* Et ratio est, quia dotem constituere, est donare, *l. fin. §. si à socero, ff. quæ in fraud. creditor.* Atqui est prohibitum viro constante matrimonio vxori donare, & è contrà, vt suprà est habitum: ergo. Sic Siluest. *verb. dos, q. 6.* Angel. *num. 6.* & Armilla *num. 8.* quos citat, & sequitur Bassæus *tom. 2. verbo dos, n. 1.* & antea Panormit. *in cap. & si necesse, de donat. inter vir. & vxorem.*

& Collossens.3. & D. Petrus *in sua 1. epist. cap.3.* Sic omnes. Legantur Nauar. *cap.14. num.20.* Toletus *lib.5. sum. cap.2.* Ludou. Lopez *1.p. instruct. cap.1.* Philiarcus *de offic. Sacerd. part.2. lib.4. cap.19.* Rodrig. *1.p. sum. cap.15.* Sayrus *in Claui Regia lib.7. cap.7. à num.10.* Bonac. *tom.2. disp.6. q. vnica, punct.7. à num.11.* Trullench. *lib.4. in Decal. cap.5. dub.4. à num.16.* Filliuc. *tract.28. cap.9. q.6.* & alij infrà citandi.

QVÆSTIO IX.

An non solùm ex obedientia, verùm etiam ex iustitia teneatur vxor obedire marito?

RESpondeo quod sic, quia in matrimonio tacitè hic contractus celebratur inter virum, & vxorem: *Ales me, & ego* (ait vxor) *tibi dotem dabo, & insuper tibi in licitis obediam*: ergo ex vi contractus huius & tenetur vir vxorem alere, & illi cohabitare, iuxta superiùs dicta; & vxor tenetur dotem promissam marito dare, & illi tanquam capiti obedire, & obsequium præstare, iuxta infrà dicenda. Sic Fagundez *lib.4. in Decal. cap.12. num.1. & 2.*

QVÆSTIO X.

An teneatur vxor sub culpa mortali obedire marito in iis, quæ ad gubernationem domus, atque familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, teneri, quia cùm maritus sit caput, ad eum pertinet gubernare domum, & familiam: ergo si vxor in his suo marito obedire renuat, mortaliter peccabit, generaliter loquendo. Sic Nauarr. *cap.14. n.9. fine*, ita scribens: Vigesimo primò peccat mortaliter vxor, quæ marito est notabiliter inobediens in his, quæ ad regimen domus, & familiæ, bonosque mores pertinent, *cap. est ordo, & cap. hac imago 33. q.5.* Ricard. *vbi suprà, dist.37.* Hæc ille, & alij communiter.

QVÆSTIO XI.

An vxor semper peccet mortaliter non obediens marito in his, quæ ad gubernationem domus, & familiæ spectant?

RESpondeo vt certum, quod non semper peccet mortaliter, quia si desit contemptus, & contumacia, non peccabit mortaliter in hoc, quod velit in aliquibus gubernare, & suum iudicium mariti iudicio præferre; quia obligatio, & subiectio vxoris erga præcepta mariti, non est tanta, vt in licitis, & honestis, absque mariti contemptu non possit illa suum iudicium interponere: nam vxores non sunt mancipia, aut ancillæ, sed sociæ; & ideò in aliquibus debent mariti illarum iudicium sequi. Sic Fagundez *num. 1. cit.* & anteà Nauarrus *vbi suprà, num.10. in fine*, assignans rationem, inquiens; quoniam cùm præceptum mariti non sit maius, quàm Ecclesiæ, *argum. eorum quæ suprà eod. cap. num.12.* diximus, & illud non obliget semper sub mortali, si desit contemptus, iuxta S. Thom. *2.2. q. 186. art.9.* & latè per nos *in rubr. de pœnitent.* & communem opinionem; non etiam eius præceptum semper obligat, si contemptus absit, licèt aliquando sic. Hæc meus Nauar. Sic etiam Sayrus *loco cit.* & Bonac. *num.12.* dum ait, peccare vxorem, dum inuito marito, ius gubernandi domus sibi arrogat: nam alienam sibi potestatem vsurpat, &c. Trullench. *num. 16. cit.* & alij relati *sup. q.8.*

QVÆSTIO XII.

An peccet mortaliter vxor non obediens marito præcipienti illi, vt superflua, & vana, moresque incompositos exuat?

AFfirmandum absolutè videtur, quia tale præceptum verè est iustum: ergò mortale erit ei contrauenire.

Sed iuxta nuper dicta respondeo non peccare mortaliter, si desit contemptus, & contumacia; quia quamuis præceptum illi impositum sit iustum, non tamen tenetur illi vxor obedire sub tanta culpa, ob materiæ leuitatem; & ideò deficiente contemptu, & contumacia, non peccabit vxor mortaliter frangendo illud. Sic Nauar. *loco cit. vers. vigesimo-octauò.* Sayrus *in claui Regia lib.7. cap.7. n.10. vers. quintò*, Trullench *lib.4. cap.5. dub.4. n.16.* ibi: Sic peccat mortaliter vxor, si ex contemptu marito non obediat, dum præcipit, vt superflua, vana, moresque incompositos exuat: sine contemptu autem mariti præceptum non obligat ad mortale. Sic ille.

QVÆSTIO XIII.

An in aliquibus casibus possit vxor sine vllo peccato se ingerere in administratione familiæ, & domus?

RESpondeo posse in duobus præcipuè casibus. Primus est, quando maritus est prodigus, & dilapidat bona familiæ, vel in compotationes, vel in mulieres, &c. tunc enim licitè potest mulier, etiam contra præceptum viri, surripere occultè pecunias, ne disperdantur. Sic Siluester *verbo furtum, num.10.* vbi quærit, vtrum vxor, quæ habens virum prodigum, contra eius prohibitionem celat de bonis eius, vt sibi, & viro prouideat tempore opportuno, furtum committat? Respondet cum Rod. quod non, nec tenetur obedire viro præcipienti omnia sibi tradi; quia sic etiam daretur gladius furioso Sic Siluest. & Trullench *lib.4. in Decal. cap.5. dub.4. n.18. & lib.7. cap.5. dub.8. n.17.*

Secundus est, quando vir morosus est, & non vult concedere ea, quæ sunt domui, & familiæ necessaria, tunc etiam potest vxor accipere contra mandatum viri ea, quæ sunt necessaria ad bonam domus gubernationem. Sic Trullench *loco cit.* Legantur pro hac materia dicta à nobis *tract. de eleemosyna, part.6. disp.3. q.23. & 27.* vbi diximus, non peccare vxorem elargiendo contra prohibitionem mariti eleemosynas consuetas, &c.

QVÆSTIO XXXI.

An possit vir dotare virginem, quam violauit, & posteà eam duxit?

Respondeo vt certum, posse; quia tunc ad id tenetur, *ex cap. 1. de adulter.* Vnde talis dotis constitutio valida erit, licèt propriè non possit dici donatio, cùm sit debita, sic Bassæus *tom. 2. verbo dos, num. 2.* ex Sanchez omninò non citato, *lib. 6. de matrim. disp. 7. num. 6.* & Ioanne Lupo *rubr. de donation. §. 30. num. 3.*

QVÆSTIO XXXII.

An quando Papa dispensat cum duobus consanguineis, ea conditione, vt vir vxorem pauperem dotet, valeat tunc dotis constitutio?

Respondeo vt certum, valere; quia non dat gratis talem dotem, sed illam vxori constituit ex causa onerosa, nempe vt Pontifex dispenset. Sic Bassæus *loco cit.* qui idem docet casu, quo vir constitueret dotem vxori, vt animi discordes concilientur consanguineorum vtriusque coniugis, ex Sanchez non citato *vbi suprà, num. 7. & 9.*

QVÆSTIO XXXIII.

An valeat dotis constitutio vxori à marito facta, vbi viget consuetudo, quod vir dotet vxorem?

Respondeo vt certum, valere; quia consuetudo est altera lex, quæ contrariam vincit. Sic Ioan. Lupus *rubr. de donat.* Vincentius *cap. & si necesse, de donat. inter vir. & vxorem*, vbi Ioan. Andreas *num. 2.* Anton. *num. 2.* Cardin. *num. 1.* quos citat, & sequitur Sanchez *disp. 7. cit. n. 8.* & Bassæus *n. 2. cit.*

DISPVTATIO II.

De obligatione vxoris erga maritum.

---

§. I.

De obligatione, quam habet vxor alendi maritum.

QVÆSTIO PRIMA.

An vxor diues teneatur viro suo inopi alimenta præstare?

Respondeo vt certum, teneri, & sub mortali; quia maritus, & vxor sunt participes infortuniorum, *l. si cùm dotem, §. si maritus, ff. soluto matrim.* ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse.* Et benè, quia correlatiuorum eadem est ratio, & decisio: sed sic est, quod maritus diues tenetur vxorem alere indotatam, & quæ aliunde non habet, vt diximus suprà *tract. 2. disp. 1. q. 2. & 3.* ergo pari ratione tenebitur mulier dare alimenta viro suo inopi. Sic Pontanus *de aliment. cap. 14 num. 1.* Azeuedo *lib. 5. recopilat. tit. 3. l. 9. num. 33.* vbi Marienzo *glossa 4. num. 2.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 35. num. 6. & 7. & q. 36. num. 6. & 7.* Specular. Bartol. Ioan. Lupus, Lara, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 27.* Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 7. num. 12. vers. quintò*, Trullench. *lib. 4. decal. cap. 5. dub. 4. num. 20.* Fragosus *3. p. regim. Christ. Reipub. disp. 6. §. 1. num. 17.*

QVÆSTIO II.

An etiam casu, quo maritus inciderit sua culpa in paupertatem, teneatur vxor illum alere?

Negant aliqui, eo adducti argumento; quia filius eximitur ab onere alendi patrem propter delictum: ergo etiam eximetur vxor ab obligatione alendi maritum, quando culpâ sua incidit in paupertatem. Ita tenent Baldus *consil. 478. n. 2. volum. 5.* Tiraquel. *in l. si vnquam, vers. bona, n. 5. C. de reuocandis donat.* Crauetta *in corollar. consilij pro genero, num. 39. & 42.*

Sed probabiliùs respondeo etiam, teneri in hoc casu maritum vxorem alere, quia probabilius est, quod filius teneatur alere patrem, qui sua culpâ incidit in paupertatem, vt colligitur ex dictis suprà *tract. 1. disp. 5. q. 3. & seqq.* ergo & vxor maritum. Sic colligitur *ex l. mutus, §. manente, ff. de iure dotali; & ex Authent. de incest. nuptiis, §. si verò contigerit.* Et docent Bartol. *in l. amissione, §. qui deficiunt, ff. de capit. minut.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 3. à num. 4.* Fragosus *part. 3. regim. lib. 3. disp. 6. §. 1. num. 19.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO III.

An vxor teneatur mittere alimenta suo marito pauperi sua culpâ bannito, vel exulanti, aut damnato ad triremes?

Negat Glossa *l. si stipulata, in fine, verbo, contra sexus naturam, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Sed probabiliùs multò respondeo teneri. Probatur ex dictis *tract. 1. disp. 5. q. 6.* vbi vt longè probabilius docuimus, teneri filium alere patrem bannitum, aut proscriptum: ergo & tenebitur vxor suum virum pauperem sua culpâ bannitum, exulem, &c. Sic *l. mutus, suprà cit.* Et docent Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 41. num. 13.* & *lib. 9. disp. 4. num. 23.* & penes ipsum, Gigas, Cephalus, Dueñas, Bossius, Iul. Clarus, & Anton. Gabriel. Sic etiam Fragosus *loco citato, num. 19.* & latiùs *num. 21.* ibi: Ex dictis (inquiens) vt verum apparet, fructus dotis, & donationis propter nuptias seruire sustentationi mariti, & vxoris; atque ita maritus, non obstante quod sit hostis ciuitatis, si id contingat, debet ali de bonis dotalibus ab vxore. Sic ille.

vita, siue in morte. Tum etiam; quia coniuges tenentur ad mutuum obsequium, quod præstare sibi nequeunt, nisi simul habitent: ergo cùm vir sit caput mulieris, vt suprà est habitum, necessum est, vt vxor suum virum sequatur. Sic Nauar. *cap.14. num.20.* Graffis *lib.2. decis. cap.59. num.2.* Philiarc. *de offic. sacerd. tom.1. part.2. lib.4. cap.19. vers. sextò.* Rodriguez *tom.1. sum. cap.15. num.2.* quos citat, & sequitur Sanchez *lib.1. de matrim. disp.41. num.2.* Fagundez *lib.4. cap.12. num.7.* qui aduertenter est legendus; eo quod incuria Typographi aliqua verba desint. Sayrus *lib.7. cit. cap.7. num.10. vers. septimò.* Trullench *loco cit.* & omnes. Adduntque Sanchez, Fagundez, & alij apud ipsos, hanc doctrinam adeò veram esse, vt contraria consuetudo, tanquam iuri diuino aduersa, nihil prosit.

QVÆSTIO XX.

An rursus teneatur vxor sequi virum domicilium aliò mutantem, etiam casu, quo matrimonium contractum fuerit, sub pacto non mutandi illud?

Affirmant adhuc teneri in hoc casu vxorem sequi suum virum, qui existimant tale pactum in matrimonio appositum esse inualidum, eo quod repugnare videatur libertati matrimonij. Ita Alex. de Næuo, Couarru. Salzedo, Anton. Gomez, Azeuedo, Ludou. Lopez, quos pro hac parte citauimus ex Thoma Sanchez *parte 2. tract. 9. de matrim. disp.1. q.54. & 55.*

Sed probabiliùs respondeo non teneri vxorem in hoc casu sequi suum virum; quia probabilius est tale pactum esse validum, vt probauimus *q.55. citata*: ergo supposita validitate illius, nequit vxor obligari ad mutandum domicilium, nec ad suum sequendum maritum. Sic Sanchez *lib.1. de matrim. disp.40. num.2.* & penes ipsum, Hostiens. Panormit. Præpositus, Henriquez, Anton. Gomez, Lupus, Bern. Diaz, Rosella, Angel. Siluester, Armilla, Nauarr. & alij vsque ad triginta, & septem Doctores. Quibus addo Basilium *lib.12. de matrim. cap.20. num.1.* Fagundez *lib.4. Decal. cap.12. n.8.* Trullench *lib.4. cap.5. dub.4. num.16. vers. quintus,* Sayrum *lib.7. Clauis, cap.7. num.10. vers. septimò,* Toletum *lib.5. sum. cap.2. fine.*

QVÆSTIO XXI.

An saltem casu, quo, stante prædicto pacto non mutandi domicilium, superueniat grauis causa viro illud mutandi, tunc teneatur vxor illum sequi?

Respondeo vt certum, tunc teneri illum sequi, etiamsi dictum pactum esset iuramento firmatum; quia tunc iam pactum non obligat: ergo illo spreto tenebitur vxor suum virum sequi. Sic Sanchez, *loco cit. n.3.* & ex illo Fagundez *cap.12. cit. num.9.* vbi docet nostram, & suam sententiam, superiori quæstione positam, intelligendam esse, nisi aliàs noua, & grauis causa superueniat recedendi, v.e. quia cœli temperies minùs salubris est, & est impedimento saluti, vel generationi, aut procreationi filiorum; vel si in eo oppido capitales inimicitias contraxit: tunc enim, spreto pacto, etiamsi iuramento firmatum fuisset, possunt aliò migrare. Nam in eo casu pactum antecedens obligare non posset; semper enim pacta intelligenda sunt, persistente eodem rerum statu, & non mutato. Itaque in hoc casu iam vxor, spreto pacto, teneretur virum sequi. Et ideò ita sentiunt communiter DD. & nos iam diximus *2. p. tr. 9. de matrim. disp.1. q.55.*

QVÆSTIO XXII.

An teneatur vxor suum virum mutantem domicilium sequi, si ei valetudinis, vel salutis corporalis sequatur detrimentum?

Respondeo vt certum, tunc non teneri illum sequi, sicut non tenetur debitum coniugale cum notabili salutis iactura reddere. Sic Sotus *in 4. dist.35. q. vnica, art.1. ad 2. fine,* quem citat, & sequitur Sanchez *disp.41. cit. n.3.* Fagundez *lib.4. Decal. cap.12. n.14.*

Addit Sanchez *n.4.* ex Nauarro *lib.4. consil. tit. de diuortio, consil.2. num.4.* quod vxor quæ probabiliter timens fore, vt necetur à marito extra territorium, minimè teneatur ipsum sequi: quod idem dicit Trullench *loco cit. sub num. 16. vers. primus.*

QVÆSTIO XXIII.

An item teneatur virum sequi vxor, si ipsa trahatur ab illo ad peccandum?

Respondeo vt certum, nec tunc teneri vxorem virum sequi; quia vrgentius est præceptum vitandi peccati, vitæque tuendæ spiritualis, quàm præceptum cohabitandi viro. Sic Rosella *verb. vxor, num.3.* & ibi Angel. *num.9.* Siluest. *q.8.* Tabiena *q.2.* Armilla *num.6.* Nauarr. *in sum. cap.14. num. 20. & lib.4. consil. tit. de diuortiis, consil.2.* (non 7. vt legi apud Fagundez) *num.4.* Sanchez cum aliis *loco citato, num. 4.* Fagundez *num.15.* Trullench *num.16.* & omnes.

QVÆSTIO XXIV.

An deinde adstringatur vxor sequi suum virum Anglicum, ad terras hæreticorum proficiscentem?

Respondeo tanquam certum ex dictis, non adstringi; quia exponitur periculo amittendæ fidei. Sic Fagundez *loco citato, num.16.* ita scribens: Hinc sequitur, si detur periculum peccandi mortaliter, vel amittendæ fidei, non teneri mulierem sequi virum; veluti si vir ad hæreticos velit proficisci, vt ibi viuat. Vnde si mercator Anglus coniugatus cum Lusitana velit vxorem in Angliam deferre, non teneretur illa illum sequi; datur enim euidens periculum peccandi, & fidei amittendæ. Sic ille.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXV.

An desideretur causa iusta in viro mutandi domicilium, vt vxor teneatur eum sequi?

AFfirmat Alexand. de Næuo *in cap. de illis, de sponsalib. num.* 11. *& cap.* 1. *num.* 7. *qui matrimonium accusare possunt*; eo quod durum videatur velle obligare vxorem ad sequendum suum maritum volentem sine causa aliò domicilium mutare.

Sed vt quid certum respondeo, teneri vxorem sequi suum virum, qualitercumque velit transferre domicilium, modò id non faciat ex causa turpi, & inhonesta. Probatur, quia aliàs nulla esset differentia inter virum, & vxorem, quod absurdissimum, & contra omnium mentem esset; cùm quando causa necessaria subest ex parte vxoris, teneatur vir ipsam sequi. Item, quia cùm vir sit caput, ipsius est gubernare, & eligere domicilium, non autem vxoris, quæ gubernationi viri subest, vt suprà diximus; ergo quomodocumque vir eligat domicilium, modò non ob turpem causam, tenetur vxor illum sequi. Nec hoc durum videri debet, cùm maritus sit caput, ad quod gubernatio domus spectat, vt suprà est habitum. Sic Glossa *in cap.* 1. *de coniug. lepros. verb. sequatur.* Hostiens. & Innocent. *ibidem*, Anton. *num.* 11. Anchar. *n.* 6. Abbas *in capite de illis, de sponsalib. num.* 4. Rosella *verbo vxor, num.* 3. Angel. *num.* 9. Siluest. *q.* 8. Tabiena *q.* 2. quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 41. *num.* 5. & omninò ex illo non citato, Fagundez *lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 17.

QVÆSTIO XXVI.

An vxor teneatur sequi suum virum vagabundum?

REspondeo cum distinctione dicendum, quod aut in tempore contracti matrimonij minimè vagari solebat, aut si solebat, id vxor ignorauit; & tunc non tenetur eum sequi: aut vagari solebat, nec id latuit vxorem; & tunc tenetur eum sequi, quia ad hoc onus se obligauit. Sic Sanchez *loco cit. num.* 6. & apud ipsum Rosella, Angel. Tabiena, Siluest. Armilla, Couarr. Capua, Rodriguez, & alij plures, inter quos est meus Nauarr. *cap.* 14. *num.* 20. vbi ferè omnem doctrinam à nobis superiùs traditam iis verbis comprehendit: Vigesimonond peccat vxor, quæ non vult sequi maritum aliò migrantem; etenim sub reatu culpæ mortalis eum tenetur comitari, *cap. vnaquaque* 13. *q.* 1. nisi pactum præcesserit inter eos, ne maritus aliò migraret: tunc enim minimè teneretur, nisi viro aliqua iusta necessitas illinc discedendi superueniret, vt morbus, vel capitalis inimicitia. Neque etiam teneretur sequi maritum vagabundum, si eo tempore, quo matrimonium contraxerunt, ille non solebat vagari; vel vxor eiusmodi mariti morem non intellexerit, Glossa *in d. c. vnaquaque, & cap. si quis necessitate* 34. *q.* 1. Etenim si id prænouisset à principio, teneretur eum sequi, quamdiu ex honesta causa ille vagaretur, non tamen si ob turpem causam id faceret maritus, vel circunduceret, exponendo peccati, vel mortis periculo; quia tunc nullatenus ipsum sequi teneretur. Qui enim ita vagatur, absque dubio peccat, & proinde non est illi consentiendum. Sic Nauar. sic etiam Sayrus *lib.* 7. *Clauis. cap.* 7. *num.* 10. *vers. septimò.* Fagundez *cap.* 12. *cit. fine.* Trullench *num.* 16. & omnes communiter.

QVÆSTIO XXVII.

An si vir nolit vagari, nec mutare domicilium, sed solùm aliquò se ad tempus transferre, tunc teneatur vxor illum comitari?

NEgant tunc teneri vxorem suum virum comitari Angel. *verb. vxor, num.* 9. vbi expressè dicit, quod aut vir transfert domicilium, aut non; si transfert, tunc teneatur sequi; si verò non transfert, tunc non teneatur eum sequi. Ita ille, qui & citat Hostiens. idem sentit Syluester *eodem verb.* iisdem verbis Angeli non citati, *q.* 8. Tabiena *q.* 2. *num.* 3. Pedtaza *sum. precepto* 6. §. 7. Speculum conscientiæ *tract.* 2. *cap.* 36. §. 1. & Armilla *verb. vxor, num.* 6. qui id docet verbis Angeli, & Siluestri, quos non citat.

Sed probabiliùs respondeo cum distinctione dicendo, quod aut vir intendit facere longam peregrinationem animo citò redeundi, aut animo commorandi ibi ad longum tempus. Si primum intendat, non tenetur vxor sequi, benè tamen si secundum. Sic Henric. *cap. de illis, de sponsalib. num.* 3. Alex. de Næuo *ibi. num.* 9. & Abbas *n.* 4. quos sequitur Sanchez *lib.* 1. *de matrim. cap.* 41. *num.* 10. vbi in bonum sensum intendit explicare Authores primæ sententiæ, sed frustra certè, cùm clarè oppositum, vt vidimus, sentiant.

QVÆSTIO XXVIII.

An vxor teneatur comitari suum virum, ob delictum aliquod in exilium missum?

NEgant multi, eo quod par non sit, vt vxor innocens patiatur incommodum culpæ viri, & ob alienum delictum puniatur. Ita Bald. *l. si cùm dotem*, §. *si maritus, num.* 1. *ff. solut. matrim.* vbi Imola *num.* 17. *fine.* Alex. *l. Mania*, §. *fin. ff. de annuis legat.* Additionator Bartoli *in d. l. Mania*, §. *vxore.* Ioan. Lupus *capite per vestras, de donat. inter vir. & vxorem, in princip.* §. 9. *num.* 13. & Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 10. *num.* 4. ibi: Si autem seruum inscio domino contrahentem vendat in longinquum, tenetur vxor sequi maritum, nisi bannitus sit, idest relegatus, aut excommunicatus. Hæc Henriquez, qui citat pro se Bossium, & Fratr. Alexand. Couarru. & Simancas.

Sed probabiliùs respondeo, teneri comitari, & sequi suum virum. Ratio est, quia vxor debet sequi infortunium viri, *l. si cùm dotem*, §. *sin autem, ff. solut. matrim.* & ideò tenetur cohabitare, reddere debitum, & alimenta præstare viro excommunicato, vt suprà habitum est. Ergo etiam tenebitur illum in exilium missum sequi. Nec est punire vxorem (vt benè Sanchez) ob viri delictum; nam pœna solùm imponitur viro: sed quia vxor iure diuino tenetur eum sequi ex causa ineuitabili aliò migrantem, per accidens id infortunium

nium patiatur vxor. Sic expressè loquendo de nostro casu, tenet Hugo *cap. si quis necessitate* 34. *q.*1. Goffred. *in cap.*1. *qui matrim. accus. possunt, num.*7. Anton. *cap. de illis,de sponsal.* vbi Henricus *num.*3. Alex.de Næuo *num.*11.& idem Alex.*cap.*1. *qui matrim. cit. num.*7. vbi Anchar. *num.* 4. *&* 5. Bossius referens Cepolam, *pract. crimin. tit. de crimine læsæ Maiest. num.*32. Et loquendo de viro, qui exiit à ciuitate, ob homicidium admissum, tenent Glossa *in cap.*1. *qui matrim. accus. possunt, verb. exiit*, & Hostiens. *ibidem*, nec non Ioan. Andr. *num.*2. & Anton. *num.* 5. Et loquendo de viro excommunicato idem docent Bossius *loco citato*, & Speculator. Quos omnes refert, ac sequitur Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.* 41. *num.* 12. & Machado *tom.* 2. *lib.*6. *part.*7. *tract.*2. *docum.*4. *num.*4.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam vir teneatur sequi aliquando vxorem aliò domicilium mutantem, sicut vxor tenetur sequi virum semper?

RESpondeo teneri aliquando, non tamen quotiescumque ei libuerit. Nam solùm tenetur sequi vxorem, quando hæc ex causa necessaria domicilium ab vno loco in alium mutat: quia quoad mutua obsequia coniugalia pares sunt; ius enim matrimonij, & obligatio reddendi debitum compellens vxorem ad sequendum virum, compellit etiam virum ad sequendam vxorem ex causa iusta aliò migrantem. Est igitur differentia inter virum & vxorem quoad obligationem comitandi, quòd cùm vir sit caput, potest liberè eligere locum, vbi figendum sit domicilium, & vxor teneatur illum sequi, siue detur causa mutandi illud, siue non: vxor verò non possit illud eligere, nec vir tenetur illam sequi, nisi dum necessitate compulsa illud mutat. Sic Sanchez *disp.*41. *cit. num.*14. Glossa, Hostiens. Innocent. Anchar. Henricus, Alex. de Næuo, Guillelm.& Rosella apud ipsum. Fagundez *lib.*4. *in Decal. cap.*12. *n.*18.

DISPVTATIO III.

De peccatis coniugum contra hoc quartum præceptum.

QVÆSTIO PRIMA.

An maritus teneatur vxori exhibere amorem?

RESPONDEO teneri, quia maritus & vxor dicuntur vna caro, *Matth.*19. *Erunt duo in carne vna, cap. si vir,& vxor* 35. *q.*2. atqui vnusquisque tenetur diligere seipsum: ergo. Sic omnes. Legantur Surd. *de aliment. tit.*1. *q.*38. *num.*3. *& q.*39. *n.*9. *& tit.*7. *q.*25. *n.*16. Fragosus 3 *p. de Regim. Christ. Reipub. lib.*3. *disp.*6. §.1. *n.*1. *&* 2. Bonac. *tom.* 2. *disp.*6. *q. vnica, punct.*7. *num.*1.

QVÆSTIO II.

An maritus teneatur etiam vxori honorem præbere?

REspondeo etiam teneri, quia pater tenetur aliquando filio honorem præbere, vt constat ex dictis suprà *tract.*1. *disp.*1. *q.*9. ergo à fortiori maritus tenebitur vxori. Sic Bonacina *loco citato*, & amplius constabit ex mox dicendis.

QVÆSTIO III.

An item teneatur maritus aliquando obedire vxori?

REspondeo dicendum, quod sic, quia ad id ex mutua coniugum obligatione adstringitur. Sic ex Bonacina *loco cit.* docet Fragosus *disp.*6. *cit.* §.2. *num.*29. complectens omnia à nobis hucvsque dicta his verbis: Vxor tenetur honorare maritum pro superioritate, & excellentia, quam vir habet in vxorem; & vicissim tenetur vir diligere suam vxorem, sicut Christus diligit Ecclesiam; illamque honorare, tanquam os de ossibus suis & excellentiæ suæ consortem: necnon ob obedientiam, quæ ex mutua coniugum obligatione ostenditur, qua alter alteri debitum exigenti obedire tenetur. Sic Fragosus.

QVÆSTIO IV.

An peccet mortaliter vir impediens vxorem seruare aliquod præceptum iuris naturalis, vel diuini?

REspondeo tanquam certum; quod sic, quia vix occurrere possit causa, quæ probabilem excusationem det marito, ad impediendam vxorem, vt non adimpleat dicta præcepta. Sic Trullench *lib.*4. *Decal. cap.*1. *dub.*4. *num.* 2. Bonac. *disp.*6. *q. vnica, punct.*7. *num.*2. *vers. secundò.* Graffis *lib.*2. *decis. cap.*59. *num.*1. Nauar. *cap.*14. *num.*19. & omnes.

QVÆSTIO V.

An item peccet mortaliter vir, qui est impedimento vxori, ne obseruet præcepta Ecclesiæ obligantia ad mortale?

AFfirmat sine vlla distinctione Bonac. *vbi suprà*, dum ait: maritum peccare grauiter, dum est impedimento vxori circa præcepta Dei, vel Ecclesiæ; tenetur enim vxorem diligere: qui autem alterum impedit, ne præcepta seruet, ipsum odio potius, quàm amore prosequitur. Ita ille.

Sed clariùs cum distinctione respondeo dicendum, peccare quidem mortaliter, si id sine causa iusta impediat, secus verò si cum causa, quia certè probabilis occurrere potest. Sic Nauarr. *num.* 19. *cit.* ex D. Antonin. 2.*p. tit.*6. *cap.*10. §.2. Graffis *num.*1. *cit.* & Trullench *num.*2. ibi: Peccat mortaliter, si absque iusta causa vir impediat vxorem ab adimple

adimpletione præcepti Ecclesiastici, vt si absque iusta, & legitima causa impediat, ne audiat Missam, aut ieiunet tempore præcepti: ex iusta tamen causa posset impedire eorum obligationem, vt si ex ieiunio nimis imbecilla, & deformis reddatur, & ex egressu è domo ad Missam damnum notabile timeatur in salute. Sic ille ex Filliuc. *tract.*28.*part.*2. *cap.*9. *quæst.*1. *num.*139. (non 136. vt legi apud illum) & Sayro *lib.*7. *Clauis Reg. cap.*7. *num.*7. & tenent omnes.

QVÆSTIO VI.

An deinde peccet mortaliter vir, si impedit vxorem, ne obseruet ea, quæ sunt de consilio solùm, vt sunt confessio, communio, & ieiunium extra tempus præcepti?

Affirmandum videtur, quia tunc infert vxori graue damnum spirituale, impediendo ea quæ sunt de consilio, & consequenter fructum magnum spiritualem ex eorum obseruatione. Sed.

Respondeo primò tanquam certum, nec venialiter peccat vir, qui ex aliqua legitima causa impedit suæ vxori ea quæ solùm sunt de consilio; vnde si confessio, aut communio nimis frequens, aut Missæ auditio in diebus profestis obsit administrationi domesticæ, cui incumbere tenetur vxor, licitè, & absque vllo peccato potest vir esse impedimento suæ vxori, vt prædicta opera non frequentet, quia id ex legitima causa facit. Sic Filliuc. *num.* 139. *cit.* & alij mox citandi.

Respondeo secundò etiam vt certum, vir, qui absque iusta, aut legitima causa impedit suam vxorem frequentare prædicta consilij opera, semper venialiter ad minùs peccat; quia ad minùs iniuriam aliquam, & damnum ad minùs leue, vxori infert. Sic Filliuc. Nauarr. Sayrus, Bonac. & alij mox citandi.

Respondeo tertiò, vtique vt certum; si vir absque legitima causa impediat suæ vxori frequentes confessiones, & communiones, ex quibus ipsa magnam vtilitatem, & fructum spiritualem capit; tunc, si id viro ipsi constet; peccabit mortaliter; quia sine iusta causa notabile damnum infert suæ vxori. Sic Filliuc. *tract.*28. *part.* 2. *cap.*9. *q.*1. *num.* 136. ex Nauarro *cap.*14. *num.* 19. Toleto *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. & ex Sayro (non ex Suario, vt leges apud ipsum Filliuccium) *in Claui Reg. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 7. Sic etiam Philiarc. *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. Ioan. Benedictus *in sum. de peccatis lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. D. Anton. *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 10. §. 2. Bonac. *disp.* 6. *q. vnica, punct.* 7. *num.* 2. *vers. secundò.* Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 2.

QVÆSTIO VII.

An peccet mortaliter maritus, qui etiam intercedente causa, grauiter, & atrociter vxorem percutit, aut verberat?

Respondeo tanquam certum, peccare, & mortaliter, quia magna percussio, aut atrox, vel acris verberatio, quando delicti qualitas eam postulat, Iudici relinquenda est, cuius est iuridica punitio, delictoque graui condigna: viro autem respectu vxoris, filiorum, & familiæ, non huiusmodi punitio incumbit, sed domestica, & moderata, quæ potiùs correctionem, quàm pœnam spectat. Sic Sanchez *lib.*10. *de matrim. disp.* 18. *num.* 16. & apud ipsum Rosella *verb. vxor*, *num.*4. & ibi Angel. *num.* 3. Siluest. *q.*3. Tabiena *q.*1. *num.*2. Armilla *num.*2. Sotus *lib.*5. *de iust. q.*2. *art.*2. *in fine corp.* Aragon 2. 2. *q.* 65. *art.*2. *vers. de marito solet dubitari*: & ibi Salon *columna* 3. & alij, quibus addo Toletum *lib.*5. *sum. cap.*2. *num.* 1. *vers. secundò*, Sayrum *lib.*7. *cap.*7. *num.*8. Nauarrum *cap.*14. *num.*19. *vers. vigesimoquintò*, Philiarcum *cap.* 19. *cit.* Bonacinam *punct.*7. *num.*2. *vers. tertiò*, Trullench *dub.* 4. *cit. num.*3. Filliuc. *loco cit. q.*2. *num.*140. & alios apud ipsos. Lege me ipsum *part.*2. *tract.*9. *de matrim. disp.*26. *quæst.*46.

QVÆSTIO VIII.

An item peccet mortaliter vir, qui sine vlla iusta causa leuiter percutit, aut verberat suam vxorem?

Respondeo tanquam certum, non peccare mortaliter, benè tamen venialiter. Ratio est, quia viro fas est ex graui causa vxorem suam moderatè percutere, & verberare, habita ratione personæ, conditionis, & status matrimonij, quia est caput vxoris: ergo si id faciat sine causa, eo quod punitio leuis sit, solùm peccabit venialiter. Sic Authores citati.

QVÆSTIO IX:

An peccet mortaliter vir, qui verba infamatoria contra vxorem profert animo illam infamandi?

Respondeo tanquam certum, peccare mortaliter. Nam qui alterum iniuriis ex intentione illum infamandi afficit, verè dicitur eum odio habere, non amore prosequi, & honorare. Sic Toletus *lib.*5. *sum. cap.*2. *num.*2. ibi: Tertiò tenetur vir non afficere iniuria vxorem, animo afficiendi iniuria: quamuis enim aliquando liceat verbum iniuriosum dicere ob correctionem, tamen animo iniuriandi est peccatum; & iuxta iniuriæ quantitatem, peccati grauitas pensanda est. Sic ille, & à fortiori omnes mox citandi.

QVÆSTIO X.

An item peccet mortaliter vir, qui verba ex se infamatoria contra suam vxorem profert, etiamsi id faciat sine animo illam infamandi?

NEgare videtur Toletus, vt colligi potest ex verbis eius relatis.

Sed vt certum respondeo etiam peccare mortaliter, proferendo contra suam vxorem aliqua verba infamatoria, seu ad infamandum apta, putà, adulteram, scortum, &c. etiamsi id sine animo infamandi, vel iniuriandi ei dixerit. Quia sufficit quod sequatur infamia, aut probabile periculum eius. Sic Nauarr. *cap.*14. *num.*19. ibi: Vigesimosextò, peccat mortaliter, qui causâ conuitiandi, vel infamandi notabiliter, deliberatè aliquod verbum, licèt ex suapte natura minimè iniurium, in coniugem profert: vel è contrario sine animo diffamandi, iniuriamve irrogandi, aliquid dicit, quod suapte natura est aptum ad infamandum, & inde infamia subsequitur, vel saltem adest periculum eius infamiæ probabile, iuxta sententiam S. Thomæ 2.2. q.73. *art.*2. quod nos etiam *in cap. inter verba* 12. *q.*3. *concl.*3. comprobauimus. Hæc Nauarr. Sic etiam Sayrus *loco cit. vers. tertiò*, & penes ipsum, vltra S. Thom. & Nauarr. Alex. de Ales, Philiarc. Ludou. Lopez, Rodrig. Ioan. Benedictus, & Tolet. Quibus addo Filliuc. *tract.*28. *part.*2. *cap.*9. *q.*3. *num.*141. Reginaldum *lib.*20. *num.*47. Bonac. *disp.*6. *punct.*7. *n.*2. Molfes. *tract.* 11. *cap.*18. *num.*101. Trullench *lib.*4. *cap.*1. *dub.*4. *n.*4. Graff. *part.*2. *decis. cap.*59. *num.*5.

QVÆSTIO XI.

An saltem licitum sit aliquando viro verbum aliquod correctionis causa vxori dicere?

REspondeo tanquam certum, licitum illi esse, modò tamen ea discretione, & moderatione illud in vxorem proferat, vt ipsa notam infamiæ non incurrat. Ratio est, quia licitum est viro, intercedente causa, moderatè verberare vxorem correctionis causa: ergo & licitum illi erit ob eamdem causam aliquod ei verbum dicere. Sic Sayrus, Trullench, & alij citati suprà.

QVÆSTIO XII.

An peccet vir, qui non habet curam domus, & vxoris, ac familiæ suæ.

REspondeo tanquam certum, peccare mortaliter, vel venialiter, iuxta grauitatem, in his rebus negligentiæ. Ratio est, quia habere curam domus, vxoris, filiorum, ac familiæ, competit viro, ex capitis ratione, quam gerit: ergo si in his attendendis negligens fuerit, peccatum admittet. Tenetur ergo vir prouidere res necessarias victui, & vestitui, malos mores vxoris corrigere, & peccatorum occasiones auertere, id enim munus est rectè prouidentis: vnde si in re graui negligens sit, peccat mortaliter; si in leui, venialiter. Sic Filliuc. *tract.*28. *part.*2. *cap.*9. *q.*4. *n.*142. Trullench *lib.*4. *cap.*1. *dub.*4. *n.*5. Tolet. *lib.*5. *cap.*2. *num.*2. addens peccare etiam virum, qui laborare non vult cùm labor illius necessarius est pro vxore, & domus substentatione.

QVÆSTIO XIII.

An vir teneatur sub mortali cum vxore cohabitare?

REspondeo tanquam certum, teneri sub mortali cohabitare cum sua vxore, itaque absque iusta causa nequit longo tempore à domo abesse. Sic omnes Doctores. præcipuè Tolet. *loco citato, num.*3. & ex illo Sayrus *lib.* 7. *cap.*7. *num.*9. ità scribens: Quartò peccat maritus, qui cum vxore cohabitare recusat, aut per longum tempus se absentat, absque iusta, & legitima causa. Dixi *sine causa*, quia si abesset ex iusta causa, hoc est, quia vel tractat negotia domus, vel ad locum aliquem mittitur à superiore, vel ex sententia iudicis ad tempus exulat, aut inimicitias habet, quas breui componendas sperat, non peccat se absentando. Sic ille, & ex illo, & Toleto, Filliuc. *loco cit. q.*5. *n.*143. Trullench *loco cit. num.*5.

QVÆSTIO XIV.

An peccet mortaliter coniux, qui iusta causa non excusante, recusat reddere debitum alteri coniugi.

REspondeo tanquam certum, quod sic; quia hæc est obligatio iustitiæ: ergo ex se est grauis, & arctat sub mortali ex se. Sic omnes DD. de qua obligatione latè egimus *part.*2. *tract.*9. *de matrim. disp.*25. *per totam.*

QVÆSTIO XV.

An peccet mortaliter vxor, quæ sine sufficienti indicio malè suspicatur de continentia mariti?

REspondeo tanquam certum, peccare mortaliter, quia iudicium temerarium ex se in materia graui, peccatum mortale est, vt docent omnes DD. Sic Sayrus *lib.* 7. *clauis Reg. cap.* 7. *num.*10. *vers. octauò.* Trullench *lib.*4. *Decal. cap.*1. *dub.*4. *num.*16. *fine*, Barthol. de Medina *lib.*1. *sum. cap.*14. §.14. ibi: *Entre casados ay estos peccados, si el marido trata mal à su muger con palabras, ò con obras, ò no la prouée de lo necessario, ò gasta con ella sobradamente: y si la muger trata mal à su marido, no haziendo su voluntad, ò riñendole, ò dandole occasion para perder la paciencia, ò poner la voca en Dios, y si es celosa, sin tener bastante causa para ello.* Sic Molina.

De aliis in quibus vxor contra maritum peccat, egimus suprà *disp.*2. *antecedenti.* Lege illam.

TRACTATVS III.
DE FRATRVM, SORORVMQVE OBLIGATIONE MVTVA.

DISPVTATIO I.

De obligatione fratrum alendi suos fratres, & sorores.

QVÆSTIO PRIMA.

An frater teneatur fratri, vel sorori suæ extremè, vel grauiter indigenti, alimenta præstare?

RESPONDEO tanquam certum, teneri, & sub mortali, illis alimenta præstare, etiam casu, quo tantùm ex parte sit frater; & quamuis hic culpâ sua amiserit, vel dissipauerit bona propria, ex quibus sustentari poterat, vt infrà latiùs dicemus.

Ratio est, quia & iam extraneis tali necessitate oppressis, charitatis, & misericordiæ legibus subuenire debemus: ergo à fortiori fratribus. Sic omnes, præcipuè Pontan. *tract. de aliment. cap.* 10. *num.* 1. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 40. *q.* 1. Trullench *lib.* 4. *in Decal. c.* 1 *dub.* 9. *n.* 1. Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *n.* 1 Machado *lib.* 6. *p.* 7. *tract.* 7. *docum.* 8. *n.* 5.

QVÆSTIO II.

An item teneatur frater præstare alimenta suæ sorori, vel fratri, qui bona non habent, ex quibus conuenienter suæ conditioni, & generi viuant?

RESPONDEO tanquam certum, etiam teneri præstare illis alimenta, quibus honestè, vt par est, sustentari queant. Quia sic habetur *in l. complures, §. cùm tutor, ff. de administrat. tutor. l.* 2. *§. sed nonnullos, ff. de tutelis, & rationib. distrahend. l. qui filium, ff. vbi pupillus educari debeat, l. non omni, C. de administrat. tutor.* Quibus legibus cauetur fratrem obligatum esse titulo sanguinis alimenta præstare sorori, aut fratri: & ideò sic tenet communis iuris ciuilis Interpretum sententia, vt ait Azor *loco cit.* Legantur ipse, & Panormitan. *in cap. peruenit, num.* 1. *de arbitr.* Rebellus *de obligat. lib.* 5. *q.* 4. *num.* 9. Castro Palao *de iust. & iure disp.* 9. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 1. *&* 3. Bart. Salicet. Imola, & Greg. Lopez apud ipsum. Trullench *loco citato,* Thom. Tamburin. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *§.* 4. *num.* 1. Fagundez *num.* 2. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO III.

An ius alendi fratrem, vel sororem, solùm pertineat ad fratrem ex eodem patre, & matre natum; an etiam ad fratrem ex altero tantùm parente procreatum, hoc est ex eadem matre?

AFfirmarunt nonnulli apud Pontanum *loco cit.* huiusmodi ius, & obligationem solùm esse penes fratres vtrimque coniunctos, idest, ex vtroque latere, seu ex eodem patre, & matre natos. Probarique potest hæc sententia. Nam frater non tenetur dotare suam sororem ex alio patre natam, vt dicitur in præcitata lege, *complures.* Ergo neque tenebitur talem sororem alere.

Sed probabiliùs longè respondeo teneri alere suam sororem, aut fratrem, nec solùm fratrem, qui est talis ex vtroque parente, verùm etiam illum, qui solùm est ex eodem vtero tantùm, hoc est, ex eadem matre genitus, quamuis non ex eodem patre. Sic Cynus, Bartol. Ioan. Lignanus, & Pontanus, quos citat, & sequitur Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 40. *q.* 2. Rebellus *num.* 9. *cit.* Qui id probat ex præcitata *l.* 2. *§. sed nonnullos, & l. qui filium, citata.* Tamburin. *loco cit. n.* 3. Palao *num.* 3. Fagundez cum aliis multis *num.* 2.

QVÆSTIO IV.

An hæc eadem alendi fratrem obligatio, spectet etiam ad fratrem ex eodem patre, non tamen ex eadem matre genitum?

NEgabunt consequenter Authores pro prima sententia quæstione superiori adducti.

Sed etiam consequenter multò probabiliùs respondeo, obligationem alendi fratrem, seu sororem, etiam spectare ad fratrem, qui solùm est talis ex parte patris, quia eadem est æquitas, & ratio. Sic Azor *loco cit. vers. quæres,* & Rebellus *de obligat. lib.* 5. *q.* 4. *n.* 9. ita scribens. Frater tenetur non solùm alere, sed etiam dotare sororem consanguineam, hoc est ex eodem patre, & non eadem matre natam: & à fortiori sororem ex vtroque latere coniunctam, non tamen vterinam, quamuis eam alere teneatur, si inops sit. Sic ille, qui id ex iuribus citatis probat, dicitque hanc esse communem inter Doctores sententiam, Tamburin. *§.* 4. *cit. n.* 2. *&* 3. Fagundez *loco cit. num.* 3. Molina *Theolog. tom.* 1. *de iust. disp.* 159. Menoch. Iason, Bald. & alij apud ipsos, Machado *loco cit. n.* 5.

QVÆSTIO V.

An frater teneatur suo fratri alimenta præstare, casu, quo is sua culpâ bona sibi tradita à patre, quibus sustentari commodè posset, amisit, aut consumpsit?

RESpondeo vt certum, teneri, quia quamuis sponte in egestatem deuenerit, tamen iam indiget, nec habet vnde commodè viuat: ergo frater ipsum alere, & sustentare debet. Sic Pontan. ex Ioanne Andrea, & ex vtroque Azor *loco cit.* q.3. Trullench *lib.4. Decal. cap.1. dub. 9. num.1.* Tamburin. *loco cit.* §.4. *n.2.*

QVÆSTIO VI.

An item teneatur frater suum alere fratrem, seu sororem, quos pater hæreditate spoliauit?

RESpondeo vt certum, etiam teneri fratrem illos alere, si hi aliunde non habent vnde viuant, quia id debebat pater facere: ergo frater id subsidij genus minimè potest suis fratribus denegare. Sic Pontan. *loco cit.* Azor q.4. & Trullench *num.1.*

QVÆSTIO VII.

An clericus possit ex sui beneficij ecclesiastici fructibus, fratri, sororive suæ alimenta præstare?

RESpondeo tanquam certum, posse, imò & debere, si fratres non habeant, vnde aliunde viuant. Probatur, quia fructus beneficij in vsus pauperum iure impendendi sunt, vt latè diximus *part.6. tract. 5. de eleemosyna, disp.3. à quæst. 53.* Sed sic est, quod iure charitatis, potiùs domestico, quàm extraneis alimenta præbere debemus: ergo. Sic communis sententia, quam ex Glossa, Abbate, Angelo, Rosella, Siluestro, docet Azor *loco cit.* q.5. & clarè constat ex dictis à nobis *part.6. loco cit.* & ampliùs constabit ex infrà dicendis.

QVÆSTIO VIII.

An frater non solùm fratribus, sororibusve indigentibus, sed etiam eorum filiis alimenta præstare teneatur?

RESpondeo, teneri illis etiam alimenta præstare, si non habeant bona, ex quibus sustentari queant. Quia id dictat æquitas naturalis, charitas, & pietas fraterna. Sic Azor *vbi suprà, quæst.10.* Trullench *lib.4. Decal. cap.1. dub.9. n.3.*

DISPVTATIO II.

De obligatione fratrum dotandi sorores.

QVÆSTIO PRIMA.

An frater teneatur dotare sororem ex vtroque latere coniunctam, si ipsa aliunde sufficiente dote careat?

NEgat teneri, quamvis affirmet posse, Palac. Rub. *in cap. per vestras, not.3.* §.24. *n.3.* Sed respondeo tanquam certum, teneri, quia sic ex *l. complures, §. fin. ff. de administrat. tutor.* docet communis sententia. Legantur Bartol. Azo, Barbosa, & alij iuris Interpretes, ibi. Rebell. *lib.5. q.4. n.9.* Castro Palao *part.7. de iust. disp.9. punct.4.* §.3. Azor *part.2. lib.2. cap.40.* Trullench *dub.9. cit.* Fagundez *lib.4. cap.16. n.2.* dicens ad id teneri fratrem in vtroque foro, soli, & poli. Sic etiam Machado *loco cit. n.6.* & Villalob. *tract.27. diff.4. n.3.*

QVÆSTIO II.

An item teneatur dotare sororem ex eodem patre, quamvis non ex eadem matre natam?

RESpondeo tanquam certum, etiam teneri; quia sic etiam ex lege præcitata colligunt communiter Doctores, præcipuè citati, inter quos Barbosa *4.p. l.1. ff. soluto matrim. n.125.* & ex illo Rebellus *num.9. citato*, addentes, hanc obligationem procedere, etiamsi frater non sit hæres patris, si aliunde bona habeat, ex quibus sorores dotare possit; quamuis ad id non obligabitur, nisi in subsidium; nimirum, si soror non habeat, vnde se dotare possit. Lege etiam Fagundez *loco cit. n.3.* vbi pro hac parte quamplures citat Authores, Machado, & Villalob. *locis citatis.*

QVÆSTIO III.

An deinde teneatur frater dotare sororem vterinam, hoc est, ex eadem matre genitam, non ex eodem patre?

NEgant communiter DD. eo quod nullibi hæc obligatio sit in iure præscripta. Imo exemptio ab illa non leuiter colligatur ex præcitata *l. complures, §. cùm tutor, ff. de administrat. tutor.* Ita tenet Castro Palao *part.7. disp.9. de iust. commut. punct.4.* §.3. *n.3.* citans pro se Barbosam *4.p. in l.1. n.127. ff. soluto matrim.* & Rebellum *lib.5. q.4. num.11.* Rursus hanc partem adhuc probare possumus ex eo, quod cùm officium paternum sit filias dotare, mirum non est, quod frater sorori ex eodem patre, congruam dotem obligetur constituere, neque hanc obligationem habeat comparatione sororis vterinæ. Vnde Molina Theol. *disp. 224. de iust. col. mihi 974. numero 22.* licèt dicat, quod

quod possit talis frater dictam sororem dotare, negat tamen quod ad id teneatur. Ita etiam sentit Machado *num.6. cit.*

Alij contrà affirmant, teneri fratrem dotare sororem vterinam, si inops sit. Ita absolutè, & sine vlla limitatione (quidquid oppositum sentiat Palao) defendit (vt ait Rebellus) Tiraquell. *tract. de primogenius, q.62. ad finem*, Campegius *de dote 1.p. q.23.* & Boëtius *decis.129.n.9.* & alij.

Alij vtramque opinionem concordare nitentes, dicunt, fratrem non teneri dotare sororem vterinam secundùm personæ dignitatem; sed tantùm pro mensura debita alimentorum, eò quod eam alere teneatur, si inops sit. Ita Molina *de primogeniis q. 62. ad finem*, & etiam Greg. Lopez *l. 18. glossa 18. tit.16. part.6.* & alij: quod sanè probabilissimum esse clarè fatetur Palao *vbi suprà.*

Aliter (pergit Rebellus) vtramque opinionem concordat Barbosa *vbi suprà num.127.* distinguens duplici nomine fratrem posse conueniri à sorore. Primò tanquam hæredem matris (adde etiam patris:) secundò tanquam fratrem vterinum præcisè. Si primo modo conueniatur, certum est, teneri eam dotare, & alere, *l. 2. §. ex his, ff. de verb. obligat.* Si verò secundo modo, non teneri eam dotare, cùm id iure cautum non reperiatur. Ita Barbosa: vnde non omninò benè citatur pro se à Palao *vbi suprà.* Barbosam sequitur Fagundez *cap.16. citato, num.5.* Et licèt omnes hi diuersi modi dicendi probabiles verè sint.

Mihi adhuc clariùs, & probabiliùs respondeo dicendum primò. Certum est, quod attento iure communi, non teneantur fratres diuites dotare suas sorores vterinas pauperes; quia id expressè est cautum *in l. complures*, citata ab Authoribus primæ sententiæ, illis verbis: *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre nata, etiamsi ea aliter nubere non possit: nam si id faciat, etsi honestè faciat, ex liberalitate tamen facit, non ex iustitia.* Sic lex. Et sic attenta illa, benè DD. primæ sententiæ.

Respondeo secundò tanquam mihi certum, quod si frater sit hæres matris, tunc teneatur dotare suam vterinam sororem competenter ad genus suum. Ratio est, quia ad id tenebatur mater, vt habitum est suprà *tract. 1. disp.12. q.31.* ergo & filius hæres bonorum matris; patet, quia hæc obligatio non personis, sed rebus est imposita, & ideò ea bona cum suo onere transierunt ad fratrem hæredem, vt habetur expressè *in cap. cùm haberes, de eo, qui duxit in vxorem, &c.* ergo. Sic Barbosa *loco suprà cit.* Bartol. *in l. complures, cit.* Panormitan. & alij, quos citat & sequitur Fagundez *cap.16. citato, num. 5. & 8.* Villalobos etiam *tract.27. diff.4. n.4.*

Respondeo tertiò. Probabile omninò est, quod attenta æquitate naturali, teneantur fratres suas vxores vterinas dotare, quia id videtur postulare æquitas, & ratio naturalis; sunt enim verè fratres, & maiori certitudine, quàm illi, qui ex diuersis, ac distinctis matribus, quamuis ex vno patre, vt putatur, orti sunt. Sic Tiraquell. Campeg. & Boerius suprà citati.

QVÆSTIO IV.

An frater teneatur dotare sororem inopem, quando adest eius mater, aut auus paternus, vel maternus, qui dotem constituere possint?

NEgat absolutè Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 16. num. 17.* his verbis: Obseruandum est secundò, non teneri fratres sororibus egenis dotem constituere, nisi in subsidium, & in defectum patris, matris, aui, vel auiæ, aut alterius ascendentis. Si enim ascendentes habeant, & possint, ad illos hæc obligatio spectat primò, & ad fratres in defectum illorum. Ratio est, quia hi præferuntur fratribus in successione; vnde ita etiam subire primò onus dotandi, & alendi debent, vt docent Molina *lib. 2. de primogen. cap. 15. num. 68.* & Barbosa citatus *num. 138.* Hæc Fagundez. Pro cuius sententia refert Rebellus Antonium Gomez *ad l. 40. Tauri, num.75.*

Sed clariùs, ac distinctiùs sic respondeo primò, certum mihi est, quod si frater hæres defuncti patris existat, tunc primò, & vrgentiùs omnibus ascendentibus obligatur ad dotandam suam sororem; quia cùm hic repræsentet patrem, qui ante omnes alios ad prædictum onus tenebatur, consequens est, vt eo mortuo, tanquam hæres patris primus in eius locum sufficiendus sit ad tale onus sustinendum, vt colligitur *ex l. 2. §. ex his, ff. de verb. obligat.* ergo si frater sit hæres patris, potiùs obligatur ad dotandam sororem, quàm ascendentes præfati. Sic citatis Baldo, Ruino, & Barbosa *num. 137.* tenet Rebellus *lib. 5. q. 4. num. 13.* & vt quid certum supponit Castro Palao *part.7. de iust. disp. 9. punct. 4. §.3. num.7.* Machado *lib. 6. part. 7. tract. 7. docum. 8. numero 6.*

Respondeo secundò tanquam certum: Frater, vt frater est, minimè tenetur dotare suam sororem, existente matre, aut alio ascendente diuite, quia id conuincit ratio pro sententia Fagundij, & aliorum data. Et ideò illam etiam tenet Palao *loco cit.* qui rursus id probat ex eo, quod, deficiente patre, obligatio alendi, & dotandi filias matri diuiti competit, *l. si quis à liberis, §. vtrum, ff. de liber. agnoscend.* & nos diximus suprà *tract.1 disp.10. q. 90. & disp.12. q.30. & 31.* ergo fratri non competit, nisi deficiente matre, &c. tenent etiam Rebellus *loco cit.* & alij.

QVÆSTIO V.

An casu, quo frater administret bona sororis, ex quibus dos constitui potest, teneatur eam dotare ex propriis?

NEgant tunc teneri fratrem suam sororem dotare nonnulli DD. & ideò dicunt, quod si de facto id fecit, censendus est dotasse ex bonis sororis. Ratio est, quia cùm tunc soror bona propria habeat, non potest cogi frater ad eam ex propriis bonis dotandam: ergo si de facto dotauit, cùm sit administrator bonorum sororis, magis censendus est dotasse ex bonis illius, quàm ex propriis, *l. cùm post 44. ff. de administrat. tutor. §.1.* & ideò sic sentiunt

tiunt Barbosa (apud Fagundez) *tom.* 1. *part.* 4. *l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 138. & Paul. de Castro *consil.* 351. *num.* 16. *lib.* 1.

Sed distinctiùs respondeo dicendum, primò. Certum est, quod in dicto casu non teneatur frater dotare ex propriis bonis suam sororem, nec ad id cogi possit, cùm soror propria bona sufficientia ad dotem possideat, seu habeat; & in hoc benè cum communi Authores nuper relati.

Respondeo secundò. Si de facto frater prædictus dotem suæ sorori constituit, tunc si bona sororis sint separata à bonis fratris, & ab eo separatim administrentur, censendus est dotasse ex bonis sororis; si verò bona sint communia, & indiuisa, censendus est in foro externo habuisse animum donandi quoad partem dotis, quæ eum tangeret, iuxta *l. vnicam, §. accedit, C. de rei vxoriæ action.* In foro autem conscientiæ standum erit intentioni dotantis. Si enim de bonis sororis tantùm dotare intendebat, nihil de suis bonis præstare tenebitur. Sic Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. casu* 488. *num.* 47. & Barbosa *loco cit. num.* 141. quos citat, & sequitur Rebellus *lib.* 5. *q.* 4. *num.* 14. quibus adde Bald. *l. finali*, *num.* 12. *C. de dotis promiss.* & Salicetum *ibi*, & Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 16. *num.* 18.

QVÆSTIO VI.

An frater excusetur à dotanda sorore, ex eo quod sit minor viginti annis, & necessitatem habeat alienandi aliqua immobilia ad dotem?

Respondeo tanquam certum, non ex eo excusari, quia causâ dotandi pauperes sorores validè potest alienare minor, etiam immobilia, dummodo ad id interueniat decretum iudicis, vt constat *ex l. complures, §. fin. ff. de administrat. tutor.* & apertiùs *ex l. Regia* 18. *tit.* 16. *part.* 6. Nec aduersus hanc alienationem pro dotis promissione habebit minor beneficium restitutionis in integrum (quidquid dicat Panormitanus *consil.* 12. *lib.* 1.) quia cùm iure communi vsus fuerit, ea in re cessat restitutio, *l. fin. C. de in integrum restitution. & l. inter eos, §. cùm inter, ff. de fideiussorib.* Sic tenent Barbosa *tom.* 1. *part.* 4. *l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 128. Ruinus *consil.* 200. *num.* 4. *lib.* 1. Greg. Lopez *l.* 18. *glossa* 3. Castro Palao *part.* 7. *disput.* 9. *de iust. commut. punct.* 4. *§.* 3. *num.* 4. Rebellus *lib.* 5. *q.* 4. *numero* 12. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 16. *numero* 9. vbi aduertit, quod casu, quo minor aliqua mobilia daret sorori in dotem, tunc non requireretur ad hæc alienanda decretum iudicis, quia solus minor potest ea dare.

QVÆSTIO VII.

An item, teneatur frater dotare sororem, cui pater aliqua bona in testamento reliquit?

Respondeo vt certum, teneri etiam, si talia bona sint insufficientia ad dotem, iuxta genus, & conditionem suam. Sic Fagundez *loco cit. num.* 10. vbi addit, quod cùm dicta bona legata à patre pro dote, non sint præstanda nisi post contractas nuptias, *l. item quia, ff. de pactis*, interim alenda sit soror pauper à fratre; neque propter alimenta ei præstita legatum dotis in aliquo minui debet, *l. qui filium, ff. vbi pupillus educari debeat.* Cassanæus *de consuetud. Burgundiæ Rubr.* 1. *§.* 12. *verb. viuant, num.* 3. Barbosa citatus *num.* 129. Sic ille, qui *num.* 11. subdit, idem dicendum in casu, quo lis pendeat inter sororem, & fratrem super dote constituenda, videlicet quod tunc etiam interim soror à fratre alenda sit, saluo dotis legato. Quia ita habetur *in l. si instituta, §. de inofficioso, ff. de inoffic. testam.* & docent Afflictis, Molina Iurista, & Barbosa, quos ipse citat, & sequitur.

QVÆSTIO VIII.

An deinde frater sororem dotare teneatur, si iustè à patre exhæredata sit?

Negat Fagundez *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 16. quia, inquit, cùm pater, propter iniuriam sibi irrogatam ab onere dotandi filias liberetur, eadem ratione censeri debent ab eo onere liberi esse filij, & filiæ ditiores, erga fratres, & sorores. Iniuria enim facta parentibus, filiis quoque, imò & toti familiæ fit, vt patet *ex l. Cornelia, ff. de iniuriis*, & hoc expresè tenet Barbosa *num.* 135. Hæc Fagundez ibi, & *num.* 22.

Sed multò probabilius respondeo teneri adhuc fratrem in dicto casu, sororem inopem dotare, non tanquam hæres, sed tanquam frater; quia cùm hæc obligatio etiam iuri sanguinis nitatur, ob exhæredationem paternam cessare non debet. Sic Rebellus *lib.* 5. *q.* 4. *num.* 17. & Castro Palao *disp.* 9. *de iust. commut. punct.* 4. *§.* 3. qui ambo citant pro se Petrum Barbosam 4. *p. l.* 1. *ff. soluto matrim. num.* 135. Vnde malè citat illum pro se Fagundez.

QVÆSTIO IX.

An frater teneatur iterum sororem dotare, si prior dos, quam dedit, etiam sine eius culpa amissa fuerit?

Affirmandum videtur ex eo, quod (vt suprà *tract.* 1. *disp.* 12. *q.* 12. vidimus) pater tenetur iterum dotare filiam viduam, maximè si absque eius culpa amissa fuit dos prima: ergo ad idipsum videtur teneri frater.

Sed vt certum respondeo non teneri fratrem iterum sororem suam dotare, etiamsi absque illius culpa amissa fuerit prima dos; quia frater, qui semel sororem dotauit, neque in foro conscientiæ,

neque in foro externo obligatur, aut cogi potest iterum illam dotare; licèt pater ad id teneatur. Ratio diuersitatis est, quia pater per se simpliciter, & principaliter est obligatus dotare filiam, & non in subsidium alterius, iuxta dispositionem iuris; quæ dispositio nunquam intelligitur de prima vice, vt cum aliis docent Petr. Barbosa *tom.* 1. *part.*4. *l.*1. *ff. soluto matrim.* & Imola *in l. si cùm dotem*, §.1. *ff. eod.* Frater verò solùm tenetur dotare sororem in subsidium, & defectum patris, vel ascendentium, iuxta suprà dicta, & ideò satis est, si semel eam dotet. Sic Barbosa *loco cit.* Rebellus *q.*4. *cit. num.*19. Fagundez *cap.*16. *cit. num.*20. Villalob. *tract.*27. *diff.*4. *n.*4. *fine.*

QVÆSTIO X.

An si frater sit Clericus, & nulla alia bona habeat, nisi quæ ex beneficiis collegit, teneatur etiam ex illis inopes sorores dotare?

AFfirmant aliqui non solùm posse, si velit illas dotare, sed & ad id teneri, quia huiusmodi opus, maximæ pietatis, & naturalis obligationis est, & iuri maximè conforme. Confirmatur, quia pater Clericus potest ex redditibus beneficiorum filias spurias dotare, vt diximus *p.* 6. *tract.*5. *de eleemosyna*, *disp.*3. *q.* 65. & 67. ergo à fortiori poterit, & tenebitur frater ex eisdem redditibus sorores suas dotare. Sic tenent Tiraquel. *de primogen. q.* 62. *num.* 2. Greg. Lopez *l.* 18. *tit.* 16. *part.* 6. Barbosa *loco cit. num.* 133. Rebell. *lib.* 5. *q.* 4. *num.* 21. Palao *disp.* 9. *citata*, *punct.* 4. §. 3. *num.* 6. Azor *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 40. *q.*6. vbi propositæ quæstioni his verbis satisfacit: Respondeo cum Abbate *loco cit.* quem Angel. Rosella, Siluest, & alij sequuntur, posse, & debere, quando soror indiget dote; nam dos est vitæ subsidium, & loco alimentorum. Sic ille, & Barbosa etiam, Butrius, Imola, & Garcia; Galleccus apud Fagundez *infrà*, Villalob. *diff.*4. *cit. num.*7.

Sed quamuis hæc sententia sit satis probabilis, alij nihilominus non minùs probabiliter respondent, dicendum, posse dictum fratrem Clericum beneficiatum suas sorores pauperes ex redditibus sui beneficij dotare, si velit; non tamen ad id teneri in foro aliquo. Ratio est, quia in hoc casu dos præstatur ex fructibus beneficij, titulo eleemosynæ; solùm enim hoc titulo partes, aut fratres Clerici beneficiati possunt ex dictis fructibus dotare suas filias, aut sorores, vt habitum est *p.* 6. *loco citato*, *q.* 65. & 67. ergo ad id cogi non possunt: ergo ad id, licèt possint, nullo foro tenebuntur. Patent consequentiæ hæ; nam extra casum extremæ necessitatis committitur arbitrio eleemosynam facientis, cui potiùs velit eleemosynam præstare; cùm extra dictum extremæ necessitatis casum, cæteris paribus, voluntaria sit electio personæ, cui eleemosyna facienda est, vt docent D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 13. Caiet. 2. *tom. tract.* 5. *cap.* 3. & alij. Vnde hanc sententiam tenent Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 17. *num.* 2. qui citat pro se Panormitanum *in cap. peruenit*, *de arbitr. num.* 1. & 5. Azorium *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 6. & Vasquez *de success. creat. lib.* 2. §.20. *num.* 314. Sed ex his Authoribus Azor pro opposita sententia militat, vt constat ex verbis eius ibi relatis. Potest tamen citari pro hac Trullench *lib.*4. *in Decal. cap.*1. *dub.*9. *num.*2.

Nec Angelus, quem pro se citat Azor, est pro se; quia solùm dicit, quod possit. Accipe eius verba: Idem dic, & fortiùs in Clerico, qui magis tenetur ad charitatem, vt *in cap.* 1. & quod ibi, *de empt. & vend.* Et si non habeat alia bona, potest eam dotare, & aliam consanguineam de redditibus Ecclesiæ, si est inops. Quod probatur *per cap.* 1. *de cohabit. Cler. & mulier. & in capite omninò confitemur*, 31. *dist.* Quia sicut per dictum caput potest alere consanguineos pauperes de redditibus Ecclesiæ; ergo fortiùs dotare, cùm sit fauorabilior. Hæc Angelus *verbo dos*, *num.* 5. & sic ex illo omninò non citato, Siluest. *verb. dos*, *q.* 5. vnde etiam malè pro se illum citat Azor.

Sed ego clariùs sic primò respondeo. Certum est, quod dicti Clerici possint, si velint, ex fructibus suorum beneficiorum dotare suas sorores pauperes; quia id probant omnes rationes pro vtraque sententia adductæ, & tenent omnes vtriusque Doctores, & patet ex dictis à nobis *p.* 6. *tract.* 5. *de eleemosyna*, *disp.* 3. *q.* 65. & 67. *citatis*, vbi id posse patrem Clericum erga suas filias illegitimas, diximus.

Respondeo secundò sic. Si frater Clericus non voluntariè, sed necessariò teneatur de fructibus sui beneficij aliquas eleemosynas facere; tunc non solùm potest ex illis dotare suas sorores, sed debet, & tenetur; quia in hoc casu non est voluntaria electio personæ, cui eleemosyna est facienda, vt putant Authores secundæ sententiæ, cùm cæteris paribus, proximioribus, & propinquioribus debeatur, iuxta dicta à nobis cum S. Thoma, & aliis *p.*6. *tract.* 5. *disp.*5. *q.* 29. & consequenter suis sororibus. Si verò non necessariò teneatur ex dictis fructibus eleemosynas facere, vt contingere potest, iuxta dicta à nobis *p.* 6. *tract.* 5. *disp.* 3. sed hoc solùm sit ei liberum, tunc licèt possit, non tamen tenebitur dotare ex illis suas sorores; quia sicut tunc eleemosyna est libera, ita & electio personæ, cui facienda est. Igitur in primo casu tenet verum prima sententia, in secundo secunda.

QVÆSTIO XI.

An quando frater ex fructibus sui beneficij dotat aliquam sororem, teneatur apponere pactum, vt soluto matrimonio dos ad Ecclesiam reuertatur?

NEgat Fagundez, existimans, non teneri tunc fratrem dotantem suam sororem apponere tale pactum; posse tamen, si velit. Probat quia dicta dos datur titulo eleemosynæ, quæ cùm datur, absolutè datur, & non sub conditione reuertendi ad dantem, si accipiens emoriatur, vel viuus redeat ad meliorem fortunam. Ratio est, quia Clerici possunt dotare ex fructibus suorũ beneficiorũ, & heredes instituere quoscumq; alios pauperes, sine appositione talis pacti: ergo & sorores proprias, & filios, & filias suas, quando pauperes sunt: neque enim ex eo, quod consanguinitate sint propinqui, peioris sunt conditionis, quàm reliqui pauperes. Ita ille (ex Panormit.) *lib.* 4. *in Decal. cap.* 17. *num.* 5. qui tamen,

men, vt vides, solùm probat quod non teneatur apponere tale pactum, non verò probat, quod possit, si velit. Igitur.

Ego clariùs iuxta nuper dicta respondeo primò dicendum tanquam certum, quod nullo modo teneatur apponere dictum pactum, cùm ad illud ponendum nullo iure cogatur, vt bene probat Fagundez.

Respondeo secundò, quod non solùm non tenetur dictus dotans suam sororem apponere dictum pactum, sed neque potest, casu quo ex necessitate distribuendi fructus sui beneficij in eleemosynas pauperum, ex illis dotauerit sororem illam; secus verò, si non necessariè, sed voluntariè ex illis dotem præstitit ei; quia tunc cùm eleemosyna liberè, & voluntariè detur, apponi dictum pactum potest. Quamvis, vt verum fateat, credam tunc talem dotationem multùm à ratione deficere eleemosynæ, cùm hæc absolutè, & sine conditione vlla dari soleat.

QVÆSTIO XII.

An liceat Clericis ex fructibus beneficij dotare etiam sorores spurias?

NEgandum videtur, eo quod Pius V. *in constitut.* quæ incipit: *Quæ Ordini Ecclesiastico*, reddit in Clericis irritas omnes licentias, & facultates, priuilegia, dispensationes, & donationes, siue inter viuos, siue causa mortis, testamenta, & alia huiusmodi, in quoscumque illegitimos, siue proprios, siue externos facta: ergo.

Sed vt certum respondeo licere; quia licitum est patri Clerico ex fructibus sui beneficij filias suas spurias dotare, vt cum communi diximus *p. 6. tract. 5. disp. 3. q. 65. & 67.* ergo à fortiori id ipsum erit licitum fratribus respectu suarum sororum. Nec profectò Pius V. voluit interdicere dictis Clericis dationem dotis suis sororibus titulo eleemosynæ; sed solùm voluit abrogare aliquas speciales licentias, & facultates concessas aliquibus Prælatis, Clericis, & Personis Ecclesiasticis, testandi, aut donandi aliquid de fructibus, & redditibus beneficij. Sic tenent Nauar. *de spoliis Clericor. §. 19. n. 9. & sequent.* Azor *tom. 2. lib. 2. cap. 40. q. 7.* Barbosa *tom. 1. part. 4. l. 1. ff. soluto matrim. num. 65.* Rebell. *lib. 5. q. 4. num. 22.* Fagundez *lib. 4. cap. 17. n. 7. & 8.* Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 9. num. 2.* & alij quamplures citati à nobis *part. 6.* vbi suprà.

QVÆSTIO XIII.

An item dictus Clericus, non solùm licitè possit de fructibus sui beneficij dotare spurias suas sorores, verùm etiam ad id teneatur?

AFfirmat posse, sed non teneri, Fagundez *loco cit. num. 6.* vbi citat pro se Azorium *p. 2 lib. 7. cap. 1. q. 10. & lib. 11. cap. 40. q. 7.* Curtium *de iurepatronat. verb. honorificè, num. 13.* Panormitan. *in cap. peruenit. de arbitr.* Siluestrum *verb. Clericus 4. q. 14.* & Paleotum *de nothis, & spuriis filiis, cap. 46. num. 6.* Sed certè Azor non *lib. 7. cap. 1.* nec *lib. 11.* agit de hac materia, sed *lib. 7. cap. 10. q. 10.* & *lib. 2. cap. 40. q. 7.* & ibi non solùm dicit, licitum esse Clericis filiis suis spuriis, aut sorori ex redditibus beneficij alimenta præbere, & dotem dare, verùm ad hoc teneri, cùm dos loco alimentorum succedat. Hoc enim argumentum vtrumque probat, vt ipsemet Fagundez fatetur *cap. 17. cit. num. 2. fine.*

Vnde alij contrà sentientes dicunt, non solùm posse, sed & teneri ex fructibus beneficij suas pauperes sorores, etiam spurias, dotare: quia tenentur eas ex eisdem fructibus alere, si non aliunde habeant vnde viuant. Ita Azor *locis citatis*, Rebellus *q. 4. cit. num. 22.* & alij citati suprà *q. 18.*

Sed distinctiùs iuxta nuper dicta respondeo dicendum, quod non solùm possit, verùm quod ad id teneatur, casu quo redditus beneficiorum expendere teneatur in pauperes; secus verò si solùm sit id ei liberum; quia licèt tunc possit, non tamen tenebitur.

QVÆSTIO XIV.

An soror diues teneatur etiam dotare alias sorores inopes?

REspondeo tanquam certum, quod sic. Constat ex regula correlatiuorum, & tenent Barbosa, Paul. de Castro, Rebell. & Fagundez *c. 16. num. 14.* Cætera quæ hîc desiderari possunt, constant ex dictis variis in locis huius Operis.

TRACTATVS IV.

DE OBLIGATIONE DOMINORVM IN SERVOS, ET E CONTRA.

DISPVTATIO I.

De variis seruorum generibus, de eorumque conditione, & licita fuga?

QVÆSTIO PRIMA.

Quotuplex sit seruitus?

RESPONDEO cum communi omnium Doctorum, esse triplicem. Prima naturalis: secunda ciuilis, seu legalis: tertia conductitia. Naturalis est illa, qua rudiores homines, imbecilliores, ignobilioresque, in sui commodum, & vtilitatem, propria sponte se subiiciunt hominibus sapientioribus, robustioribus, & nobilioribus, vt ab illis gubernentur, eisdem obedientiam, obseruantiam, & honorem rependendo. De qua lata, & impropria seruitute agit Philosophus 1. *politicor. cap.* 3. & 4.

Legalis, seu ciuilis est illa, quæ legibus est introducta, & qua homines dominis in eorum vtilitatem, seruitutem, & commodum subiiciuntur, vt docuit idem Philosop. *vbi suprà.*

Conductitia tandem est illa, qua homines conducuntur ad functiones aliquas exhibendas. Prima seruitus, nec ius, nec dominium in personam, aut eius actiones concedit. Secunda è contra, ius & dominium in personam, & eius actiones concedit, itavt ipsi serui, & quidquid ipsorum est, ipsius domini sint. Tertia verò seruitus, quæ famulorum est, estò non concedat ius in personam, concedit tamen ius ad operas, & functiones exhibendas, iuxta conductionis contractum. Sic omnes, legantur de hac re Azor *part.* 2. *lib.* 2. *à cap.* 30. Rebell. *lib.* 1. *de obligat. quæst.* 9. Nauarr. *in cap. quorundam, notab.* 11. *glossa penult.* & *in Man. cap.* 14. *à num.* 21. Baptista Fragosus *p.* 3. *regim. Christ. Reipub. lib.* 10. *disp.* 21. Cardin. Lugo *tom.* 1. *de iustitia, disp.* 6. *sect.* 2. Ioan. de Dicastillo *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 11. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst. vnica, punct.* 8. Castro Palao *part.* 7. *de iust. disp. vnica, punct.* 9. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 14. Trullench *ibi, lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 5.

QVÆSTIO II.

An seruitus legalis, seu ciuilis, introducta sit iure gentium?

RESpondeo tanquam certum, quod sic. Fuit namque hoc iure introducta gentium, ex misericordia, ad mitigandum belli furorem, & rigorem, eo quod cùm iure belli fas sit hostes occidere, *cap. ab illo* 14. *q.* 4. *cap. qui culpatur* 23. *q.* 1. nihil æquius fuit, & suauius, quàm capti hominis vitam ex misericordia seruare, commutata morte in pœnam seruitutis, & donata vita ex benignitate, *cap. noli* 23. *q.* 1. Sic Fragosus *disp.* 21. *cit.* §. 1. *num.* 1. Palao *punct.* 9. *cit. num.* 2. Azor *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 30. *q.* 2. *vers. quidam verò.*

QVÆSTIO III.

An huiusmodi legalis seruitus licita omninò sit?

NEgandum videtur, quia homines iure naturali dicuntur liberi, *l. manumissiones, ff. de iust. & iure.* Et alia iura ciuilia apertè testantur seruitutem per se contra naturam extitisse, *l. libertas, ff. de statu homin. Instit. de iure natur. gent. & ciuil.* §. *ius autem gentium*: ergo nequit dici licita.

Sed vt de fide certum respondeo huiusmodi seruitutem, qua vnus homo alteri domino tanquam seruus seruit, licitam omninò esse. Constat enim ex Sacra Scriptura, *Leuit.* 25. & 29. & 1. *Petri* 2. & 1. *Chorint.* 7. *ad Colossens.* 3. & 1. *ad Timoth.* 6. Constat etiam *ex cap. si quis seruum* 17. *quæst.* 4. & *ex toto tit. de coniugio seruorum.* Constat tandem ratione, quia non est alienum ab ea, vt quemadmodum iure belli capta, in victorum potestatem, & dominium transferuntur; sic etiam bello victi in capientium dominium transeant; & quos alioqui victores ipsi necare iure possent, vita donatos in seruitutem redigant: quibus enim vitam iure possent eripere, iure adimunt libertatem; est enim vita libertate charior, atque pretiosior. Sic omnes. Legantur ex citatis suprà Azor, Rebellus, & Palaus, qui ad rationem dubitandi dicunt, homines naturâ esse liberos negatiuè, id est, non esse naturâ seruos, quo pacto, omnia esse communia iure naturali dicimus. Vnde sicut rerum dominium sine præiudicio iuris naturalis potuit introduci, sic etiam seruitus.

QVÆSTIO IV.

Ex quot, & quibus causis hæc legalis seruitus introduci possit.

Respondeo vt quid certum, quod ex quatuor. Prima iure belli: secunda delicto, seu crimine: Tertia venditione, & quarta origine, seu natiuitate. Sic omnes communiter. Legantur Azor *part. 2. lib. 2. cap. 31.* Fragosus *3. p. regim. Christ. Reip. lib. 10. disp. 21. §. 1.* Palaus *tom. 7. disp. vnica de iust. punct. 9. num. 3.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 5. dubit. 4.*

QVÆSTIO V.

An capti iusto in bello, iure gentium serui fiant?

Respondeo tanquam certum, quod sic: Nam sic habetur *in l. transfugam, ff. de acquirend. rer. dominio*, & *Instit. de rerum diuisione, §. item ea*, vbi dicitur: *Quæ ab hostibus capiuntur, iure gentium nostra fiunt, adeò vt liberi homines in seruitutem nostram redigantur.* Sic ibi, *l. hostes, ff. de captiuis.* Rationem in qua hæ leges fundantur, inuenies *quæst. 3.* Sic omnes, Azor præcipuè, & Palaus *locis citatis.*

QVÆSTIO VI.

An etiam capti in bello iniusto, serui capientium fiant?

Respondeo tanquam certum, quod non, quia qui in bello iniusto capiuntur, iniustè capiuntur; ergo & iniustè in seruitutem redigi possunt. Sic omnes. Lege Palaum *loco cit. num. 2.* Lugum *disp. 6. cit. sect. 2. num. 11.* ibi: Requiritur iustitia belli ex parte dominorum; vbi enim bellum iniustum est, seruitus non contrahitur, nisi apparens.

QVÆSTIO VII.

An serui saltem fieri possint capti in bello, in quo dubia est vtrimque iustitia belli?

Respondet Palaus *punct. 9. cit. num. 3.* solos eos, qui bellum aggressiuum gererent, posse in seruitutem redigi, vtpote qui iniustè debellatunt: alios verò qui se defendunt, cùm nullum in ea defensione peccatum committant, non posse seruituti subiici.

Sed clariùs, nec minùs in praxi infrequens respondeo dicendum, posse fieri seruos, non absolutè, sed cum limitatione, quam ponit Lessius *lib. 2. de iust. cap. 2. dubit. 4. num. 12.* his verbis: Aduerte tamen, eum qui in bello ex parte sua iusto capitur, non contrahere veram seruitutem. Quod si vtrimque iustitia belli sit ambigua, ob probabile ius vtriusque partis, capti vtrimque fiunt serui, vt rectè Couarru. ex lege suprà dicta. Vbi tamen constare cœperit vtri parti faueat iustitia, tunc ea pars, quæ iniustè cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere. Sic Lessius ex Couarruuia: Vnde non ex omni parte citat illos absolutè contra se Palaus. Sic ex illis etiam Diana *part. 7. tract. 7. resol. 5. vers. vide etiam.*

QVÆSTIO VIII.

An infantes in bello capti, fieri possint serui?

Negandum videtur, quia infantes, & innocentes Reipublicæ victæ, licitè interfici non possunt: ergo neque in seruitutem redigi, cùm non possit in illis commutari mors pro seruitute, quod necessum est, vt ex dictis suprà constat.

Sed vt certum respondeo dicendum, quod licèt infantes, & innocentes Reipublicæ victæ nullatenus interfici liceat, possunt tamen, sicuti alij nocentes, in seruitutem redigi. Tum vt eorum seruitute Respublica victa, cuius ipsi sunt partes, puniatur. Tum etiam, quia eorum libertas inter bona externa Reipublicæ computatur, quibus Respublica victa à victoribus priuari potest. Sic Palaus *punct. 9. cit. num. 3.* Lugo *sect. 2. cit. num. 12.* Diana *part. 7. tract. 7. resol. 5. huic titulo.* Rebellus *part. 1. lib. 1. q. 9. num. 4.* Fragosus *disp. 21. cit. §. 1. n. 6.*

QVÆSTIO IX.

An Christiani capti in bello ab aliis Christianis, serui illorum efficiantur?

Respondeo tanquam certum, quod non efficiantur serui, bene vtique captiui. Sic Azor. *2. p. lib. 2. c. 30. q. 1.* his verbis: Sed apud Christianos vsu, & consuetudine receptum est, vt Christiani à Christianis bello iusto capti, libertati, data, & accepta pecunia restituantur, aut retineantur vt obsides; non enim fiunt serui capientium. Bartol. *in l. hostes, ff. de captiuis, & postlim. reuers.* Hæc Azor. Sic etiam Rebellus, Lugo, Diana, Fragosus, vbi suprà. Dicastillo *lib. 2. de iust. tract. 1. disp. 1. dubit. 11. num. 144.* Fagundez *de iust. lib. 2. c. 1. n. 4.*

QVÆSTIO X.

An saltem si Christiani iusto bello ab infidelibus capiantur, tunc fiant eorum serui?

Respondeo tanquam certum, tunc iure gentium eorum seruos fieri, quia sicut tunc necari possunt, ita in seruitutem redigi. Sic Rebellus *q. 9. cit. num. 4.* ibi: Christiani tamen capti ab infidelibus iustè bellantibus, verè eorum serui fient. Si enim infideles iniustè bellantes serui Christianorum fiunt iure gentium, quod omnibus commune esse debet; Christiani quoque serui fient infidelium iustè bellantium: si tamen bellum ex parte capientium foret iniustum, iniusta quoque semper seruitus erit. Sic ille, Azor etiam, & Fragosus *locis citatis.* Gasp. Hurtado *de iust. disp. 1. diff. 21.* & ex illo Diana *resol. 5. citata.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

An licitum sit Christiano capto in bello à Mauris, fugere?

NEgant apud Couarru. Anchar. *in regula peccatum, col. 13. vers. tertiò quaro*, & Aretin. *in l. qui à latronibus, ff. de testam.* dum asseuerant, non licere ab eis fugere, nisi cogatur ad infidelitatem.

Sed respondeo tanquam certum, esse illi licitum fugere, vel occultè, vel palam; imò & alios Christianos ad fugam capiendam iuuare, etiamsi non cogatur ad infidelitatem. Ratio est, quia Christiani capti à Mauris, non fiunt serui de iure, cùm bellum ab illis illatum sit ex parte illorum iniustum; nam terras Christianorum iniustè occupant, & ideò Christiani iustè pugnant cum illis ad sua recuperanda de manu eorum, tanquam de manu latronum. Sic Couarru. *in regula peccatum, 2. p. §. 11. num. 6.* vbi opinionem contrariam falsam appellat. Valascus *consultat. 30. num. 9.* Cardosus *verb. seruus, num. 53.* Rebell. *1. p. lib. 1. q. 12. num. 9.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 37. num. 1.* vbi ait, dubium non esse, homines, qui sine titulo iusto captiui detinentur, fugere posse ad suos, aut quovis aliò voluerint. Quare cùm Turcarum, & Maurorum bellum aduersum nos, ex eorum parte sit iniustum, dubium non est, nostros, qui apud illos detinentur, licitè posse fugere quò velint occultè, & palam, ac vi etiam adhibita; posseque quoscumque alios licitè eorum fugam adiuuare. Sic ille ex Caiet. 2. 2. *q. 66. art.* 8. Sic etiam Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 10. punct. 6.* Fragosus *part. 3. lib. 10. disp. 21. §. 1. num. 9.* Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 5. num. 7.* vbi dicit posse fugere, etiam per vim suos dominos occidendo.

QVÆSTIO XII.

An etiam sit licitum cuique priuatæ personæ, christianum seruum in captiuitate apud Saracenos detentum, à domino furari, aut per vim rapere?

NEgabunt, & à fortiori, Anchar. & Aretin. *locis suprà citatis.*

Sed etiam tanquam certum respondeo esse licitum, quia cùm tales captiui Christiani, sint iniustè oppressi, & in captiuitate detenti, semper habent bellum iustum defensiuum, contra dictos dominos infideles, & consequenter potest vnusquisque eos iuuare, & vim inferre. Nam cùm seruis illis christianis semper inferatur iniuria personalis, licitum est eum inculpata tutela vim vi repellere; non solùm quando vis mihi infertur, sed quando infertur proximo, vt in nostro casu accidit: sufficiens enim ratio est, quod iniustè semper vim patitur, & libertate sua priuatur: vnde quicumque eum iuuare potest, & vim vi repellere; & hoc siue tempore belli, siue tempore pacis. Sic omninò Sayrus *lib. 9. Clauis Reg. cap. 14. num. 29.* ex Caiet *loco cit.* Salon, & Aragon, *ibidem*, & Valentia, *vbi suprà.* Et ex his Fragosus *num. 9. citato.*

QVÆSTIO XIII.

An serui Christiani, apud Turcas, aut Mauros detenti, non solùm possint fugere, sed etiam ab illorum dominis auferre quidquid potuerint?

NEgat Azor *part. 2. lib. 2. cap. 34. q. 7.* his verbis: Nec item arbitror Christiano seruo fas esse Turcis, & Saracenis, aut aliis Christiani nominis hostibus quippiam furari, aut rapere, hoc est, priuata auctoritate quidpiam auferre, ipsis inuitis, vel insciis; nisi fortassis, quod est ad fugam necessarium; rapina enim, aut furtum, est per se malum, nec propterea desinit esse malum ex eo quod Turcæ, vel Saraceno, aut hosti fureris. Et quamvis Turcæ, vel Saraceni Christianorum terras iniquè possideant, iniustùmque bellum aduersus nos gerant; dubitari tamen nequit, quin aliqua bona iustè habeant, ac possideant, ex quibus bonis, si illis aliquid surripias, furtum committis, &c. Quare (concludit Azor) non licet seruis Christianis ex huiusmodi bonis clam aliquid capere, vt fugiant.

Sed longè multò probabilius respondeo dicendum, quod non solùm possint fugere, sed etiam ab illorum dominis auferre quidquid ad fugam ad minùs fuerit necessarium. Quia id licet eis, vel ad resarciendas iniurias contra leges, vel damna, quibus sunt affecti, vel ob obsequia præstita in seruitute absque mercede; vel ob retentionem in captiuitate iniusta. Ob hæc enim, quidquid renuat Azor, optimè possunt dicti serui priuata etiam auctoritate auferre à suis dominis quidquid sibi visum fuerit necessarium ad fugam ad minùs. Ratio est, quia cùm quis officium iudicis implorare non potest, bene valet priuata auctoritate recuperare rem suam, vtendo legitima compensatione, vt docent Bartol. *in l. hostes, ff. de captiu. & postlim.* Innocent. *in cap. olim. de restitut. spoliat.* & alij. Sic Filliuc. *tract. 28. 2. p. cap. 3. quæst. 6. n. 55. & 56.* Diana *part. 7. tract. 7. resol. 11.* Fagundez, & alij mox citandi.

QVÆSTIO XIV.

An dicti Christiani serui apud Turcas, aut Saracenos detenti, non solùm à suis dominis, sed etiam ab aliis, possint auferre quidquid potuerint?

NEgat, & à fortiori Azor *loco cit.* & etiam Filliucius *num. 56.* dicens, contrarium sibi non videri tutum, quia rapina, & furtum esset, eo quod Turcæ etiam res suas iustè possident, vt docet S. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 8. ad 2.* Addit tamen ipse Filliucius, quod si seruus egeret extremè, vel grauiter, posset absque dubio subripere ea, quæ ad aliquot dies, in quibus probabiliter eandem penuriam passurus esset, sufficerent; & deinde licebit in iis locis, per quæ fugiendo transit, ea sibi capere quibus prouideat suæ extremæ, vel graui necessitati. Hæc ille.

Sed probabiliùs respondeo, posse dictos captiuos Christianos auferre non solùm à suis dominis, sed

sed etiam ab aliis, non solùm quidquid satis ad compensationem iniuriæ, operæ præstitæ, & retentionis iniustæ æquum videbitur, verùm etiam quantum potuerint. Ratio est, quia Turcæ, & Saraceni bellum iniustum aduersus Christianos assiduè gerunt: ergo tacita Christianorum Principum authoritate licitum est singulis Christianis bello continuo pugnare, & eos suis bonis spoliare. Sic Fagundez *lib. 2. de iust. cap. 5. num. 7.* (non *cap. 2. num. 2.* vt legi apud Dianam,) qui id probat tum *ex cap. dixit Dominus 14. q. 5. cap. in mandatis, dist. 43. cap. quo iure, dist. 8*, & *ex l. 2. C. de commerciis & mercat.* Tum ex eo, quod sic Deus olim iusserit filiis Israël, qui iniustè captiui fuerunt in Ægypto, vt in recompensationem iniustæ seruitutis, & damnorum, illorum aurum, & argentum clam asportarent, *Exodi. 11. numero 2.* ibi: *Dixit Dominus ad Moysen: Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus hanc gratiam coram Ægyptiis*, &c. Sic ille ex Caiet. *2. 2. q. 66. art. 8.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 37. n. 1.* Sic etiam Lessius *lib. 2. de iust. cap. 5. dubit. 5. n. 18.* Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 3. n. 2.* quos sequitur Diana *part. 7. tract. 7. resol. 11.*

QVÆSTIO XV.

An rursus serui capti ab infidelibus in bello iusto, etiam possint tuta conscientia fugere?

NEgant multi Doctores, existimantes tales captiuos (siue Christiani sint, siue non) peccare mortaliter, si fugiant suos dominos, tenerique seipsos restituere, quamvis ad suos perueniant. Probantque suam sententiam, quia certum est, quod capti in bello iusto ab infidelibus, verè efficiantur eorum serui: ergo si eorum dominos fugiant, verè peccant mortaliter. Patet consequentia, quia cùm possessores sint legitimi, ac indubitati illorũ domini, ipsi serui fugiendo, seipsos ab eis furantur, vt habetur *l. 1. C. de seruis fugitiuis*: ergo peccant lethaliter, & tenentur seipsos restituere. Ita tenent Siluest. *verb. seruitus, q. 3. concl. 2. & verb. furtum, q. 6.* D. Anton. *part. 3. cap. 6. §. 4.* Turrecrem. *in cap. ius gentium, d. 1. art. 4. ad 4.* Nauarr. *in Man. c. 17. num. 103 & 104.* Aragon. *2. 2. tract. de dominio, quæst. de obiecto dominy.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 37. num. 1.* necnon Hugo, Ancharan. Aretin. Panormitan. & Felinus, quos pro hac parte refert Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 6.* Quibus adde Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tit. 13. docum. 3. num. 4.*

Sed probabiliùs respondeo, posse dictos seruos tuta conscientia ad suos fugere, & sic nec peccare fugiendo, nec teneri aliquid restituere dominis suis; quia non aliter acceptatum est ius gentium de seruitute captorum bello iusto, quàm cum prædicta fugiendi libertate. Patet, quia multæ leges adstruunt libertatem acquirere prædictos seruos fugiendo, quod non facerent, si fugiendo delinquerent contra iustitiam, cùm per iniustitiam nullum ius acquiratur. Id enim constat *ex Instit. de rerum diuis. §. item ea quæ ab hostibus*, vbi sic dicitur: *Liberi homines capti in bello iusto, in seruitutem nostram reducantur; qui tamen si euaserint, ad suosque reuersi fuerint, pristinum statum recipiant.* Idem habetur *l. 23. tit. 29. part. 3. & l. 23. tit. 14. part. 7.* vbi dicitur, quod vbi semel redit ad suos, nec potest capi à domino, licèt posteà redeat. Et ideò hanc sententiam tenent Sotus *lib. 4. de iust. q. 2. art. 2. post concl. 3.* & Couarru. *in Reg. peccatum, part. 2. §. 11. num. 5.* & *lib. 1. variar.* Menchaca *lib. 1. controuers. frequentium, cap. 10. num. 52.* Angles *in florib. 2. p. q. de dominio, diff. 4. art. 2.* Salon. *2. 2. q. 3. de dominio, art. 1.* Bañes *2. 2. q. 40. art. 1. dub. penult.* Ludou. Lopez *2. p. Instructor. cap. 3.* quos omnes refert, & sequitur Thom. Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 6. num. 5.* Sic etiam Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 16. punct. 3.* Sà *verb. seruitus, num. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dubit. 5. num. 24.* Luys. Turrian. *de iust. disp. 32. dub. 2.* Diana *part. 7. tract. 7. resol. 10.* Rebellus *lib. 1. q. 12.* (non 2. vt leges apud Lugum) *num. 9.* Trullench *lib. 5. in Decal. cap. 2. dub. 6.* Lugo *de iust. disp. 6. sect. 3. n. 21.* Fragosus *part. 3. lib. 10. disp. 21. §. 1. num. 10. vers. quamvis autem.* Villalob. *tom. 2. tract. 5. diff. 13. à num. 4.* Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 5. num. 7.* Prado *tom. 2. disp. 21. de dominio, q. 2. num. 19.* & est communis.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ concedendum est, quod capti in bello iusto verè fiant serui, & sint sub dominio legitimi domini; sed dominio non omninò inamissibili, sed amissibili per reditum serui ad suos. Legatur Lugo citatus, *num. 25.*

QVÆSTIO XVI.

An solùm liceat seruis fugere ad suos, vel ad patriam, non ad alia loca?

AFfirmant aliqui solùm licere illis fugere ad suos, seu ad patriam, non ad alia loca, eo quod id indicant verba Iustiniani *in Instit. de rerum diuisione, §. item ea*, vbi dicitur, seruos acquirere libertatem, si ad suos reuersi fuerint. Ideò hanc partem videntur tueri Couarru. *in regula peccatum, part. 2. §. 11. num. 6. & lib. 4. variar. cap. 2. num. 10.* Greg. Lopez *l. 23. tit. 29. part. 3.* vbi reddens rationem, quare serui fugientes acquirant libertatem, dicit; quia redeunt ad suos. Luysius Turrian. *loco cit. num. 18.* Fagundez *etiam lib. 2. de iust. c. 5. num. 11.* (non vt leges apud Dianam, *cap. 2.*) & alij.

Sed alij contrà existimant, licitum esse dictis seruis, non solùm in patriam fugere, verùm etiam ad alia distincta Regna à loco captiuitatis. Sic Nauar. *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 200.* Sanchez, & alij mox citandi.

Sed clariùs adhuc, & distinctiùs sic respondeo. Primò: certum est, quod dictis seruis non liceat ita fugere, vt intra confinia hostium commorentur. Tum quia tunc nullo modo dicerentur fugere ad suos. Tum etiam, quia commorando intra confinia, & terminos hostium, semper manent serui, cùm libertatem non acquisierint; ergo tenentur domino seruire. In hac responsione conueniunt omnes. Legantur Couarru. Petr. Nauarr. & Sanchez *locis citatis*, Vasquez *1. 2. disp. 174. cap. 1. à num. 8.* Fragosus *vbi suprà, num. 10. fine.*

Respondeo secundò: serui iusto bello capti, licitè possunt fugere in patriam, vel ad aliam quamcumque regionem, aut loca, in quibus serui fiunt liberi. Probatur *ex l. 23. tit. 14 part. 7. & l. 25. tit. 29. part. 3.* vbi decernitur, quod serui ad terram Maurorum confugientes, libertatem acquirant. Ecce quomodo leges non exigunt, vt ad patriam fugiant; sed ad loca, in quibus libertas acquiritur

quiritur. Hoc enim virtualiter est redire ad suos, vt optimè explicat Fragosus *num.* 10. *cit. vers. quamvis tamen*, his verbis: Nomine *suorum*, debent intelligi quotquot existunt, & viuunt sub alio Rege, Prouincia, secta, vel Religione; itavt, si seruus Christianus fugiat, non solùm manebit liber, si fugiat ad patriam suam, si sit Lusitania; sed etiam si perueniat ad aliquod oppidum fidelium, si seruus erat infidelium. Eodem modo seruus si fuerit Maurus, non solùm si in patriam redeat, libertatem consequetur, sed etiam si redeat ad aliquam prouinciam Maurorum, seu Turcarum ditioni subditam, vt probatur *ex l. interest, ff. de captiuis, & postlimin. reuers. §. item ea, quæ ab host ib. Instit. de rer. diuis.* vbi habes, iure belli fieri hostes captiuos; & infrà sunt hæc verba: *Quod si nostram potestatem euadant, & ad suos redeant, pristinum statum percipiant.* Hæc Fragosus. Legantur etiam pro hac parte Lessius, & Lugo *locis citatis*, & alij (vt ait Sanchez) qui absolutè docent, seruos hos posse fugere, præcipuè Diana *part.* 7. *tr.* 7. *resol.* 10. *vers. limitantur.*

QVÆSTIO XVII.

An item vernaculis filiis seruarum bello iusto captarum, licitum sit fugere?

NEgant aliqui, eo quod dicti seruarum filij non habeant patriam libertatis, ad quam fugiendo liberi existant. Ita apud Sanchez, Ludou. Lopez 2. *p. Instructor. cap.* 3. Angles *in florib.* 2. *parte, tract. de dominio, fol.* 35. & Henriquez in quadam epistola de hac re consultus. Sed aduerte Angles id docere loco citato à Sanchez *art.* 2. *concl.* 5. dum ait, seruum iusto bello captum posse fugere, dummodo non promiserit medio iuramento se non fugiturum; vel non sint domi nati. (id est filij seruarum:) sic lege, non *dominati*, vt habes apud Angles. His addo Azorium *part.* 2. *lib.* 2. *cap.*.. *q.* 3. *vers. quares.*

Sed probabiliùs respondeo, etiam posse fugere. Probat Sanchez his verbis: Quia domini nullum aliud ius in hos vernaculos habent, nisi quia matres eorum sunt seruæ; partus enim ventrem sequitur, quoad conditionem seruitutis, vel libertatis, *l. seruorum, ff. de statu hominum.* Ergo domini idem ius habent in vernaculos, quod in matres eorum: sed in has tantùm habent ius, dum non fugerint; ergo nihil amplius in hos vernaculos, atque adeò licitum est eis fugere, sicut & eorum matribus. Hanc tenent Nauarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 209. & alij viri docti à me consulti. Huc vsque Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 8. Sic etiam Diana *p.* 7. *tract.* 7. *resol.* 10. *vers. ex his infertur.*

QVÆSTIO XVIII.

An sit licitum seruo, aut ancillæ, iure belli detento, fugere quò voluerit, si inducatur à domino ad delinquendum mortaliter?

REspondeo tanquam certum, licitum esse illis, quia tunc dominus abutitur sua potestate. Vnde si dominus hos seruos ad mortale aliquod turpe inducat, aut si voluerit quod deficiant à fide, aut illos interimere, aut necessaria alimenta denegaret, licitum est illis fugere. Sic omnes, præcipuè suprà citati, inter quos legantur Couarru. *Regula peccatum, part.* 2. §. 11. *num.* 5. *&* 6. *& lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. Fragosus 3. *p. lib.* 10. *disp.* 21. §. 1. *num.* 10. *vers. dico* 4.

Et idem dicendum de ancilla, quam dominus ad peccandum turpiter inducit; tunc enim potest illa licitè fugere, & stare, ac si libera esset; & implorare officium Episcopi, vt manumittatur. Sic Nauarr. *in sum. cap.* 16. *num.* 21. *&* 22. Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 38. *col.* 302. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 9. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XIX.

An si serui iusto bello capti, in fuga deprehendantur, iure possint puniri pœna amputationis pedis, &c.

AFfirmant omnes Authores pro prima sententia *quæst.* 15. relati, qui id probant *ex l.* 3. *C. de seruis fugitiuis*, in qua statuitur quod seruus in fuga deprehensus puniatur, vel amputatione vnius pedis, vel deputatione ad metalla. Quæ pœnæ grauitas non leuiter probat, fugam non fuisse sine graui culpa. Ita Molina *loco cit. disp.* 37. & alij.

Sed longè multò probabilius respondeo, non posse dictos seruos in fuga deprehensos, præfata pœna puniri, quia probabilius est, vt vidimus, quod licita sit eis etiam ex iure omninò fuga: nam id Iustinianus eis permisit, vt constat ex Institut. *de rerum diuis.* §. *item ea*, vbi expresè fit sermo de seruis captis à Romanis in bello iusto, & sic de illis Imperator loquendo, ita ait: *Liberi homines capti in bello iusto, in seruitutem nostram reducantur, qui tamen si euaserint, ad suosque reuersi fuerint, pristinum statum recipiant.* Sic Imperator. Ergo nequeunt dicti serui post hanc legem, pœna tam atroci puniri. Sic tenent omnes Authores pro nostra sententia *q.* 15. relati. Inter quos lege Cardin. Lugum, qui *disp.* 6. *sect.* 3. *cit. sub num.* 26. ad argumentum Molinæ desumptum *ex l.* 3. *Codicis*, respondet, quod lex *Institut.* à nobis citata, sit omninò posterior illa Codicis, cùm illa sit Imperatoris Constantini (& fortasè nondum Christiani) hæc autem Imperatoris Iustiniani, qui multis pòst annis imperauit. Deinde respondet, quod vel illa lex Constantini non loquatur de seruis ad suos confugientibus; vel quoad pœnam mutilationis esse iniustam, vel Legislatores amplexos tunc fuisse sententiam probabilem. Legatur Lugo, qui ad alia respondet obiecta.

QVÆSTIO XX.

An quis efficiatur seruus ex crimine, seu delicto?

REspondeo tanquam certum, quod sic. In hoc omnes conueniunt. Nam sicut canones, & leges, atque iura, ob certa quædam facinora reos pœna capitis, & vltimo supplicio plectunt; ita etiam ob quædam delicta reos, aut sontes libertate priuant, & in seruitutem alterius redigunt, *cap. nos qui, dist.* 32. *cap. ita quorumdam, de Iudais & Saracen.* Legantur Azor 2. *p. lib.* 2. *cap.* 31. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 4. Lugo *de iust. tom.* 1. *disp.* 6. *sect.* 2. *n.* 13.

Dicastillo

Dicastillo *lib. 2. de iust. tract. 1. disp. 1. dubit. 11. num.* 146. Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 1. num. 7. & cap. 4. num.* 3. Fragosus *part. 3. regim. Christ. Reip. lib. 10. disp. 21. §. 1. n. 11. fine,* Diana *part. 7. tract. 7. resol.* 6. Molina *tom. 1. q.* 33. & alij apud ipsos.

QVÆSTIO XXI.

Quæ crimina sint sufficientia, vt quis ad perpetuam seruitutem damnetur?

Respondeo tanquam certum, quod omnia illa crimina, quæ sunt sufficientia ad damnandum hominem ad mortem, vel ad perpetuam remigationem in triremibus, sunt sufficientia ad condemnandum hominem pœna perpetuæ seruitutis. Sic vt certum supponit Fagundez *lib. 2. de iust. cap. 4. num.* 3. & constat ex dictis suprà.

QVÆSTIO XXII.

An in iure assignentur crimina aliqua, ob quæ quis illa admittens, in seruitutem redigatur?

Respondeo esse, & multa. Nam primò *in cap. ita quorundam, de Iudæis, & Saracen.* inter alias pœnas, quæ decernuntur in deferentes arma ad Saracenos, hæc etiam decernitur, vt fiant serui illorum Christianorum, qui eos cœperint.

Secundò *in cap. eos qui, dist.* 32. conceditur facultas Principibus sæcularibus redigendi in seruitutem fœminas, quæ contraxerint matrimonium cum initiatis sacris Ordinibus, si ij moniti à suis Prælatis non destiterint. Et *in cap. cùm multæ* 15. *q.* 8. statuitur, vt filij ex eiusmodi sacrilegis nuptiis suscepti, serui fiant illius Ecclesiæ, ad quam initiatus pertinebat.

Tertiò *in l. manumissus, C. de libertis, & eorum filiis, & in §. maxima, Instit. de capitis diminut.* potestas fit patrono, vt suum libertum, si grauiter sibi fuerit ingratus, post manumissionem, in pœnam delicti in seruitutem redigat.

Quartò *in cap. de raptoribus* 36. *q.* 1. statuitur, quod si raptor cum rapta ad Ecclesiam confugerit, & constiterit, raptam violentiam passam fuisse, raptor seruituti subiiciatur: at si puella raptori consentiat, illaque patrem habeat, raptor patri simili satisfactione teneatur. Legantur Azor, Lessius, Lugo, Dicastillo, Fagund. Fragosus, & Diana citati.

QVÆSTIO XXIII.

An Rex Philippus II. iustè ad seruitutem perpetuam potuerit damnare Mauros Granatenses, contra fidem catholicam, & illum rebellantes.

Respondeo tanquam quid certissimum, potuisse; quia (vt ex dictis *q.* 21. *&* 22. constat) certissimum est, quod possunt fieri serui facinorosi homines à legitimo Principe, propter graue crimen commissum: ergo iure optimo Rex Philippus propter grauissimum Maurorum contra fidem, & contra illum commissum crimen, illos in seruitutem redigere potuit. Sic omnes. Legantur Lugo *tom. 1. de iust. disp. 6. sect. 2. num.* 13. Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 1. num.* 8. vbi ait, hanc pœnam Regem imposuisse, non solùm parentibus, verùm etiam & filiis eorum, qui ad annos pubertatis peruenerunt, eo quod libertas eorum, tum ipsi Regi, tum Reipublicæ perniciosissima videretur.

QVÆSTIO XXIV.

An serui ex sententia in pœnam delicti, facti, possint licitè fugere?

Negat Rebellus *lib. 1. de iust. q. 12. num.* 2. dicens, in hoc conuenire omnes, his verbis: Conueniunt item, reliquis ex iusto titulo seruis, etiamsi ratione delicti per iustam sententiam seruitute damnati sint, nefas esse fugere, tenerique tum seipsos suis dominis, quos re sua fugiendo priuant, restituere; tum damna inde subsecuta, si modò possint, resarcire: quod etiam quoad consulentes, & eisdem auxilium ad fugam præbentes, procedit. Ita Rebellus, & ita ex Lessio, & Molina, Fagundez *lib. 2. de iust. cap. 5. num.* 8.

Sed contrà vt quid probabile tenet Gasp. Hurtadus *de iust. disp. 1. diff.* 21. his verbis: Quamvis communius, & probabilius sit, eum, qui in pœnam iustè condemnatus est in seruitutem, non posse licitè fugere; non tamen caret probabilitate, quod possit fugere, oblata occasione commoda, præsertim si seruitus sit calamitosa; quia contrarium est durum, & supra conditionem humanam. Hæc Hurtadus.

Sed media via respondeo dicendum, dictos seruos non posse fugere, si seruitus eorum non sit valde calamitosa, ob rationem, qua suam sententiam probat Rebellus; benè tamen si calamitosa sit valde, ob rationem, quam adducit Hurtadus, quæ est Lessij, cuius est hæc sententia; vnde non ex omni parte citat illum bene pro se Fagundez. Sic etiam sentit ex Lessio, Lugo *sect. 3. cit. num.* 28. qui id confirmat ex eo, quod iuxta sententiam Lessij, Cordubæ, Bañez, Ledesmæ, & Sancij *lib. 6. in Decal. cap. 8. num.* 16. licitè fugere potest ex triremibus, qui iustè ad eam pœnam damnatus est: ergo & qui ad talem seruitutem damnatus esset, cùm à prædicta triremium pœna parum distet. Sic etiam sentit Diana *part. 7. tract. 7. resol. 9. vers. infertur secundò, & resol.* 12.

QVÆSTIO XXV.

An quis efficiatur seruus titulo venditionis, & emptionis?

Respondeo vt certum effici: nam vt vidimus *q.* 4. tertius titulus, ob quem contrahitur seruitus, est titulus emptionis, seu venditionis. Certum namque est, quod homo iure naturæ possit suam libertatem vendere, quia non minùs est dominus suæ libertatis, hoc est, suarum operarum, quàm honoris, famæ, & pecuniæ: ergo. Hæc certa, & communis resolutio probatur exemplo S. Paulini, qui ex egregia in Deum, & proximum charitate, se vltrò in seruitutem dedit. Et *Deuteron.* 15. Hebræo qui sponte eligeret alterius esse seruus, id non interdicitur, sed iubetur stygmate notari. Cùm igitur vnusquisque sit suæ libertatis dominus, potest iure naturæ se in seruum vendere, quamquam si id absque graui causa faciat, peccet; sicut si famæ, aut pecuniarum sit prodigus. Sic omnes. Legantur Fagundez

Fagundez *lib. 2. de iust. cap. 1. num. 9.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 5. dubit. 4. num. 15.* Azor *part. 2. lib. 2. cap. 31. q. 1. vers. quarta causa, & q. 2.* Rebell. *lib. 1. de iust. q. 9. num. 9.* Molina *de iust. tom. 1. disp. 33.* Lugo *tom. 1. de iust. disp. 6. sect. 2. num. 14.* Fragosus *part. 3. Regim. Christiana Reipub. lib. 10. disp. 21. §. 1. num. 8.* Dicastillo *tom. 1. de iust. lib. 2. tract. 1. disp. 1. dubit. 11. num. 145.* Diana *part. 7. tract. 7. resol. 7.* & alij.

QVÆSTIO XXVI.

An quis licitè possit seipsum vendere, attento Cæsareo iure?

NEgandum videtur, quia *in l. liberis, §. si quis sciens, ff. de liberali causa*, clarè prohibetur, ne quis sciens liberum hominem, etiam volentem, emat, conceditúrque sic empto, proclamatio in libertatem: ergo consequenter prohibetur, ne quis liber se vendat, aut vendi permittat.

Sed vt certum respondeo, posse licitè, & validè seipsum vendere; concurrentibus tamen quinque, aut sex conditionibus, quibus interuenientibus talis venditio, & emptio valida erit.

Prima conditio est, vt emptor existimet illum, quem emit, esse seruum. Constat *ex d. §. si quis sciens*: vnde præsupponitur requiri, quod vendatur, non à se, sed ab alio, & nomine alterius, cuius putetur seruus. Secunda est, vt qui venditur, sit maior viginti annis, aut non sit minor illis, *l. si ministerium, C. de liberali causa*: vnde non bene ait Fagundez, dum dicit, quod non sit maior viginti annis. Superfluit namque ly, *non*. Nec etiam bene Diana, dum ait, debere esse maiorem vigintiquinque annorum. Tertia est, vt ad hoc permittat se vendi ab alio, vt ipsemet te ipsa de pretio participet, *l. non ideò, C. de liber. caus. & l. 1. ff. quibus ad libertatem proclamare non liceat.* Quarta, vt is, qui vendi se patitur, sciat se liberum esse, *l. Licinius, ff. eod. tit.* Quinta, vt is qui vendit, sciat liberum esse eum, quem vendit. Concurrentibus igitur his conditionibus, valida est venditio, & emptio, secus aliàs. Verum tamen est, quod huiusmodi conditiones solùm exiguntur, vbi Ius Cæsareum obseruatur; vnde fit, quod si, vel emptor, vel qui venditur, eis legibus non subiaceat, non vitiabitur emptio ex defectu harum conditionum. Sic Authores citati quæstione antecedenti, necnon Malder. *de iust. tract. 1. cap. 5. dub. 4.* Hurtad. *de iust. tract. 1. diff. 21.* Sanchez *lib. 1. Opusc. cap. 1. dub. 3. num. 2.* & alij apud Dianam *resol. 7. citata.*

QVÆSTIO XXVII.

An liberum sit vnicuique seipsum vendere causâ egestatis?

REspondeo vt certum, esse liberum. Sic Azor *part. 2. lib. 2. cap. 31. q. 2.* vbi quæstioni propositæ respondens, sic ait: Consentiens est omnium sententia, id iuris cuique esse; quia vita est libertate pretiosior, & carior. Sic ille, & constat ex nuper dictis. Solùm igitur potest esse difficultas de illo, qui eum in eo casu emit, an id ei liceat, pro qua dissoluenda sit.

QVÆSTIO XXVIII.

An etiam liberum sit vnicuique emere eum, qui se egestatis causâ vendit?

AFfirmatiuam sententiam tenere Nauarrum *in Man. cap. 23. num. 65.* dicit Azor, & ex illo Diana. Et certè ita est, & tenet, sed non numero 65. sed 95. vbi id latè probat, tum ex eo quod vita sit pretiosior libertate, *l. seruitute*, ibi: *Ferè*, adiuncta Glossa, & *l. quod attinet, ff. de regul. iuris*, tum quia nemo tenetur ad gratis subueniendum egenti, etiam extremè, modò commodando, vel mutuando satis ei succurrat, &c. ita ille, & quidem satis probabiliter.

Sed clariùs respondeo distinguendo cum Azorio sic: Nam aut is, qui indiget, nihil hic, aut alibi habet; aut secus. Rursus, aut nihil nunc habet, sed re vera habebit postea. Si igitur ita simpliciter indiget, vt nihil alibi habeat, nec posteà sit habiturus, liberaliter est eius egestas subleuanda, non pretio libertas emenda. Si autem alibi habeat, aut posteà habiturus est, licèt nobis vel mutuum aliquid dare, vel eius operas mercede conducere, vel pretio libertatem eius emendo redimere. Pari ratione cuique licet seipsum vendere causâ egestatis, qua parens laborat; item vt Principem pretio redimat. Hæc Azor *part. 2. lib. 2. cap. 31. q. 2.* & Diana *part. 7. tract. 7. resol. 7. vers. sed curiosa.*

QVÆSTIO XXIX.

An si quis in eas angustias sit redactus, vt ab hostibus, vel latronibus sit necandus, liceat nobis eum pretio emere, ne interimatur?

AFfirmat Nauarrus *num. 95. citato* (non 65. vt iterum citat Azor) dicens, fas nobis esse pretio illum emere, nec lege misericordiæ cogi nos eum gratis, & liberaliter dato pretio redimere; quia licèt melius faceret (ait meus Nauarrus) qui gratis illum ab extrema illa necessitate liberaret; id tamen non conuincit, hoc esse malum. Tum quia bono melius datur, *l. vbi autem, ff. de verbor. obligation.* Tum quia vtilius est dicere hoc, quàm contrarium, ne bona opera impediantur: quum illud nemo, vel rarus factutus sit; hoc verò multi facient, & faciunt, quos arbitror, etiam posse exigere interesse iustum pretij pro eis dati. Ita ille.

Sed iuxta nuper dicta clariùs respondeo dicendum, quod si ille, qui ad tales angustias est redactus, nihil de facto habeat, nec posteà sit habiturus, liberaliter est illi subueniendum, si commodè possumus; si autem alibi habeat bona, aut posteà habiturus sit, iure non cogimur liberaliter redimere: sufficit, si vel mutuam ei pecuniam demus, vel eius operas futuras conducamus mercede, vel pretio emamus. Sic Azor *loco cit. cap. 31. q. 2. vers. deinde quæres.*

QVÆSTIO XXX.

An sit integrum cuipiam seipsum lucri causâ vendere?

AFfirmandum videtur. Nam receptum est in aliquibus locis, vt quidam ætate, & viribus valentes, aleâ ludant,ea lege,& conditione,vt victi seruituti tradantur ad remigandum in triremibus: quod si victores euaserint, pecuniam expositam ludo sibi compatent. Et solet Respublica, aut Magistratus huiusmodi conditionis hominibus ad ludendum tradere. Ita refert Tacitus *in libello de morib. Germanorum*, & ex illo Azor infrà: ergo integrum videtur cuipiam id facere.

Respondeo primò. Certissimum est, quod nulli sit licitum, seipsum sine vlla iusta causa vendere; quia est prodigus suæ libertatis, vt diximus cum communi omnium *q.* 25.

Respondeo secundò: etiam est certissimum, quod nulli liceat seipsum vendere lucri causâ, cum aliquo vitæ suæ periculo; quia nullus suæ vitæ est dominus. Ex quo colligo nulli licere se ad remigandum vendere, lucri cuiusvis gratiâ. Quia vita remigum planè est, vel mortis periculo, vel peccatis grauibus obiecta. Sic Azor *cap.* 31. *citato, fine.* Qui tamen addit, quod dato, quod id vitæ genus his malis careat, non sit mortalis peccati condemnandus is, qui seipsum lucri causâ aleæ ludo exposuerit: nam quamvis libertatem periculo obiiciat, lucrum nihilominus sibi potest acquirere, vt plerisque contingit. Sic ille, qui tandem putat hoc solùm habere locum, quando hoc non est cum graui detrimento familiæ,vel propinquorum,vel aliorũ.

An autem pater necessitate oppressus possit vendere suum filium, habes suprà *tractatu* 1. *disp.* 7. *quæst.* 12. *& sequentibus.*

QVÆSTIO XXXI.

An qui à se, vel à parentibus legitimè sunt venditi, possint fugere?

REspondeo tanquam certum, quod non; quia cùm sint serui facti per legitimũ contractum, in quem ipsi,vel parentes eorum loco,iustè consenserunt, tenentur contractui stare, nec possunt illum violare absque iniustitia, sicut nec alias venditiones. Sic Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 5. *dubit.* 5. *num.* 21. & omninò ex illo non citato, Diana *p.* 7. *tract.* 7. *resol.* 9. *vers. ex dictis in superioribus.*

QVÆSTIO XXXII.

An quis efficiatur seruus ratione natiuitatis, hoc est, ex eo quod ex matre ancilla nascatur?

REspondeo tanquam certum, quod sic. Itaque, qui ex ancilla nascitur, siue pater sit liber, siue seruus; siue ex matrimonio legitimo, siue ex fornicatione, siue aliter procreatus, seruus eius efficitur, cuius ancilla est mater. Quia in hac re partus sequitur ventrem, idest, matris fortunam, & conditionem. Sic habetur *in l. partum, C. de rei vindic. & l. seruorum, ff. de statu hominis, Instit. de iure personar. §. serui autem, & de ingenuis, §. sed & si quis.* In hac enim parte leges idem iuris esse voluerunt, quod est de fructibus arborum, & fœtibus animalium. Nam sicut fructus arboris tuæ est tuus, & fœtus pecudis tuæ tuus est; sic partus tuæ ancillæ in bonis tuis numeratur. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 31. *q.* 1. *vers. tertia causa.* Molina *disp.* 33. *cit.* Fragosus 3. *part. lib.* 10. *disp.* 21. §. 1. *num.* 11. Diana *loco cit. resol.* 9.

QVÆSTIO XXXIII.

An filij nati post litem contestatam, sequantur etiam matris conditionem, si posteà fuerit ancilla, vel libera iudicata?

REspondeo etiam vt certum, sequi; secus est dicendum de filiis natis ante litem contestatam; quia iis nihil nocet sententia posteà pronunciata, *l. vltim. C. de liberali causa*, & *l. partum, ff. de vsuris.* Sic Azor *loco cit. vers. sed quæstio est.*

QVÆSTIO XXXIV.

An vt proles nascatur libera, satis sit, si tempore conceptionis, aut natiuitatis, aut medio tempore mater libera fuerit?

REspondeo vt certum, satis esse, quia in fauorem libertatis partus sequitur ventrem pro quocumque tempore liber fuerit, dum fœtus intra illum contineatur. Nam pro eo instanti partus, seu fœtus assequitur libertatem, & posteà non reducitur ad seruitutem. Ita habetur *in* §. *sed & si quis, Instit. de ingenuis, & l. seruorum, vers. ingenui sunt, ff. de statu homin.* & docent omnes communiter. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 24. Fragos. Diana, & alij *loco cit.* Azor *loco cit. vers. quæritur etiam*, vbi ex Paulo Iurisconsulto *lib.* 2. *receptar. sentent. tit.* 24. refert hæc verba: *Si serua conceperit, & posteà manumissa peperit, liberum parit; id enim fauor libertatis exposcit. Si libera conceperit, & ancilla facta peperit, liberum parit: id enim fauor libertatis exposcit. Si ancilla conceperit, & medio tempore manumissa sit, & rursus facta ancilla peperit, liberum parit: media enim tempora libertati prodesse, non etiam nocere possunt.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXXV.

An vbi nulla est lex, aut consuetudo disponens de seruitute prolis, sufficiat, vt mater in partu sit serua, seu ancilla, vt proles serua sit?

REspondeo vt certum sufficere, quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 13. vbi ait, ita seruari apud plerasque gentes, quæ iure communi Cæsareo non vtuntur. Sic etiam Diana *resol.* 9. *cit.* vbi ita ait: Vbi tamen id in fauorem libertatis constitutum non esset, natura rei potiùs postulat, vt solùm tempus partus spectetur, standumque esset iuri, aut consuetudini eius loci. Si item quoad alia esset alicubi aliud peculiare ius, aut consuetudo, nempe vt proles sequeretur patrem, vel vt ad illius seruitutem necessarium esset vtrumque parentem esse seruum, vel aliud simile, standum esset illi iuri, aut consuetudini, vt *ex cap. licet, de coniugio seruorum*, colligitur. Sic Diana.

tanquam filios, maximè cùm respectu etiam illorum patresfamilias vocentur. *Magis* (inquit) *debent patres qui dominantur, quàm serui tolerare, qui seruiunt.* Legatur Fagundez *lib. 2. de iust. cap. 5. n. 4.* & nos suprà loquendo de potestate patris respectu filiorum *tract. 1. disp. 7.*

QVÆSTIO VI.

An sit licitum dominis in pœnam alicuius grauis delicti, adurere seruum, seu mancipium guttis accensi adipis, aut ceræ?

NEgandum ex dictis, ex vna parte videtur; cùm huiusmodi pœna nimis atrox videatur. Ex alia affirmandum dicit consuetudo aliquorum dominorum, hac pœnâ seruos punientium, & certè impunè.

Respondeo ego dicendum, licitum esse illis id facere, modò modum non excedant. Sic tenet Molina *disp. 2. cit. num. 14.* vbi inquirit, vtrum licitum sit adurere mancipia gutta suilla, aut cera, vt ab aliquibus dominis fieri consueuit? Et respondet his verbis: Non auderem id damnare, quando moderatè fieret, & sine periculo vitæ, aut notabilis læsionis mancipij; & quando delictum esset tanta pœna dignum, aut mancipium adeò esset durum, ac incorrigibile, vt necessaria illi iudicaretur tanta pœna, vt corrigeretur, & contineretur in officio. Semper tamen consulendum est dominis, vt potiùs vtantur pœnis mitioribus. Hæc Molina quem citant, & sequuntur Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 12. docum. 2. num. 2.* & Diana *part. 7. tract. 7. resol. 21.*

QVÆSTIO VII.

An item sit licitum signare mancipia in facie?

NEgat Ioan. de Via *in Curia Philippica tom. 2. lib. 1. cap. 7. num. 3.* Affirmat è contra Machado *docum. 2. cit. num. 4.* vbi ita dicit: *El tercero caso es, si sea licito al señor, herrar à su esclauo en el rostro. Todos los Doctores conuienen en que si, excepto Iuan de Via, que siente lo contrario.* Ita ille, qui in margine citat pro se Molinam, dicens, illum absolutè id docere, sed fallitur; nam cum limitatione id tenet, ac docet, vt mox dicemus.

Respondeo ergo dicendum, licitum esse signare in facie mancipia, quando aliàs est periculum amissionis illorum. Sic Molina *disp. 2. cit. num. 14.* vbi inquirit, vtrum sit licitum signare mancipia in facie? Et respondet his verbis: Affirmanter est respondendum, estò nulla illorum antecedat culpa, quando periculum est amissionis illorum, nisi ita signentur, eo quod eiusmodi sint, de quibus nullus præsumeret ea esse mancipia, aut quando fugitiua sunt, atque in pœnam, & vt coërceantur à fuga, meliusque inueniantur, ratio ipsa postulat, vt signentur. Hæc Molina, & bene; & Diana ex illo *loco cit. resol. 22.*

QVÆSTIO VIII.

An licitum sit dominis habere priuatum in domo sua carcerem, ac vincula, ad puniendos suos seruos, & mancipia?

NEgandum videtur primò, quia coniicere in carcerem, solùm spectat ad publicas potestates. Secundò, quia ius commune prohibet sub pœna capitis priuatos carceres habere, *l. vnica, C. de priuatis carcerib. & l. 1. C. de cohortalib. princip. lib. 12.* & lex 5. Regia *tit. 23. lib. 4. recopilat. & l. fin. tit. 29. part. 7.* omnibus cuiuscumque status, & conditionis illi sint, prohibetur carcerem habere in domo sua. Tertiò quia id videtur docere D. Thom. *2. 2. q. 65. art. 3. vbi in corp.* ait, esse illicitum incarcerare aliquem, vel qualitercumque illum detinere, nisi fiat secundum ordinem iustitiæ. Idem sentit Sotus *lib. 5. de iust. q. 2. art. 3.*

Sed omninò respondeo dicendum, fas esse dominis habere carceres priuatos ad recludenda propria mancipia, ne fugiant, & ad eos puniendos, & coërcendos ab aliquibus moribus sinistris; quia hoc posse patres respectu filiorum, diximus cum communi suprà *tract. 1. disp. 7. q. 7.* ergo à fortiori idem licebit dominis respectu suorum seruorum. Neque leges præcitatæ intelligendę sunt de hoc modo carceris, quem bonum commune postulat, atque per epicheiam censendus est exceptus à prædictis iuribus, vsuque impunè omninò est receptus. Sic tenet explicans in hoc sensu D. Thomam, Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 2. n. 18.* ex Glossa *in l. vnica cit.* & tenet Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 12. docum. 2. num. 2.* ibi. *Con todo esso vna Glossa celebre, y graues Authores afirman, que estas leyes no se entienden con el señor, que para seguridad, y castigo de sus esclauos, tiene en su casa carcel, cepo, prisiones.* Sic ille.

QVÆSTIO IX.

An domini possint mandare seruos in exilium?

REspondeo dicendum, quod licèt possint domini præcipere seruis suis, ne accedant ad aliquem locum eis nociuum, neve ex aliquo discedant; non tamen possint eos mittere in exilium perpetuum, quia hic iustitiæ actus proprius est potestatis publicæ. Sic sentit Molina *num. 18. cit.* dicens: Qui in carcerem (adde publicum) non possunt mittere, neque etiam possunt mittere in exilium, propter delicta; quoniam carcer, & exilium simili modo pugnant cum libertate, quam quisque habet abeundi quò voluerit. Vnde carcer perpetuus, & exilium, mors ciuilis nuncupantur. Sicut autem domini (ac patentes) vti possunt carcere imperfecto, ad coërcendos seruos (ac filios) ita illis præcipere possunt, ne accedant ad aliquem locum eis nociuum, &c. Sic ille ex Soto *lib. 5. de iust. q. 2. art. 3.*

QVÆSTIO X.

An licitum sit dominis castrare seruos suos, ad vocis suauitatem conseruandam, si ipsi consentiant?

AFfirmabit forsan Salonius 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. *controu.* 2. cùm affirmet, licitum esse patribus, præcipuè pauperibus, ad hunc finem filios suos castrare.

Sed vt quid certissimum respondeo primò, minimè esse licitum dominis castrare seruos suos ad vocis suauitatem conseruandam, iis inuitis, & non consentientibus. Quia vt nuper habitum est, domini non habent dominium ad membrum aliquod seruorum mutilandum: atqui testiculi sunt membrum, vt diximus *part.* 5. *de irregularit. tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 16. *&* 17. ergo. Sic supponit vt certum Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 63.

Respondeo secundò, etiam vt certum, quod nec seruis ipsis consentientibus licitum sit dominis ipsos castrare ad conseruandam suauitatem vocis; quia certum est, quod ad solam vitam conseruandam liceat membri alicuius abscissio: vnde *part.* 5. *tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 56. *& sequent.* cum communi diximus esse irregularem, qui ob vocis conseruationem permisit se castrari. Vnde vt quid certum sic tenet Lugo *tom.* 1. *de iust. disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 23. Tannerus 2. 2. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 5. *num.* 101. & ex illis Diana *loco cit.*

QVÆSTIO XI.

An dominus, qui seruum suum iniustè, & culpabiliter occidit, teneatur ad aliquid restituendum ex iustitia?

AFfirmant aliqui Doctores, quos suppressis nominibus refert Azor, docentes, debere seruum restituere eius heredibus. Mouentur, quia dominus, qui seruum necat, verè est homicida: sed homicida iure debet restituere vitam iniustè alteri ademptam, eo modo, quo potest: ergo cùm dominus suo seruo interfecto vitam reddere nequeat, debet aliquid ipsius serui heredibus restituere. Ita tenet Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 38. *num.* 3. & clariùs Fagundez *lib.* 2. *de iust. cap.* 5. *num.* 4. ibi: Quod si dominus seruum interfecerit, punietur tanquam homicida, & prætereà tenebitur arbitrio prudentis viri pretium iniuriæ insumere in suffragiis pro illius anima, si non habeat filios, quibus fiat restitutio. Ita ille, cui fauent Scotus, Gabriel, Adrian. Angel. & D. Anton. quatenus docent, restitutionem faciendam pro ipsa vita, debere fieri ipsi occiso in bonis spiritualibus, scilicet per ieiunia, eleemosynas, orationes, Missas, aliaque suffragia; quia vita, membra, fama, honor, scientia, & similia, sunt bona personalia, quæ ad heredes non transmittuntur per mortem possessoris, atque adeò nec debitum horum bonorum personalium, sed ipsi occiso. Sic refert horum sententiam Dicastillo *tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 4. *num.* 60. licèt eam non sequatur.

Sed probabiliùs respondeo dicendum primò: Dominus, qui iniustè, & culpabiliter seruum suum occidit, non cogitur quicquam heredibus serui occisi restituere; quia licèt dominus in eo casu verè, & propriè homicida fuerit, & iniustitiæ crimen admiserit, cùm alteri vitam, in quam dominus non habet ius, aut imperium, eripuerit; nihilominus nulli tenetur restituere aliquid, cùm interfectione sui serui nulli damnum intulerit, sed sibi soli, qui se serui commodis, operis, & fructibus priuauit. Nec seruus, cùm bonis careat, vllam habet aliis hereditatem relinquendam, vt bene probat Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 38. *q.* 2. Filliucius etiam *tom.* 2. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 71.

Respondeo probabiliùs etiam secundò; Nec pro vita serui interfecti tenetur dominus in conscientia aliquid formaliter ex iustitia restituere. Probatur, quia restitutio, quæ ex iustitia debetur, reparat damnum præcisè ad æqualitatem: atqui damnum, quod priuatione vitæ serui infertur, est naturâ sua irreparabile: ergo. Confirmatur hæc ratio, quia nemo obligatur damnum resarcire ex bonis diuersi ordinis, sed tantùm eiusdem; hæc enim tantùm sunt inter se commensurabilia: ergo quando non est possibilis commensuratio, non est obligatio iustitiæ. Antecedens patet, quia alioquin qui læsisset in vita, deberet restituere in honore, vel potiùs in bonis spiritualibus, vt orationibus, & suffragiis, si pecuniâ non posset, quod tamen neque moribus gentium receptum est, nec vllo modo necessarium. In hac responsione conueniunt Azor, & Filliuc. Et hanc doctrinam tenent in simili Nauarr. Bañez, Lessius, Layman, Vazquez, & alij plures, quos citat, & sequitur Dicastillo *de iust. tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 7. *dubit.* 4. *à num.* 55. Mallet. *tom.* 2. *malleatione* 14. *bractea* 2.

Respondeo tertiò; Probabilius etiam est, quod dominus occidens seruum, non obligetur ex iustitia ad restituendum pretium iniuriæ illatæ, insumendo illud in Missis, & aliis suffragiis pro anima serui occisi. Patet, quia bonum spirituale non est pretium, nec esse potest, rei temporalis, vt bene docent Nauarr. Lessius, Sotus, & alij, quos citat, & sequitur Dicastillo *loco cit. num.* 61. Hæc responsio est contra Fagundez *vbi suprà*, & alios Authores.

Respondeo nihilominus quartò: Licet occisor, (vt diximus) non obligetur ex iustitia ad aliquid pro occiso restituendum, tamen ex consilio, & quasi ex æquitate ipsa naturali, debet facere aliquam restitutionem per aliqua opera pia. Sic tenet Dicastillo *loco cit.* vbi dicit hanc doctrinam esse Lessij: sed certè Lessius non hanc, sed aliam doctrinam tradit his verbis. Solùm damnum (inquit) pecuniarum, secutum ex homicidio, est ex iustitia compensandum; pro damno autem vitæ, & pro iniuria, solùm debetur satisfactio quædam signis doloris, & petitionis veniæ. Fieri tamen potest, vt obligetur ex charitate ad aliquam pecuniariam satisfactionem, si heredes sint pauperes, & non putentur mœrorem aliter deposituri; & ipse eam sine graui incommodo possit præstare: tunc enim videtur saltem ex charitate, & quadam æquitate naturali, teneri. Hæc Lessius. Legantur de hac re Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 44. Machado *loco cit. docum.* 2. *num.* 7. & Mallet. *loco citato.*

QVÆSTIO XII.

An si dominus serui sui manum, vel pedem, vel alium membrum iniustè amputauerit, debeat aliquid ipsi seruo restituere?

Affirmant aliqui, teneri tunc dominum iure naturali, ante omnem iudicis condemnationem, ipsum seruum liberum dimittere, vel alia quauis ratione ei satisfacere, vt illius damnum, restituta libertate, vel alio modo compenset: est enim corporis membrum libertate pretiosius, & charius. Ita tenet Azor *2.p. lib.2. cap.38. quæst.3.* necnon etiam Molina *tom.1 de iust. tract.2.disp.38. num.3.* vbi docet, teneri ad restitutionem ipsismet seruis, aut hæredibus faciendam. Addens, quod tantum potest esse damnum, atque iniuria, vt non minori quàm libertate compensetur. Ita ille, necnon omninò ex illo non citato, Fagundez *lib.2. de iust. cap.5. n.4.* & ni fallor Machado *loco citato, num.8.*

Sed probabiliùs consequenter ad dicta respondeo dicendum, non teneri dominum aliquid seruo ex iustitia restituere; quia in hoc casu dominus sibi soli nocumentum fecit, vtpote domino operarum serui, ex quo nullum fructum ampliùs recepturus sit. Confirmatur ex dictis, quia pro vita occisi serui nihil ex iustitia tenetur Dominus occidens restituere: ergo nec tenebitur pro amputatione membri corporis. Quia licèt corporis membrum sit pretiosius, & charius libertate, vt Azor arguit; vt sic tamen æstimabile non est. Quod si æstimetur ratione vtilitatis, & fructus ex illo, iam eius ipse dominus habet dominium, ideóque nihil superest quod restituat. Sic Filliucius *tract.28. part.2. cap.4. q.4. num. 72.* Et Trullench *tom. 2. in Decal. lib. 4. cap.1. dub.7. num.7.* lege Dianam *tract.7. cit. resol. 45.* vbi vtramque sententiam vt probabilem amplectitur.

QVÆSTIO XIII.

An qui seruum alienum occidit, aut aliquod membrum amputauit, teneatur restituere aliquid, non solùm domino, sed & seruo?

Affirmat, teneri vtrique aliquid restituere, Molina *disp.38. cit. sub num.4.* vbi ex Abulensi *q.27. in cap.21. Exodi*, ita dicit: Vnde meritò Abulensis adnotauit, eum qui alienum seruum occidit, aut ita percutit, vt illum ineptiorem ad seruiendum, minorisve valoris reddat, ad binam restitutionem teneri; vnam domino serui faciendam, quatenus id in damnum illius cessit; alteram verò seruo, pro damno illi illato. Simul etiam puniri debet per publicas potestates pœna aliqua, quæ in compensationem pro iniuria seruo illata cedat. Sic Molina. Pro cuius sententia refert Diana Stephanum Fagundez *de iust. lib.2. cap.5. num.4.* sed non ita benè. Nam hic Author solùm dicit vnum, nempe, quod ille, qui alienum seruum interfecerit, tenetur ad resarciendum damnum domino, quod etiam suo modo procedit de quouis alio nocumento, quo seruus reddatur inutilis, vel minùs vtilis domino. Hæc ille. Tenet tamen Villalob. *tom.2. tract.10. diff.5. num.2.* dicens, teneri restituere seruo pro damno illi illato.

Sed clariùs cum Card. Lugo respondeo, teneri quidem occidentem seruum alienum restituere domino, pro damno illi illato, quidquid iustum, & æquum fuerit: seruo verò non semper, aut ante iudicis sententiam. Si enim seruo sequatur ex iniuria damnum aliud circa victum, vestitum, aut cætera necessaria ad vitam humanam, restituendum est illi, ne id damnum patiatur: quod idem erit, quando vxor, parentes, vel filij eius ea de causa passuri essent. Quando verò eiusmodi damna non sequerentur, sufficeret restituere domino; quia supponimus, quod pro damnis corporis præcisè non est obligatio restituendi in bonis alterius generis. Sic omninò Lugo *de inst. tom.1. disp.3. sect.2. num.20.* & ex illo Diana *part. 7. tract. 7. resol. 20.* Addit tamen Lugo (quod non addit Diana) quod in foro externo à iudice cogendus sit in pœnam delicti percussor ille, vt restituat etiam seruo pro iniuria illata. Sicut etiam *in illo cap. 21. Exodi* præcipitur, vt qui percussisset oculum, vel excussisset dentes serui sui, liberum eum dimitteret. Illa tamen lex iudicialis erat, & quatenus naturali æquitate innitebatur, pertinebit etiam nunc ad forum exterius; non tamen obligabitur percussor ante iudicis sententiam ad eiusmodi compensationem. Hæc Cardin. Lugo.

DISPVTATIO III.

De obligatione, quam habent domini alendi seruos, & spiritualiter illos instruendi.

QVÆSTIO PRIMA.

An dominus teneatur alimenta seruo suo præstare?

Respondeo vt certum, teneri præstare seruo suo alimenta necessaria, nempe victum, vestitum, & habitationem; nam hæc tria, vt sæpè diximus, nomine alimentorum comprehenduntur. Sic colligitur *ex l. complures, §. cùm tutor, ff. de administrat. tutor.* Et ratio postulat, vt eos alamus, qui nobis seruiunt, *l. diuortio, §. fin. ff. soluto matrim. l. item serui, in fine, ff. de ædilit. edict.* Sic omnes. Legantur Speculator *tit. qui filij sint legitimi, §. fin. num. 20.* Azor *part. 2. lib. 2. cap. 38. q.1.* Fragosus *part.3. Regim. Christiana Reipub. lib.10. disp. 21. §. 3. num.27.* Filliuc. *tract.28. part.2. cap.4. q.1. num. 68.* Mallet. *malleat.14. cit. bractea 3.*

QVÆSTIO II.

An item teneatur dominus præstare alimenta suo seruo, si hic habeat patrem liberum?

RESpondeo etiam vt certum, teneri adhuc; quia dominus debet alere seruum, non pater, etiam liber. Nam dominus in seruum, qui ex ancilla sua nascitur, verè habet potestatem, & ab eo percipit commodum acquisitionum: ergo meritò debet illum alere, quia non conuenit iustitiæ, quod alter seminet, & alter metat; sed illum sequi debet impensa, qui commodum est recepturus, *l. secundùm naturam, ff. de regul. iuris, & cap. si quis sentit. eod. tit. in 6.* Sic ex textu expresso *in l. si neget. in fine. ff. de liber. agnoscend.* docent Bartol. & Dyn. *ibi*, Alberic. Speculat. & Corduba, quos citat, & sequitur Fragosus *loco citato, num.27.*

QVÆSTIO III.

An ex aliquibus causis possit dominus seruo suo alimenta denegare, & subtrahere?

AFfirmant aliqui id posse dominum facere, ob quædam crimina serui, vt si sit ingratus, contumeliosusve in dominum; vel si mali aliquid fecerit, ob quod pœnam mortis meretur. Ita tenent quidam, quos suppressis nominibus refert Azor *p.2. lib.2. cap.38. q.10.*

Sed probabiliùs respondeo, minimè posse vnquam dominum alimenta in totum seruo suo denegare, quia periret; benè tamen posse ex causa illa minuere, ad suam correctionem. Sic Azor *loco cit.* his verbis: sed verius est, quod alij tradiderunt, si serui crimen est vltimo supplicio dignum, ad Magistratus, aut iudices iure deferatur: si alterius pœnæ sit reus, priuatim à domino iure punitur, nunquam tamen alimenta, quæ sunt necessaria simpliciter vitæ subsidia, dominus potest iure denegare; quamuis ea possit ex parte minuere, itavt seruus non inedia absumatur, & pereat; sed attenuato, & diminuto victu castigetur, vt sic fortè ad saniorem mentem, melioremque vitam redeat. Sic Azor, & ex illo Trullench *lib.4. in Decal. cap.1. dub.6. num.5.* & Filliuc. *tract.28. part.2. cap.4. q.6. num. 75.* & Diana *part.7. tract.7. resol.4.6* vbi addit, non esse damnandos illos, qui propter aliqua delicta licèt leuiora, detrahunt seruis, *Parte de la racion*, vt vulgò dicitur.

QVÆSTIO IV.

An si seruo relinquantur alimenta, possit illis frui, & ali, veluti ex rebus propriis?

AFfirmandum videtur, quia seruus capax est alimentorum, & legatum pro alimentis seruo factum est omninò sustinendum: ergo.

Sed omninò respondeo, non posse ex illis, tanquam ex propriis, ali; quia alimenta, quæ etiam pro alimentis relinquuntur seruo, debentur domino, vt declarat Bartol. *in l. cùm his, §. eam transactionem, num.5.* vbi Iason *in fine, ff. de transactionib.* Sic Fragosus *part. 3. regim. lib. 10. disp.21. §.3. num.28.* qui ad rationem dubitandi bene respondet, procedere, quando seruus dominum non habet: nam si dominum habeat, illi videntur relicta.

QVÆSTIO V.

An domini, qui circa salutem, præcipuè spiritualem suorum seruorum, sunt notabiliter negligentes, lethaliter peccent?

RESpondeo vt certum, quod sic. Colligitur clarè ex *1. ad Timoth. 5. Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior.* Sic omnes, præcipuè Nauarr. *cap.14. num.21.* vbi ita ait: peccat dominus, vel herus, qui notabiliter negligit ea, quæ pertinent ad seruorum, famulorumve suorum conscientiam, non curando, ne assuescant malè iurare, vel præcepta Dei, aut Ecclesiæ violare; aut non monent eos confiteri, & communicare, & Missam audire diebus ad id statutis: vel negligit notabiliter procurare illis Sacramenta confirmationis, & vnctionis extremæ suo tempore, & alia Christianæ vitæ, *argum. cap. duo sunt 23. q.4. & 1. ad Timoth. cap.5.* Hæc Nauar. & Azor *part.2. lib. 2. cap. 38. q.1.* Filliuc. *tract.28. part.2. cap.4. q.1. num.68.* Fagundez *lib.4. in Decal. cap.14. num.1.* Trullench *lib. etiam 4. cap.1. dub.6. num.1.* & omnes.

QVÆSTIO VI.

An non solùm ex charitate, verùm etiam ex iustitia, teneantur domini curare, ne serui prauè viuant, & vt præcepta Dei, & Ecclesiæ, &c. obseruent?

RESpondeo vt certum, teneri dominos ex vi huius quarti præcepti Decalogi, non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, curare, vt serui omnia prædicta obseruent, & faciant. Tenentur namque ex charitate, quia sunt proximi, & domestici: ex iustitia etiam, quia sicut seruus ex iustitia tenetur domino seruire, sic & dominus tenetur ex eadem iustitia ei stipendia dare, alimenta, & doctrinam. Nomine enim alimentorum, tam alimenta corporalia, quàm spiritualia doctrinæ veniunt. Sic Fagundez *loco cit.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An peccet mortaliter dominus, qui non curat, vt seruus christianus addiscat rudimenta fidei, & alia, quæ ad christianam Religionem spectant?

RESpondeo vt certum, peccare mortaliter, si in his edocendis valde negligens fuerit; quia in iis maximè verificantur illa verba Apostoli, adducta

ducta *q.5*. Sic tenet Nauarr. *num.21. cit.* his verbis: Dominus, vel herus, qui habet seruum neophytum, seu nouè ad fidem conuersum, & non curat per se, neque per alium Christianam doctrinam ipsum docere, & quid sit esse Christianum, & subinde qualem vitam agere teneatur, peccat mortaliter. Sic ille, & ex illo Fagundez *loco cit.* Filliuc. *vbi suprà, num.68.*

QVÆSTIO VIII.

An item peccet mortaliter dominus, qui notabiliter est negligens in corrigendis suorum seruorum peccatis?

Respondeo vt certum, quod sic. Ita enim docent omnes Authores citati, & præcipuè Nauarr. *cap.14. num.21.* ibi: Trigesimosecundò, peccat herus, vel dominus, qui notabiliter negligit nosse peccata manifesta seruorum, & famulorum suorum, vt possit eos corrigere, secundum S.Anton. *2.p. tit.5. cap.9. §.2.* Sic ille, & ex illo Fagundez *loco citato num.2.* & Trullench etiam *num.2.*

QVÆSTIO IX.

An rursus teneatur sub mortali dominus, vel herus, è domo eiicere seruos, aut famulos, quos noscit prauis moribus corruptos?

Respondeo vt certum, teneri eos eiicere, si neque verbis, neque alia iusta pœna resipiscant; & verisimiliter credat dominus, aut herus, hac eiectione corrigendos fore; secus verò si existimet, eos à domo expulsos deteriores fore; quia tunc meliùs erit eos domi retinere, adhibendo eis remedia, quæ commodè poterit. Sic Nauarr. *loco cit.* & ex illo Fagundez *num.2.* Trullench *num. 2. & 16.* & Azor *part.2. lib.2. cap.39. q.13.* vbi quæstioni propositæ sic satisfacit: Respondeo, si eos (idest seruos, aut famulos) aut verbis, aut minis, aut obiurgationibus, aut etiam verberibus, cùm id fieri potest, non corrigi, & emendari viderit, debere eos expellere, & eiicere, nisi probabiliter timeat eiectos domo deteriores euasuros, & licentiùs victuros; vel nisi crediderit, eos apud se retentos, aliquando ad meliorem vitæ frugem redituros; vel nisi grauiter sibi nocuerit, quòd sit famulatu debito, & necessario cariturus. Angel. Siluest. Tabiena, Pisanel. Rosella, Armilla *locis prællegatis*. Pro hac re faciunt quæ leguntur *cap. quantumlibet, cap. quoad nos, cap. sicut, §. necesse est etiam, dist. 47.* ex S. Cypriano, Hieronymo, & Augustino, & aliis: *Dominus faciat quod commodè poterit, vt famulum corrigat, quamuis domo non extrudat, & eiiciat; dummodo famuli peccatum in domini culpam non reiiciat.* Hæc omnia Azor.

QVÆSTIO X.

An peccent mortaliter domini, qui seruos suos Christianos, canes vocant?

Affirmat Trullench *lib.4. cap.1. dub.6. num.2.* vbi docet, peccare grauiter dominos, qui seruos suos contumeliis afficiunt, vt vocando seruos Christianos, canes. Ita ille, omninò ex Filliucio non citato, *tract.28. 2.p. cap.4. q.9.n.79.*

Sed clariùs ego respondeo, peccare quidem mortaliter, si ex intentione grauiter seruos Christianos iniuriandi, talia verba in eos proferunt; secus si ob correctionem aliquorum criminum. Lege Dianam *part.7. tract.7. resol.47.* vbi dicit, non peccare mortaliter dominos, communiter loquendo, vocando seruos Christianos, canes; quia ex ira, & ex indelibetatione talem solent proferre iniuriam.

QVÆSTIO XI.

An serui possint licitè, & validè matrimonium contrahere?

Negandum videtur ex *l. cum ancillis, C. de incest. nupt.* vbi id deciditur.

Sed tanquam certum respondeo licitè, & validè posse seruos contrahere matrimonium, quia sic definitur *in cap.2. de coniugio seruor. & in cap. si quis liber 29. q.2.* quibus iuribus corrigitur illa præcitata lex. Sic tenent omnes Doctores, vt diximus *part.2. tract.9. de matrim.disp.11.q.10.* vbi *quæst.15.* vt certissimum etiam diximus, validè posse seruos, etiam inuitis dominis, matrimonium inire; imò & licitè, si priùs à suis dominis licentiam ad contrahendum petant, *q.14.* Et *quæst.15.* quod peccent mortaliter domini, qui seruorum coniugia, vel maritale eorum consortium impediunt. Et *q.16.* quod eodem modo peccent domini, qui vendunt seruos coniugatos in partes ita remotas, vt impediatur vsus matrimonij, nisi talis venditio fiat ex consensu vtriusque coniugis. Legantur omnia dicta *in præfata disp. 11.* necnon Diana *part. 7. tract.7.* Fagundez, & Trullench, & Filliuc. *vbi suprà.*

QVÆSTIO XII.

An dominus ex delicto serui obligetur?

Respondeo distinguendo cum Azorio *p.2.lib.2. q.12.* sic: Aut seruus delinquit in eo officio, & ministerio, quod domini iussu præstat, & obit; & tunc dominus ex serui delicto tenetur, quia in se culpam coniicere debet, qui ad id officij, & ministerij seruum delegit. Aut seruus delinquit iussu, & auctoritate domini; & tunc quoque dominus ex serui delicto obligatur. Aut seruus peccat in aliis, & tunc in re ciuili dominus ex serui delicto non tenetur obstrictus, dummodo eum noxæ dedat. At secundùm conscientiam, quoties dominus serui peccatum impedire commodè potest, nec id facit, ex serui delicto obligatur; secus minimè. Sic Angel. Siluest. & alij. Hucvsque doctus pater, quem sequuntur

sequuntur Filliuc. *tract.* 28. *p.*2. *cap.* 4. *q.*7. *numero* 77. Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.*1. *dub.*6. *numero* 6. Legatur Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resolut.*73.

QVÆSTIO XIII.

An dominus ex serui contractu, vel quasi contractu obligetur?

Respondeo vt certum, non obligari, nisi in duobus casibus. Primus est, si seruus iussu domini contractum celebrauit, aut iniuit. Secundus est, si quod habuit ex contractu, versum est in vtilitatem domini, vt si mutuam pecuniam accepit, vt se aleret, se vestiret, aut se curaret à morbo. His casibus exceptis, non tenetur dominus, nec obligatur ex contractu serui, vtputà, si absque eius iussu pecuniam mutuam accepit, vt luderet, vt ventri indulgeret, vt largiùs biberet, & similia. Sic Azor *loco cit. quæst.*13. Filliucius, & Trullench, qui Azorium sequuntur.

QVÆSTIO XIV.

An si dominus seruum ad peccandum inducat, debeat aliquid restituere?

Respondeo vt certum, quod non debeat, nisi peccatum esset commissum contra iustitiam. Verum est, quod fas sit seruo dominum in iudicium vocare, vt constat *ex l. si leones, C. de Episcopali audientia*, vbi statuitur, vt si domini ancillis necessitatem imposuerint peccandi, liceat Episcopis eas à seruitute liberare, libertate, in pœnam delicti dominorum, eas donando. Et *in l.* 1. *§. quod autem, ff. de officio Præfecti vrbis*, habetur; *Si domini seruos sæuitia, si duritia, si fame premant, si in obscœnitatem eos compulerint, vel compellant, apud Præfectum vrbis exponant.* Hæc ibi. Et hæc Azor *part.*2.*lib.*2. *cap.*38.*q.*4. quem sequitur Trullench *lib.*4. *cap.*1. *dub.*7. *num.*6. addens, quod si non admittatur in iudicio querela serui contra dominum, tunc iure naturali fas sit ipsi seruo fugere, vt se liberet à peccato; potiùs enim seruiendum est Deo, quàm homini. Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An domini poßint irritare vota seruorum, aut mancipiorum?

Respondeo dicendum, posse irritare aliqua, licèt non omnia, vt latè diximus *part.* 7. *tract.* 1. *de iuram. disp.* 16. *toto §.* 8. vbi, quæ vota illorum, & quæ non possint domini irritare, amplè inuenies.

QVÆSTIO XVI.

An domini cogendi sint ad vendendos seruos, propter nimiam sæuitiam in illos?

Respondeo dicendum ex dictis q.14. congendos esse; quia id constat ex præcitatis iuribus. Sic item probat Menochius *de arbitrar. cent.* 2. *casu* 138. *ex l.* 2. *ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, §. sed & maior*, in qua asseritur, quod dominus seruos vendere cogatur, si in eos nimium sæuierit; sicut cogitur pater emancipare filium, quem acerbiùs, quàm pro paterna pietate, tractauerit. Sic ille, & ex illo latiùs aliquantulum Diana *part.*7. *tract.*7. *resol.*64.

QVÆSTIO XVII.

An inter seruum, & dominum aliquando in iudicio possit esse ciuilis actio?

Respondeo posse esse in certis tantummodò causis. Prima, si ad statuas confugerunt, vt manumitterentur, & non sunt manumissi. Secunda, si pecuniâ sua se redemerunt, & domini non manumiserint, *l.*1. *ff. de offic. Prætoris.* Tertia, si dominus suppresserit tabulas testamenti, in quibus libertas iis dabatur, *l. vix certis, ff. de iudice.* Quarta, si annonæ arctioris, aut falsæ monetæ dominos reos detegere velint. Quinta, si causâ publicæ vtilitatis, vel salutis contra dominos agant; vt quia rei Maiestatis, patriæ proditores, vel hostes sint. Sic Filliuc. *tract.*28. *part.*2. *cap.*4.*q.*8. *num.*78. & omninò ex illo non citato, Trullench *lib.*4. *Decal. cap.* 1. *dub.*6. *num.* 7. & vterque ex Azorio ab illis citato 2. *p. lib.* 2. *cap.* 38. *quæst. vltima.*

QVÆSTIO XVIII.

An in aliis, vltra assignatos, casibus, possit peccare dominus contra seruum?

Respondeo posse; & primò, si seruos onerent laboribus intolerabilibus, peccant grauiter: Secundò, si grauiter eos verberent ex leui causa: Tertiò, si iubeant aliqua, quæ serui nequeunt facere sine peccato mortali. Sic Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 2. omninò ex Filliucio, quem non citat, *loco citato*, *q.* 9. *numero* 79. Lege Dianam *part.* 7. *tract.* 7. *resolut.* 47.

DISPV

DISPVTATIO IV.

De obligatione seruorum, & mancipiorum erga dominos.

QVÆSTIO PRIMA.

An serui teneantur ex vi huius quarti præcepti, exhibere honorem debitum suis dominis?

RESPONDEO tanquam certum, teneri suis dominis debitum honorem deferre, etiamsi improbi sint. Sic enim præcipit Apost. Petrus *in sua 1. epist. cap.2.* his verbis: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Idem ait Palus *ad Rom.* 13. & habetur *in cap. solitæ, de maiorit. & cap. omnis, de censibus.* Vnde constat seruos grauiter peccare, si notabiliter dominos suos contemnant, irrideant, vel negligant. Sic Nauar. *cap.*14. *num.* 22. & ex illo Iodocus *verb. serui, num.*8. Filliuc. *tract.*28. *part.*2. *cap.*3. *q.*2. *num.*46. Clauis Regia *lib.* 7. *cap.*7. *num.* 12. Bonac. *tom.*2. *disp.*6. *q. vnica, punct.* 8. *num.* 15. *vers. tertiò.* Trullench *lib.*4. *in Decal. cap.*1. *dub.*5. *num.* 2. Carolus Mallet. *tom.* 2. *malleatione* 15. *bractea* 1. & omnes.

QVÆSTIO II.

An item teneantur serui dominis suis obedientiam præstare?

RESpondeo vt certum, etiam teneri. Sic enim colligitur, tum ex eo quod ex vi huius præcepti, non solùm parentibus, sed etiam vices parentum gerentibus, obedientia est exhibenda, vt constat ex dictis *tract.*1 *disp.*3.*q.*1.*& seq.* tum etiam ex Paulo *Ephes.*6. *Coloss.*3. *& Tit.*2. & tenent omnes Doctores. Legantur citati.

QVÆSTIO III.

An seruus teneatur obedire domino in iis, quæ iuri naturali, aut diuino opponuntur?

REspondeo tanquam quid certissimum, non teneri, nec posse in dictis rebus obedire; quia potiùs est obediendum Deo, quàm hominibus. Sic omnes DD. inter quos Azor *lib.*2. *cit. cap.*38. *quæst.*11. (non 10. vt legi apud Trullench, & Dianam) ita ait: Si dominus iubet aliqua, quæ sunt per se mala, vt quæ iuri gentium, & naturali aduersantur, in his seruus domini iussa suo iure contemnet. Aut imperat aliqua, quæ cum Dei præceptis pugnant, & hæc etiam iussa meritò respuet; vt si dominus seruo præcipiat, ne Christi fidem, & religionem suscipiat; ne item Christianus effectus ad Sacramenta accedat, &c. Hæc Azor. & ex illo Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 3. *q.*2. *num.* 64. Trullench *lib.*4. *in Decal. cap.*1. *dub.*5. *num.*3. Diana *part.*7. *tract.*7. *resol.*48. Mallet. *loco cit.* & omnes.

Vnde cautè est legendus Machado *tom.*2. *lib.*6. *part.*7. *tract.*13. *docum.*1. *num.*4. dum non damnat quandam sententiam Glossæ, quam iis verbis refert: *Con todo esso, vna Glossa (in l. penult. ff. si familia furtum fecisse dicatur) que aprueua Iason (in §. si minus, Instit. de actionib.) dize, que el esclauo que cometiò algun delicto por mandado de su señor, y apremiado con temor de perder la vida, no peca. Y otros Iuristas classicos (vt sunt Cynus in l.*1. *C. vnde vi, quæst. penult. Salicetus ibid. Bartol. in l. si seruus, ff. de noxal. actionibus, & Ioan. Ananias in cap. interfecisti, num.*18. *de homicid.) defienden, que el esclauo que por mandado de su señor, compelido con este justo temor, matò à la muger de su señor, de quien sospechaua que le hazia ofensa, no cometiò pecado en el foro interior, ni en el exterior, merece pena por auer la muerte.* Hæc Machado, cuius verba refert Diana *vbi suprà*, dicens circa illa magnam habere difficultatem; & in his standum est Theologis, & non Iurisconsultis. Et quidem Iurisconsultorum opinionem prorsus, & meritò refellunt Theologi. Hæc Diana, & ego sine vlla difficultate sic teneo, & sentio, contra dictos Iuristas, aliàs doctos.

QVÆSTIO IV.

An saltem teneantur serui obedire suis dominis in his, quæ præceptis Ecclesiæ, & legibus ciuilium Principum sunt contraria?

NEgat absolutè Mallet. *malleat.*15. *bractea* 1. *in fine.*

Sed distinctiùs respondeo dicendum, quod quando dominus iubet seruo aliqua præceptis Ecclesiæ, & legibus Principum contraria, tunc videndum est, an Ecclesiæ, vel Principis præceptum tam arctè, & seuerè liget, vt velit ipsa Ecclesia, vel Princeps, domini præceptum postponi, & negligi; & tunc potiùs ipsi Ecclesiæ, vel Principi seruus parêre debet, quàm domino; secus verò quando non est ita seuerum Ecclesiæ, vel Principis præceptum. Aliquando enim seruus tuta conscientia in die festo rem diuinam omittit, & ieiunia ab Ecclesia indicta soluit, vt domini iussa exequatur. Hæc Azor *loco cit. q.*11. Filliuc. Trullench, & Diana.

QVÆSTIO V.

An serui possint licitè obedire dominis, si præcipiant, ne audiant Missam, vel vt laborent in diebus festis?

AFfirmarunt Sà, Graffius, & alij, quos retulimus *part.*3. *tract.*2. *disp.*2. *q.*34.

Sed meliùs respondeo iterum, non posse, nisi casu, quo si non obediant, timeant probabiliter aliquod graue damnum, vel incommodum. Sic Azor, Suares Ægidius, Nuñus, Bonac. & alij plures, quos *vbi suprà* citauimus. Legantur etiam Diana *part.*7. *tract* 7. *resol.* 52. Machado *lib.*6. *part.*7. *tract.*11. *docum.*4.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An serui teneantur obedire dominis in rebus indifferentibus, quæ ex se nec sunt bonæ, nec malæ?

RESpondeo vt certum, teneri; quia in rebus, quæ nec ex se, neque ex præcepto diuino, aut humano sunt malæ, aut illicitæ, tenentur serui suis dominis seruire, vt docent omnes Doctores. Legantur Azor, Filliuc. & Trullench *locis citatis.* Sed difficultas est inter illos, quales actiones dicantur indifferentes, pro qua sit.

QVÆSTIO VII.

An liceat seruo sternere equum, & dominum comitari, & expectare (non custodiæ causâ) quando ad fornicandum, vel aliquid peius patrandum pergit.

REspondeo dicendum, quod liceat, quia ministeria hæc ex se sunt indifferentia, nec exercentur à seruis, vt prauæ intentioni domini conniueant, sed vrgente necessitate obsequendi domino rem indifferentem præcipienti. Sic Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de pœnit. & remiss. consil. 5.* (aliàs *6.*) *in fine.* Angles *in florib. 1. p. q. 7. de ieiunio, difficult. 5.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 205. numero secundo*, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. sum. capite septimo, num. 22.*

QVÆSTIO VIII.

An saltem peccet mortaliter seruus comitans dominum (aut famulus comitans herum) ad fornicandum euntem, quando ipso non comitante, dominus minimè adiret?

AFfirmat Nauar. *lib. 5. consil. cit. consil. mihi 4. num. 3.* vbi ita ait: Prædictus famulus (aut seruus) peccat, si consulit hero concubino concubinatum, vel consentit, ita quod ei placet, & si ex eo laudat illum, vel si opem fert, seu ad id adiuuat, comitando eum nocte, aut die, ita quod herus non iret ad domum concubinæ, nisi & ipse comitaretur, &c. ita meus Nauarrus.

Sed clariùs respondeo, peccare quidem mortaliter in eo casu seruum (aut famulum) si commodè, & absque proprio alicuius momenti detrimento posset id obsequium domino denegare; secus verò si commodè id denegare nequiret, & foret molestum, ac noxium seruo ob id dominum (aut herum) deserere, aut illum fugere. Sic Sanchez tenet loquendo de famulo, *loco cit. n. 22.* cætera huic materiæ concernentia vide infrà *tract. sequenti*, vbi de obligatione famulorum.

QVÆSTIO IX.

An serui teneantur dominis suis indigentibus necessaria ad victum suppeditare?

REspondeo vt certum, teneri: nam actus amoris, & beneuolentiæ, quo serui tenentur prosequi dominos, non solùm consistit in actu interno, verùm etiam in externo, quo proximi necessitas subleuatur, vt latè diximus *part. 6. tract. 5. disp. 2. de eleemosyna.* Sic Bonac. *disp. 6. q. vnica, punct. 8. num. 14. vers. secundò*, & ex illo Trullench *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 5. num. 4. fine.*

QVÆSTIO X.

An serui in æquali casu necessitatis possint alimenta sibi potiùs, quàm dominis ministrare?

NEgat doctissimus Nauarrus *in man. cap. 17. num. 60.* vbi docet, quod ille, qui in necessitate extrema constitutus, non habet aliud, quàm quod ad suam, suorumque vitam est necessarium, restituere non tenetur, nisi creditor eadem necessitate prematur; imò neque si eadem prematur, nisi dominium eius, quod restituendum est, semper penes creditorem remanserit. Hæc Nauarrus, & nunc ego: sed sic est, quod in hoc casu seruus, & dominus æquali necessitate premuntur, & dominium eorum, quæ seruus possidet, & quibus sibi, vel domino alimenta præstare potest, semper penes ipsum dominum remansit; nam seruus non est capax dominij, cùm pro mortuo habeatur, *l. seruitutem, ff. de regul. iuris, &c.* ergo in æquali necessitate potiùs domino, quàm sibi seruus alimenta præstare tenetur.

Sed distinctiùs respondeo, & primò tanquam certum, sic. Si dominus, qui æquali necessitate cum seruo premitur, sit Rex, vel Princeps, vel maximè Reipublicæ vtilis, tunc seruus secundum charitatis ordinem tenetur potiùs domino, quàm sibi alimenta ministrare: nam ordo charitatis postulat, vt quæ altioris sunt ordinis, præferantur: atqui tunc vita domini, ratione publici boni, est altioris ordinis: ergo & præferenda. Hæc responsio est communis, & constat ex à nobis dictis *part. 6. tract. 5. de eleemosyna, quæst. vltima.*

Respondeo secundò. Probabilius est, quod casu, quo dominus non sit persona Reipublicæ maximè vtilis, vt nuper est habitum, tunc seruus, si æquali necessitate prematur, possit sibi potiùs, quàm domino alimenta ministrare. Probatur: tum, quia secundum ordinem charitatis, cæteris paribus, plus est diligenda propria salus, & vita, quàm salus & vita corporalis proximi. Tum etiam, quia etsi per seruitutem amittantur ea, quæ à ciuili iure vnicuique conueniunt; tamen ea, quæ naturali iure cuique competunt, retinentur. Sed sic est, quod conseruatio propriæ vitæ iure naturali vnicuique competit: ergo. Sic Diana *part. 7. tract. 7. resol. 66.* ex Petro Nauarra *de restit. lib. 4. cap. 4. num. 28.*

QVÆSTIO XI.

An serui teneantur defendere vitam suorum dominorum cum periculo propriæ vitæ?

AFfirmat Machado *tom.2.lib.6.part.7.tract.13. docum.1. num.1.* vbi ita ait: *Se ha de aduertir, que segun expressamente disponen vnas leyes del derecho comun, y real, l.1. & sequent. ff. ad Senatusconsult. Syllanian. & l. vlt. tit.8. part.7. si algun esclauo teniendo noticia, que contra su señor, ò su muger, è hijos se intentaua alguna asechanza, ò traicion, ò cosa semejante, no solamente para quitarles la vida, sino tambien para hazerles algun agrauio de heridas, &c. ò si peleando algunos de sus señores corria peligro su vida; si el esclauo no salió à la defensa, manifestandoles la traicion que contra ellos se fraguaua, ò no les defendiò su vida con su propria persona, disponen como digo, que incurra en pena de muerte; y esto, aunque al esclauo le vbiesse de costar la vida el defenderlos, sin que le escuse el hauer dado voces, y pedido socorro, quando por su persona pudò ayudarlos, ò defenderlos.* Ita ille, pro cuius sententia addit Diana Ægidium Trullench *lib.4. in Decal. cap.1. dub.5. num.2.* & Filliucium *tract.28. part.2. cap.3. n.46.* quibus adde Carrer. & alios apud Molinam mox citandum.

Igitur Molina *tom.4. tract.3. disp.33.* (non 13. vt leges apud Machadum, & Dianam) *memb.5. num.8. col. mihi 692.* non audet approbare leges citatas vt iustas, quatenus statuunt pœnam adeò acerbam mancipiis, quæ cum periculo propriæ vitæ non accurrunt dominis suis, Lege enim charitatis præponere quiuis potest vitam propriam vitæ etiam sui proprij patris, nedum vitæ domini, &c. Sic ille.

Sed distinctiùs sic respondeo primò. Certum est, quod si dominus temerè se ingerit in periculum amittendi, ac perdendi vitam, tunc minimè teneatur seruus cum periculo euidenti perdendi suam vitam, defendere vitam domini sui; quia voluntariè, & sine consilio, aut causa se vult perdere. In hac responsione conueniunt Filliuc. & Trullench, dum eisdem verbis dicunt, debere seruos defendere dominos à malis imminentibus, etiam cum periculo vitæ, quando sunt mancipia, vel famuli in eum finem conducti, vt dominum tueantur, & dominus non temerè se ingerit in ea pericula. Sic illi. Ergo si ipse dominus se ingerit temerè, non tenebitur seruus cum euidenti periculo suæ vitæ illum defendere.

Respondeo secundò: probabilior mihi est sententia Molinæ, quia conformior est rationi, & legi charitatis, necnon doctrinæ à nobis traditæ *part.5. de irregularit. tract.2. disp. 12. q.5.* vbi diximus, licitum esse seruis, subditis, vassallis, & filiis occidere parentes, Principes, superiores, & dominos, illos iniustè inuadentes: ergo & licitum erit istis, si non defendant eos ab inimicis cum periculo suæ propriæ vitæ. Lege Dianam *part. 7. tract.7. resol.49.* referentem vtramque sententiam, nullique adhærentem; & Carolum Mallet. *malleat.15. bractea 1.* vbi nostram tenet doctrinam.

QVÆSTIO XII.

An saltem famulus conductus ad defendendum heri vitam, teneatur cum periculo propriæ illam defendere?

AFfirmabunt, & à fortiori, Carrerius *in practica, §. homicidium 6. num.15.* & alij apud ipsum, absolutè docentes, teneri famulos, sicuti & mancipia, cum periculo propriæ vitæ defendere vitam suorum dominorum: ergo à fortiori id tenentur docere casu, quo famuli sint conducti ad defendendam vitam suorum dominorum.

Sed distinctiùs respondeo primò: Certum est, quod famulo non conducto expressè ad defendendam vitam sui heri, vel domini, minimè teneatur ad defendendam vitam illius, vel ad impediendam eius mortem cum periculo propriæ vitæ; quia famulus mercede ad seruiendum solùm conductus, non suscipit in se tantum onus, defendendi videlicet vitam domini sui cum periculo propriæ vitæ. Sic tenent Baldus, Greg. Lopez, quos citat, & sequitur Molina *loco citato, num. 9.* Bonac. *disp.6. q.vnica, punct.8. num.15.*

Respondeo secundò, etiam vt certum, quod famulus expressè conductus ad defendendam domini sui vitam, teneatur tunc ad illam defendendam cum periculo suæ vitæ; quia ex contractu hoc onus suscepit, sicuti miles tenetur ad pugnandum cum periculo vitæ suæ; quia ad id conducitur. Sic Molina, Filliuc. Bonac. Trullench, & Mallet. *locis citatis.*

QVÆSTIO XIII.

An serui, seu famuli teneantur conseruare pro viribus sub mortali res dominorum, aut herorum suorum?

REspondeo tanquam certum, teneri, saltem ex fidelitate, & charitate. Sic supponit Machado *tom.2. part.7. tract.11. docum. 2. num.1.* per hæc verba. *La fidelidad que el criado deue à las cosas, y hazienda de su señor, podemos considerarlas en dos maneras, vna en orden à no permitir que otros de casa le hagan hurto en ella; y la otra, en hazerlos el. Començando pues por lo primero, digo que los Dotores enseñan por regla general, que qualquiera criado de casa que pudiere sin daño, ò incomodidad suya, està obligado por ley de charidad à impedir los hurtos que en su casa se hizieren, ò manifestarlos à su señor, y no lo haziendo assi peca mortalmente, porque à esto le obliga la fidelidad que deue à su señor.* Hæc Machado, qui citat pro hac parte Layman. *lib.3 sect.5. tract.2. cap.5.* Lessium *lib.2. cap.15. dub.10. num.74.* Nauarrum *cap.14. n.7.* Dianam *3. p. tract.6. resol.58.* Molinam *tom.2. tract.2. resol.506. num 16.* & Trullench *tom.2. in Decal. lib.7. cap.13. dub. 3. num.5.* sed malè citat loca aliquorum. Nam Lessius id docet *cap.13. n.75.* Nauarrus verò nil dicit *cap. 14.* bene tamen *cap.24. num. 7.* Molina id docet *disp.* non *resolutione, 506. num.16.* Lege etiam Trullench *lib.4. in Decal. cap.1. dub.5. n.2.* & Filliuc. *tract.28. part.2. cap.3. q.2. n.46.* & alios, inter quos solùm est difficultas, an etiam teneatur ad restitutionem. Sit ergo pro hac difficultate

domo dominorum cibaria, & comestibilia communia in magna quantitate, ad ea vendenda, vel ad ea expendenda in potationibus, ludis, aut aliis inhonestis actionibus, &c. quia tunc verè committunt furtum graue, & consequenter tenentur ad restitutionem. Nam acceptio talium rerum tunc secundùm substantiam censetur fieri inuito rationabiliter domino. Sic omnes communiter, inter quos Diana *part. 7. tract. 7. resol. 28. vers. dico igitur, & vers. si tamen*, & antea Nauarr. *cap. 17. num. 139.* Villalob. *loco cit. n. 2.* & alij.

Respondeo tertiò, etiam vt certum, si cibaria, quæ serui, seu famuli de domo dominorum, seu herorum, ad ea comedenda accipiunt, sint modica, aut in parua quantitate, tunc needum venialiter peccant, nec aliqua leui adhuc obligatione tenentur ad restitutionem, vt benè probant Sanchez, & Lugo, & conueniunt alij omnes.

Respondeo quartò. Probabile, & satis est, quod furta communium esculentorum, & poculentorum, quæ committuntur à seruis, aut ancillis, siue famulis, etiamsi sensim perueniant ad notabilem quantitatem, non sint peccata mortalia, si furentur ea, vt ipsimet consumant, sintque ordinaria, quæ non solent accuratè concludi. Ratio est, quia dominis non omninò displicet, vt hæc capiantur. Tum, quia sciunt, quod postea hora consueta minùs comedunt. Tum etiam, quia cognoscunt ista passim fieri, & tamen non impediunt. Sic Diana *loco cit.* qui etiam pro hac parte citat, sicut & Machado, Nauarrum *cap. 17. num. 138.* sed certè Nauarrus, vt rectè vidit Sanchez, non ita absolutè loquitur, sed solùm dicit, seruos, aut famulos non peccare mortaliter, sed venialiter, accipientes à suis dominis panes, & fructus, quibus vescantur, credentes dominum illa concessurum esse, si ab illo peterent, quamuis nollet, vt se inscio acciperent, quia tunc est tantum furtum quoad modum. Sic ille, tenent tamen hanc nostram conclusionem Authores primæ sententiæ.

QVÆSTIO XVII.

An item immunes sint à mortali, & à restituendi onere, si famuli, aut serui, quibus tribuitur certa portio, idest, se les da racion; *furentur dicta comestibilia communia è domo dominorum, ad ea comedendum?*

RESpondeo ex dictis, non esse immunes, nec à mortali, neque ab onere restituendi, dictos seruos, aut famulos, si accipiant quantitatem notabilem comestibilium. Quia præsumitur dominum, aut herum nolle illos aliquid furari. Sic Sanchez *loco cit. num. 17.* his verbis: Quando famulis tribuitur certa, ac determinata portio, idest, *se les da racion*; cùm credatur dominum nolle eos aliquid furari, nec ob hoc excusetur ex alia parte id, quod illis datum erat ad manducandum, censendum est de his furtis, ac si fierent ab his, qui non sunt famuli, nisi essent tam modica, vt credatur dominum velle. Sic Sanchez.

QVÆSTIO XVIII.

An serui peccent, si furentur aliquid ad medicinam emendam, quando eis à dominis negatur?

RESpondeo non peccare, & ideò non teneri ad restituendum; quia irrationabiles sunt domini negando seruis necessaria ad vitam; maximè cùm serui, quoad vitam non subdantur dominis, neque etiam quoad integritatem membrorum, vt suprà est habitum: ergo. Sic Fagundez *lib. 7. in Decal. cap. 12. num. 12. fine.*

QVÆSTIO XIX.

An eadem quantitas, quæ in furto facto ab extraneo sufficit ad mortale, sufficiat & in furto facto à seruo, vel famulo?

AFfirmat Diana *part. 7. tract. 7. resol. 28. fine*, his verbis: Circa quantitatem ergo requisitam, & sufficientem ad peccatum mortale, existimamus eam requiri, & sufficere, quæ ad peccatum mortale in furto facto ab extraneo; quia quoad hoc non est aliqua peculiaris ratio pro seruis in furtis ex bonis domini, qualis reperitur pro filio ex bonis patris; & pro vxore ex bonis mariti. Sic Diana.

Sed probabiliùs respondeo non sufficere, sed requiri maiorem quantitatem in furto facto à seruo, vel famulo. Id enim constat ex præsumpta voluntate domini, qui furtum factum à seruo non ita durè sustinet, quàm ab aliis factum. Sic Machado *docum. 2. citato, num. 4.* per hæc verba: *La segunda regla, y muy necessaria, es que para que la cantidad de la cosa hurtada, ora sea en dinero, o en cosas de comer, y beber, ò se tome por junto, ò poco à poco, como es lo mas ordinario en los criados, llegue à ser culpa mortal, y obligar al criado à que restituya, deue ser mucho mayor, que en las demas personas, de manera que en la que en otra qualquiera fuera mortal, en el no lo es por la presumia voluntad de los señores, que sienten mas que les hurten los de à fuera, que no los criados de casa.* Sic ille. Lege Molinam *3. p. tract. 1. disp. 688.*

QVÆSTIO XX.

An seruus, & famulus teneantur operas suas præstare domino, & hero, aut illis operari?

RESpondeo vt certum, quod sic; quia isti tenentur, vt suprà est habitum, suis dominis, & heris seruire: atqui nil aliud est seruire alicui, quàm operas suas illi præstare, vt constat ex *l. penult. §. penult. ff. de statu liber. l. Thais, §. harede, ff. de fideicommiss. libert.* ergo. Sic omnes. Legantur Fragosus *part. 3. de regim. Christ. Reipub. lib. 10. disp. 21. §. 3. num. 29* Azor *part. 2. lib. 2. cap. 37.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 38. num. 1.*

QVÆSTIO XXI.

An si quis legauit alicui vsumfructum sui serui, censendus sit legasse illi operas ipsius serui?

RESpondeo vt certum, censeri: ita habetur *in l. in hominis, ff. de operis seruorum*: illis verbis: *In hominis vsufructu operæ sunt, & ob operas mercedes.* Vnde si Titio legasti (ait Azor) vsumfructum tui serui, eo ipso legasti operas serui; & proinde si quis contraxerit operas serui, merces operis legatario, cui relictus est fructus serui, debetur. Et contrà, si leget filius serui sui operas Caio, intelligitur legasse fructum serui sui; nam fructus hominis in operis consistit, *l. fructus, ff. de operis seruor.* Hinc est, vt idem seruus possit esse duorum dominorum seruus, vtputà proprietate vnius, vsufructu alterius, vel etiam duorum in solidum. *Instit. de vsufructu, §. constituitur.* Sic Azor *cap. 37. cit. quæst. 2.*

QVÆSTIO XXII.

An item, si quis legauit alicui vsum serui, censeatur etiam legasse illi operas serui?

REspondeo vt certum, censeri etiam operas serui vsuario legasse; ita tamen vt dictis serui operis ipse vsuarius vtatur, at non vt locet, nec contra res suas vtatur, *l. in hominis, & l. fructus, ff. de oper. seruor.* & *l. per seruum*, & *l. plenum, §. vltra, ff. de vsu, & habitat.* Nam inter vsumfructum, & vsum hoc interest, quod in vsufructu, & vsusfructus percipiuntur; vsus autem sine fructu est, & ad vsum quotidianũ vsus rerum datur; non autem vt locari possit vsus, vel fructus; sicut & is, qui vsumfructum tantùm habet, de proprietate disponere nequit, quia ius vtendi fruendi est, salua rerum substantia, *l. 1. ff. de vsufructu.* Hæc etiam Azor *loco cit. q. 3.* Lege illum.

QVÆSTIO XXIII.

An quidquid seruus, seu mancipium acquirit, domino, cuius est, acquirat?

REspondeo vt certum, acquirere domino, nisi in aliquibus casibus, de quibus infrà. Sic omnes, inter quos Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 38. num. 1.* sic ait: Dominium in seruos non tutam ius tribuit dominis, quàm dominiũ in pecora, quæ pro iure nostro mutilare etiam, ac interficere licitè possumus. Tribuit quidem illis ius ad omnes eorum operas, quas recta ratio postulat, vt eas pro eorum conditione, ac viribus præstent: ad omnes eorum fructus, vt ad partus ancillarum, & ad reliqua emolumenta, quæ ex eis commodè percipi potuerint, vsque adeò, vt si quid, vel donatione, vel testamento, aut ab intestato, vel quacumque alia ratione acquirant, non sibi, sed dominis, iuxta ciuiles leges, id acquirant, vt *ex §. 1. Instit. de iis, qui sunt sui, vel alieni iuris*, & ex plerisque aliis iuribus constat. Hæc ille, cui adde Machadum *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 5. num. 1.* vbi dicit: *Que vno de los mas vniuersales principios que ay en el derecho (§. item nobis Instit. per quas personas, l. 7. tit. 21. part. 4. l. adquiritur, ff. de acquirend. rer. domin. l. id vestimentum, ff. de peculio) es que todo aquello que el esclauo adquiere, por qualquiera modo que sea, ora por donacion, contrato, legado, ora por su industria, y trauajo, no es para si, sino para su señor, en quien luego al punto passa el dominio, aunque este ignorante de tal adquisicion: porque mientras que el esclauo esta en poder de su señor, no es capaz de dominio, ni de tener cosa propria.* Hæc Sanchez. Legantur Aragon *2. 2. q. 62. art. 1. & 2.* Diana *tom. 1. tract. 17. resol. 58.*

QVÆSTIO XXIV.

An dictæ ciuiles leges disponentes, seruos non habere aliquid suum, vel proprium, obligent illos, non tantùm in foro externo, verùm & in foro interno, seu in conscientia?

AFfirmant communiter Doctores, dictas leges obligare etiam in conscientia, seu in foro interiori, & ita seruos teneri in conscientia tradere, & restituere suis dominis, quidquid illis quouis modo aduenerit. Ratio eorum est, quia præfatæ leges sunt iustæ: ergo in conscientia obligant. Ita inter alios Luysius Turrian. *2. 2. tom. 2. disp. 35. dub. 2. num. 8.* Megala *in sum. part. 2. lib. 6. cap. 19. q. 2. num. 15.*

Sotus verò cum aliis ait, quod licèt dictæ leges obligent in conscientia seruos, qui se spontè vendiderunt, non verò seruos, seu mancipia Christianorum, iure belli capta; nam hi, inquit, aliquid suum, secundum conscientiam habere possunt, videlicet, quod sibi donatum acceperunt, vel hæreditario iure, vel ex lucro licito comparatunt; quoniam huiusmodi seruitus non est ita restringenda, vt hoc denegetur huiusmodi seruis. Iis verò, qui seipsos vendiderunt, quidquid acquirunt, domino suo acquirunt, non sibi. Hæc Sotus *lib. 4. de iust. q. 2. art. 2. concl. 3.*

Alij tandem sine vlla limitatione dicunt, dictas leges ciuiles legitima consuetudine abrogatas, & mitigatas esse in fauorem omnium seruorum, tanquam miserabilium personarum; passim enim videmus cuiusque generis seruos pecunia se redimere, quod non pecunia domini, vel aliena, sed propria hoc facere possunt. Sic respondet Diana *resolut. 58. cit.* & Machado *loco citato*, Rebellus *lib. 1. quæst. 11. sect. 2.*

Ego autem distinctiùs respondeo primò dicendum, quod serui, seu mancipia, licèt non omnium, aliquarum tamen rerum bene possint habere dominium imperfectum, & secundùm quid, itavt eas non teneantur suis dominis tradere; quia id non pugnat cum iure Cæsareo, quin potiùs illi suffragatur, dum manifestè docet, seruos interdum habere bona sua propria, posseque illis bonis inire pactum validum cum dominis suis. Et *in l. 1. §. seruos, ff. de officio Præfecti vrbis*, inter alia, de quibus dicitur ipsum Præfectum posse cognoscere, hæc verba habentur: *Seruos, ex sua pecunia emptos, vt manumittantur, de dominis querentes, audiet.* Et *in l. vix, ff. de iudiciis*, inter

inter alios euentus, in quibus permittitur seruis agere in iudicio cum domino suo, vnus hisce verbis connumeratur: *Sed & si qui suis nummis redemptos se, & non manumissos contra placiti fidem asseuerant*. Ergo iura, quæ docent, seruum non sibi, sed domino acquirere, intelligenda sunt regulariter, & quando aliunde contrarium non constat. Sic Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 38. fine*, quem sequitur Machado *docum. 5. cit. num. 2. & 3.* & anteà Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 1. numero 5.*

Respondeo secundò, leges ciuiles præcitatæ verè obligant in conscientia in casibus, in quibus vigent, & ligant: secus in casibus, in quibus iam legitima consuetudine abrogatæ censentur, vel non contrariantur Cæsareo iuri, vt diximus, & mox dicemus ampliùs: & hoc modo in concordiam redigimus opiniones, quæ inter se, vt vidimus, pugnare videntur.

QVÆSTIO XXV.

An seruus possit aliquid proprium sibi acquirere, casu, quo inter ipsum, & dominum pactum aliquod interueniat?

RESpondeo tunc optimè posse, quia per tale pactum capax fit illius rei dominij; vnde fit, quod si interueniat pactum inter seruum, & dominum, vt quotidie, aut singulis hebdomadibus, mensibus, vel annis certum quid ei soluat, reliquum verò de suis laboribus, ac lucris sibi reseruet, quod in Hispania frequentissimum fit, & hac ratione multi serui propria pecunia se redimunt; tunc verè acquirit seruus proprietatem illius, quod superest ei; ita vt dominus vsurpare nequeat, quæ sibi seruus eo modo comparauit. Sic Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 38. num. 5. vers. Primus est*. Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 1. num. 6.* Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 5. num. 4.* Trullench *lib. 7. in Decal. cap. 2. dub. 4. num. 6.* Fagundez *lib. 1. de iust. cap. 20. num. 4. & lib. 2. cap. 5. num. 2.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 58. vers. at verius*, Fragosus *p. 3. regimin. lib. 10. disp. 21. §. 3. n. 41.* Rebell. *1. p. lib. 1. q. 11. sect. 2. num. 8.*

QVÆSTIO XXVI.

An seruus acquirat dominium illius rei, quam dominus expressè, vel tacitè ei condonat, aut permittit?

RESpondeo dicendum, quod acquirat. Sic Molina *loco cit.* hisce verbis: Secundus casus, si quid dominus tacitè, vel expressè donet suo seruo, aut velit eum tanquam suum habere, siue ex alterius donatione, siue ex ludo, aut quacumque alia ratione. Quia quemadmodum inter dominum & seruum, non quà seruus est, sed quà homo, cui accidit esse vt sit seruus, esse potest contractus, vt paulò ante dictum est. ita etiam donatio. Et postquam semel liberè est facta per dominum, reuocari non potest, nisi iusta interueniat causa. Sic ille. Sanchez, Trullench, Machado, Fagundez, Diana *locis citatis*. Lege meipsum *part. 6. tract. 2. de eleemosyna, disp. 3. q. 5.* vbi citatos Palaum, Filliuc. Ægidium, & alios inuenies.

QVÆSTIO XXVII.

An item comparet seruus dominium illarum rerum, quæ pro damno, aut iniuria sibi illata, ei sunt largitæ, aut restitutæ?

NEgat Lugo *tom. 1. de iust. disp. 3. sect. 3. n. 46.* loquendo de iis rebus, quæ non ab ipso domino, sed ab alio tertio ob iniuriam illatam seruo darentur; quia (inquit) non videtur in rigore verum, stando saltem in rigore legum ciuilium, quæ vniuersaliter dicunt omnia, quæ seruus acquirit, quomodocumque ea acquirat, domino acquiri.

Sed probabiliùs respondeo etiam harum rerum comparare seruum dominium; quia probabilius est, quod non solùm quando à domino, vt ait Lugo, sed etiam quando ab alio tertio restituitur aliquid pro damno, aut iniuria sibi illata in iis, quæ domini potestati non subiacent, dominium eius seruus acquirit. Sic Molina *disp. 38. cit. vers. tertius*, & ex illo Sanchez *lib. 1. consil. dub. 1. n. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dubit. 4.* Rebellus *1. p. lib. 1. q. 11. sect. 2.* Fagundez *lib. 7. in Decal. cap. 13. num. 3. & de iust. lib. 1. cap. 20. num. 4. & lib. 2. cap. 5. num. 2.* Trullench *lib. 7. in Decal. cap. 2. dub. 5. num. 3.* Maldetus *de iust. tract. 1. cap. 4. dub. 6.* Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 5. num. 8.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 58. & part. 7. tract. 7. resol. 29.* Fragosus *loco cit. num. 41. vers. similiter*, & Sayrus apud illum. Et ego etiam cum Palao & aliis *p. 6. tract. 2. disp. 3. q. 5.*

QVÆSTIO XXVIII.

An ancilla acquirat dominium illius rei, quæ ab amasio ob illicitum vsum corporis data est?

NEgat, & consequenter, Lugo *loco cit. n. 47.* existimans, talem ancillam non sibi, sed domino acquirere talem rem, spectato rigore iuris antiqui. Quod idem ait de iis, quæ seruus lucratur, illicitè laborando diebus festis, aut etiam contra præceptum ipsius domini, quia hæc omnia sub illa vniuersalitate legum ciuilium comprehenduntur. Negat etiam Megala *in part. 2. lib. 2. cap. 19. q. 2. num. 18.*

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod ancilla verè acquirat dominium rei, quæ ob vsum illicitum corporis sui ab aliquo datur; quia probabilius est, hunc casum non comprehendi sub illa legum vniuersitate. Sic Sanchez *lib. 1. consil. cap. 1. dub. 1. num. 8.* per hæc verba: Tertius casus est, si detur ancillæ ab amasio aliquid, esse suum, eo quod tacita amasij voluntas ea sit; & quia donatur pro vsu corporis, quod domino non subditur: atque hic casus ponitur à patre Molina *suprà*. Hæc Sanchez, sed non bene in eo, quod dicit, hunc casum poni à patre Molina *disp. 38.* quia certè illum expressè non adducit Molina. Adducunt tamen Lessius, Rebell. Malder. Diana, Fagundez, & Machado vbi suprà, necnon Fragosus *part. 3. regiminis lib. 10. disp. 21. §. 3. num. 41.*

QVÆSTIO XXIX.

An seruus acquirat sibi, non domino, quidquid bonis propriis suis, non domini, ludo aut alia negotiatione lucratur?

NEgant Luys. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 35. *dub.* 2. *num.* 8. Aragon ibi, *q.* 62. *art.* 1. *&* 2. & Megala *vbi suprà*, quibus fauet Lugo *tom.* 1. *de iust. disp.* 3. *sect.* 3. *num* 49. *& seqq.* admittens hanc sententiam, si lucrum fuerit ingens; secus verò si fuerit modicum.

Sed probabiliùs absolutè respondeo seruum in eo euentu acquirere sibi, quidquid ludo, aliave negotiatione lucratur, siue lucrum fuerit modicum, siue magnum; quia si id faciat sine vllo præiudicio obsequiorum, quæ domino debet, id sibi comparat, suoque peculio cedit. Sic Molina *disp.* 38. *cit. vers. quintus*, Sanchez *num.* 11. Hurtad. *de iust. disp.* 1. *diff.* 18. Fagundez *locis suprà cit.* Machado etiam, Diana, & alij suprà adducti, necnon Sà *verb. seruus, num* 7. *in antiquis*, vbi ita habetur: *Serui bona ludo, aut dono, aut hereditate acquisita, non sunt domini.* Sic Sà, & ego etiam cum aliis *part.* 6. *loco citato* & nouissimè Fragosus *numero* 41. *cit.*

QVÆSTIO XXX.

An si quid seruus ex his, quæ sibi dantur ad victum, parsimoniâ subtraxerit, illud sibi, non domino acquirat?

NEgat Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. *q.* 4. existimans, seruum non sibi illud quod subtrahit, acquirere, nisi dominus ea conditione dederit, vt id faciat suum; seruus enim dominij aliter capax non est. Ita ille, necnon Luysius *de iust. disp.* 34. *dub.* 2. *num.* 8.

Sanchez verò *lib.* 1. *opusc. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 13. *&* 14. oppositum docet, licèt non absolutè, sed limitatè: ait enim, quod si non deficiendo debito seruitio domini, nec notabiliter vires diminuendo, seruus vigilaret, tempore quo somno vacaturus erat, & sic tunc aliquid acquireret, vel parcè viuendo subtraheret sibi aliquid de cibis, & id venderet, posset sibi retinere, Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 219. *&* 220. Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contractib. cap.* 40. *initio.* Sed hoc intelligo duplici limitatione. Prima est, vt procedat ex præsumpta domini voluntate, vnde si dominus expresè nollet, & vellet sibi illud, teneretur ei dare: patet, quia nullus damnaret dominum, qui illud auferret à seruo: at dum dominus hoc non exprimit, præsumitur eum velle. Secunda est, quando destinata est certa portio ciborum, idest, *quando se da por racion*: tunc enim præsumitur dominum velle, vt quod seruus sibi subtrahit, non deficiendo debito seruitio, nec notabiliter vires minuendo, sibi acquirat. At quando non destinatur certa portio, idest, *no se da por racion*, non potest seruus sibi retinere quod ob defectum appetitus relinqueret. Si verò ex eo quod ipse appetebat, & reuerà erat manducaturus, aliquid sibi detraheret, non minuendo notabiliter vires, posset sibi retinere. Atque sic visum est quibusdam viris doctis. Hæc perdoctus Sanchez, cui consentit Lugo *sect.* 3. *cit num.* 66.

Sed ego sic respondeo primò: Certum est, quod serui (seu famuli) quibus cibus tribuitur sub destinata quantitate, & portione, idest, *por racion*, acquirant sibi quod illis superest, vt docet Sanchez *num.* 14. *&* 15. Lugo, & alij infrà adducendi.

Respondeo secundò: Probabilius est, quod absolutè loquendo, si seruus aliquid sibi subtrahat, sine domini incommodo, aut præter opera præscripta, alia faciat, ex quibus quæstum colligit, liberè potest illud consumere, & expendere vt quid proprium. Sic Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 4. *dubit.* 4. *num.* 16. Molina *disp.* 38. *citata*, Nauarra, & Lopez citati à Sanchez, Fagundez *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 9. quia, inquit, dominium in seruos non tam amplum ius tribuit, quàm dominium in pecora, & animalia, & prædia. Et licèt ab initio eo rigore introducta seruitus fuerit, tamen vsus posteà pactum seruitutis declarauit, vt domini solùm haberent ius in omnes illorum operas, quas recta ratio postulat: postulat autem ratio, vt non pecorum more possideantur, sed more rationabili, tanquam homines, & ideò secundum hanc rectam rationem possunt modo explicato in prima opinione (quæ est Petri Nauarræ) & in casibus præcedentibus aliquid peculij acquirere, quod iustè, & absque furto retinere possunt, & domini non sine furto illud ab illis auferre, iis inuitis. Sic Fagundez ibi, & *lib.* 1. *de iust. cap.* 20. *num.* 4. Trullench *in Decal. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 3. Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 13. *docum.* 5. *num.* 7. Diana *tom.* 1. *tract.* 17. *resol.* 58. & latiùs *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 32. *&* 33. Lege meipsum *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 3. *q.* 4. & Fragosum *part.* 3. *regimin. lib.* 10. *disp.* 21. §. 3. *n.* 41. *vers. ad hac.*

QVÆSTIO XXXI.

An iter agentes, qui ob certum pretium ex cibis appositis ad satietatem manducare possunt, possint etiam subtrahere, & reseruare aliquid ex illis?

REspondeo, posse reseruare quidquid comesturi aliàs ex appetitu erant. Sic Lugo *de iust. disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 66. vbi postquam sententiam Sancij quæst. antecedenti relatam approbauit, sic prosequitur: Videtur autem mihi, ob paritatem rationis, extendendam esse etiam ad eos, qui iter agentes diuersantur in hospitiis, in quibus more Italico, & Gallico, ob certum pretium comedunt ex cibis appositis, quod volunt, quod dicitur communiter *à pasto*, Gallicè, *à table d'hoste*: nam illi etiam subtrahere sibi possent, & reseruare aliquid ex iis, quæ verè comesturi erant, durante adhuc appetitu; quia hæc etiam apponuntur illis eodem pacto, quo apponuntur seruis, & famulis, vt comedant quod pro sua necessitate voluerint: ergo ex iis, quæ sibi necessaria essent, & attenta necessitate præsenti erant comesturi, possent reseruare; parum enim hospitis interest, quod ibi, vel alibi illud consumant. De iis verò, quæ ob defectum appetitus non erant comesturi, non possunt, per se loquendo, reseruare, sicut nec serui, nisi fortè aliquando ob iustam compensationem pretij euidenter iniusti, quod ab ipsis exigitur. Sic Lugo, & ex illo Diana

Diana *resol.* 32. citata. Addo ego, quod si accidenti aliquo iter agens nullum ferè appetitum haberet ad comedendum, posset ob compensationem pretij dati reseruare aliquid ad posteà comedendum, dummodo non excedat valorem pretij dati.

QVÆSTIO XXXII.

An bona, quæ seruus ante captiuitatem, vel seruitutem habebat, acquirantur domino?

AFfirmatiuam sententiam tenuisse Sotum *lib.* 4. *de iust. quæst.* 2. *art.* 2. dicit Rebell. *de obligat.* 1. *p. q.* 11. *sect.* 2. *num.* 11. sed vt bene vidit Lugo, nec ibi, nec alibi id docuit Sotus: vnde.

Respondeo dicendum, quod bona, quæ seruus ante seruitutem, & captiuitatem in patria, aut alibi habebat, nullo modo acquirantur domino per captiuitatem serui; bene autem bona, quæ secum portabat cùm captus fuit. Sic tenet Lugo *cit. num.* 67. & probat, quia ille qui captus est, tantùm venit in potestatem domini cum iis solis rebus, quas secum habet: sicut enim ipse, qui bellum commisit, factus non est seruus donec ab ipsis aduersariis capiatur; sic nec bona, quæ in patria habet, fiunt hostium donec capiantur. Manet ergo seruus ille adhuc dominus rerum, quas in patria, vel alibi habet, donec ab hostibus capiantur, & potest de illis liberè disponere. Sic ille. Ex cuius ratione iam constat pars secunda nostræ responsionis. Tenet etiam nostram sententiam Rebellus *num.* 11. *citato*, his verbis: Si qua etiam seruus cuiusque sortis, antequam seruus fieret, in patria habebat, non ad dominum, sed ad seruum, iuxta receptam consuetudinem, & eo defuncto, ad ipsius heredes pertinebunt, quidquid Sotus vbi suprà repugnare videatur: licèt quoad bona, quæ seruus in domo domini habet, dominum iure hereditario succedere libenter cum Soto concedamus. Hæc Rebellus. Sed an bene quoad hanc vltimam, quam docet, partem, statim videbimus. Sit ergo.

QVÆSTIO XXXIII.

An in bonis serui morientis succedat dominus?

AFfirmat Rebellus (vt vidimus) dominum succedere iure hæreditario in bonis omnibus, quæ seruus in eius domo habet, licèt non in iis, quæ in patria ante seruitutem habebat.

Sed iuxta doctrinam à nobis superiùs traditam, cum distinctione respondeo dicendum, quod nullo modo succedat dominus iure hæreditario in bonis, quorum dominium habet seruus, eo quod proprio labore, ludo, negotiatione, aut industria, &c. ea acquisiuit; nam de iis potest seruus testari, & disponere per vltimam voluntatem, cùm vnus ex præcipuis actibus dominij sit, quod possit dominus de re sua in vita, vel causa mortis liberè disponere. Secus est loquendo de bonis, quorum solum vsum reuocabilem habet per domini licentiam, quia de iis nequit seruus disponere sine voluntate domini. Sic Lugo *disp.* 3. *sect.* 3. *à num.* 68.

QVÆSTIO XXXIV.

An si bona aliqua sint seruo donata, legata, seu relicta, ea conditione expressa, vel tacita, vt non acquirantur domino, tunc seruus sibi ipsi ea acquirat?

NEgat Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap* 36. *quæst.* 2. existimans, non acquirere talia legata seruum sibi, nisi casu, quo dominus consentiat vt illa seruus tanquam sua habeat. Negat etiam Megala *in part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 2. *num.* 17. eo motus fundamento, quia quando aliquid relinquitur sub conditione aliqua, quæ contra leges est, talis conditio pro non scripta habetur, & perinde, ac si adiecta non esset, hæreditas, legatumve capitur, *l. conditiones, l.* 2. *ff. de condit. instit.* Atqui prædicta conditio est contra leges *quæst.* 23. *cit.* quæ d sponunt, vt quid quid seruus acquirit, domino acquirat: ergo pro non scripta habetur: ergo domino, non seruo legatum est acquisitum. Hæc Megala. Sed pro resolutione huius quæstionis.

Respondeo primò, multò longè probabilius est, quod possit seruo validè, & licitè donari, vel legari, ea lege, & conditione, vt seruo soli, & non domino acquiratur. Patet quia incapacitas tota, quam seruus habet ad acquirendum, & retinendum aliquid sibi, prouenit ex eo, quod cùm seruus sit aliquid domini, debet ei fructificare in gratiam & vtilitatem domini; in iis tamen solùm, quæ domino possunt acquiri: atqui illa donatio, vel legatum ea conditione relictum, domino acquiri non potest: ergo. Sic supponit Molina, & Sanchez, & alij mox citandi, & latiùs probat Lugo *de iust. tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 54. & 55. & ex illo Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 31. & alij infrà adducendi.

Respondeo secundò vt multò probabilius, quod si quis donet, vel relinquat in testamento aliquid seruo, ea expressa conditione, vt non acquiratur domino, sed ipsi soli seruo, tunc solus ipse seruus illud acquirat. Sic Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 38. *vers. quartus*, ibi: Si ea lege aliquid relinquatur seruo, vt sit illius, & non domini, sanè ad dominum nulla ratione pertinebit: quandoquidem vnusquisque de bonis suis disponere potest, vt voluerit, imponereque illis potest conditionem, ne ad hunc, vel ad illum deueniant: tunc ergo dominium illorum bonorum, non ad dominum, sed ad seruum pertinebit. Sic Molina, & ex illo Sanchez *lib* 1. *opus c. dub.* 1. *num.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 4. *num.* 16. Rebell. *lib.* 1. *q.* 11 *sect.* 2. *num.* 10. Trullench *tom.* 2. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 3. Fagundez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 12. *num.* 4. & *lib.* 1. *de iust. cap.* 20. *num.* 4. & *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 13. *docum.* 5. *num.* 9. Villalob. *tom.* 2. *sum. tr.* 10. *diff.* 5. *num.* 4. Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 58. & *p.* 7. *tract.* 7. *resol.* 31. & 33. Lugo *loco citato*. Fragos. *part.* 3. *Regimin. lib.* 10. *disp.* 21. §. 3. *num.* 41. *vers. similiter seruus.*

Respondeo tertiò etiam vt multò probabilius, quod quando quis relinquit aliquid seruo cum conditione tacita, vel virtuali, quod sit serui, & non domini, tunc etiam acquiratur seruo, & non domino. Tunc autem relinquetur cum hac tacita, vel virtuali conditione, vt ad seruum, & non ad dominum pertineat, nimirum, si verbi gratiâ, diceretur, Dono, aut relinquo seruo Petri centum (aut tantum) vt se redimat. Sic Molina, Sanchez, & alij nuper citati.

QVÆSTIO XXXV.

An si domini auferant à seruis bona, quæ sibi acquisierunt, possint tunc serui vti occulta compensatione?

RESpondeo posse vti occulta compensatione, quia tunc domini iuxta nostram doctrinam, verè faciunt iniuriam contra iustitiam seruis, auferendo ab eis res, quorum verum habent dominium: ergo possunt serui vti occulta compensatione. Sic Lessius *lib. 2. cap. 4. dubit. 4. num.* 17. Villalob. *tom. 2. tract. 10. diff. 5. num.* 4. Quos citat, & sequitur Diana *part. 7. tract. 7. resol.* 33.

QVÆSTIO XXXVI.

An serui possint facere eleemosynas de rebus, quarum dominium habent?

REspondeo vt certum, posse adhuc sine consensu expresso, vel tacito suorum dominorum; quia vnusquisque potest disponere de bonis propriis, vt voluerit, vt diximus *q.* 34. ergo de illis potest facere quas voluerit eleemosynas. Sic Machado *tom. 2. lib. 6. p. 7. tract.* 13. *docum. 6. num.* 1. his verbis: *La primera regla general, comunmente recebida, y sin controuersia, es que el esclauo puede libremente dar limosna, jugar, y gastar como quisiere, sin consentimiento de su señor, de los bienes en que el tuuiere dominio, de que atras hemos hecho ya mencion; conuiene à saber, de lo que vbiere ahorrado de sus jornales, de lo que vbiere ahorrado, de lo que el señor le dà cada dia para su sustento, &c. finalmente, de todo aquello que es suyo. De donde resulta, que de la misma manera que el esclauo no pecca en dar limosna, jugar, ò gastar de estos bienes que son suyos, tan poco la persona que del los recibiere, ò se los ganare, pecca; ni queda con obligacion de restituir cosa alguna al señor.* Sic Machado, & antea Sotus *lib. 4. de iust. q. 2. art. 2. concl.* 3. Lessius *lib. 2. cap. 4. dubit. 4. num.* 15. Diana *tom. 1. tract.* 17. *resol.* 58. & *p. 7 tract. 7. resol.* 34. necnon & ego *p. 6. tract. 2. disp. 3. q.* 4. & 5.

QVÆSTIO XXXVII.

An item possint serui eleemosynas facere de bonis dominorum?

RESpondeo vt certum, non posse, nisi ex consensu expresso, vel tacito suorum dominorum, vt diximus *part. 6. cit. q.* 3. & *seqq.* Sic ex S. Thoma, & communi, tenet Filliuc. *tom. 2. tract.* 28. *cap. 4. q. 6. num.* 5. qui excipit hos casus. Primus est, si sit extrema necessitas proximi; nam tunc omnia sunt communia quoad vsum. Secundus, si detur modicum quid, & rarò; præsumitur enim tunc probabiliter consensus domini. Tertius, quotiescumque adsit eiusdem consensus, saltem interpretatiuus. Quartus, quando probabiliter speratur ratihabitio, quæ tunc maximè est, quando haberet seruus administrationem bonorum. Quintus, quando certa portione sibi assignata ad victum, detraheretur aliquid per abstinentiam, &c. Sic ille, & ex illo Diana *part. 7. tract. 7. resol.* 34. *citata*, & hæc ex dictis à nobis suprà satis clara fiunt.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Christianus captus à Mauris, vel Turcis, possit validè condere testamentum, etiam in statu, & loco captiuitatis?

REspondeo tanquam certum, quod sic; quia Christiani capti à Mauris, seu Turcis, sunt capti bello iniusto, vt constat ex dictis suprà *tr. 4. disput. 1. q.* 11. ergo cùm verè permaneant liberi, verè possunt condere testamentum, etiamsi in eo sint statu, & in loco captiuitatis. Sic Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp.* 137. (non vt legi apud Dianam 37.) *num.* 3. Amicus *de iust. & iure disp. 19. sect. 3. num.* 36. quos citat, & sequitur Diana *part. 7. tract. 7. resol. 50. fine*: quibus addo Machad. *lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 8. fine*, vbi ita ait: *Però como ya en estos tiempos cessan todas estas metafisicas del derecho ciuil, y el Christiano que por su desdicha se hallare cautiuo en poder de Turcos, ò Moros, no se haze esclauo dellos, sino que siempre conserua su libertad, como ya hemos dicho, de ay nace por regla llana, que puede hazer testamento mientras estuuiere cautiuo.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXXIX.

An serui alij capti in bello iusto, possint etiam validè facere testamentum, saltem ad pias causas?

AFfirmat Thom. Maulius *tract. de testam. tit.* 2. *num.* 4. vbi docet, seruum quemcumque posse validè condere testamentum in quatuor casibus. Primus est, si hoc seruo per aliquod statutum permittatur. Secundus, si dominus ei permittat. Tertius, si ad pias causas testetur. Et quartus si liber decedat.

Respondeo dicendum primò tanquam certum, quod attento iure ciuili, minimè valeat testamentum, etiam ad pias causas, factum à seruo in vera seruitute, etiamsi posteà libertatem consequatur; quia factum fuit à non habente legitimam voluntatem. Sic communiter DD. vt testatur Machado *docum. 8. citato, num.* 1. sic dicens: *Entre los principios vniuersales, que el derecho nos enseña en materia de esclauos, y el que menos excepciones padece, es, que el esclauo mientras que està en seruidumbre, no es capaz de hazer testamento, de tal manera, que no solamente es nulo por entonces, sino tambien despues de hauer conseguido libertad, y no solo quando lo hizo el que era verdaderamente esclauo, sino tambien el que siendo libre, lo ignoraua, y era tenido por esclauo.* Sic ille, qui id probat ex Instit. *quibus non est permissum, l. qui testamento, & sequent. ff. de testam. cap. illud* 13. *q.* 2. *l.* 13. & 14. *tit. 1. part.* 6. &c. Lege Lugum *tom. 2. de iust. disp. 24. sect.* 4. Molinam *tom. 1. disp.* 137. Fragosum *part. 3. Regim. Christ. Reip. lib. 10. disp.* 21. *§. 3. num.* 41. Dianam *part. 7. tract. 7. resol.* 50.

Respondeo secundò, testamentum ad pias causas factum ab homine verè libero, licèt ipse se liberum esse ignorauerit, aut de libertate dubius esset, validum & ratum esse; quia tunc testator verè est dominus eorum, de quibus fecit testamentum, nec reverà seruus est. Sic Molina, Lugo, Fragos. Machado, Diana *loco cit.* ex Panormitano *ad rubr. de testam. in fine*, ex Bartolo; qui id confirmat

ex

ex l. ex militari, §. si miles, ff. de milit. testam.

Respondeo tertiò, etiam tanquam certum, quod testamentum factum à seruo, casu, quo ei per aliquod statutum, aut per beneplacitum domini permittatur, verè sit validum, vt bene in hoc Maulius; quia tunc per statutum, aut voluntatem domini, verè fit dominus rerum, de quibus testatur.

QVÆSTIO XL.

An seruus possit licitè Religionem ingredi, inuito Domino?

Respondeo tanquam quid certum, quod non; quia seruus non est sui iuris, sed sub dominio alieno: ergo non potest se tradere alteri, nempe Religioni, contra voluntatem domini: ergo professionem attentans nihil faciet, cùm per eam non possit se subiicere dominio alterius; imò ipse, & Religio furtum faciunt, vsurpando sibi rem alienam. Sic communiter Doctores. Legantur Sanchez *tom. 3. sum. lib. 5. cap. 4. à num.* 42. Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 3. Bordonus *de professione regulari cap.* 3. *q.* 42. *à num.* 118. Diana *part* 7. *tract.* 7. *resol.* 60. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *q.* 18. *n.* 45. & alij.

QVÆSTIO XLI.

An saltem, si non licitè, validè tamen possit profiteri seruus, inuito domino?

Affirmant multi Doctores. Primò, quia nullo iure irritatur talis professio. Secundò, quia nec ex natura rei est nulla, cùm vota seruorum sint valida, quamdiu non irritantur; imò irritatione facta à domino, tenetur seruare castitatem, & paupertatem. Ita tenent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 3. ex Archidiac. Turrecrem. Angelo, Siluest. & Greg. Lopez, quos sequitur Pellizzar. *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 3. *cap.* 2. *q.* 18. *num.* 43. Necnon & Vecchius *disp.* 2. *dub.* 2. *n.* 6. Miranda 1. *p. q.* 17. *art.* 2.

Sed probabiliùs respondeo dicendum, quod talis professio serui, inuito domino infrà triennium sit omninò inualida. Id constat primò ex ratione quæst. antecedenti allata. Secundò, quia pro dato haberi non potest, quod tradi, nec donari potest, *cap. quod, de iurepatronat.* Sed sic est, quod seruus dedit dominium sui absolutè, & cum effectu domino suo, vt ex suprà dictis constat: ergo illud idem non potest tradere Religioni: ergo nec validè profiteri, cùm ad professionem sequatur traditio sui ipsius. Tertiò, quia professionem hanc nec Deus, nec Ecclesia acceptat; cùm sit donum cum præiudicio tertij, quod minimè acceptare est credendum: ergo. Si tenet Palud *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 2. *num* 30. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. Azor *lib.* 12 *instit. moral. cap.* 1. *q.* 3. quos citat, & sequitur Sanchez *cap.* 4 *cit. num.* 49. Peyrin. *de R. P. q.* 5 *cap.* 1. *num.* 45. Portel. *de dub. regul verb. professio. num.* 39. Lezana *tom.* 1. *cap.* 2. *num* 21. Bordon. *de profess. regul. cap.* 3. *quæst.* 42. *num.* 119. & 120. qui attentè est legendus propter errores Typographi.

Vnde meritò in nostra Discalceatorum familia, inter impedimenta eius ingressum & professionem dirimentia, statuitur, vinculo seruitutis ligatum ineptum ad eius ingressum esse, vt habetur *in Const. cap. vltimo.*

QVÆSTIO XLII.

An serui fideles confugientes ad Ecclesiam, propter sæuitiam suorum dominorum, gaudeant eius immunitate?

Respondeo sub distinctione dicendum, quod vel delictum, propter quod seruus fidelis confugit ad Ecclesiam, est paruum, aut nullum; aut est graue, vel magnum. Si paruum, tunc postquam de indemnitate sua dominus eius iuramentum Clericis præstiterit, ad seruitium domini sui redire compellendus est seruus. At si delictum graue sit, regulariter iuramentum non sufficiet, sed securitatem aliam debet dare dominus, aliàs non obligabitur Prælatus Ecclesiasticus seruum tradere. Sic cum multis Doctorib. tenet Diana *p.* 7. *tr.* 7. *resol.* 59.

DISPVTATIO V.

De modis, quibus serui, seu mancipia à seruitute liberentur.

QVÆSTIO PRIMA.

An serui liberentur à seruitute per manumissionem?

Respondeo tanquam certum, liberari per manumissionem, siue ea merè gratis fiat, siue aliquo interueniente pretio, aliove imposito grauamine, aut alia simili ratione. Id constat *ex* §§. *Instit. de manumiss. toto tit. ff. de manumission.* & aliis iurib. Sic Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 39. vnde Machado sic ait: *El primero, y principal modo de adquirir libertad el esclauo, por todo derecho, es por la manumission, que segun dize el Emperador Iustiniano in* §. 1. *Instit. de libertin. no es otra cosa, sino vna concession, ò donacion de la libertad, que el señor haze à su esclauo. Y aunque es assi, que por derecho antiguo de los Romanos esta manumission se hazia con grandes solemnidades, en estos tiempos de qualquier manera que el señor concede libertad à su esclauo, ò sea por donacion entre viuos, ò en testamento, ò de qualquiera otro modo, es perfecta manumission, y por ella alcanza libertad.* Sic ille *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 13. *docum.* 9. *num.* 1. Et Diana *p.* 7. *tract.* 7. *resol.* 16. Fagundez *de iust. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Lugo *de iust. tom.* 1. *disp.* 6. *sect.* 4. *num.* 1.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An item liberetur à seruitute si dominus, vel alius, eo sciente, infantem seruum exponat?

RESpondeo vt certum, liberari. Sic omnes, & præcipuè Molina *disp.* 38. *cit.* his verbis: Si Dominus, aut alius, eo sciente, nec contradicente, infantem exponat, aut expositionem se inscio factam approbet posteà; eo namque ipso talis infans manet liber. Item si seruum ægrotum exponat, aut illi deneget alimenta necessaria, habetur pro derelicto, consequiturque eo ipso libertatem; neque qui illum suscipit, curamve illius habet, ius in talem seruum acquirit. Hæc definita sunt *cap. vnico, de infantib. & languidis expositis, l.* 2. *&* 3. *C. eod. titulo, l. vltima, ff. pro derelicto, & l. vnica, §. sed scimus, C. de Latina libertate tollenda.* Hæc Molina *loco cit. vers. secundus.* Machado *num.* 2. Diana *resol.* 16. *cit.* & Fagundez *num.* 1. & Lugo *loco citato.*

QVÆSTIO III.

An ancilla libertatem acquirat, si ei dominus necessitatem fornicandi in publica domo imponat?

RESpondeo tanquam certum, libertatem acquirere. Nam sic habetur *l.* 2. *tit.* 22. *part.* 7. *& l.* 36. *tit.* 5. *part.* 5. & aliis iuribus. Sic Molina, & Fagundez *locis citatis*, & Machado *docum.* 9. *cit. num.* 3. iis verbis: *El tercero modo de acquirir la libertad, y que expressamente disponen vnas leyes ciuiles, y Reales, es quando el señor pone à su esclaua en alguna casa publica, ò lugar semejante, para que vse mal de su cuerpo, y le acuda con lo que ganare, que por el mismo echo queda ella libre.* Sic Machado, & Sanchez sic: Si dominus prostituat publicè seruam in lupanari, vel in quovis alio loco, vt turpiter abutendo suo corpore lucretur, manet libera. Sic ille *lib.* 1. *consil. cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 2.

QVÆSTIO IV.

An ancilla, quæ à domino ad turpia sollicitatur, libertatem acquirat, & possit à domo fugere?

RESpondeo vt certum, libertatem acquirere, & posse fugere consequenter vt libera. Sic Sanchez *loco cit.* vbi ita propositæ quæstioni satisfacit. Dico primò, quod talis ancilla potest tuta conscientia fugere, & stare, ac si esset libera, & implorare officium Episcopi, vt manumittatur, & potest ipse ad hoc compellere; quia dominus abutitur sua potestate, *l. si lenones, C. de Episcopali audientia, l. fin. C. de spectacul. lib.* 10. Siluest. *verb. seruitus, q.* 5. *dicto* 7. Angel. ibi, *num.* 2. & Nauarr. *sum. cap.* 16. Hispana, *num.* 22. Latina *num.* 21. *&* 22. dicit, quod potest fugere, si putat, quod propter suam fragilitatem non potest resistere, & potest eum dominum compellere, vt alteri vendat, siquidem ob crudelem corporis cruciatum potest ad id compellere. Hæc Sanchez, sed non benè resumit doctrinam Nauarri. Nam hic doctissimus vir, clariùs, & latiùs id docet. Ait enim sic: Ob eandem rationem, etiam si sit ancilla, qua dominus eius luxuriosè abutitur, si nequaquam potest ei resistere, aut putat, quod ob suam fragilitatem ei non resisteret, nisi fugiendo, iustè posset fugere: quemadmodum vxor potest discedere à marito, qui eam ad peccandum attrahit, *cap. si infidelis, & cap. idololatria, & cap. seqq.* 28. *quæst.* 1. Imò iudicio nostro posset dominum compellere, quò eam vendat alteri, qui ea non sic abutatur; tametsi hoc nemo alius exprimit, siquidem, ob asperum, & crudelem corporis cruciatum, qui longè minor est animæ cruciatu, *l. iustissimè, ff. de ædilit. edict. & cap. præcipimus* 12. *quæst.* 1. potest ad illud compellere, *§. sed maior, Instit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* cuius rei rationem, quæ fundatur in occasione peccandi, altius quàm alij tractamus in hac postrema editione suprà, *cap.* 15. *num.* 32. *& seqq.* Hæc meus Nauarr. & benè. Et quod possit fugere, si ille admonitus nolit desistere, tenet etiam Molina 1. *p. tract.* 2. *disp.* 38. *num.* 4. *col. mihi* 202. additque non teneri reuerti, nisi periculum cesset, & dominus paratus sit nullam pœnam, nullumque grauamen ea occasione, & causa illi inferre; quandoquidem dominus in culpa fuit, seruusque legitima causa fugit, nec vllam pœnam commeruit. Sic etiam Fagundez *de iust. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Trullench *lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 2. Machado *loco cit. num.* 4. Lugo *disp.* 6. *de iust. sect.* 4. *num.* 30. Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 13. Qui hanc doctrinam extendunt, & meritò, ad masculum seruum, quem dominus ad peccatum sollicitat. Lege Azorium *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 33. *q.* 6. *vers. item si ancilla.*

QVÆSTIO V.

An si persona libera matrimonium contrahat cum serua, seu ancilla, seruitutem ignorans, illa acquirat libertatem, si id sciat, & non detegat dominus?

RESpondeo vt certum, tunc seruam, seu ancillam acquirere libertatem; quia sic statuitur *in Authent. de nuptiis, §. si verò ab initio.* Et sic tenet Molina *disp.* 39. ibi: Septimus modus, quo acquiritur libertas, est si persona libera contrahat cum serua, ignorans seruitutem, & dominus, vel illam ei tradat in matrimonium, non detegendo illi seruitutem; vel sciens illos ita contrahere, seruitutem non detegat, eo ipso persona illa serua, siue masculus sit, siue fœmina, consequitur libertatem. Ita habetur *in Authent. de nuptiis* (cit. suprà) *& l.* 1. *tit.* 5. *part.* 4. *legum Castellæ*, & tradunt Glossa vltima, & Doctores *cap. vltimo, & cap.* 1. *de coniugio seruor.* & affirmant Couarru. *in epitom. part.* 2. §. 7. *num.* 1. & Aluarus Valascus *de iure emphyt. q.* 36. *n.* 4. *&* 5. Hucvsque Molina, quem sequuntur Lugo *sect.* 4. *cit. num.* 33. Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 14. Machado *loco cit.* & alij.

Qui idem dicunt casu, quo dominus suam seruam, seu ancillam in matrimonium tradat homini libero, qui illius seruitutem non ignorat, attamen instrumentum dotis ancillæ conficiat; nam tunc casu illo, eo ipso illa libertatem consequitur, vt constat *ex l. vnica, §. sed & si quis homini, iuncta Authent. ad hoc, C. de Latina libertate tollenda.* Sic præcipuè Molina, Lugo, & Diana, & Machado *loco citato.*

Addunt

Addunt tamen Lugo, & Diana ex Rebello *lib.* 1. *q.* 13. *num.* 6. quod in foro interno dominus non teneretur ad dandam libertatem, quando per ignorantiam inuincibilem, & sine animo decipiendi, in prædictis casibus ita se gereret, vt non intenderet vllo modo ancillæ libertatem dare.

QVÆSTIO VI.

An si quis suum proprium seruum adoptet in filium, eo ipso liber efficiatur?

Respondeo vt certum, quod sic; quia ita statuitur *in* §. *vltim. Instit. de adoptionib.* vbi Iustinianus Imperator sic loquitur: *Apud Catonem benè scriptum refert antiquitas, seruos si à dominis adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Vnde & nos eruditi in nostra Constitutione, etiam eum seruum, quem dominus, actis interuenientibus, filium suum nominauerit, liberum esse constituimus: licet hoc ad ius filij accipiendum ei non sufficiat.* Ita Imperator. In quibus verbis, duo modi manumissionis explicantur. Primus, quo seruus, si à domino suo adoptetur, hoc ipso, etiam sine alia manumissione liber statim efficitur. Secundus, cùm dominus, actis interuenientibus, seruum filium suum nominauit. Sic tenent omnes; Molina *disp.* 39. *cit. fine, & disp.* 227. *num.* 25. Lugo *sect.* 4. *cit. num.* 36. & latè Diana *part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 15.

QVÆSTIO VII.

An si quis seruum suum heredem instituat, aut eum tutorem filio suo relinquat, eo ipso censeatur liber?

Respondeo vt certum, quod censeatur eo ipso in vtroque euentu liber, dummodo non ignoret testator, aut institutor illum esse suum seruum, & mancipium; sic Molina *tom.* 1. *disp.* 39. *vers. octauus, & disp.* 134. vbi *num.* 4. ita ait: Si quis seruum heredem instituat, eo ipso censetur libertatem ei concedere, *l. penult. in princip. C. de necessariis seruis heredib. instituend.* § *idem quoque iuris, Instit. quibus ex causis manumittere non liceat, & l.* 3. *tit.* 3. *part.* 6. Quin eo ipso, quod quis seruum suum tutorem filij sui reliquit, censetur libertatem eidem concedere, *l. penult. cit. & Instit. qui testamento tutores dari possunt.* Nisi tamen per errorem tutor relinqueretur, eo quod testator crederet liberum illum esse: tunc enim neque libertatem consequitur, neque tutor esse potest, vt ibidem subiungitur. Sic ibi Molina, & Lugo *loco citato*, *num.* 32. Diana *vbi suprà resol.* 16. *vers. quartus modus*, Fagundez *lib.* 2. *de iust. cap.* 6. *num.* 1. qui tamen bene aduertit, quod non sufficiat ad libertatem consequendam, quod dominus seruo legatum relinquat.

QVÆSTIO VIII.

An si Iudæus, Ecclesiæ quoad temporalia subiectus, mancipium suum infidelem circumcideret, eo ipso mancipium libertatem consequatur?

Respondeo vt certum, eo ipso manere liberum in delicti pœnam Iudæi; quia sic habetur *ex l. vnica, C. ne Christianum mancipium*, & ex Concil. Toletano 3. *cap.* 14. relato *in cap. multa* 54. *dist.* & in Concil. Toletano 4. *c.* 57. relato *in cap. plerique, de consecr. dist.* 4. Sic Molina *disp.* 39. *citata, vers. quintus*, & ex illo Lugo *tom.* 1. *de iust. disp.* 6 *sect.* 4. *num.* 31. Qui dicunt, id ipsum hodie esse intelligendum, si Mahometanus pariter temporali iurisdictioni Ecclesiæ subiectus, seruum suum Paganum circuncidat; nam tunc hic etiam libertatem consequitur. Quare immeritò Luysius Turrianus 2. 2. *disp.* 32. *num.* 25. illud ad solos Iudæos restringit, cùm de omnibus sit eadem prorsus ratio. Cur autem de seruo solùm infideli circunciso leges loquantur, ratio fuit, quia, vt statim dicemus, Iudæus non potest seruum Christianum possidere.

QVÆSTIO IX.

An item si Iudæus, vel Paganus, subditus Ecclesiæ quoad temporalem iurisdictionem, seruum iam Christianum possideat, eo ipso seruus liber sit?

Respondeo vt certum dicendum, quod eo ipso seruus, absque vlla pretij solutione liber fit; imò licèt possideat seruum infidelem, & hic Christianus fiat, eo ipso liber manet; nec dominus eum recuperat, licèt dominus ipse posteà Christianus fiat. Sic habetur *in l. Deo nobis*, §. *his ita, C. de Episcop. & Clericis.* Vbi referens se Imperator *ad l. vnicam, C. ne Christianum mancipium*, ait: *Repetita lege iubemus, vt nullus Iudæus, vel Paganus, vel hæreticus, seruos Christianos habeat: quod si inuenti in tali reatu fuerint, sancimus, seruos omnibus modis liberos esse, secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem*, &c. Sic Imperator, & sic Molina *disp.* 39. *cit. vers. quintus*, Lugo *loco cit. num.* 37. Qui aduertit, quod posteà Gregor. IX. *in cap. vlt. de Iudæis, & Sarac.* addidit, vt si Iudæus mercimonij causâ mancipium infidele emisset, quod postea Baptismum suscipere vellet, posset solutis domino duodecim solidis (hoc est, centum sexagenta & octo regalibus argenti, & cent ũ & octo marauedinis, iuxta Couarru. sententiam, quam sequitur Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 278. *num.* 3. *& sequent.*) consequi libertatem. Si autem non habeat ad soluendum, debet Iudæus intra tres menses exponere illud venale, alioquin manebit liberum absque vllo pretio. Si autem venale expositum non emerit aliquis Christianus, petet ostiatim ad soluendum, vel seruiet infideli, quantum temporis sufficit ad compensandum illud pretium; vel dimittetur, vt seruiendo alteri lucretur ad ei soluendum. Christianus verò, qui intra illos tres menses emerit, non fit eius dominus perpetuus, sed ad tempus sufficiens ad compensandum pro pecunia, quam ipsi Iudæo debebat soluere. Hæc ibi de seruo mercimonij causâ empto: nam si vernaculus esset, vel emptus ad proprium vsum,

vsum, liber fieret, absque vllo pretio, vt dictum est. Hæc omnia aduertit Lugo.

QVÆSTIO X.

An serui illorum hæreticorum, vel apostatarum, qui in Tribunali S. Inquisitionis damnantur in Hispania, maneant ipso facto liberi; an debeant fisco applicari cum reliquis bonis talium hæreticorum, vel apostatarum?

NEgant tales seruos Christianos manere liberos, sed debere applicari fisco, nonnulli Doctores, quorum ratio est, quia omnia hæreticorum bona, ipso iure fisco addicuntur, vt habetur *in cap. cum secundùm leges, de hæret. in 6.* sed nomine bonorum continentur serui, iuxta *l. Paulus, §. vltim. de pignorib:* ergo serui Christiani illorum dominorum, qui de hæresi, vel de apostasia à fide damnantur, ad fiscum spectant, nec acquirunt libertatem. Ita tenent Ioan. Andreas, Francus, Dominicus, & Perusinus *in cap. quicunque, de hæret. in 6.* Ioan. Anania, & Marianus Socinus *in cap. vltim. extrau. de hæret.* Et hanc sententiam seruari in Inquisitione Lusitana, fatetur Fagundez *vbi infrà.*

Sed probabiliùs respondeo tales Christianos seruos, eo ipso, beneficio vtriusque iuris manere liberos; & ideò non pertinere, nec spectare ad Regalem fiscum. Sic expressè tenet Molina *tom. 1. de iust. disp. 40. vers. sententia hæc*, vbi ita ait: Sententia hæc semper mihi visa fuit vera, stando in solo iure communi, tam Cæsareo, quàm Canonico. Nam ex iure Canonico id constat *ex cap. Mancipia Christiana, & cap. fraternitatem, dist. 54. & ex cap. 1. 2. & vltimo, de Iudæis, & Sarac. & ex cap. vltimo, de hæret.* Qui omnes Canones seruos Christianos Iudæorum, qui à fide Orthodoxa ad Iudaïsmum deficiunt, libertate donant. Deinde ex iure Cæsareo id etiam constat, *ex l. Deo nobis, C. de Episcop. & Clericis.* cuius verba habes quæst. antecedenti, & *ex l. Manichæos, C. de hæreticis*, vbi seruis Manichæorum libertas conceditur, si ad Ecclesiam transierint, hoc est, si Christiani fiant.

Prætereà probatur *ex cap. vltimo, extr. de hæretic.* vbi declarantur à Greg. IX. absoluti à debito fidelitatis, & dominij totius obsequij, omnes illi, quorum domini in hæresim lapsi fuerint: ergo mancipia hæreticorum, & apostatarum à fide orthodoxa, eo ipso quòd illorum domini de crimine conuincuntur, manent libera, ac proinde non pertinent ad fiscum. Rursus probatur ex eo, quod inquisitio nostra Castellæ hanc in praxi sententiam tenet; & ideò illam sequuntur Molina *loco cit.* Castro *lib. 1. de hæret. punitione, cap. 7.* Simancas *de Catholic. Institut. tit. 61. à num. 8.* Peña *ad 3. p. Directorij, q. 119. commento 168.* Repertor. Inquisitor. *verb. gratia, vers. item non intelligitur.* Suarez *de fide disp. 22 sect. 5. num. 6.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 24. à num. 9.* Couarru. Salon, Aragon. Sayrus, & Cuña, quos citat, & sequitur Fagundez, qui hanc quæstionem latissimè tractat *lib. 2. de iust. cap. 6. à num. 5.* Quibus addi possunt Vazquez *1. 2. disp. 169. cap. 2.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 7.* Sanctarell. *de hæresi, cap. 37. dub. 3.* Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 5. punct. 16. num. 18.* Diana *part. 7. tract. 7. resol. 17.* Lugo *tom. 1. de iust. disp. 6. sect. 4. num. 38.*

QVÆSTIO XI.

An serui libertatem possint acquirere per leges, aut priuilegia aliquorum locorum?

REspondeo tanquam certum, posse; & ideò, teste Rebello, omnes serui existentes in Gallia libertatem consequuntur, ex peculiari Regionis priuilegio, non tam in fauorem libertatis, quàm Regni, ne scilicet aliis pauperibus indigenis, quibus Gallia abundat, desint heri, à quibus sustententur, si aliundè serui conquirantur. Sic Rebell. *lib. 1. quæst. 13. num. 7.* & ex illo Lugo *de iust. tom. 1. disp. 6. sect. 4. num. 39.* & Diana *part. 7. tract. 7. resol. 18.* Pro plena intelligentia huius quæstionis lege sequentem.

QVÆSTIO XII.

An serui, qui libertatem Romæ acquirunt, illam pro toto orbe acquirant?

AFfirmat Lugo dictos seruos acquirere libertatem; non tamen pro toto orbe, iis verbis: Similiter extat Bulla Pij V. quæ incipit, *Dignum, & rationi congruum*, &c. & alia Bulla Pauli III. quæ à Pio V. ibi citatur; in quibus conceditur, & renouatur facultas Conseruatoribus Vrbis Romæ, vt quoscumque sclauos, Christianos iam factos, ad dictos Conseruatores pro libertate confugientes, & libertatem proclamantes, liberare possint, eosque sic liberos factos, pro liberis hominibus, & Romanis ciuibus, vbique terrarum habendos esse decernitur. Quod priuilegium in vsu est hodie in Vrbe. Suspicor tamen, quod extra territorium, & dominium temporale Pontificis non habeatur de facto rata illa libertas, sed domini, vbi primùm inueniunt seruos suos extra illud territorium, eos sibi in pristinam seruitutem reuocant: ita enim à fide dignis accepi, qui diu in hac Curia versati sunt. Hæc Lugo *loco citato*, & ex illo Diana *vbi suprà.*

Sed adhuc clariùs respondeo cum Rebello dicendum, quod serui baptizati, Romæ assistentes, ad Senatum Cameræ, vel Vrbis Conseruatores fugientes, sint liberi, nisi propter hoc ex aliis partibus Romam confugiant; tunc enim etiā si liberentur, ad restitutionem tenebuntur. Sic Rebell. *q. 13. cit. num. 8. ibi*: Vltimò consequuntur libertatem serui, quando Romæ existentes, ad Senatum Cameræ, eiusdemque Vrbis Conseruatores, pro libertate confugiunt, dummodo baptizati sint, & se Senatui subiiciant, per diploma editum à Pio V. & alterum Pauli III. quod citat. Mortaliter tamen illicitum erit seruis alibi existentibus, ad prædicta loca causâ libertatis consequendæ aufugere; nec proinde liberi tunc censendi erunt, sed obligandi, vt ad dominum reuertantur, prout nonnullos Confessores prudentes fecisse, testatur Nauarr. *cap. 17. num. 104.* alioqui eiusmodi priuilegia seruos ad fugam incitarent, in dominorum præiudicium. Et dato, quod per hoc liberi fierent, non proinde ab omni damno dato dominis per iniustam fugam, quoad sui valorem, & ab aliis damnis restituendis immunes essent: vnde sicut ij, qui absque vlla iniusta fuga, ex priuilegio Galliæ liberi sunt, quandiu in Gallia sunt, si terminos Galliæ relinquant, priuilegium amittunt libertatis; ita in

in aliis Regnis, vbi eadem ratio interuenerit. Hæc omnia Rebell.

QVÆSTIO XIII.

An seruus possit seipsum redimere?

RESpondeo tanquam certum, posse, & multis modis. Nam primò se potest redimere ex suo, quando scilicet dominus ei concedit aliquid, vt habeat tanquam suum.

Secundò ex aliena pecunia, vtpotè, si rogatu ipsius, alius ipsum redimat; vel si ipse seruus ab aliquo pecuniam donatam accipiat, ea conditione, vt se redimat.

Tertiò, si alius donatione inter viuos, vel testamento, sponte sua aliquid relinquat hæredi suo, vel legatario libero, ea conditione, vt seruum Titij Stichum redimat.

Quartò modo potest seruus se redimere nummis ab alio acceptis, ea conditione, vt eos illi posteà restituat manumissus, & liber effectus. Sic Azor *lib.2. cap.36. q.2. vers. si roges*; & ex illo Diana *part.7. tract.7. resol.43.* qui similem alium modum se redimendi colligunt *ex l. is qui, ff. de manumissionib.*

Ego, iuxta doctrinam suprà traditam, addo quintum modum se redimendi, nempe de illis bonis, quæ sibi serui aliquando acquirunt, & quorum habent dominium. Legantur dicta à nobis suprà *disp. 4. quæst. 25. 26. 27. 28. 19. & 30.*

TRACTATVS V.

DE OBLIGATIONE HERORVM ERGA FAMVLOS, ET VICISSIM FAMVLORVM ERGA HEROS.

DISPVTATIO VNICA.

De obligatione herorum erga famulos, & è contra.

QVÆSTIO PRIMA.

Qui nomine famulorum in præsenti veniant?

RESPONDEO dicendum, quòd licèt olim serui dici consueuerint famuli, eo quod famulari idem erat quod seruire; nunc autem famuli vocantur liberi quidem homines, sed qui mercede obsequium suum, & operas alteri locant. Itavt famuli sint, quorum operæ, & obsequia stipendio conducuntur ad tempus, itavt differant ab operariis; nam hi suas operas locant ad certum genus operis faciendum, at illi seipsos locant ad ministrandum, & seruiendum alteri, hoc est, ad obsequium ei præstandum, provt opus fuerit, & conueniens statui famulorum. Sic Azor *tom.1. lib.2. cap.39. q.1.* Trullench *lib.4. in Decal. cap.1. dub.5. num.1.*

QVÆSTIO II.

An teneatur herus, vel dominus, famuli saluti, & vitæ, tum corporis, tum animæ prospicere?

RESpondeo vt certum, teneri prospicere saluti, & vitæ famuli, dum eius famulatu, & ministerio vtitur: constat ex dictis suprà *tract.4. disp.3. q.5. & sequent.* loquendo de cura, quam habere debent domini circa salutem, tam corporalem, quàm spiritualem seruorum. Legantur dicta de iis *à quæst.5. citata*, & applicentur in præsenti casu.

QVÆSTIO III.

An debeat dominus famulo alimenta præstare?

RESpondeo vt certum, debere, quia famulus domino famulatur, & seruit: ergo debet ab eo ali; quia rationi congruit, vt eos alamus, qui nobis seruiunt, *l. diuortio, §. fin. ff. soluto matrim. l. item serui, ff. de ædilit. edict. l. in rebus, §. possunt, ff. commodat.* Sic omnes. Legantur Azor *cap. 39. cit. q.2.* & Machado, qui id vt certum supponit iis verbis: *Todos los Doctores enseñan por regla general, y sin ninguna duda, que el señor está obligado de caridad, y justicia à dar à su criado todo aquello que se contiene en alimentos, conforme todos los demas de aquel estado y modo de vida sustentan à sus criados, assi en el comer, vestir, como en los demas. Sino es quando el criado entrasse à seruir por racion, y quitacion; ò quando del concierto constasse otro modo cierto de obligacion, con que el señor se obligò, que* com-

como son casos especiales, que de ella, y de la costumbre resultan, no se puede dar regla general, porque vnos criados ay, que siruen por sola la comida, y se visten: otros de valde, por la esperanza del premio de su señor, en que, como digo, se deue atender à la costumbre. Sic Machado *tom.2.lib.6.part.7.tract.10. docum.4. num.1.* Lege dicta de seruis suprà *tract.4. disp. 3. citata.*

QVÆSTIO IV.

An dominus teneatur præstare salarium famulis infirmis pro tempore infirmitatis?

AFfirmant multi Doctores. Præcipuè Glossa *in l. arboribus, ff. de vsufructu, §. de illo*, vbi docet, famulo infirmo salarium esse præstandum, etiam eo tempore, quo ægrotus sit. Quam opinionem tenuerunt Innocent. Ioan. Andreas, & Barbatius *in cap.3. de locat. num. 25.* Dominicus, Hostiensf.& Speculator citati per Aufrerium *decis. Tholos. 268.* & probatur *ex l. quarta, §. Sticus si heredi, ff. de statu liber.* vbi conditio seruiendi certo tempore, censetur euenisse, & contigisse, si eo tempore seruitium impendi non poterit, morbo impediente, etiamsi tempus numero dierum certum, & definitum sit, nec tamen certum in specie. His Authoribus accedunt Marius Anton. *variar. lib.1. resol.97. num.7.* Homobonus *de statib. part.2. cap.23.* Graffius *1.p. decis. lib.3. cap.8. num. 7.* Nauarra *de restit. lib.2. cap.2. num. 213.* Genuens. *in praxi cap.47. num.2.*

Sed probabilius respondeo minimè teneri dominum præstare salarium famulo ægrotanti, pro tempore infirmitatis, dummodo famulus non existat in extrema, vel graui necessitate, vel non adsit consuetudo prouinciæ in contrarium; quia tunc certum est, teneri. Ratio responsionis est, quia verè stat per famulum, licèt absque culpa sua, quominus operas suas, ob quas præstandas, salario conductus est, non præstet: ergo. Sic tenet Couarru. *lib. 3. variar. resol. cap. 13. num. 8.* qui id probat ex *l. si vno, §. item cum quidam, ff. locat.* vbi, qui locauit operas suas, non recipit mercedem eius temporis, quo morbo impeditus, eas præstare non potuit: morbo, inquam, impeditus, vel alio casu fortuito. Item ex *l. si pecuniam, in princip. ff. de cond. caus.* & ex *Regia l. 44. tit. 14. part. 5.* quæ expressim tractat de impedimento ægritudinis. Et ideò hanc sententiam tenent apud illum, Imola, Anton. Anchar. Bartol. Dynus, Oldradus, Iacobus Arenæ, Alberic. Aufrerius, Cardin. Siluest. & alij. Quibus addo Molinam *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 493. num. 3.* & *disp. 505. num. 1.* Megala *in 2. 2. lib. 2. cap. 8. q. 1. num. 16.* Flores de Mena *lib. 1. variar. q.8. §.2. num 17.* Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 7.* Bubosa *in collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 6. cap. 1. num. 5.* Filliuc. *tract. 28. part. 2. cap. 4. q. 11. num. 84.* vbi bene ait, non obstare contra hoc text. *in cap. 1. de Clerico ægrot.* in quo ipsi etiam ægrotanti decernuntur distributiones beneficij, vt nos vt quid certum, contra Francum docuimus *part. 6. tract. 8. disp. 6. quæst. 50.* Quia id congruè factum fuit, quoniam sic voluit Ecclesia, ne alij ab Ecclesiastico ministerio deterreantur. Rebellus *part. 2. lib. 14. q. 15. num. 1. & 2.* & alij, quos citat, & sequitur Diana *part. 2. tract. 8. resol. 86.* Azor etiam *part. 2. lib. 2. cap. 59. q. 5.* Machado *tom. 1. lib. 6. part. 7. tract. 10. docum. 4. num. 3.* dicens esse communem sententiam; *Que el señor en ninguna manera està obligado à pagar salario al criado, del tiempo que estuuo enfermo, sino que legitimamente le puede descontar del, loqual es muy conforme à derecho.* Hæc ille. Basseus *verb. famulus, num. 7.* Lugo *tom. 2. de iust. disp. 29. sect. 3. num. 58.* Carolus Malletus *tom. 2. malleat. 14. bractea 5. respons. 2.*

QVÆSTIO V.

An saltem teneatur dominus expendere cum famulo ægrotante, quidquid alioqui, si valeret, cum illo expendere debebat?

REspondeo cum communi, ad id dominum teneri. Sic Filliuc. *loco cit. quæst. 10. num. 82. 101:* Quod si famulus ægrotet, debentur illi impensæ, quas dominus alioqui faceret, si valeret. Sic ille, & sic omninò Trullench *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 6. num. 9.* qui ambo citant Azorium *cap. 39. cit. quæst. 3.* Sed certè Azor non dicit, quod debeantur famulo ægroto expensæ, quas dominus alioqui faceret, si valeret: sed quod dominus eas impensas debeat tunc soluere, quas famulus alioqui faceret, si valeret. Verum est quod in re idem omninò sit. Sic tenent Angel. Siluester, Tabiena, & alij apud ipsum Azorium, & Machado *num. 2. cit.*

QVÆSTIO VI.

An item præter dictas expensas, teneatur dominus ad alias impensas necessarias ad curationem famuli?

AFfirmare aliquos apud Azorium *loco cit. q. 3.* dicit Machado vbi suprà, sed non benè. Nam Azor nullum citat Authorem pro parte affirmante; ipse verò solùm docet teneri ad leues expensas, non ad magnas, iis verbis: Deinde iure non cogitur dominus eas impensas soluere, quæ immodicæ sunt, & ingentes, ob morbi magnitudinem, & grauitatem: at verò eas debet, quæ modicæ sunt. Sic ille, & ex illo Filliuc. *loco cit. num. 82.* Trullench *num. 9.* & Machado, dicens, *Que la mas comun, y recebida opinion es, que el señor no tiene obligacion de gastar en la cura de su criado, mas de aquella cantidad, que como à sano le deuia dar, sino es en caso que la necessidad fuesse extrema, ò quasi extrema, que ella por si, por el precepto de la caridad le obligasse à gastar con el, y socorrerle, como lo deuiera hazer con qualquier estraño, que se hallase en tan miserable estado.* Sic ille, & ego etiam cum Molina *tom. 2. disp. 505. num. 1. ibi*: Si quos sumptus dominus in illo curando fecerit, posse ab eo illos exigere; quoniam sumptus illi, non ad dominum, sed ad ipsum famulum spectant.

QVÆSTIO VII.

An liceat domino ægrotantem famulum mittere ad hospitale, aut ad alia loca communia extructa ad pauperes, & infirmos excipiendos, & curandos?

AFfirmant aliqui, licere domino id facere, casu quo morbus sit grauis, & indigeat magnis sumptibus, & cura particulari, tum quia sic melius consulitur bono ægrotantis: tum etiam, quia dominus, vt diximus, ad ingentes sumptus non tenetur. Si verò morbus sit leuis, retinendus (inquiunt) est domi, & impensis domini curandus; quia ita vsus ipse obligationem interpretatus est. Ita Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 11. *num.* 83. & antea Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 39. *quæst.* 4. & Trullench ex Filliucio, *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 9. Malletus *tom.* 2. *malleat.* 14. *bractea* 3. *respons.* 1. Molfes. & Reginald. apud ipsum.

Sed ego clariùs respondeo primò tanquam certum dicendum, quod dominus non teneatur, nec ex iustitia, nec ex charitate, curare famulum grauiter ægrotantem in domo sua; sed quod licitè possit illum ad hospitale mittere, vt ibi accuratiùs curetur. Sic tenent Bassæus *verb. famulus, num.* 7. Machado *loco cit. docum.* 4. *num.* 3. *fine*, ibi: *Es comun doctrina, que quando la enfermedad del criado es tal, que en su cura se requiere mas gasto que el ordinario suyo, puede el señor licitamente lleuarle à algun hospital donde le curen, sin hazerle en esto agrauio al criado, ni quedar el señor obligado en cosa alguna al hospital: porque como hemos dicho, no tiene obligacion precisa de curarle en su casa.* Hæc ille, & hæc probant rationes factæ à Filliuc. & Azorio.

Respondeo secundò; nec in infirmitatibus lenibus tenetur dominus ex iustitia famulum in domo sua curare, nisi alias pactum de hoc inter eos interuenerit, aut vsus hanc obligationem interpretatus fuerit, vt credo; æquum tamen erit, vt id faciat, quia id lex charitatis postulat.

QVÆSTIO VIII.

An famulus, qui se, & suas operas promisit ad annum, & ægrotat per aliquos menses, debeat posteà operas totius illius temporis necessariò supplere?

REspondeo dicendum, non debere, quia in promissione operarum fortuitus casus censetur exceptus. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 39. *q.* 6. & Basseus *verb. famulus, num.* 7. ibi: Recuperata verò valetudine, & elapso termino ad inseruiendum, non tenetur famulus in famulatu perseuerare, quousque resarciat illud tempus, quo ægrotauit: nec tenetur dominus admittere in hoc casu famulatum famuli volentis resarcire tempus elapsum; quia famulandi onus præcisè fuit temporis in contractu præscripti, quo proinde transacto, non manet onus in tempus sequens. Sic ille, & P. Nauarra, & alij apud ipsum. Verum est, quod vt habitum est *sup. q.* 4. non teneatur dominus præstare Salarium famulo pro tempore infirmitatis, vt etiam dixit Sà *verb. conductio, num.* 5. his verbis: Famulo non debetur stipendium temporis, quo ægrotauit; nec dum ægrotat, expensa magna, sed modica, & cibus; nisi aliud sit pacto, aut consuetudine constitutum. Sic ille. Tenent etiam hanc nostram sententiam Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 15. *n.* 16. Abbas, Siluest. Molina, & alij apud ipsum. Lege Lugum *tom.* 2. *disp.* 29. *sect.* 3. *n.* 61.

QVÆSTIO IX.

An famulis ante pubertatem salarium præstari pro seruitio debeat?

REspondeo vt certum, quod non, quia impuberis nullæ sunt operæ, quæ salario, aut stipendio remunerari debeant, vt bene dixit consultus de infante *in l. arboribus*, §. *de illo, ff. de vsufructu*: secus est dicendum de famulis puberibus, quia his pro seruitio, & famulatu salarium, seu mercedem præstari oportere constat, cùm horum operæ optimæ sint ad seruiendum. Sic tenet Didacus Narbona *in annalib. anno* 14. *q.* 22. & apud ipsum Didacus Perez, Georg. Cauedo, Emman. Barbosa, & alij.

QVÆSTIO X.

An famulis pedissequis (vulgò Pages) debeatur præstari aliquod salarium pro seruitio, & famulatu?

REspondeo ex dictis dicendum, non debere præstari, nisi masculo post quatuordecim annos expletos, puellæ verò nisi post duodecimum. Nec enim, vt diximus, tam ille, quàm illa, ante hanc ætatem salarium merentur, præter victum, & vestitum, & bonam educationem. Vnde non erunt domini in conscientia tuti, si huiusmodi pueros, ac puellas bona educatione non instituerint, nec præstent alimenta, aut victum, & vestitum competentem. Sic Nauarr. *cap.* 17. *n.* 109. Flores de Mena *lib.* 1. *var. q.* 8. §. 2. *n.* 8. Emman. Barbosa *in remiss. ad leges Lusitaniæ lib.* 4. *tit.* 31. §. 5. *n.* 1. Didacus Narbona *loco cit. n.* 3. Fagundez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 15. *n.* 27. dicens, id ita sæpe indicatum fuisse in Lusitania. Lege Molinam *disp.* 506. Rebellum *lib.* 14. *q.* 13. *n.* 1. Bonac. *de contract. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *n.* 7. & Villalob. *tom.* 2. *tract.* 25. *diff.* 13. *n.* 1.

QVÆSTIO XI.

An saltem famulo artifici, licèt impuberi, debeatur salarium pro seruitio?

REspondeo deberi, nisi seruiat magistro, qui illum docuit, vel ei, cuius expensis edoctus est. Sic D. Didacus de Narbona *loco cit. n.* 4. ibi: Quod vtique subaudiri oportet, dummodo famuli isti impuberes, cuiuscumque artis, aut ministerij sint expertes. Nam si librarij, nomenclatores, calculatores, vel histriones fuerint, vt esse posse, etiam quinquennes, respondit Consultus *in l. fin. ff.* de

de operis seruor. iuncta l. vt iurisiurandi 7. §. dabitur, de operis libertorum, cum similibus à nobis suprà *anno* 5. congestis, ipsis salarium, aut merces à quinquennio, vel ab illa ætate, qua artem exercuerint, debebitur, ex sententia Didaci Perez *in d. l. 1. eod. vers. quæritur, & vlterius*, & Carrocio *dicto loco, num.* 4. vbi hoc verum esse affirmat, nisi agatur contra proprium magistrum, qui docuit pariter, & alimentauit; vel contra eum, cuius expensâ edoctus est, ab his nullum salarium consequi poterit. Hæc Narbona. Legatur Carrocius *de locato part. 2. cap. quibus locare liceat, vel non, quæst. 2. à numero* 4. & pro maiori probatione huius nostræ sententiæ videatur quæstio subsequens. Sit ergo.

QVÆSTIO XII.

An artifices possint aliquid exigere pro instruendis pueris?

Respondeo dicendum, posse, quia artificum opera, & cura in instruendis pueris, digna est mercede, & premio. Nec compensari potest puerorum labore, & seruitio, cùm non tanti soleat æstimari. Sic Molina *tom. 2. disp. 506. num. 6.* Rebell. *lib. 14. q. 13. num. 2.* Bonac. *de contract. disp. 3. q. 7. punct. 4. num. 8.*

QVÆSTIO XIII.

An pueri, qui ad discendam aliquam artem artificibus traduntur, teneantur sub restitutionis onere, præstare operam, quam artifici promiserunt?

Respondeo, teneri, quia in re graui, vt supponimus, violant legem conuentionis. Sic Rebellus *num. 2. cit.* ita scribens: Iam verò, qui ad discendam artem artificibus traduntur, meritò solent illis pretium instructionis sæpè superimpendere, vltra seruiendi operam, quam fideliter eisdem, iuxta conuentionis legem, præstare tenentur. Vnde præter fidei violationem, obligatio restituendi damnum subsecutum consurget, si aut famuli minus seruiant, quàm debent; vel heri maiora seruitia exigant, quàm sibi in eo genere seruitij, secundùm patriæ consuetudinem, debeantur. Sic ille, Bonacina etiam cum aliis *loco cit. vers. addo cum Rebello.* Villalob. *tom. 2. tract. 25. diff. 13. numero 2.*

QVÆSTIO XIV.

An è contra peccent, & teneantur ad restitutionem heri, qui aliquo stipendio suscipiunt pueros, vt ab eis officium aliquod addiscant, vel vt dent operam litteris, & posteà id non adimplent?

Respondeo vt certum, etiam peccare, & ad restitutionem damni illati teneri; quia etiam faciunt contra pactum, & conuentionem factam inter ipsos, & pueros. Sic optimè Molina *disp. 506. cit. n. 6.* iis verbis: Quando famulus suscipitur ab opifice aliquo, vt inseruiat, & officium ab eo addiscat, aut suscipitur ab aliquo, vt inseruiat, & det operam literis; quo pacto in Vniuersitatibus suscipi ab scholasticis solent famuli, eaque de causa solus victus, & calcei tribui illis consueuerunt, & aliquando aliquid opifici solet solui in subsidium sustentationis talis famuli: tunc si ab hero impediatur, ne competenter addiscat, aut ab scholastico, ne det operam literis, præcipiendo illi alia, grauiter peccant, cum onere restituendi graue damnum iacturæ peritiæ, officij, aut iacturæ scientiæ. Quin si artifex negligens sit in docenda illi arte, estò tempus ei relinquat ad opera artis conficienda, peccat cum onere restituendi iacturam peritiæ artis: ita Nauarr. *vbi suprà, cap. 17. n. 109.* Hucvsque Molina. Ita etiam Rebellus *num. 2. cit.* Bonac. *n. 7.* Azor *3. p. lib. 8. cap. 3. q. 3.* Filliuc. *tract. 36. n. 106.* Villalob. *cit. n. 2.* Fragosus *3. p. Regim. lib. 10. disp. 22. n. 109. & 110.* Lege dicenda *q. 18.*

QVÆSTIO XV.

An herus, seu dominus debeat aliquod salarium famulo, quo non indigebat, sed ad instantiam partis illum accepit, quovsque alium commodum inueniret?

Negat absolutè Fagundez, docens, nullum ei salarium deberi in vtroque foro. Citat pro hac sententia Flores de Mena *lib. 1. variar. q. 8. §. 2. num. 5.* Molinam *disp. 506. cit. vers. quod itaque: & ordinat. Lusitania lib. 4. tit. 31. §. 9.* Sic Fagundez *lib. 4. Decal. cap. 15. num. 28.* sed certè non omninò bene, præcipuè in citando Molinam, cùm hic Author cum limitatione, non absolutè id doceat.

Probabiliùs igitur cum illo respondeo sic: si conductor famulatu, ac ministerio eius famuli non indigebat, sed solùm ad preces illius, aut alterius illum suscepit in suum ministerium; tunc non tenetur illi dare stipendium, eo quod misericorditer illum admittat, misericorditerque illi sustentationem tribuat, quovsque is inueniat, cui pro iusta inseruiat mercede. Hanc tamen limitationem intelligerem, modò opera huius non comperiret sibi ita vtilia, vt propter lucrum, quod ex illis perciperet, dignum illum stipendio deprehenderet: tunc enim iuxta perceptam vtilitatem tradere illi teneretur vsque ad iustum stipendium pro seruitio. Atque iuxta hæc accipi, & ad concordiam reduci possunt, quæ hac de re docét Nau. *in Man. c. 17. à n. 108.* & Sotus *5. de iust. q. 3. art. 3. ad* 1. Hucvsque doctus Mol.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An debeatur ſalarium cantoribus, citharædis, mimis, ſaltatoribus, & ſimilibus, qui inſeruiunt dominis ad exhilarationem?

RESpondeo dicendum, non deberi, niſi aliàs ſalarium deducatur in pactum; quia ſatis eſt eiſdem, loco ſalarij, aut mercedis frui cibo, & potu, & veſtitu dominorum, quaſi nulla ſit voluptatis æſtimatio. Sic Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 185. *num.* 41. vbi *num.* 43. addit, eoſdem nihil poſſe exigere ab hæredibus dominorum poſt illorum mortem, tanquam ſibi debitum, quamuis ſe tradiderint eorum ſeruitio, ob expectationem futuræ libertatis. Ita Collet. *de proceſſu execut. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 12. & ex iis Authoribus Fragoſus *part.* 3. *Regim. lib.* 10. *diſp.* 22. *n.* 113.

QVÆSTIO XVII.

An famulo, qui inſeruit, non conuento de ſalario, aut minori, quia ſperat à domino iuſtam remunerationem, debeatur illi iuſtum ſalarium?

RESpondeo dicendum, deberi, ſi dominus non remunerauit, vt ſperabatur à famulo, ſecus aliàs. Sic Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 15. *num.* 29. ita ſcribens: famuli, & Capellani Epiſcoporum, & nobilium virorum, ac Dynaſtarum, qui gratis illis inſeruiunt, ob ſperata beneficiorum, aut officiorum præmia, ſi aliquod beneficium, aut officium ab eis conſequantur, non poſſunt petere ſalaria: ſi verò non conſequantur, poſſunt, & tenentur ea illis domini ſoluere in vtroque foro; modò non ob ſuam indignitatem ea illis non conferrent. Sic Fagundez ex Flores de Mena *lib.* 1. *var. q.* 8. § 2. *num.* 10. *& ex Ordinat. nouis Luſitaniæ lib.* 4. *tit.* 31. §. 10. His adde Ludou. Lopez *in inſtructor. conſc. p.* 2. *cap.* 8. Fragoſum *part.* 3. *Regim. lib.* 10. *diſp.* 22. §. 5. *num.* 106. Azotium *part.* 3. *lib.* 8. *tit. de locato, cap.* 13. *q.* 4. dicentem, teneri in hoc caſu dominum lege charitatis aliquid famulo reſtituere; non verò lege iuſtitiæ; quia famulus nihil pactus fuit.

QVÆSTIO XVIII.

An famulis ſcholaſticorum debeatur ſalarium?

RESpondeo dicendum ex dictis *q.* 14. non deberi ex iure in vtroque foro; ex conſuetudine tamen, præter victum debentur eis calceamenta. Sic Gutierrez *de iuram. confirmator.* 1. *p. cap.* 64. *n.* 3. Flores de Mena *ſup.* §. 2. *n.* 3. Cabedo *p.* 1. *deciſ.* 162. *n.* 3. & Marta *in votis deciſ. voto* 99. *n.* 7. & 8. vbi addit poſſe herum ſcholaſticum auferre famulis volentibus recedere ab eius obſequio, veſtes, quas dederat, dum erat in ſuo ſeruitio, quia non videtur donaſſe, niſi pro tempore, quo ſeruierat. Calceamenta verò nullo modo auferre poterit, quia videtur ea donaſſe, vt ait Fragoſus *loco cit. n.* 110. Lege Villalob. *tom.* 2. *tract.* 25 *diff.* 13. *num.* 1.

QVÆSTIO XIX.

An ſalarium ſolùm debeatur, quando de illo conueniunt famuli cum heris?

RESpondeo primò tanquam certum, quod ſalarium debeatur famulis, quando de illo cum heris conueniunt, quia ſtare tenentur conuentioni. Sic vt certum docent omnes; & præcipuè Flores de Mena *variar. qq. lib.* 1. *q.* 8. §. 2. *n.* 23. & Fragoſus *part.* 3. *Regimin. lib.* 10. *diſp.* 22. §. 5. *n.* 104. addentes, hanc conuentionem probari per alios famulos, & in cauſa ſalarij procedi ſummariè, & executiuè, & per viam prouiſionis, ſpreta appellatione.

Reſpondeo ſecundò, etiam ſæpè ſæpius deberi famulis ſalarium non conuentum, nempe, quando famulus ſolet aliis ſeruire cum ſalario, & dominus conducit operas famuli, & famulus continuò aſſiſtit, & dietim ſeruitio domini. Sic Rebuff. *gloſſa* 1. *n.* 1. *de famul. ſalar. tom.* 2. Petr. Nauarra *de reſtit. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 409. Nauarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 108. ibi: Et ſi mercenarium, vel quemlibet alium famulum, qui ſuas operas locare conſueuit, nullo pretio ſtatuto ſuſcepit, tenetur ei ſoluere tantùm, quanti alium ſimilem conduceret. Sic ille, Fragoſus etiam *loco cit.* Idem docet Azor *part.* 3. *lib.* 8. *tit. de locato, cap.* 13. *q.* 1. quia, inquit, in hoc caſu famuli tacitè videntur ſuas operas locare, eo pacto, vt ſolitam mercedem recipiant. Vnde (addit) ſi domini eam minimè ſoluant, tunc famuli, ſi eam exigere, aut poſtulare non audeant, poſſunt, tuta conſcientia, clam de bonis dominorum tantundem ſibi capere, quanta eſt merces ſibi debita. At ne ſint in propria cauſa Iudices, id faciant arbitrio Confeſſarij, aut boni viri.

QVÆSTIO XX.

An ſalarium ſit ſoluendum famulis ſecundum tempus, quo ſeruitium factum fuit?

RESpondeo dicendum, quod debeat ſolui, ſecundum quod conſuetum erat ſolui, tempore quo famuli ſeruierunt, non ſecundum tempus, quo fuit lata ſententia, aut facta eſt liquidatio. Sic Fragoſus *p.* 3. *Regim. lib.* 10. *diſp.* 22. §. 5. *n.* 105. (qui attentè eſt legendus propter errores Typographi) vbi citat Cabed. 1. *p. deciſ.* 162. *n.* 6. & Azotium *part.* 3. *lib.* 8. *de locato, cap.* 13. *q.* 1. ſed ibi Azor obſcurè id inſinuat.

QVÆSTIO XXI.

An famulis ſoluendum ſit ſtipendium iuſtum?

RESpondeo tanquam certum, ſoluendum eſſe ſtipendium, ſeu ſalarium iuſtum; quia dignus eſt operarius mercede ſua. Deinde, quia ſicut in aliis rebus ſeruanda eſt æqualitas pretij, ita etiam eſt ſeruanda in ſtipendio famulorum. Sic omnes. Legantur Rebell. *lib.* 14. *q.* 13. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. Baſſeus *verb. famulus*, & Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 10. *docum.* 5. vbi *num.* 1. ita ait: *Doctrina es llana de los Doctores, que el ſeñor eſtà obligado à pagar à ſu criado el ſalario en que ſe concerto, ſin diminucion, trampa, ni dilacion alguna*

alguna notable: de tal manera que si en esto falcasse, siendo la cantidad por si suficiente, no solamente pecara mortalmente, sino que tambien queda obligado à restituir por ser pecado contra caridad, y justicia. Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An possit assignari certa regula pro determinando iusto stipendio eorum, qui certa mercede constituta inseruiunt?

RESpondeo, posse assignari, & est huiusmodi. Tunc enim censendum est iustum pretium eorum, qui certa mercede inseruiunt, quando tantum est, quantum passim alij eo loco famuli tali ministerio occupati recipiunt: vel, quod idem est, quando non desunt multi alij, qui libenter inseruirent pro eodem stipendio. Res enim tanti valet, quanti communiter æstimatur. Sic communiter DD. Legantur Molina *tom.* 2. *disp.* 506. Vasquez *cap.* 5. *de restitut. dub.* 10. Filliuc. *tract.* 36. *cap.* 6. *q.* 1. *num.* 102. Bonac. *disp.* 3. *de contractib. quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 9. Lugo *de iust. disp.* 29. *sect.* 3. & alij apud ipsos.

QVÆSTIO XXIII.

An dominus satisfaciat, si det famulo stipendium, quod attingat infimum gradum stipendij, quod in eo loco tribui talibus personis solet?

RESpondeo tanquam certum, satisfacere. Ratio est, quia infimus gradus stipendij, verè intra latitudinem iusti pretij continetur. Sic Lugo, Bonac. & alij *vbi suprà*, præcipuè Filliuc. ibi: Stipendium censeri iustum, quod passim eo loco famulis tali ministerio occupatis tribui solet, itavt non sit minùs infimo, nec maius supremo, quod dari consueuit. Cùm enim pretium naturale latitudinem habeat, etiam habebunt stipendia famulorum, & pretium operarum; nec enim solet taxari lege. Sic ille, & Basseus *verb. famulus, n.* 3. omninò ex Filliucio non citato, Villalob. *tract.* 25. *diff.* 13. *num.* 6.

QVÆSTIO XXIV.

An si dominus conducat famulum minori mercede infima, teneatur ad restitutionem?

AFfirmat absolutè Filliuc. *loco cit.* per hæc verba: Si locator exigat suæ operæ maiorem mercedem, quàm sit suprema, vel conductor det minorem infima, faciunt iniuriam, & tenentur ad restitutionem, reducendo mercedem ad limites iusti pretij; locator quidem, reddendo quod accepit vltra supremum; conductor, quod deest vsque ad infimum. Hæc ille.

Sed clariùs, ac distinctiùs respondeo, si famulus sponte, & liberè conducatur minima mercede, tunc ad illam solam soluendam tenebitur dominus, quia famulus potuit cedere iuri suo, consentiendo liberè in minorem mercedem, quàm alioqui mereatur. Sicut enim dominus non teneretur quidquam tradere famulo, si hic liberè conuenisset inseruire illi gratis, sic nec tenebitur vltra mercedem conuentam tradere; secus dicendum, si famulus inuitus, & ex necessitate conueniret in illa minima mercede, quia tunc verè teneretur dominus ad restitutionem, reducendo mercedem ad limites iusti pretij. Sic Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 15. *num.* 31. ibi: Si autem eis, idest famulis, constituatur minus infimo stipendio tunc consueto, vel quia famulus, quando se locauit, & de pretio conuenit, consuetum stipendium ignorauit; vel quia coactus fuit inuitus à ministris regiis pro eo stipendio inseruire, vel à quocumque alio; vel quia necessitate compulsus non inueniens maius, pro eo se locauit, cùm tamen nulla alia detur circunstantia, cur minùs valeat suum ministerium, & obsequium, quàm aliorum, tunc quidem dominus tenetur ei pretium augere, & restituere vsque ad limites iusti infimi. Hæc ille ex Molina *tom.* 2. *disp.* 506. *vers. quod itaque*, Bonac. *de contract. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *num.* 9. & alij.

QVÆSTIO XXV.

An salarium, quod non sufficit ad victum, & vestitum decentem famuli, semper sit iudicandum iniustum, & minus infimo stipendio?

NEgat absolutè Azor, casu, quo tale salarium solitum sit dare famulis; docens, quod tunc domini, secundum conscientiam, nihil præter consuetam mercedem famulis debeant. Nam quemadmodum (inquit) iusta pretia rerum communi hominum æstimatione, vel lege Principis, vel statuto ciuitatis ponuntur; sic etiam iusta merces rerum locatarum, vel operarum: ergo consueta merces famulorum pro iusta habenda est. Hæc Azor *tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 1. *vers. quid item.*

Sed clariùs respondeo, semper tale salarium iudicandum esse iustum, casu quo vel obsequium non sit maiori mercede dignum, vel (vt suprà est habitum) multi famuli inueniantur, qui pro ea mercede libenter ad id se locabunt, eo quod possint simul aliis rebus attendere, quibus id, quod ad victum, & vestitum deficit, supplere, & prouidere sibi possint. Sic Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 29. *sect.* 3. *num.* 62. *vers. tertiò*, ex Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 506. *num.* 4. qui ex hac doctrina excludit multorũ obuenticula, & excusationes in confessionibus, qui cùm Regis officia habeant, aut alia publica, vel inseruiant nobilibus, comitando ipsos, aut ipsorum vxores, vel assistendo in domo illorum, aut alia officia in eorum domibus obeundo, vltra suum stipendium aliquid accipiunt, vel ab iis, qui secum pro suo munere habent negotia, vel occultè de bonis regiis, vel de bonis illorum, quibus seruiunt; causantes se id efficere, eo quod stipendium sit tenue, neque illo se possint sustentare, vel liberos, & familiam; quasi ea sit iusta causa id vsurpandi, & quæ ipsos à restitutionis onere excuset. Si enim alij sint, qui libenter pro illo stipendio id munus obirent, constat stipendium esse iustum, ac proinde hos teneri restituere, quod ita vsurpant. Hæc Molina. Secus igitur dicendum casu,

quo

quo obsequium, & seruitium maiori sine dubio esset mercede dignum, & pauci inuenirentur, qui pro prædicta mercede inseruirent, vt indicat Lugo *loco cit.*

QVÆSTIO XXVI.

An famuli, qui admittuntur ea conditione, vt solo victu, & vestitu sint contenti, possint aliquid amplius ex bonis dominorum surripere?

NEgat Azor *cap. 13. cit. quæst.* 2. quia contractus ex conuentione contrahentium legem accipiunt: ergo famulus, qui pactum fecit cum domino, vt ab eo solùm victum, vel vestitum haberet, conuentis stare debet; & consequenter talis famulus non potest sibi aliquid ex bonis domini surripere vltra pactam cum Domino mercedem. Hæc Azor; & licet benè, vt constat ex à nobis dictis *quæst.* 24.

Sed adhuc distinctiùs respondeo sic. Si famulo, qui pro solo victu, & vestitu inseruit, tribuantur necessaria, quæ in aliis domibus similibus famulis donantur, tunc certum est, quod huiusmodi nequeant ex bonis domini surripere vltra pactam mercedem; secus verò, si miserè tractentur à dominis, neque ad victum necessaria ab illis ministrentur, neque indusia, calcei, galeri, & his similia eis conferantur, sed domini expectent, vt ea sibi famuli aliunde quærant; tunc non erunt culpandi prædicti famuli, neque obligandi ad restitutionem, si ad hæc tantùm de bonis dominorum aliquid occultè vsurpent, modò à dominis sibi necessaria quoad victum, & vestitum prius quærant, si id efficere possint sine suo damno, & maximo rubore, alioquin enim poterunt sibi occultè vsurpare, quin ea à domino petant. Ratio est, quia sustentatio competens, licèt parca, & vestitus competens, ac parcus, eis iuxta contractum, ac communem morem de iustitia debentur; & ideò possunt absque vlla iniustitia ea à dominis occultè vsurpare. Sic Molina *tom.* 2. *disp.* 506. *vers. illud est obseruandum*, *col. mihi* 1150. & Fagundez ex illo, *lib.* 4. *Decal. cap.* 15. *num.* 32.

QVÆSTIO XXVII.

An dominus, qui sine causa famulum ad annum conductum expellit, teneatur ei integram mercedem, seu salarium plenè soluere?

REspondeo vt certum, teneri integram famulo mercedem soluere, modò dominus nulla iusta causa expellat, & famulus ex parte sua contractum paratus esset explere. Ratio est, quia tunc per famulum non stat, quin toto anno integro seruiat, & operas suas præstet. Sic habetur *in lege* 8. *Castellæ, tit.* 4. *lib.* 4. *noua recopilat.* & *in nouis ordinat. Lusitaniæ lib.* 4. *tit.* 34. & tenent Molina *tom.* 2. *disp.* 506. Azor *part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 5. & 6. Rebell. *part.* 2. *lib.* 14. *q.* 13. *num.* 16. Flores de Mena *lib.* 1. *variar. q.* 8. §. 2. *num.* 18. quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 4. *Decal. cap.* 15. *num.* 20. quibus addi possunt, Bonac. *de contract. disp.* 3. *q.* 7 *punct.* 4. *num.* 11. Card Lugo *tom.* 2. *de iust. disp.* 29. *sect.* 3. vbi ait, quod quando dominus sine iusta causa famulum ante finitum tempus contractûs expulit, debeat totam mercedem soluere, nisi famulus expulsus ea occasione, operam suam alteri æquè vtiliter locauit, vel alia occupatione compensauit sibi totum illud lucrum. Lege Villalob. *tract.* 13. *diff.* 10. *n.* 5. docentem regulariter peccare mortaliter dominum, qui sine causa ante tempus impletum è domo sua famulum eiicit. *Porque* (ait) *no hallan tan ayna à quien seruir, y como son gente pobre, en muy poco tiempo que esten sin amo, les hazen daño notable; y podriase reparar, auisandoles con tiempo, para que buscassen amo à proposito.*

QVÆSTIO XXVIII.

An famulus iniustè à domino expulsus, teneatur redire ad complendum tempus conuentum?

REspondeo non teneri. Sic *ex lib.* 4. *ordinat. Lusitan. tit.* 21. docet Molina, vbi ait: Sancitum esse ibi, quod quando famulum ad certum definitum tempus pro certa mercede susceptum, dominus ante finitum tempus domo expellit, compellendum esse dominum soluere illi integram mercedem. Hoc tamen intelligendum est, quando nulla iusta causa fuit expulsus, & famulus ex sua parte contractum, vt oportebat, implebat. Atque tunc credo (iuxta ea, quæ ibi statim de famulis recedentibus ante tempus finitum subiiciuntur) famulum iniustè expulsum, non teneri reuerti ad complendum tempus; quoniam in pœnam iniustæ expulsionis id statuitur, &c. Sic Molina *disp.* 506. *cit. num.* 13. Fagundez *num.* 20. *citato.* Fragosus etiam mox citandus, & alij.

QVÆSTIO XXIX.

An saltem famulus ex iracundia domini è domo eiectus, teneatur redire ad seruiendum domino repetenti?

REspondeo teneri, casu quo dominus intra breue tempus resipiscat, & illum repetat: quod si noluerit, tunc famulus rediens ad seruitium, non consequetur salarium; secus dicendum, si non pœniteat, & resipiscat dominus intra breue tempus, & res non sit integra, hoc est, si famulus sit ab alio iam conductus; quia tunc non tenetur redire, & debetur illi salarium præteriti temporis; quinimò si dominus renuat soluere, & difficile sit famulo recuperare viâ iustitiæ, aut quia magis expendet famulus, quàm sibi debeatur; aut quia timet probabiliter ex lite sibi damnum venire, & debitum in rei veritate est liquidum, potest vti compensatione de bonis domini, sublato scandalo. Sic Fragosus *part.* 3. *regim. lib.* 10. *disp.* 22. §. 4. *num.* 115. ex Azeuedo *in l. fin. tit.* 15. *lib.* 4. *nouæ Recopil. num.* 15. Ludou. Lopez, Corduba, & Rebuff. ab ipso citatis.

QVÆSTIO XXX.

An quando ante finitum tempus contractus, famulus sine culpa domini discedit, debeat ei solui merces integra temporis, quo seruiuit?

NEgat Bartol. *in l. si vna, §. item cùm quidam, ff. locati*, quem citat, & sequitur Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 10. docum. 5. num. 3.* dicens: *Que el señor no está obligado à pagar al criado el salario que tiene ya seruido, quando el faltando al concierto se fue antes del tiempo. Porque segun principio llano de Derecho in l. si instituta, ff. de inoffic. testam. l. qui fidem, ff. de transact. cap. sto subiectus 95. dist. al que me quebranta la fé, no tengo obligacion de guardarsela.* Ita ille, & ante illum Azor *part. 3. lib. 8. cap. 13. quæst. 6.* vbi docet, famulum in hoc casu totam mercedem amittere, eo quod debito famulatu dominum fraudat. Iuuat ius Lusitan. *in nouis Ordinat. tit. 34. & 35.* vbi decernitur, ratione fidei violatæ nil famulo esse soluendum.

Alij dicunt in eo casu non esse soluendam famulo totam mercedem correspondentem tempori, quo seruiuit, sed paulò minorem, arbitrio boni viri æstimandam. Ita idem Azor anteà *part. 2. lib. 11. cap. 39. q. 7.* ex Siluestro *verb. famulus, quæst. 5.*

Sed clariùs, & distinctiùs sic respondeo. Primò, famulo, qui sine culpa domini discedit ante tempus completum, nulla debetur merces in foro externo, & iudiciali. Id constat ex dictis pro prima sententia, & vltra Doctores pro illa adductos, docent Diana *part. 3. tract. 6. resol. 15.* Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 15. num. 15.* vbi in hoc sensu explicat Bartol. Siluestr. & Azorium. Sic etiam Bonac. *de contract. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 12.* Bassæus *verb. famulus, num. 6.* & alij.

Respondeo secundò: probabilius est, quod attento iure naturæ, & in foro conscientiæ, teneatur dominus soluere integram mercedem temporis præteriti, in quo suas operas præstitit: verbi gratia, si famulus promisit seruire domino certa mercede integrum annum, & posteà tantùm sex mensibus inseruiat, tunc verè tenetur dominus in foro conscientiæ (seclusis aliis circunstantiis) dimidium stipendium, & dimidiam mercedem soluere. Ratio est, quia forum conscientiæ est tribunal veritatis, & in rei veritate dimidium temporis seruiuit: ergo dimidium stipendij reverà ei debetur. Forum autem externum, & iudiciale fundatur in malitia famulorum, & in damno, quod malitiâ, & culpa sua præsumuntur famuli dare. Et sic non mirum, quod ob hæc famulos priuet mercede omni. Nos autem supponimus hîc nec damnum, nec malitiam interuenisse, & sic cessante præsumptione, cessat iuris dispositio. Sic Diana, Fagundez, Bonac. & Basseus *vbi suprà*. Lugo etiam *tom. 2. de iust. disp. 29. sect. 3. num. 56.* Vazquez *opusc. de restit. cap. 5. §. 1. dub. 10. n. 57.* Rebell. *part. 2. lib. 14. q. 13. num. 18.* Ioan. Valerus *in differentia vtriusque fori, verb. locatio, different. 4.* Carolus Mallet. *malleat. 15. bractea 9.*

QVÆSTIO XXXI.

An famulus, qui ante tempus completum, sine culpa domini à suo seruitio recessit, teneatur compensare domino pro damno, suo recessu illato?

REspondeo vt certum, teneri compensare domino pro toto illo damno, quod causâ illius iniusti discessus incurrit dominus in se, & in suis bonis; quia cùm totum id oriatur ex non obseruato contractu, quem ex iustitia famulus obseruare debebat, ex iustitia tenetur illud compensare. Sic omnes Authores citati, præcipuè Lugo *num. 56. citato*, addens, & benè, quod talis famulus, qui sine causa recessit, teneatur redire ad dominum, vt toto tempore debito inseruiat, & contractum obseruet, licèt non videatur dominus obligandus ad eum iterum recipiendum. Lege Villalob. *tr. 13. diff. 10. num. 4.* & Acacium *verb. hurto, resol. 71. n. 5.*

QVÆSTIO XXXII.

An famuli, qui pristinos heros deserunt, possint ab aliis heris admitti?

REspondeo dicendum primò cum Azorio, quod non deceat, nisi priùs cognita, & probata causa talis desertionis, ne sic famuli tam facilè pristinos dominos sine causa deserant. Vnde (ait) leges esse solent Principum, vel statuta Ciuitatum, ne quis in famulatum admittat eum, qui à priori domino recesserit. Sic ille *part. 3. lib. 8. cap. 13. quæst. 6.*

Respondeo secundò, quod *in l. 2. tit. 20. lib. 6. noua collect.* præcipitur famulo, ac famulæ, cuiuscumque conditionis sit, & cuicumque inseruierit ministerio, vt si se subtraxerit à seruitio domini, inseruire alteri non possit in illo eodem loco, neque in suburbanis illius, sine expressa facultate, ac beneplacito prioris domini, sub pœna, vt coniiciatur in vincula viginti diebus, & exulet vno anno ab eo loco: & vt qui eum receperit in suum obsequium, soluat sex mille marcuedinos. Si autem famulus, aut famula, non se subtraxerint ab obsequio domini, sed ipse illos expulerit, possint inseruire alteri in eodem loco. Secundus autem dominus interrogare priùs debet priorem dominum, num eos expulerit, responsisque prioris domini erit standum. Integrum tamen est famulæ, aut famulo, qui se subtraxerint à seruitio prioris domini, mancipare se in eodem loco obsequio alicuius, à quo officium aliquod addiscant, aut locare mercede operas suas ministerio agri. Sic omninò Molina *tom. 2. disp. 505. num. 3. vers. lege 2.* & ex illo Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 10. docum. 5. num. 4.* lege Azeuedum *in l. 2. citata.*

QVÆSTIO XXXIII.

An teneatur dominus soluere famulo salarium, & pretium seruitij, finito anno, aut tempore, quo se, suasque operas conduxit?

REspondeo teneri soluere statim finito anno, nisi alia sit consuetudo soluendi illud ante finem anni. Quod si dominus nolit soluere propter damnum sibi à famulo illatum, tenetur ante iudicem, vel probos famulum de damno requirere; alioquin quando posteà famulus mercedem exegerit, non poterit dominus ab eo damnum petere, quoniam præsumitur tunc id efficere malitiosè, & fraudulenter, ne integrè illi soluat mercedem debitam. Sic Mena *lib. 1. var. q. 8. num. 55.* Molina *tom. 2. disp. 306.* Fagundez *lib. 4. Decal. cap. 15. num. 22.* & Vasquez mox citandus, ibi: Constat enim, quod non est licitum detinere mercedem, & stipendium, sed sicut alia debita, sunt soluenda statim.

Idem dicendum est loquendo de mercenario; nam huic etiam tenetur conductor sub peccato, diarium suum statim soluere, iuxta illud 19. *Leuitici; Non morabitur opus mercenarij*, &c. vt bene Nauarrus *cap. 17. num. 108.*

QVÆSTIO XXXIV.

An item peccet dominus, & teneatur ad restitutionem, non soluendo salarium, aut stipendium famulo, in ea re, in qua conuenit?

REspondeo vt certum, peccare soluendo in alia re contra voluntatem famuli; cùm non seruet pactum; & teneri ad restitutionem, si ex hoc aliquid damni eueniat famulo. Sic doctiss. Nauarrus *num. 108. citato* (non *num. 117.* vt citant Bonac. & Basseus, & Vazquez) vbi ita scribit: Decimononò peccat, qui mercenario diarium suum statim non soluit, &c. vel soluit quidem, sed non in ea re, quam debet, sed in alia, purà, panno, aut esculento, contra eius voluntatem, cùm possit soluere in re conuenta, & si in ea non poterit solui, id in quo soluet, æstimandum erit iuxta pretium commune. Et si mercenarius eo non indigens illud vendit, & non inuenit pretium, quod accepit, ad damnum tenetur, iuxta S. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 17. §. 8.* & communem. Quod meminisse deberent Confessarij, & admonere Concionatores in eis terris, in quibus Duces, & alij Ministri Regum soluunt stipendia militibus in pannis, quibus illi non indigent, quosque longè viliori pretio statim vendere coguntur. Sic ille, & Vazquez *opusc. de restit. cap. 5. §. 1. dub. 10. num. 63.* Bonac. *de contract. disp. 3. q. 7 punct. 4. num. 15.* Basseus *verb. famulus, num. 8.*

QVÆSTIO XXXV.

An augendum sit stipendium famulo illi, qui tanto pretio se obligauit seruire alicui Collegio, vel familiæ; sed posteà auctus est notabiliter numerus personarum in eo Collegio, vel familia.

NEgat Bonacina *punct. 4. cit. n. 16.* quia æqualis (inquit) est conditio, & æquale periculum locatoris, & conductoris; nam sicut conductor idem pretium solueret, si numerus diminueretur; ita non tenetur maius pretium soluere, si augeatur. Ita ille. Sed statim addit id esse intelligendum, nisi numerus stabilitus nimium crescat, vel decrescat, quia tunc, inquit, augendum, vel diminuendum stipendium est, si talis casus non fuit præuisus à contrahentibus: nam ratio dictat, contrahentes non esse plus æquo grauandos, & onerandos, si non cedant iuri suo. Ita ille qui citat pro se Azorium *p. 3. cap. 14.* Conrad. *de contract. q. 88.* Rebellum *lib. 14. q. 15. num. 15.* & Filliucium *num. 108.* Sed certè ex his Azor distinctiùs in hac re loquitur (*loco cit.* à Bonacina) *quæst. 2.* Vnde.

Cum ipso distinctiùs respondeo dicendum: Si famulus locauit se, & operas suas ad coquendum, verbi gratia, panem gratiâ totius familiæ, quæ certo numero hominum constat, nimirum triginta, eo aucto, vel diminuto, augenda est, vel diminuenda est merces. Si autem inseruiat familiæ, quæ certum numerum personarum non habet, quia nunc pluribus, vel paucioribus constat, non eo ipso, quo plures, paucioresve sunt homines in illa familia, augenda est, vel minuenda merces. At verò si nimium aut crescat, aut decrescat numerus familiæ, consentaneum rationi est, vt merces augeatur, vel minuatur, ne plus æquo, qui locauit operas, aut qui conduxit, oneretur. Sic Azor. *loco citato*, quem citat, & sequitur Malleus *malleat. 25. bractea 3.*

QVÆSTIO XXXVI.

An si quis cum aliquo pactus fuerit, vt certa mercede in perpetuum familiæ suæ triticum molat, vel panem coquat, si multiplicetur familia, sit merces augenda?

NEgant apud Azorium aliqui, quos non citat; quia inter ipsos fuit pactum, quod illa certa mercede in perpetuum triticum moleret, aut panem coqueret: atqui pactum est seruandum: ergo. Pro hac parte stat sine dubio Fagundez citandus *q. 38.* & tenet expressè Albericus apud Rebellum, docens, non esse augendam mercedem, sed pro eadem molere teneri, &c.

Sed iuxta nuper dicta respondeo dicendum, quod si notabiliter augeatur familiæ numerus, & stabiliter, tunc etiam debet augeri merces. Nec obstat pactum, quia qui se ad has operas locauit, non videtur talem casum cogitasse. Sic Azor *quæst. 2. cit.* & Filliuc. *tract. 36. cap. 6. q. 7. num. 108. vers. quid si Lucius*, qui iuxta doctrinam ab ipsis traditam, idem dicunt dicendum de Medico, vel Chirurgo, qui

qui conuenerunt seruire certo Religiosorum Monasterio,& posteà successu temporis auctus est numerus Religiosorum. Tenet etiam nostram sententiam Rebell. 2. *p. lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 15. Siluest. Angel. & Tabiena apud ipsum.

QVÆSTIO XXXVII.

An famulo, qui non laborat, saltem intra latitudinem infimi laboris debiti, debeatur stipendium?

RESpondeo vt quid certum, quod non; quia non præstitit debitam operam, quam locauit. Imò talis famulus tenebitur ad restitutionem, non solùm ad ratam laboris omissi, sed etiam ad interesse, si fortè aliquod detrimentum, vel lucrum cessans domino conductori subsecutum est, vt si ad piscaturam conductus fuit, & neglexit, ex qua negligentia lucrum domini impeditum fuit. Sic Nauarr. *cap.* 17. *num. mihi* 197. (Molinæ 196.) Lugo *disp.* 29. *sect.* 3. *num.* 56. *fine*, ex Molina *disp.* 493. *fine*. Bonac. *de contract. lib. disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 2. *vers. Addo*. Basseus *verb. famulus, num.* 2. Angel. Siluest. & Reginald. apud ipsum, Filliuc. *tract.* 36. *cap.* 2. *q.* 6. *dicto* 7. *num.* 36.

QVÆSTIO XXXVIII.

An famulo, qui locauit operas suas domino ad peragendas causas, & sollicitanda negotia, augeri debeat salarium ad augmentum causarum?

NEgat absolutè Fagundez *lib.* 4 *in Decal. cap.* 15. *num.* 36. docens, non teneri dominum augere salarium, nisi à principio sit conuentum: quia (inquit) nec augetur salarium Aduocati, aut Medici, auctis causis, aut infirmis, nisi à principio sit conuentum. Ita ille, citans pro hac parte Gutierrez *in pract. lib.* 1. *quæst.* 32. *num.* 2. Afflictis *de constitut. Siciliæ Regni, rubr.* 82. *de salario Aduocati, & Ordinat. Lusitan. lib.* 4. *tit.* 31. §. 1. & Menam *lib.* 1. *variar. quæst.* 8. *num.* 53. dicentem contrarium esse omninò improbabile, & contra communem praxim.

Sed certè satis probabiliter respondeo dicendum, augeri debere salarium, si causæ, & negotia nimium augeantur; quia satis probabile est, augeri debere salarium Medico, & Aduocato, si numerus causarum, & infirmorum nimis auctus sit, vt docent Azor, & Filliuc. citati *quæst.* 36. ergo. Sic expressè (vltra dictos DD. qui hanc partem consequenter docere debent) tenent Menoch. *de arbitr. casu* 123. & Azcuedo *l.* 2. *num.* 3. *tit.* 16. *lib.* 2. *nouæ Recopil.*

QVÆSTIO XXXIX.

An conducens operam alicuius, si per conductorem stetit, quòd locator conductus operam suam non præstaret, teneatur tunc conducens ad omnem mercedem locatori soluendam.

AFfirmat Diana, teneri ad soluendam totam mercedem in foro iudiciali *ex l. sed addes, §. cùm quidam, ff. locati*. Secus verò in foro conscientiæ, casu, quo locator à me conductus aliam non inuenisset mercedem, si mihi operam suam non locasset; aut potuisset inuenire, si voluisset, & omisit; quia in his casibus conductor non est causa, quod operarius mercedem amittat; sed vel ipse operarius, qui vult se aliis locare, vel defectus conductorum, qui non inueniuntur, nec inueniri possent, etiam non posita prima conductione. Sic Diana, qui pro se affert Rebellum *lib.* 14. *quæst.* 14. *n.* 15. & Valerum *in differentiis vtriusque fori, verb. locatio, differentia* 3. & Ioannem de Cruce *in Director. part.* 1. *præcep.* 7. *art.* 6. *dub.* 4. *concl.* 1. Sed ex his Authoribus non bene adducit pro se Rebellum, quia nec loco à Diana citato habet numerum 15. nec docet hanc sententiam, sed potiùs contrariam *num.* 9. vt bene vidit Lugo *de iust. disp.* 29. *sect.* 3. *num.* 59. imò & Ioan. de Cruce, vt ex mox dicendis constabit. Vnde.

Probabiliùs cum communi sententia respondeo dicendum, quod non solùm in foro iudiciali, sed etiam in foro conscientiæ teneatur conductor, per se loquendo, ad integram mercedem soluendam, quando per locatorem non stat, quod eius operâ vtatur, nisi casu, quo ipse locator posteà alteri se locet; quia tunc detrahi debet hæc merces, ex eo quod primus conductor debebat. Sic docet Nauarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 198. & ex illo Ioann. de Cruce loco à Diana pro se citato, vbi ita ait: Si locans operas suas omisit operari, quia dominus voluit, soluet dominus denarium promissum, nisi aliàs operarius inueniret alium dominum pro tunc, vt ait Nauarrus, & Siluester *verb. locatio*. Et insuper soluet ei expensas, quibus se præparauit pro ei seruiendo. Ita Siluest. & *l. pecuniam, ff. de cond. ob causam, de eo qui parauerat ire ad locum, &c.* nisi dominus iustè eiiceret eum: nam tunc detur ei pensio pro rata seruitij. Hæc Ioannes, & anteà Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dubit.* 2. *num.* 11. Lugo vbi suprà, latè Azor *part.* 3. *lib.* 8. *c.* 14. *q.* 1. qui id probat *ex l. qui operas, ff. locati*, vbi statutum est: *Qui operas suas locauit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominus operas præstaret. Aduocati quoque, si per eos non steterit, quo minus causam agant, honoraria reddere non debent* (hoc est, stipendia sibi soluta restituere non debent.) Hæc lex, & hæc Azor, & ex illo Filliucius *tract.* 36. *cap.* 6. *quæst.* 5. *num.* 107. vbi alia exempla adducit.

QVÆSTIO XL.

An famulus, qui in triennio postquam exiuit à domino, salarium non petiit, amittat actionem petendi illud in iudicio?

AFfirmat Fagundez *lib. 4. in Decal. cap. 15. n. 17.* his verbis: Famulus, qui in triennio, postquam exiuit à domino, mercedem non petiit, non potest illam petere finito triennio. Actio enim petendi salarium conuentum, & statutum pro seruitio, triennio expirat, & vltra illud in iudicio peti non potest. Ita communiter Doctores; Couarru. *in regul. Possessor. part. 2. §. 1.* Baeza *de decimo tutoris, cap. 30. num. 20.* Valasc. *consult.* 125. Caldas Pereyra *in l. si curatorem, verb. sua felicitate, num. 77.* Flores de Mena *lib. 8. variar. quæst. 8. §. 2.* Molina *tract. 2. disp. 67.* Gamma *decis.* 334. Rebell. *de obligat. part. 2. lib. 14 cap. 13. num. 10.* & ita habetur de iure Lusitano *lib. 4. tit. 32* aliàs 20. Gutierrez *in l. nemo potest, à num. 200. ff. de legatis 1.* Romæ tamen biennio præscripsit famuli salarium per Bullam Pij V. 33. in Bullario, *fol. mihi* 973. vt refert Steph. Gratianus *decis.* 53. quem citat Aloysius Riccius *in collect. decisionum, Collectanea 285. medio.* In foro autem conscientiæ existimo ei deberi. Huc vsque Fagundez, pro cuius sententia est etiam lex Castellana *lib. 4. nouæ Recopil. tit. 15. l. 9.*

Sed clariùs, distinctiúsque respondeo primò sic: Certum est, quod famulus, qui seruiuit, & ab hero recessit, si intra triennium, salarium non petiit, non valeat posteà illud in iudicio exigere; nec herus ad eum exhibendum teneatur, si non adsit mala fides; nam si adsit, hoc est, si dominus sciat, se post famuli recessum intra prædictum triennium seruitij salarium debere, tunc ad soluendum illud tenebitur. Ratio est, quia cum mala fide non potest currere præscriptio seruitij; vnde cum rarò bona fides habeatur, rarò quoque heri solutione salarij liberabuntur, quantumcumque triennium labatur. Sic explicando legem Lusitan. citatam, & aliam Castellanam, docet Rebellus *loco citato* à Fagundez, cum Dueñas, Alphonso de Castro, & Gamma, Padilla, Pinciano, & Orosio. Ita etiam Molina *loco cit. num. 3. concl. 1.* & Couarru. apud ipsum.

Respondeo secundò, in nullo euentu, etiam post triennium elapsum cum bona fide, liberatur herus à solutione salarij famuli, nisi simul probet, & alleget factam fuisse solutionem salarij, eo quod prædictæ leges in præsumptione factæ solutionis fundentur. Ex quo colligitur, quod neque ob dictas leges deneganda sit famulo in foro externo, si probare intendat sibi satisfactum non fuisse. Sic cum aliis Rebellus *loco cit.* & Molina *disp. 67. cit. num. 5.* Couarru. & Gamma apud ipsum.

Respondeo tertiò: Probabilius longè est, quod in conscientia si herus sciat se non soluisse, soluere teneatur, & famulus similiter exigere possit, si de eo sibi constet; vt in hoc bene Fagundez, & antèà Rebellus *vbi suprà, num. 13.* addens tamen *num. 14.* quod si post triennium dominus rationabiliter dubitet, an soluerit, poterit in dubio pari, iudicialis fori præscriptionem sequendo, non soluere, nisi à famulo probetur sibi satisfactum non fuisse. Sic ille.

Respondeo quartò. Famulus tuta conscientia potest, transacto etiam triennio, sibi occultè recompensare de salario debito, si dominus illud soluere nolit, & viâ iustitiæ illud non possit recuperare; vel quia sibi deficiunt probationes, vel quia expendit magis, quàm sibi de salario debetur. Sic Fagundez *loco cit. num. 19.* & apud ipsum Flores de Mena, & Caldas Pereyra.

QVÆSTIO XLI.

An grauiter peccent famuli dum non obediunt dominis in rebus magni momenti?

REspondeo vt quid certum, quod famuli peccent grauiter, si non obediant suis heris, aut dominis in rebus magni momenti. Et etiam si debitum honorem illis non deferant, contemnendo ipsos, aut irridendo; aut si faciant ipsis fraudem, non impediendo quantum possunt, ne ipsi domini, aut heri in personis, aut in rebus damna patiantur. Sic Basseus *verb. famulus, n. 9.* Et constat ex dictis suprà loquendo de obligatione seruorum, *disp. 4.*

TRACTA

TRACTATVS VI.

DE EPISCOPIS, ET DE ILLORVM SVBDITIS.

QVAMVIS in præſentiarum obligationes Epiſcoporum, quæ reſpiciunt ſibi ſubditos, ſolùm recenſendæ eſſent; tamen quia ferè ſunt admixtæ aliis obligationibus eorumdem, nos cum his alias tractabimus; ſed ante omnia, vt nihil in aliis requiras Authoribus, de Epiſcoporum nomine, origine, & dignitate aliqua dicemus. Sit ergo.

DISPVTATIO I.

De nomine, origine, & dignitate Epiſcoporum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam ſit Epiſcopi nominis etymologia?

RESPONDEO dicendum, quod nomen Epiſcopi apud ethnicos fuit nomen Magiſtratus, cuius erat panis, & cæterarum rerum ad cibum, & victum pertinentium curam habere. Et ideò Arcadius Iuriſconſultus recenſens munera perſonalia *in l. munerum* 18. §. *Hierarcha, ff. de munerib. & honoribus*, ſic ait: *Epiſcopi, qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vſui ſunt, perſonalibus muneribus fungantur.* Tranſlatum igitur eſt hoc nomen à profano ciuili Magiſtratu ad ſacros Eccleſiæ Antiſtites, eo quod illorum præcipuum munus ſit, gregis ſibi commiſſi mores, & vitam explorare, & inſpicere, & ideò Epiſcopus græcè dictus eſt, qui latinè dicitur Speculator, *cap. Clericus, diſt.* 21. vel Superintendens, *cap. qui Epiſcopatum* 8. *q.* 1. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. & ex illo omninò Barboſa *de poteſt. Epiſcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. & 2. & penes illum quamplures Doctores.

QVÆSTIO II.

An cùm in iure communi dicitur Diœceſanus, *ſolus Epiſcopus intelligatur?*

REſpondeo vt certum, ſolum Epiſcopum intelligi; ſic enim docet Gloſſa *in Clement.* 1. *de vita, & honeſtate Clericor.* quam citat, & ſequitur Azor *cap.* 27. *citato, quæſt.* 1. *verſ. quæres*: & colligitur ex eo, quod Diœceſanus dicatur à Diœceſi, quæ eſt ciuitas, & territorium, vbi Epiſcopus habet iuriſdictionem in ſpiritualibus, *Clem. vnica, de ſuppl. neglig. Prælator. cap. cùm pro vtilitate* 16. *q.* 1. vt docet Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 7. *num.* 8. ſecus enim eſt dicendum cùm in iure dicitur *Ordinarij locorum*; tunc enim non intelliguntur ſoli Epiſcopi, ſed etiam alij Prælati Epiſcopo inferiores, vt docent Gloſſa *in cap. Ordinarij, de offic. ordinarij in* 6. & Azor *loc. cit.*

QVÆSTIO III.

An Epiſcopi aliis nominibus ſoliti fuerint nuncupari?

REſpondeo, quod ſic: Nam primò vocantur *ſummi Sacerdotes*, ratione Ordinis, *in cap.* 1. *de ſacra Vnctione, §. per frontis*, ad differentiam ſimplicium Sacerdotum.

Item vocantur *Pontifices*, *in cap. Pontifices* 7. *q.* 1. *& in cap. Meſſana, de electione.* Imò D. Iſidor. *in cap. Cleros, d.* 21. vocat eos *Maximos Pontifices*, ideſt, Maximos Sacerdotes.

Deinde olim Epiſcopus dici ſolebat Papa, hoc eſt, Pater Patrum; ſic enim D. Hieronym. *in Epiſt. ad S. Auguſtinum*, ter, aut quater vocat eum *ſanctum ac venerabilem Papam.* Sed iam nunc excellentiæ, dignitatis, & poteſtatis causâ, ſolum Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium, & Summum in Eccleſia Paſtorem, vocari Papam meritò videmus; quia omnium Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Primatum, & Patriarcharum eſt Pater.

Rurſus Epiſcopi dicuntur *Præſules*, quia in Concilio præſident, *cap. quod tranſlationem, de tempor. ordin.*

Item vocantur *Antiſtites*, quia ante alios ſtantes præeminent populo. Vocantur item *Sanctiſſimi, Legati Chriſti, Paſtores, Illuſtres, Perſonæ egregiæ, Fundamentum, Columna, Pater, Doctor Eccleſiæ, Miniſter Dei,* &c. apud Azorium, & Barboſam *locis citatis.*

QVÆSTIO IV.

An Epiſcopus iure diuino altiorem habeat poteſtatem, quàm Presbyter?

NEgarunt olim, & nunc negant hæretici Lutherani, & Caluiniani, ſequuti Ioan. Vvicleph.

Vvicleph, & Aërium, docentes Episcopum à Presbytero in potestate, dignitate, & munere non distingui iure diuino, sed solùm Ecclesiæ authoritate factum esse, vt Episcopi dignitas, atque potestas sit maior, & Superior, quàm Sacerdotis; quia quædam munera, & officia solis Episcopis reseruauit.

Sed de fide certum respondeo dicendum, Episcopum iure diuino altiorem habere potestatem, quàm Presbyterum. Sic definiuit Concil. Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 4. & *can.* 6. & 7. Nam *can.* 6. sic ait: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Hierarchiam diuina ordinatione non esse institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, & ministris, anathema sit.* Et *can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos Presbyteris non esse superiores, vel non habere potestatem confirmandi, vel ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Et anteà D. August. *in lib. de hæresib. cap.* 53. & Epiphanius *hæresi* 75. inter hæreses connumerant sententiam Aërij, suprà relatam. Sic omnes Catholici. Legantur Bellarm. *controu. Cathol. tom.* 1. *lib. de Clericis, cap.* 14. Azor *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. *q.* 5. Barbosa *de potest. Episcopi* 1. *p. tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 25. & alij plures apud ipsum.

QVÆSTIO V.

An Episcopatus præcisè consideratus, sit verus ordo, verumque Sacramentum?

NEgant Abbas, Turrecrem. Franciscus Leo, S. Thom. Bonauent. Albert. Magnus, & alij plures, quos citauimus 2. *p. tr.* 6. *de Ordine, disp.* 1. *q.* 10.

Sed longè probabiliùs respondeo, esse verum ordinem, verumque Sacramentum, vt latè probauimus *q.* 10. *citata*, & tenent Abbas etiam, Cardin. Thuscus, Nauarr. Barbosa, Scotus, Durandus, Maior, Bellarm. Valentia, Vazquez, Hurtado, Becanus, & alij quamplures ibi adducti.

QVÆSTIO VI.

An Episcopatus constituat Sacramentum à Sacerdotio vndequaque distinctum?

AFfirmant Caiet. Nauar. Petr. Soto, Couarru. Barbosa, & communiter Canonistæ, defendentes, Episcopatum octauum esse Ordinem.

Sed iterum probabilius respondeo dicendum, quod licèt sit, vt diximus, verum Sacramentum, non tamen debeat dici vndequaque distinctum à Sacerdotio, nec constituat octauum ordinem, vt docent Durand. Philibert. Granado, Henriquez, Hurtado, Petr. à S. Ioseph, Dicastillo, & alij, quos citauimus vbi suprà *p.* 2. *tract.* 6. *disp.* 1. *quæst.* 11.

QVÆSTIO VII.

An in ordinatione Episcopi nouus infundatur character, à charactere Sacerdotali distinctus?

NEgant Vazquez, Siluest. Sotus, Sanchez, citati à nobis vbi suprà *quæst.* 12.

Sed iterum vt longè probabiliùs respondeo in ordinatione Episcopi nouum infundi characterem, distinctumque à Sacerdotali, quem præsupponit; nec ob id fieri octauum Ordinem, vt colligitur ex dictis à nobis 2. *p. vbi suprà*, *q.* 10. Sic tenent Biescas, Philibertus, Petr. à S. Ioseph, & Hurtado citati vbi suprà *quæst.* 12.

QVÆSTIO VIII.

An promouendus ad Episcopatum, debeat esse constitutus in Ordine sacro antea, saltem per sex mensium spatium?

REspondeo vt certum, quod sic; quia sic statuitur in Tridentino *sess.* 22. *de reformat. cap.* 2. his verbis: *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solùm natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ à sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus; verùm etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus.* Sic Concilium, & sic Franc. Leo, Camp. Vgolin. Alzedo, & Didacus de Arroyo, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *allegat.* 1. *num.* 36. Qui tamen *num.* 37. addit, quod cùm Bulla Gregorij XIV. edita 15. Maij 1590. plurali numero vtatur, sicut etiam vtitur text. *in cap. à multis, de ætate & qualit.* oportet omnibus sacris initiatum esse ante sex menses, quemadmodum ante Tridentinum disposuerat text. *in cap. Osius* 61. *distinctione*, ibi: *Sed non eligitur aliquis, nisi in sacris Ordinibus constitutus.* Sic ibi, & tenet Campan. *d. tract. rubr.* 11. *cap.* 7. *num.* 8. Legatur Machado *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 1. *docum.* 3. *num.* 1. qui aduertit, debere esse initiatum Ordinibus sacris ante sex menses, vt eligatur, & confirmetur in Episcopum, non vt præsentetur Summo Pontifici.

QVÆSTIO IX.

An sufficiat ætas triginta annorum ad obtinendum Episcopatum?

NEgandum videtur. Tum, quia Iustinianus *in Nouella* 123. ætatem triginta quinque annorum in Episcopo requirit. Tum quia Barbosa *in remission. Doctor. Concilij Trident. sess.* 7. *cap.* 1. *de reformat. num.* 3. requirit ætatem quadraginta annorum; sic enim scribit: Ad Episcopatum iure requiritur ætas quadraginta annorum. Ita ille.

Sed vt quid certum respondeo sufficere ætatem triginta annorum ad Episcopatum; quia sic habetur in iure canonico, *cap. Episcopus, dist.* 76. *cap. cùm in cunctis, de electione, cap. quicumque, dist.* 77. Et sic docent communiter omnes Doctores, inter quos est Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, part.* 2. *allegat.* 1. *num.* 26. vnde errori Typographi est tribuendum id, quod dicit *in remission. Concilij, loco cit.* quod patet; nam citat Azorium 2. *p. lib.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 1. vbi expressè dicit, quod in Episcopis requiratur ætas triginta annorum. Tenent etiam Ludouicus Miranda *de Ordine iudiciali q.* 4. *art.* 2. *concl.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dubit.* 20. *num.* 103. Reginald. *lib.* 3. *tract.* 3. *num.* 163. quos ibi Barbosa pro se citat. Nec obest Nouella Iustiniani, quia obseruandum est, quod est in iure Canonico statutum.

QVÆSTIO X.

An ætas triginta annorum ad Episcopatum requisita, debeat esse completa?

NEgat Glossa *in cap. vnico, de ætate, & qualit. in 6. verbo, compleuerint*, docens, Episcopum esse posse illum, qui trigesimum ingressus est annum.

Sed vt quid certum respondeo debere talem triginta annorum ætatem esse completam, & perfectam. Sic colligitur clarè ex Concil. Lateranen. celebrato sub Alexandro III. relato *in cap. cùm in cunctis, cit.* vbi statuitur, vt exegerit triginta annos, qui ad Episcopatum promouendus est; at illud verbum, *exegerit*, sine dubio indicat tempus perfectum, & completum, quod noluit intelligere Glossa: ergo. Adde quod Gregor. XIV. 15. Maij *in sua Constitut.* expressis verbis id declarauit: ibi. *Annum trigesimum expleuisse.* Sic Rebuff. *in praxi beneficiali, rubr. requisita ad collationem bonam, n. 37.* Barbosa *de potest. Episcopi loco cit. num. 28.* Machado *docum. 3. cit. num. 2.* Azor *cap. 5. cit. q. 1.* & alij communiter.

QVÆSTIO XI.

An saltem in Regno Franciæ idoneus ad Episcopatum iudicetur, qui in vigesimo septimo anno constitutus reperitur?

REspondeo dicendum, quod sic; quia sic docet Campanil. *in diuers. iuris canon. rubr. 7. cap. 3. num. 3. & rubr. 7. cap. 6. num. 44.* vbi ex Rebuffo *tract. de pacificis possessoribus, num. 184.* asserit, in Regno Franciæ (quod in omnibus Gallicanis Episcopatibus non habere locum credit) idoneum ad Episcopatum iudicari, qui in vigesimo-septimo constitutus anno reperitur, ita commonentibus concordatis inter Leonem X. & Galliæ Regem. Et Petrus Greg. *syntag. iuris part. 2. lib. 17. cap. 6. num. 16.* addit Regem Franciæ posse virum ætatis 27. annorum nominare Summo Pontifici ad Prælaturam obtinendam, dummodo aliæ qualitates desideratæ adsint. Hæc omnia scribit Barbosa *loco cit. n. 27.* An autem Episcopatus validè possit conferri puero ante vsum rationis, decidimus *2. p. tract. 6. disp. 5. quæst. 10.*

QVÆSTIO XII.

An Episcopus debeat esse legitimo matrimonio natus?

REspondeo tanquam certum, debere; sic enim decreuit Concil. Tridentinum *sess. 22. de reformat. cap. 2.* cuius verba habes suprà *quæst. 8.* Ideóque illegitimus sine speciali Papæ dispensatione inhabilis est, vt ad Episcopatum assumatur. Text. *in cap. cùm Vvitoniens. Ecclesia, de elect. cap. Grandi, de supplend. neglig. Prælator. in 6.* Sic Vgolin. *de offic. Episcopi p. 1. cap. 1. §. 1. num. 5.* Graffis *lib. 3. decis. cap. 2. num. 12.* Barbosa *loco cit. num. 32.* Alzedo, Leo, & Bertachin apud ipsum, Machado *loco cit. num. 3.*

QVÆSTIO XIII.

An legitimati per subsequens matrimonium, sint habiles, absque vlla dispensatione, ad Episcopatum?

NEgant Raimundus (quem refert Abbas *in cap. ad extirpandas, de filiis Presbyter.*) & Maiolus *de irregularit. lib. 1. cap. 4. num. 13.*

Sed vt certum respondeo, esse habiles absque dispensatione vlla Pontificis, quia fictione iuris, in fauorem prolis, matrimonium subsequens quasi retrotrahitur ad tempus cõceptionis, & prolẽ ante conceptam legitimam reddit, ac si constante matrimonio genita esset. Sic deciditur *in cap. tanta, qui filij sint legitimi, & in l. 13. tit. 1. part. 4.* & tenent communiter omnes, Henriquez, Suarez, Bonac, Palao, Bauny, Pellizzar. Basilius, & Couarru. quos citauimus, & sequuti sumus *part. 5. tract. 2. disp. 3. quæst. 16.* sic etiam cum aliis pluribus Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. num. 33.*

QVÆSTIO XIV.

An ille, qui ad Episcopatum promouendus est, debeat vtriusque testamenti scientiam habere?

AFfirmandum videtur. Tum quia *in cap. omnes psallentes, dist. 38.* desumpto ex 6. Synodo, dicitur, eum, qui est ad Episcopatum promouendus, nosse debere omnem diuinam Scripturam. Tum quia cùm quis ordinatur, aut creatur Episcopus, interrogatur, an sciat Testamentum, vetus, & nouum; & respondet, se scire. Ergo.

Propter hoc Richardus *quodlib. 3. q. 23.* inquirens, an lethaliter peccet Episcopus, qui sic respondet, ignorans vtrumque Testamentum? Respondet, eum lethaliter peccare, si ignorat generaliter mandata Dei, articulos fidei, virtutes, & vitia, & Sacramenta; quia tunc perniciosè mentitur, cum graui damno animarum, quarum curam suscipit. Si tamen nouerit prædicta, aut ea, sine quorum notitia suo munere, & officio fungi non potest, quamvis nesciat vtrumque Testamẽtum, lethaliter non peccare; quia consuetudo, quæ est optima legum interpres, *cap. cùm dilectus, de consuetud.* sic intelligit, & interpretatur prædictam interrogationem factam Episcopo. Sic ille, & ex illo Azor *part. 2. lib. 3. c. 28. quæst. 9.* & ex vtroque Machado *tom. 2. lib. 4. part. 6. tract. 1. docum. 3. num. 4.* & ex omnibus illis ego.

QVÆSTIO XV.

An qui Episcopatum obtinere cupit, debeat alicuius Academiæ auctoritate Magister, aut Doctor, vel Licentiatus in sacra Theologia, aut iure Canonico esse creatus?

REspondeo vt certum, debere talem esse, vel saltem publico testimonio alicuius Academiæ approbatum idoneum ad alios docendos. Sic disponit Concil. Tridentin. *sess. 22. de reformat. cap. 2.* vbi loquendo de scientia, quæ in Episcopis requiritur, ita ait, *Scientiâ verò præter hæc eiusmodi polleat, vt*

muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere; ideóque antea in Vniuersitate studiorum, Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico, meritò sit promotus; aut publico alicuius Academiæ testimonio, idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Sic Concilium, & sic omnes. Legantur Azor *part. 2. lib. 3. cap. 28. q. 9. & lib. 6. c. 6. q. 1.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 34. dubit. 24.* Reginald. *lib. 30. tract. 5. n. 171.* Cenedo *ad decretum collectan. 51. n. 4.* Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. num. 24.* & alij plures apud ipsos.

QVÆSTIO XVI.

An sufficiat, aliquem esse Doctorem, vel Licentiatum in Theologia, vel iure Canonico, &c. vt ad Episcopatum promoueatur, si reverà tam peritus, & doctus non sit, quàm censetur?

Respondeo dicendum, quod si talis omninò illiteratus sit, minimè possit ad Episcopatum promoueri; & si de facto promoueretur, ab Episcopatu deponendus esset, quemadmodum depositus fuit Episcopus Calinens. ab Honorio III. de quo *in cap. fin. de ætate, & qualit.* Verum est, quod si ex longo vsu, & rerum experientia, sciret rectè exercere omnia ad Episcopatum necessaria; & si charitatis perfectio scientiæ defectum suppleat, posset tolerari, vt rectè docet Barbosa *loco cit. n. 25.* & penes ipsum Hoieda *de incomp. benef. 1. p. cap. 24. num. 32.* & Maiol. *de irregularit. cap. 32. n. 4. & 10.* Lege me ipsum *part. 5. tract. 2. à quæst. 1.* & Azorium *cap. 28. cit. quæst. 11.*

QVÆSTIO XVII.

An promouendus ad Episcopatum, debeat de sua scientia examinari, etiamsi Doctoratus, aut Licentiati gradum obtinuerit?

Respondeo quod sic, quia sic decreuit Clemens VIII. nempe, quod ad Episcopatus munus euehendi in Italia examinentur in Vrbe coram Sanctissimo, & Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium, aliorumque grauium, & peritorum virorum; in Hispania verò, & in Gallia, coram S. R. E. Cardinal. Legatis, ibi existentibus. Et Legatis deficientibus, coram S. Sedis Apostolicæ Nunciis, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, de speciali Papæ mandato, assistentibus aliis Prælatis, ac peritis viris, à quibus approbati, & non aliàs, ad Ecclesiæ regimina admittantur. Sic apud Barbosam *loco cit.* refert Franc. Leo *in Thesauro Fori.*

QVÆSTIO XVIII.

An in assecutione Episcopatus, Canonista sit Theologo præferendus?

Affirmat doctus Canonista Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. n. 30.* docens, Canonistam esse Theologo præferendum, dummodo sit doctus, & prudens, & habeat quandam Theologiæ peritiam, præcipuè vbi hæreses non pullulant: citatque pro se Henriquez *in sum. lib. 10. c. 33. §. 2. in comm. lit. E.* Azorium *part. 2. lib. 3. c. 28. q. 10.* Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 11 art. 4.* Bobadillam *in politica lib. 1. c. 6. n. 14.* & alios. Sed certè ex his Azor loco à Barbosa citato oppositum docet, vt mox videbimus.

Igitur Theologi (verba sunt Azorij *loco cit.*) vt Caiet. *2. 2. q. 18. art. 3.* Maior *in 4. q. 24. q. 10.* Sotus *lib. 4. de iust. q. 6. art. 2.* Iuniores, vt Salon *2. 2. q. 63. art. 2. controuer. 2.* simpliciter Theologiæ gnarum Iurisconsulto anteponunt, eo quod Episcopi munus sit diuini Verbi annũciatione populum pascere suę curæ commissum; & ex Apostolo definit Concil. Tridentinum *sess. 5. c. 11. & sess. 24. c. 4.* Profectò in ea Synodo *sess. 22. cap. 3.* cùm dicitur, eligendum in Episcopum, Doctorem, seu Licentiatũ esse debere, sic dicitur: *In sacra Theologia, aut in iure canonico.* Vbi priore loco, sacræ Theologiæ cognitio & scientia memoratur; ergo is videtur esse simpliciter præponendus, si paria sint cætera. Et certè argumentum magnum sumitur, quidquid dicant Hostiens. & Panormitanus *in cap. in causis, de elect. & cap super specula, de Magist.* Hæc omnia Azor. Non igitur est pro sententia Barbosæ.

Alij media via incedentes, dicunt, Theologum esse Iurisconsulto digniorem, vbi sunt hæretici conuincendi, refutandæ hæreses, dogmata fidei confirmanda, annunciandum, & promulgandum Christi Euangelium, &c. vbi verò nulli sunt hæretici, nulli Pagani, præferendum esse iuris Pontificij Consultum; quia ad lites, & causas, ad dissidia, ad negotia, quæ inter Catholicos agitantur, aptior est, & vtilior iuris Canonici scientia. Ita tenent Hostiens. & Panormit. & alij *in cap. 1. de consanguin.*

Sed licèt omnes hi Doctores rectè sentiant, tamen rectiùs loquuntur Authores secundæ sententiæ, dicendo, quod cæteris paribus, præferendi sunt omninò Theologi.

QVÆSTIO XIX.

An Episcopatus sit prima dignitas post Papatum, ac proinde maior Cardinalitia dignitate?

Affirmant Mauritius Alzedo *in sua praxi Episcopali part. 1. c. 8. n. 33.* Mouetur, tum quia in Ecclesia nullus est maior Episcopali Ordine, vt habetur *in c. quoties 1. q. 8. & in cap. antiqua, de priuileg.* Tum quia in Concil. Carthagin. IV. & in Conciliis Romanis, Episcopi præcedebant Cardinales in Sede Concilij: at sic est, quod ex ordine sedendi maior dignitas dignoscitur, iuxta textum *in cap. vltimo, dist. 93.*

Sed vt mihi certum respondeo dicendum, quod licèt verum sit, quod dignitas Episcopatus sit maior Ordine, quàm dignitas Cardinalatus, non tamen sit maior potestate, sed inferior. Nam Cardinales sunt speciali modo membra Summi Pontificis, & speciales Filij Ecclesiæ Catholicæ, *c. fœlicis, §. 1. de pœnit. in 6.* & cum ipso Summo Pontifice vnum corpus mysticum conficiunt. Igitur, sicut Presbyter Ordinis potestate est Archidiano Superior; iurisdictione tamen, administratione, & honoris dignitate solet esse inferior; ita etiam Cardinalis est Episcopo administratione Superior, inferior verò Ordinis potestate. Sic Vazquez *tom. 3. in 3. p. disp. 262. c. 5.* Bellarin *tom. 1. lib. 1. de Cleric. c. 16. §. quantum ad 3.* Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 10. n. 8.* & alij quamplures, quos refert, & sequitur Diana *part. 5. tract. 2. resol. 1.*

Qui ad primum argumentum in contrarium respondet, Canones prædictos intelligendos esse quoad potestatem ordinis, in qua Episcopus est maior Cardinali; non autem quoad dignitatem, iurisdictionem, & regimen Ecclesiæ vniuersalis; quam Cardinales cum Summo Pontifice regunt.

Ad secundum respondet, verum esse olim Episcopos præcessisse Cardinales in Conciliis, tamen ordinem hunc fuisse mutatum, Cardinalesque cœpisse præcedere Episcopos, etiam in Sede Concilij, vt constat ex Conciliis Niceno, Ephesino, Chalcedonensi VI. VII. & VIII. Synodo Generali, vbi Presbyteri Cardinales sederunt ante Episcopos. Sic Diana. Legatur Bellarmin. *loco cit.* qui huius mutationis optimam rationem affert: & Zerola mox citandus *vers.* 15. vbi ait, quod Episcopi vsque ad Clement. V. & Ioan. XXII. erant in dignitate super Cardinales; hodie tamen digniores sint Cardinales.

QVÆSTIO XX.

An Episcopus, idemque simul Canonicus in aliqua Ecclesia, debeat sedere vt Episcopus in primo loco?

RESpondeo dicendum, quod si est Canonicus, & Episcopus simul in sua Ecclesia, tunc sedere debet vt Episcopus in primo loco; secus verò si est in aliqua Ecclesia non sua; nam tunc, non vt Episcopus, sed vt Canonicus debet sedere, vt nunc sedet in hac Magistrali Ecclesia Complutensi Doctissimus, & Illustrissimus Dominus D. Michaël Perez, Episcopus de Arcadia, & Canonicus dictæ Ecclesiæ. Sic docent Glossa *in cap. à collatione, verb. Prælatus, de appellat. in* 6. Capyc. *decis.* 27. *num.* 26. Vinc. Franc. *decis.* 138. *n.* 5. Caputaquens. *decis.* 307. *part.* 1. quos refert, & sequitur Thomas Zerola *in praxi Episcopali* 1. *p. verb. Episcopus, vers. septimò.*

DISPVTATIO II.

De Episcoporum electione.

QVÆSTIO PRIMA.

An ius eligendi Episcopos fuerit penes Apostolos?

RESPONDEO vt quid certissimum, fuisse. Constat enim ex iure, *cap. quorum vices, dist.* 68. Apostolos auctoritate à Christo Domino accepta in sui locum Episcopos elegisse, & creasse. Sic omnes docent, præcipuè Petr. Gregor. *syntagm. iuris part.* 2. *lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 7. Barbosa *de potest. Episcopi* 1. *p. tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. omninò ex Azorio, quem non citat, *cap.* 28. *citato, q.* 5. Machadò *tom.* 2. *sum. lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 1. *docum.* 4.

QVÆSTIO II.

An item ius eligendi alios Episcopos, fuerit etiam penes illos Episcopos, quos creauerunt Apostoli?

RESpondeo vt quid certum, quod non; quia certum est, quod primis illis Episcopis, quos creauerunt Apostoli, vita functis, totum ius eligendi, & creandi Episcopos ad Romanum Pontificem pertinuit, tanquam ad successorem D. Petri, cui data est à Christo Domino summa potestas in totam Ecclesiam, prout dicitur *in cap. omnes, dist.* 22. *Omnes, siue Patriarchæ cuiuslibet apicem, siue Metropolim Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum, siue cuiuslibet Ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia.* Sic ibi, & sic Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28, *q.* 3. & omninò ex illo non citato, Barbosa *loco cit. num.* 2. & Machado *num.* 1. *citato*, Diana *part.* 10. *tract.* 1. *resol.* 1.

QVÆSTIO III.

An varij fuerint modi creandi in Ecclesia Episcopos?

RESpondeo vt certum, quod varij. Nam primò post Apostolos primis illis Ecclesiæ temporibus, scientibus, & non repugnantibus Romanis Pontificibus, Clerici cuiusque Ecclesiæ Cathedralis in vnum simul conuenientes, vnum quemdam in Episcopum nominabant, designabant, & eligebant; constat *ex cap. Adrianus, cap. non est, cap. non licet, dist.* 36. & *cap. si deinceps* 16. *quæst.* 7.

Posteà non solùm Clerici, sed Clerus simul cum populo nominabant, designabant, & eligebant, & offerebant, *cap. factus est* 7. *q.* 1. *cap. plebs, cap. nosse, cap. Episcopus, cap. literas, dist.* 63.

Deinde, hoc more in melius reformato, constitutum fuit, vt Clerus eligeret, populus verò consentiret, *cap. nosce, dist.* 63. Rursus aliquando etiam populus petebat, & postulabat Episcopum, Clerus verò eligebat, *cap. nulla, dist.* 62. Aliquando etiam & ipse populus, non solùm petebat, sed etiam nominabat Episcopum, Clerus verò eligebat, *cap. nulla, citato.* Aliquando etiam Episcopus sibi adiutorem adsciuit, quem posteà successorem nominauit, vel morti vicinus in sui locum successurum designauit, *cap. Sanctus Petrus* 8. *q.* 1. vt S. Augustinus *epist.* 110. Aliquando Clerici eligebant, populus verò nominabat, & Principis requirebatur assensus, *cap. quia igitur, cap. quantò, cap. principalis, cap. Reatina, cap. vobis, cap. lectis, dist.* 63. Tandem nouè electio Episcoporum ad Canonicorum Collegium redacta, & deuoluta fuit, *cap. Congregatio, vlt.* 16. *q.* 7. *cap. cùm Ecclesia, de causa possess. & propriet.* De quibus modis eligendi tractant Azor *q.* 3. *cit.* Barbosa *cap.* 3. *cit.* vbi *n.* 27. notat consuetudinem eligendi Episcopos, ad Canonicorum collegium spectantem, durasse vsque ad tempora bonifacij VIII. & Clementis V. vt constat ex titulis *de elect. in* 6. & in Clementinis. Quia ex tunc ad tollendas magnas discordias, quæ ex electionibus à Capitulo, & Canonicis factis oriebantur, Romanus Pontifex sibi electiones Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum reseruauit *in extrauagant. Ad regimen, de præbend.* Lege Dianam *part.* 10. *tract.* 1. *resol.* 2. 3. 4. & 5. qui latè agit de hac re.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An Hispaniarum Reges indultum habeant à Romano Pontifice, nominandi, eligendi, & præsentandi Episcopos?

NEgandum videtur; quia Ecclesia iustissimè priuilegium concessum laicis, & Principibus eligendi Episcopos, abrogauit, vt constat ex iure, *cap. Adrianus, dist. 63.* ergo & concessum Hispaniarum Regibus abrogatum manet.

Sed tanquam quid certum respondeo primò: optimè potest Pontifex concedere, seu permittere alicui Imperatori, Regi, vel Principi, vt eligat Episcopos, eosque nominet ad Ecclesias Cathedrales. Constat, tum ex nuper dictis. Tum etiam, quia ipsa Romana Ecclesia aliquando dedit potestatem aliquibus eligendi, & nominandi Episcopos, imò & Romanum Pontificem, vt de Adriano Pontifice constat, qui Carolo Magno hoc priuilegium indulsit, remunerationis ergò, ob insignia beneficia ab eo in Sedem Apostolicam prolata, quæ referuntur *in cap. Adrianus, dist. 63. & in cap. hinc est 16. quæst. 1.* Idem ius habuit Pipinus Primus, ex concessione Zachariæ Summi Pontificis, & alij idem ius habuerunt, vt refert Barbosa *de potestate Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 3. num. 6. & 7.*

Respondeo secundò etiam vt certum: Reges Hispaniæ de facto, ex concessione Apostolica, habent ius Episcopos nominandi, designandi, eligendi, & offerendi Romano Pontifici, vt eos in Ecclesia instituat. Sic habetur *in cap. cùm longè, dist. 63.* ibi: *Quoscumque Regalis potestas elegerit.* Idemque ius habent Reges Galliæ, & Poloniæ. Sic omnes, Azor *p. 2. lib. 3. cap. 28. quæst. 3.* Barbosa *loco cit. num. 8. 30. & sequentib.* vbi ad rationem dubitandi respondet in illa generali derogatione non contineri, sed potiùs exceptum censeri ius nominandi, & eligendi super Cathedralibus, competens Imperatoribus, Regibus, & aliis Principibus. Sic etiam Machado *lib. 4. part. 6. docum. 4. num. 2.* Addens *n. 3. Que de este derecho gozan sin contradicion alguna Nuestros Catolicos Reyes (que Dios guarde) en España, Italia, y todas las Indias, y demas tierras, que nueuamente ganaren por derecho de patronasgo; como consta expressamente por los Priuilegios de Sixto IV. y Adriano VI. De donde es que el Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de Reformat. ninguna cosa inouò en esta potestad, y derecho de presentacion, que los dichos Reyes gozan: solamente les amonesta, y pide, que para los Obispados presenten personas tales, como conuienen para Pastores de la Iglesia, posponiendo todo afecto humano, y poniendo los ojos en el bien, y vtilidad de la Iglesia.* Hæc ille. Lege Stephanum Bauny *tom. de sacramentis, tract. 8. de Episcopis*, præcipuè q. 8. & Dianam *part. 10. tract. 1. resol. 7.*

QVÆSTIO V.

An sit aliqua differentia inter electionem factam à Rege, & collationem Episcopatus factam à Papa?

REspondeo, esse differentiam, & magnam. Nam electio, seu nominatio (ait Bauny *loco cit.*) ius tantùm ad rem tribuit, non tamen censetur Episcopus, cùm sine confirmatione Pontificis administrare nequeat, *c. 7. de consuetud. & c. nosti de electione*, nec beneficia conferre, quæ sunt Episcoporum propria munera: & administrans ante confirmationem, est ipso iure priuatus, *cap. auaritiæ, de elect. in 6.* At Papæ collatio ius in re, & ad rem tribuit, ac à se nominatum illicò facit Episcopum. Causa est, quod dominium rei donatæ à donante illicò transeat in donatarium, cùm ille transferre potest validè, & reverà transfert voluntariè: sed Papa beneficium hoc ipso tribuit Clerico, quem sibi gratum est, huic illum esse præpositum, & de facto præponit; ergo. Verum tamen est, ita prouisum de Episcopatu non posse illum capessere, nisi obtentis literis à sua Sanctitate, alioqui non facit fructus suos. Si autem quis sine literis Pontificiis Episcopatum recipiat, & in possessionem mittat, in pœnam temeritatis suspensus manet ab omnibus suis beneficiis, suspensione soli Pontifici reseruata per extrauagant. *iniunctæ*, quæ est inter communes; & aliam Iulij III. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater.* Hæc Bauny *loco cit. q. 8. fine.*

QVÆSTIO VI.

An Episcoporum institutio, & successio perpetua in Ecclesia fuerit iure diuino, nempe à Christo Domino instituta?

REspondeo vt quid certum, quod sic. Sic docent sacri Doctores, docentes hanc veritatem, tum ex verbis eiusdem Christi, dicentis *Matth. 28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Tum ex Apostolo Paulo *ad Ephes. 4.* dum ait loquendo de ipso Christo Domino: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, &c.* Tum ex textu *in c. quodcumque 24. q. 1.* vbi dicitur, quod quando Petrus Claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, quia scilicet, non tantùm pro se, sed etiam pro omnibus successoribus vsque ad finem sæculi duratura est Ecclesia. Sic ibi, & sic omnes. Legantur Barbosa *de potest. Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 1. à num. 6.* & Diana *part. 10. tract. 1. resol. 1.*

QVÆSTIO VII.

An item ex iure diuino prouisio omnium Ecclesiarum ad Summum Pontificem pertineat?

NEgant heretici nostri temporis, falsò existimantes, electionem Episcoporum ad populum iure diuino pertinere?

Sed vt quid certissimum respondeo dicendum, quod ex lege diuina, ex Christi Domini institutione, prouisio omnium Ecclesiarum ad Summum Pontificem, velut Ecclesiæ Caput, pertineat; ad Principes verò, Reges, aut populum, aliquando ex Pontificis priuilegio, aut permissione. Constat hæc veritas, tum ex nuper dictis, tum *ex cap. 1. dist. 22.* tum ex consensu omnium Doctorum, vt testatur Azor *c. 28. cit. q. 4.* his verbis: Constans, & vera est omnium Catholicorum sententia, ius eligendi Episcoporum, nequaquam esse à Christo Domino plebi datum; liberum tamen Ecclesiæ reliquisse, vt ipsa quod magis expedire iudicaret, in hac parte decerneret. Sic ille. Legantur Barbosa *p. 1. cit. tit. 1. cap. 3. num. 35.* & Diana *part. 10. tract. 1. per totum.*

QVÆSTIO VIII.

An iure diuino prohibeatur Episcopus, ne successorem nominet, designet, vel eligat?

NEgant aliqui Doctores, existimantes non pugnare eum lege diuina, vt singuli Episcopi sibi eligant, & nominent successorem; & sic eum eligere posset, nisi à lege Ecclesiastica aliter esset prouisum. Ita docent Ledesma *in 2. 4. q. 20. art. 4. concl. 2. 3. & 4.* & Azor *part. 2. lib. 3. cap. 28. q. 5.* ibi: Certè nihil de hac re, iure diuino legimus constitutum; imò historiæ prodiderunt, Petrum Apostolum sibi Clementem Romanum in successorem delegisse, *cap. si Petrus 8. q. 1.* & Valerius Episcopus Hipponensis Augustinum successorem suum nominauit *epist.* 110. apud eundem Augustinum: ex qua etiam constat, Seuerum Episcopum Mileuitanum designasse sibi successorem; quod certè tanti viri non fecissent, si iure diuino id facere prohibiti fuissent. Hæc Azor.

In hac quæstione, cum communi omnium Doctorum, respondeo primò, esse iure Canonico, seu lege Ecclesiastica decretum, ne Episcopus successorem eligat, vel instituat. Sic enim deciditur in textu *in cap. Episcopo 1. & 2.* & *cap. plerique, cap. Moses, cap. Apostolica 8. q. 1.* Noluit enim Ecclesia, vt dignitates Ecclesiasticæ in morem ciuilium successione transmitterentur. Sic omnes.

Respondeo secundò, vt mihi certum, dicendum, quod Episcopi, non solùm iure Ecclesiastico, vt vidimus, verùm etiam iure diuino, prohibeantur, ne nominent, designent, vel eligant successores. Quia mihi certum est, quod secundùm ius diuinum, potestas eligendi Episcopos solùm ad summum Pontificem pertineat, vel ad illos tantùm, quibus ipse Pontifex concesserit, vel permiserit, vt habitum est suprà. Sic Barbosa *de potest. Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 3. num.* 40.

Qui ad argumenta Azorij sic respondet. Ad primum enim negat, nullam legem diuinam reperiri, quæ Episcopis prohibeat successorem designare. Nam constat lege diuina potestatem creandi Episcopos ad solum Pontificem immediatè pertinere, vel ad eos, quibus concesserit, vt suprà est habitum.

Ad factum B. Valerij respondent aliqui, ex concessione Romani Pontificis factum fuisse. Sed meliùs respondent alij, neque Valerium, neque Seuerum sibi solos successores elegisse, sed potiùs Clero, & populo proposuisse personas, quas tanto munere dignas iudicabant, & Clerum, & populum per acclamationem consensisse, & eo modo elegisse, iuxta formam illis temporibus ab ipso Pontifice permissam, vt colligitur *ex cap. Episcopo 1. & 2. 8. q. 1.* Sic Barbosa *loco cit.* lege Azorium *loco cit. q. 5.* vbi docet, quod saltem Pontificis auctoritate fieri potest, vt Episcopus successorem eligat, quia tunc (ait) non propria, sed Romani Pontificis auctoritate Episcopus id facit; ac, vt constat *ex cap. petisti. 7. q. 1.* id concessit Zacharias Bonifacio Episcopo Moguntino. Sic ille.

QVÆSTIO IX.

An saltem Summus Pontifex in extremis constitutus possit assignare, & eligere sibi successorem?

AFfirmant à fortiori Ledesma, & Azor citati, ducti ex facto D. Petri, qui Clementem sibi successorem designauit, vt refertur *in cap. si Petrus 8. quæst. 1.* & clarè id affirmant Vasquez *tom. 3. in 3. p. disp. 244. cap. 3. num. 26.* Victoria *in relectione 11. de potest. Eccles. q. 2.* Andr. Duuall. *de potest. Pontificis part. 3. q. 6.* & Bonac. *tract. de elect. Pontif. q. 6. punct. 4. propos. 2.* & alij.

Sed omninò respondeo, non posse; quia ipsa naturalis ratio dictat, ne Romanus Pontifex successorem eligat, cùm illa dictet, innumera penè mala in Ecclesia oritura. Sic tenet Azor *tom. 2. lib. 4. cap. 5. quæst. 3.* vbi docet quod quamvis oppositum non sit interdictum iure diuino; bene tamen iure canonico, & naturali. Sic item tenent absolutè Cardinales Iacobatius, Albanus, Turrecremata, & Caietanus. Item Candidus, Comitolus, Luys. Turrian. & alij plures, quos refert, & sequitur Diana *part. 10. tract. 5. per totum.* vbi latè, & doctè id probat. Nec obstat factum D. Petri, quia ex illo non desumitur efficax argumentum pro suis successoribus. Tum, quia D. Petrus à Christo Domino ita instructus erat, & Spiritu sancto plenus, vt in electione S. Clementis minimè falli potuerit; non autem certum est, omnes alios Petri successores, tales futuros; vnde de D. Petro ad alios non rectè infertur. Tum, & præcipuè, quia de ipsa historia, quæ refertur *in d. cap. si Petrus, cum sequen.* Constat, D. Petrum elegisse Clementem, non solum, sed in præsentia totius Ecclesiæ, & ita de consensu Cleri, atque plebis. Tum denique, quia Clemens ipse cernens exemplum hoc perniciosum fore, vt ostenderet Pontificem non debere sibi successorem eligere, Papatui renunciauit, Petroque immediatè successit Linus, & deinde Cletus, & post ipsos Clemens. Notauit Glossa *in d. c. si Petrus*, & Cardin. Turrecremata *ibi*, & *de potestate Ecclesiæ lib. 2. cap. 51.* Cardin. Iacobat. *de Conciliis lib. 10. art. 7. ad 11. argum.* & Ioan. Driedonius *de libert. lib. 1. cap. 3.* quos omnes sic refert, & sequitur Barbosa *loco citato, num. 43.*

QVÆSTIO X.

An item repugnet cum iure naturali, vt Episcopus successorem eligat?

REspondeo, repugnare aliqua ex parte, si id propria auctoritate faciat, secus si auctoritate Pontificis; quia ex tali modo eligendi successorem multa certè mala pullularent, vt ipsa per se nos docet experientia; ac propterea nunquam id fieri Ecclesia permittit, sed potiùs prohibuit in antiquissimo illo Concilio Antiocheno, celebrato circa annum Domini CCLXIV. quod sufficit ad probandum cum ipsa rei natura, aliqua ex parte pugnare. Sic Azor *part. 2. lib. 3. cap. 28. q. 5.* & *lib. 4. cap. 5. quæst. 3.* citata suprà.

QVÆSTIO XI.

An Reges Hispaniarum teneantur ad Episcopatus nominare, & eligere digniores?

NEgant aliqui, docentes, quod Pontifex, aut Reges, qui ius habent eligendi ad Episcopatus, aut alia beneficia per prouisionem liberam, non teneantur eligere digniores, sed sufficiat illis, si dignos eligant. Ita docet Regiuald. *tom.2.lib.30. tract.3.cap.14.num.*197.vbi ita ait: Qui ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Papa, aut nonnunquam Princeps ex priuilegio, vel consensu tacito Ecclesiæ, non tenentur eligere digniores, nisi in promptu sint, sed sufficit eligere dignos; alioquin enim semper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, vel à Regibus exigere durum est. Hæc Reginaldus, quem citat & sequitur Diana 1.*p. tract.*1. *Miscellan. resol.* 40. quos citat, & sequitur Trullench *tom.2. in Decal. lib.7. cap.*11. *dub.*8. *n.*4. dicens, hanc sententiam esse valde probabilem, & tutam in praxi. Et hos omnes citatos sequitur Machado *tom. 2. lib.6. part.*1. *tract.* 1. *docum.*18. *num.*4. per hæc verba: *Si el Rey que presenta los Obispos, està obligado à presentar al mas digno que hallare à mano, ò cumpla con elegir persona digna, es controuerso entre los Doctores. La mas comun, y recibida opinion es, que cumple el Rey con presentar persona digna, y que no està obligado à buscar el mas digno; porque fuera cosa dura, si el Papa, y Rey, que tienen libre eleccion en los Opispados, se hallassen obligados à buscar siempre al mas digno.* Ita Machado, sed malè in hoc, quod ait, hanc sententiam, communiorem esse, magisque receptam.

Igitur longè multò probabilius, & certiùs respondeo, teneri Reges Hispaniarum (& alios, qui idem ius habent) sub pœna peccati mortalis eligere digniores ex iis, quos in promptu habent. Sic loquendo in specie de nostra quæstione, tenet Lessius *lib.2. cap.*34. *dubit.*14. *num.*64. qui id rectè probat ex Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*1. *de reformat.* vbi sic dicitur: *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocumque ius habent, mortaliter peccant, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi indicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus: sed ex eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Hæc Concilium, vbi expressè loquitur Concilium de electione Episcoporum, vt benè aduertit idem Lessius: ergo clarissimè ex Concilio nostra conclusio patet; & ideò præter Lessium illam docent Alex. de Ales *part.*2. *q.*136.*§.*2. Nauarra *lib.*2. *de restitut.cap.*2. *num.*146. & 147. Aragonius, Salonius, Sotus, Nauarrus, Gabriel, & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.2. consil. cap.*1. *dub.*3. *num.* 20. Ledesma, Gutierrez, & Garcia, quos affert, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.*1. *miscell. cit. resol.*38. *versu quarta opinio:* & Lugo *tom.2. de iust. disp.*25. *sect.*2. *num.*10. quem posteà sequutus est absolutè Diana *part.* 8. *tract.*7. *resol.*83. vbi post allatam sententiam Reginaldi, Ægidij Trullench, & Ioannis Machadi, imò, & suam, in fine addit hæc verba: Sed vt verum fatear, non videtur discedendũ à sententiâ Cardinalis Lugo, quia ferè semper digniores in promptu haberi, & cognosci possunt; sic ille. Tenet etiam Barbosa *de potest. Episcopi part.*1. *tit.*1. *cap.*3. *n.*34. ibi: Et sic Rex noster sub peccati mortalis pœna nominare tenetur ad Episcopatus non dignum, sed digniorem ex propositis à Consiliariis suis; vel saltem perquirere tenetur à suo confessario, & ab aliis piis & eruditis viris, quis sit dignior, vt fecisse Philippum II. compertum est. Ita Fr. Emmanuel *in sum. tom.*4. *cap.*5. *de los Obispos, num.*26. Mauritius Alzedo *de præcellent. Episcop. dignit. cap.*3. *num.*13. & 14. *part.*1. Hæc omnia Barbosa.

Tenent item hanc nostram sententiam omnes illi Doctores, qui affirmant generaliter esse obligationem sub peccato mortali, eligendi digniores ad beneficia Ecclesiastica, exceptis aliquibus casibus: Sic enim docent S. Thom. 2.2. *q.*63. *art.*2. & *q.*185. *art.*3. Caiet. Anton. Palac. Armilla, Tabiena, Angles, Siluest. Nauarrus, Salonius, Nauarra, Couarru. & alij plures, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.2. opusculor. cap.*1. *dub.*3. *n.*16. Vasquez (dicens esse communem omnium, præter aliquos Iuristas) *opusc. de benefic. cap.* 2. *§.* 3. *dub.*1. Luys. Turrian. *disp.*22. *dub.*1. & 5. Filliuc. *in appendice tract.*41. *cap.*4. *num.*177. Castro Palao *tom.2. tract.* 13. *disp.*2. *punct.* 11. *num.*5. & 8. & alij innumeri.

DISPVTATIO III.

De Confirmatione Episcoporum.

QVÆSTIO PRIMA.

An electus Episcopus debeat confirmari?

RESPONDEO dicendum, quòd debeat confirmari quicumque ab alio, quàm à summo Pontifice electus in Episcopum fuerit, vt constat *ex capite postquam, cap. nihil est, de elect.* Hanc autem confirmationem olim, non solùm Romanus Pontifex faciebat, verùm etiam Patriarcha, vel Metropolitanus, vt constat ex iure *cap. cùm dilectus, de elect. cap. quoniam, dist.* 100. & *alibi.* Sic omnes, præcipuè Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 29. *q.*1. vbi ita ait: Respondeo veterem morem fuisse, vt Episcopus à Clero, & populo eligeretur, vel vt à Clero eligeretur, & nominaretur à populo, qui deinde Episcopus, Archiepiscopi, siue Metropolitani, aut Primatis, siue Patriarchæ auctoritate confirmaretur, *cap. plebs, cap. nosse, cap. Episcopus, cap. literas, dist.*63. Sic ille, & Barbosa *de potest. Episcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. *numero* 5. vbi ait, quod olim in Hispaniæ partibus confirmatio huiusmodi per Archiepiscopum Toletanum fieri solebat. Lege illum *loco cit.* vbi alios refert Authores.

QVÆSTIO II.

An nunc iam ad solum Papam pertineat Episcopos ab alio, quàm ab ipso electos confirmare?

RESpondeo vt certum, quod sic, quià iam Summi Pontifices sibi reseruarunt ius conferendi, & confirmandi Episcopatus. Constat ex forma iuris Pontificij, & ex Regula 2. aliàs 3. Cancellariæ, quæ Sedi Apostolicæ reseruat prouisionem omnium Cathedralium, vt latè explicat Azor *q.1. cit. vers. at posteà*, & ex illo Barbosa *loco cit.n.6.*Machado *tom.2.sum.lib.4 part.6. tract.1. docum.5.* vbi totam doctrinam superiùs traditam his verbis comprehendit: *Despues de electo el Obispo, necessariamente se seguia la confirmacion del Pontifice, y segun derecho, cap. quàm sit, de elect. in 6. el estaua obligado à pedirla dentro de tres meses, losquales passados, sin hauerla pedido, perdia el derecho que hauia adquirido al Obispado mediante la eleccion. Però en estos tiempos cessa esto, porque, como hemos dicho, los Romanos Pontifices eligen los Obispos; y quando los Catholicos Reyes de España presentan à su Santidad, el mismo le elije, y confirma.* Sic Machado.

QVÆSTIO III.

An collatio facta à summo Pontifice ad Episcopatum, habeat vim electionis, nominationis, & confirmationis?

REspondeo vt certum, hæc omnia habere, & continere. Sic Abbas *cap. inter corporalia, de translat.* quem citat, & sequitur Azor *part.2.lib.3. cap.29.q.6.* vbi ita ait: Respondeo cum Abbate (*loco cit.*) collationem, qua Romanus Pontifex Episcopum creat, sine electione à Collegio Canonicorum, aut designatione, siue præsentatione facta à Patrono, habere vim electionis, nominationis, designationis, præsentationis, institutionis, & confirmationis. Ac proinde idem iuris, quod habet Episcopus per electionem confirmatus, aut post nominationem, & designationem canonicè institutus, habet etiam is, qui per collationem à Romano Pontifice ad dignitatem Pontificiam promouetur. Sic Azor, & sic etiam Barbosa *loco cit. num.*8.

QVÆSTIO IV.

An Episcopus electus, & confirmatus à Papa, possit ea, quæ sunt iurisdictionis exercere, antequam obtineat literas Apostolicas?

NEgant olim Archidiacon. Dynus, & Anchæran. quos citat, & sequitur Abbas *in cap. transmissam, de electión.* asserentes, non posse Episcopum exequi, quæ sunt iurisdictionis, nisi post possessionem consequutam: at hanc nequit Episcopus capere, nisi post obtentas literas Apostolicas: ergo.

Affirmarunt verò contrà Innocent. Hostiens. & Ioan. Andr. apud ipsum Abbatem, eo quod iure antiquo non requirebatur possessio; sed sat erat electio, & confirmatio ad plenam administrandi potestatem.

Sed iam vt certum respondeo quod attento iure nouo, quod habetur in extrauaganti *iniuncta, de elect. inter extrauagantes communes*, nequeat Episcopus ea, quæ sunt iurisdictionis exercere, antequam obtineat literas Apostolicas, sine quibus neque admitti, & recipi tanquam Episcopus, nec possessionem Ecclesiæ sibi collatæ consequi potest, quia *in d. Extrauag.* id expressè cauetur. Sic iam omnes, præcipuè Azor *part.2. lib.3.cap.29.quæst.9.* Barbosa *de potest. Episcopi part.1. tit.1. cap.4. n.9.* vbi citat alium Barbosam *in l. diuortio, in princip. part.2. num.5o. ff. solut. matrim.* Flamin. *de resignat. lib.8. q.5.num.33.* Azor *loco cit.* & Azeuedum *consil.14.* præcipuè *num.13.* vbi resoluit, collationes ante litterarum receptionem nullas esse, & in prouisione Episcopatuum Hispaniæ refert, quod Rex nominationem à se factam mittit Papæ, & ipse Papa confirmat, & nominatio, & confirmatio ipsi Regi, & eius consilio mittitur, & ibidem prouisus se præsentat, fidelitatemque præstat Regi, & Regno, & recipit litteras, & non ante, quas cum mandato Regio præsentat in Capitulo suæ Ecclesiæ, & possessionem capit per se, vel per alium suo nomine: aliter enim Capitulum illum non reciperet ad administrandum, & conferendum beneficia. Sic ille. Machado etiam *docum.5. cit num.2.* vbi addit, *Que no es necessario segun derecho (cap. transmissa, cap. nosti, cap. qualiter, de electión,) para adquirir la possession, estar ya consagrado, y por consiguiente puede exercitar todos los actos que son proprios de jurisdicion; esto es descomulgar, censurar, corregir, visitar, dar beneficios, dispensar en los votos, juramentos, irregularidades, y demas casos permitidos por derecho.* Hæc ille, & Nos alibi.

QVÆSTIO V.

An Episcopus electus, & confirmatus, nondum tamen consecratus, possit Episcopo consecrato delegare, & committere ea quæ sunt Ordinis?

NEgandum videtur ex regula iuris, *cap. pro suo, in 6.* vbi dicitur, *quod nostro nomine non licet, nec alieno licebit.* Et, *qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* At sic est, quod Episcopus ante suam consecrationem, nequit ea quæ sunt Ordinis per se obire, & exequi: ergo neque per alium.

Sed vt certum respondeo posse ea committere. Vnde quamuis dictus Episcopus non possit suos Clericos ad sacros Ordines promouere, potest tamen alteri Episcopo committere, vt eis sacros Ordines conferat. Nec obstant Regulæ iuris in contra adductæ, nam hîc non habent locum; quia cùm Episcopus non consecratus committit Episcopo consecrato, vt suæ ditionis, & subiectionis hominibus Ordines conferat, nequaquam dat illi potestatem Ordinis, cùm ipse illam habeat; sed solùm per illam commissionem habet liberam facultatem Clericos alienos ordinandi, quos ante ordinare iure non poterat. Sic Azor *p.2. lib.3. cap. 29. q. 7.* ex Abbate *in cap. Suffraganeis, de elect. in 6. & ex cap. cùm ex illo, de translat. Episcop.*

Episcop. num. 10. Machado *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 1. *docum.* 5. dicens esse sententiam communem.

QVÆSTIO VI.

An auctoritate Pontificis Romani possint creari duo Episcopi in eadem ciuitate, iurisdictione, & potestate æquales?

NEgandum videtur. Primò, quia vnius sponsæ duo sponsi viri esse non possunt. Secundò, quia totius Ecclesiæ Catholicæ nequit esse nisi vnus Summus Pastor: ergo & vnius Ciuitatis vnus solus Episcopus, alioqui, erunt eiusdem ciuitatis duo capita, quod est monstrum: ergo.

Sed his non obstantibus, Abbas *in cap. quoniam, de offic. Ordinarij, num.* 4. secutus Glossam *in cap. non autem* 7. *q.* 1. affirmat, id iusta de causa posse fieri. Nam Valerius Hipponensis Antistes, sibi S. Augustinum Episcopum asciuit, vt constat ex Epistola 110. eiusdem Augustini.

Sed clariùs omninò respondeo dicendum primò tanquam certum, quod attento iure canonico, minimè possint esse duo Episcopi æquè pares eiusdem ciuitatis, quamuis vnus possit esse alterius Vicarius, vel adiutor, vt in hoc benè Abbas *in cap.* 1. *de Parochiis.*

Respondeo secundò, etiam tanquam certum mihi, quod auctoritate, & potentiâ absoluta Summi Pontificis, validè possint creari duo Episcopi in eadem ciuitate, iurisdictione, & potestate æquales. Quia potestas Summi Pontificis, est iuris canonici auctoritate superior; ergo, cùm hoc non pugnet cum iure aliquo diuino, aut naturali, validè potest fieri à Pontifice.

Nec obstant obiecta. Nam ad primum respondetur, quod in hac parte non est idem iuris de coniugio corporali, ac de spirituali, quia loquendo de illo, de iure diuino, & naturali vxor nequit esse nisi vnius viri, & sponsi, vt diximus *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 18. *quæst.* 6. & *seqq.* at ius diuinum, vel naturale non pugnat, nec præcipit, vt vna ciuitas, vel Ecclesia vni tantum sit Episcopo subiecta.

Ad secundum dicendum, esse disparem rationem: nam vt Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ non præsit nisi vnus Christi Vicarius, est iuris diuini, & ideò humana potestate fieri non potest, vt Ecclesiæ Catholicæ sint duo Pastores, vt significauit idem Christus Dominus dum dixit: *Fiet vnum Ouile, & vnus Pastor.* At verò nec ius diuinum, nec naturale vetat duos esse eiusdem ciuitatis Episcopos subiectos potestati Romani Pontificis. Sic Azor *cap.* 29. *cit. q.* 13. ex Glossa, & aliis Authoribus.

QVÆSTIO VII.

An licitum sit Episcopis deseruire laicis Principibus, aut Ministris Regum?

REspondeo dicendum, quod non, quia id eis meritò vetat Concilium Trident. *de reformat. sess.* 25. *cap.* 17. his grauissimis verbis: *Non potest sancta Synodus non grauiter dolere, audiens, Episcopos aliquos sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare, qui cum Regum Ministris, Regulis, & Baronibus, in Ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerunt, & velut inferiores Ministri Altaris, nimis indignè, non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inseruiunt. Quare hæc, & similia detestans sancta Synodus; sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem, & grauitatem pertinentes, renouando, præcipit, vt ab huiusmodi in posterum Episcopi se abstineant, mandans eisdem, vt tam in Ecclesia, quàm foris, suum gradum & ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres, & Pastores esse meminerint: reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore, ac debita reuerentia prosequantur.* Hæc Concilium. Et sic Zerola *in praxi Episcopali, verb. Episcopus, vers. duodecimò.*

QVÆSTIO VIII.

An Episcopis, tam in Ecclesiis, quàm in omnibus actibus publicis, prima sedes debeatur?

REspondeo quod sic, quia sic cauetur in Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 6. his verbis: *Episcopis præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis, sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Sic Concilium, & sic *loco cit.* Zerola, addens, quod hoc fallit, cùm sedet vt Consiliarius Regis; quia tunc non præcedit alios Consiliarios. Sic ille, ex Vincentio de Franch. *decis.* 158. *n.* 5. Legantur circa hanc materiam, quæ dicuntur infrà *disp.* 5. *q.* 29.

DISPVTATIO IV.

De consecratione Episcoporum.

QVÆSTIO PRIMA.

An Episcopus electus, & confirmatus debeat intra tres menses à die electionis, vel confirmationis consecrari?

RESPONDEO vt quid certum, debere, nisi alioqui legitimum subsit impedimentum; sic enim colligitur ex Concilio Chalcedonensi *cap. quoniam quidam, dist.* 75. ex Pelagio Papa *cap. quoniam quidam,*

dam, dist. 100. Sic docent omnes Doctores. Legantur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.*5. *& part.*2. *allegat.* 2. *num.* 39. Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *quæst.* 1. & alij plures mox citandi.

QVÆSTIO II.

An illud trimestre tempus numerandum sit à die electionis?

AFfirmat absque vlla dubitatione Azor *q.* 1. *cit.* cuius sententia probari potest ex textu *in cap. Ordinationes, et* 1. §. *tempus, dist.*75. vbi præcipitur, ne consecratio vltra tres menses post electionem protrahatur: ergo à die electionis computandum est illud trimestre.

Sed probabiliùs respondeo, non esse computandum à die electionis, sed à die confirmationis, nisi aliàs negligens fuerit ad petendam confirmationem; quia tunc computandum est à die electionis. Sic expressè tenet Sanchez *lib.* 7. *opuscul. cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 13. per hæc verba: Hi autem tres menses, intra quos Episcopus consecrandus est, non sunt computandi à die electionis, sed à die confirmationis. Ratio est, quia ante confirmationem consecrari non potuit, & ideò tempus illud imputari non debet. Sic ille, qui citat pro hac parte Turrecrem. *in cap. quoniam, dist.* 100. *n.*2. & ibi Hugo, Angelum *verb. consecratio Episcopor. initio.* Tabienam *verb. confirmatio in communi.* Rosellam, *verb. confirmatio electorum, num.* 11. D. Anton. 3.*p. tit.* 14. *cap.* 16. §.16. & Siluestrum *verb consecratio* 1.*q.*3. vbi benè aduertit cum Raynerio, quod si Episcopus electus negligens fuit ad petendam confirmationem, tunc computandi erunt illi tres menses ab electione. Sic Sanchez, addens, quod illi tres menses intelligantur, nisi necessitas cogat ampliùs differre, vt colligitur *ex cap. quoniam, cit.* vt si impediatur ab hoste, aut ab infirmitate, &c. Sic etiam Barbosa *de potest. Episcopi part.*1. *tit.*1. *cap.*5. *& part.*2. *alleg.*1. *n.*40. vbi *num.*41. dicit, quod textus *in cap. ordinationes,* adductus pro sententia Azorij, intelligendus sit de electione confirmata, aut de electione Papæ, cuius prouisio, electionis, & confirmationis locum habet, vt suprà est habitum.

QVÆSTIO III.

An sit indicta aliqua pœna Episcopis, qui sine iusta causa non consecrantur intra dictos tres menses?

REspondeo dicendum, quod sic: nam Episcopi tenentur consecrationis munus suscipere infra tres menses à die confirmationis, vt nuper diximus, sub pœna amissionis, & restitutionis fructuum. Et si elapsis sex mensibus, ex propria negligentia non consecrantur, Episcopatibus ipso iure spoliati manent. Sic habetur in Concil. Trident. *sess.*23. *de reformat. cap.*2. his verbis: *Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus Consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint priuati.* Sic Concilium ibi, ex Concil. Calcedon. *act.* 16. *cap.*25. & *ex Concil. Vormatiens. cap.* 76. *cap. quoniam* 75. *dist. & cap. quoniam*, 100. *dist.* Sic Nauar. *cap.*25. *num.*118. *vers. nonò, in fine*, illis verbis: Adde quod Concil. Tridentinum (*loco cit.*) iussit, vt promotus in Episcopum, intra tres menses teneatur consecrari, sub pœna perdendi fructus ipso iure, & intra alios tres, sub pœna ipso iure perdendi Episcopatum. Sic Nauar. ibi, Graffis, Zerola, Thuscus, Vasquez, Sanchez, & alij quamplures, quos affert Barbosa *de potest. Episcopi part.*2. *allegat.*1. *num.*39. & antea *part.* 1. *tit.* 1. *cap.*5. *num.* 1. vbi cautè est legendus, eo quod dicat, teneri Episcopum munus consecrationis suscipere infra tres menses à die confirmationis, sub pœna amissionis fructuum, & si intra tres alios menses id non impleuerit, tenetur ad restituendos perceptos fructus, & elapsis sex mensibus, si ex propria negligentia non consecratur, maneat ipso iure Episcopatu priuatus. Sic ille, sed non Concilium, in eo quod dicit; *Et si intra tres alios menses, &c.* Legatur Machado *tom.*2. *lib.*4. *part.*6. *tract.*1. *docum.* 6. *num.* 1. vbi ita ait. *El Concilio Tridentino dispuso, que el Obispo, aunque fuesse Cardenal, que dentro de tres meses no procurasse la consagracion, quedasse obligado à la restitucion de los fructos, y si dentro de seys, quedasse priuado ipso iure de su Iglesia.* Sic ille, & omnes.

QVÆSTIO IV.

De modo, & forma, quo Episcopus consecratur?

REspondeo dicendum, quod hic sit modus, hæc forma. Imprimis enim congregatis Episcopis die Dominica, & hora tertia, dicitur Missa, & scrutinium cum precibus celebratur, *cap. ordinationes Episcoporum, dist.*75. *& cap. quò Episcopus, dist.* 23. Deinde duo Episcopi super caput eius qui consecratur, Euangelij codicem tenent, *cap. Episcopus, dist.* 23. *& cap. ordinationes* 75. *cit.* Rursus, manus imponunt, & vnus super eodem benedictionis munus infundit, *cap. Episcopus, dist.* 23. & cæteri qui adsunt, caput eius cum suis manibus tangunt, & illud vnà cum manibus sacro Chrismate inungunt, *cap. de sacra Vnctione*, quibus peractis, Episcopus consecratus, Ecclesiæ Romanæ, & eius Pontificibus fidelem se esse futurum iureiurando promittit, iuxta formulam contentam *in cap. ego, de iureiurando, cap. significasti, de electione.* Hæc omninò Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.*30. *q.*3. & latissimè Barbosa *de potest. Episcopi, part.*1. *tit.*1. *cap.*5. *per totum.* Sanchez *tom.*2. *opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 15. *per totum*, & omnes, qui hæc omnia ex Pontificali Romano, vbi de consecratione Episcopi, accipiunt. Solum est dubium, an hæc omnia sint de consecrationis essentia, pro quo dissoluendo sit.

QVÆSTIO V.

An spectet ad consecrationis Episcopi substantiam, vt fiat die Dominica, & hora tertia, idest, A las nueue?

RESpondeo tanquam certum, non spectare ad substantiam, seu essentiam consecrationis Episcopi; quia sic constat *ex cap. ordinationes Episcoporum, dist. 75. & cap. quod sicut, §. super eo, de elect.* Sic Azor *q. 3. cit. vers. postremò quæres,* & alij mox citandi.

QVÆSTIO VI.

An saltem sit de præcepto, quod dicta consecratio fiat die Dominica, & hora tertia?

NEgant adhuc Salzedo *in pract. crimin. Bernardi Diaz, cap. 26. §. Episcoporum,* docens, dictam consecrationem posse fieri in Dominicis, & aliis diebus festis.

Sed vt certum respondeo, esse de præcepto, quod fiat die Dominica, & hora tertia. Probatur ex iuribus supra citatis, necnon *ex cap. quod die, dist. citata,* vbi redditur ratio, nempe, quia die dominica, & hora tertia electi sunt Paulus, & Barnabas Apostoli; & eadem die, & hora venit Spiritus Sanctus super Apostolos, quibus Episcopi succedunt. Sic habetur in Pontificali Romano, vbi de consecrat. Episcopi, vbi additur, non posse aliis diebus festiuis consecrari Episcopos citra Papæ dispensationem. Sic Azor *loco cit.* & antea Glossa *in cap. quod à Patribus, verb. sabbathi, dist. 75.* Turrecrem. Angel. Rosella, Siluest. D. Anton. Tabiena, & Greg. Lopez, quos citat, & sequitur Sanchez *dub. 15. citato, num. 11.* qui *num. 12.* addit, idem dicendum de tempore, & hora. Sic etiam Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. num. 42.* & apud ipsum Petrus Gregor. Azeuedo, Suarez, & Bonacina.

QVÆSTIO VII.

An sit de essentia consecrationis Episcopi, vt in illa celebretur Missa à consecrante?

AFfirmant Anton. *cap. literas, de temporib. ordinand* Raynerius, quem refert, & sequitur Angelus *ordo 4. num. 5. & ordo 7. initio,* Siluest. *ordo 2. q. 8. dicto 2.* vbi ait, quod si vnus Episcopus ordinet, & alius Missam celebret, non tenebit facer Ordo collatus. Et quamuis hi DD. loquantur de Missa dicenda in collatione Ordinum sacrorum, idem certè debent asserere loquendo de consecratione Episcopi, vt benè Sanchez aduertit.

Sed vt quid certum respondeo, non esse de essentia consecrationis Episcopi, vt celebretur Missa à consecrante; benè tamen de necessitate præcepti. Ratio est, quia certum est, quod celebratio Missæ non sit de essentia ordinum sacrorum, vt docet cum communi Sanchez *lib. 7. opusc. cap. 1. dub. 4.* ergo neque erit de essentia consecrationis Episcopi. Sic ipse *loco cit. dub. 15. concl. 2. num. 4.* & apud ipsum Glossa *in cap. quod sicut, de elect. vers. diuidatur, & cap. ordinationes, el 1. dist. 75. vers. tertia.* Abulens. Hugo, & Turrecrem. Ex quo rectè colligit Sanchez *num. 5.* contra Siluestrum, quod casu, quo viuus Episcopus consecret, & alius celebret Missam, teneat factum, licèt peccet.

QVÆSTIO VIII.

An ad substantiam consecrationis pertineat, vt duo Episcopi teneant codicem Euangelij super caput Episcopi consecrandi?

AFfirmat Siluest. *verb. consecratio 1. num. 1.* apud Azorium: sed Siluester non ita clarè id docet, cùm solùm dicat, id esse quasi de substantia consecrationis, his verbis: Consecratio Episcoporum quædam exigit quasi de substantia sua. Nam primò consecrandi inungitur Chrismate caput, & secundò ponitur liber super ceruicem eius, &c. Sic ille.

Sed vt certum respondeo hoc minimè ad substantiam consecrationis pertinere, sed solùm esse de iuris canonici præcepto. Sic Azor *part. 2. lib. 3. cap. 30. q. 3. vers. deinde quæres,* ex Glossa *in cap. Episcopus, dist. 23.* Sanchez *tom 2. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 15. num. 7. fine, & anteà dub. 12. fine.*

QVÆSTIO IX.

An sit de essentia consecrationis Episcopi, vnctio Episcopi consecrandi in capite, & manibus?

AFfirmabunt, qui dixerunt in hac vnctione imprimi characterem Episcopalem.

Sed vt certum respondeo dicendum, quod non sit de essentia, sed de præcepto; quia certum est, quod character Episcopalis non imprimatur in vnctione capitis, sed in impositione manuum Episcopi consecrantis, & aliorum Episcoporum assistentium, vt statim dicemus: ergo dicta vnctio non est de essentia consecrationis. Confirmatur clarè *ex cap. vnico, de sacra vnctione,* vbi habetur, quòd si hæc vnctio omittatur, non iteretur, sed suppleatur. Sic Sanchez *lib. 7. citato, dub. 12. num. 22. & dub. 15. num. 6.* Barbosa *de potest. Episcopi 1. part. tit. 1. cap. 5. num. 12.* & alij apud ipsum.

QVÆSTIO X.

An impositio manuum trium Episcoporum super caput consecrandi, sit de essentia huius consecrationis?

REspondeo ex dictis *part. 2. tract. 6. de ordine, disp. 3. quæst. 1.* esse de essentia: nam in hac actione perficitur sacramentum, & imprimitur character Episcopalis. Nam impositio illa manuum super caput consecrandi, est materia, qua Episcopus consecratur, forma verò, illa verba, quæ

quæ profert consecrans (aut consecrantes.) *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Sic Henriquez *lib.* 10. *cap.* 6. §.3. Vasquez *tom.*3. *in* 3. *part. disp.* 240. *cap.* 5. *num.* 38. Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.*1. Sebast. Cæsar. *part.*1. *disp.*6. §.2. *num.*2. & 3. Barbosa *num.*12. *cit.* Sanchez *dub.* 12. & 15. *citatis.* Sic etiam Petr. Sotus, Hurtadus, Granad. Philibert. Trullench, & Palaus citati à nobis *vbi suprà.*

QVÆSTIO XI.

An sit de essentia, & necessitate Sacramenti, quod huiusmodi consecratio Episcopalis fiat à tribus Episcopis?

AFfirmant multi Doctores, vt vidimus 2.*p. tract.*6. *de Ordine*, *disp.*3. *q.* 3. Negant verò alij, vt ibidem vidimus.

Sed iuxta ibi dicta respondeo esse quidem de necessitate Sacramenti, vel de præcepto diuino, saltem remotè, aut mediatè, vt in ordinatione Episcopi tres inueniantur Episcopi, si id ab Ecclesia requiri definiatur, quod quidem pro diuersitate temporis facit. Sic Dicastillo, & Diana, me citato, quos adduxi *q.*3. *allegata*, vbi *q.* 4. vt longè probabiliùs tenui, imò vt mihi certissimum, posse ex dispensatione Pontificis vnum solum Episcopum validè alium consecrare. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XII.

An quilibet trium Episcoporum manus imponentium consecret?

AFfirmant nonnulli, quemlibet eorum, & ideò omnes tres simul, & coniunctim consecrare. Ita Glossa, & Hugo *in cap. Episcopus, d.*23. quos pro hac parte refert Siluest. *verb. consecratio* 1. *num.*1.

Sed probabiliùs respondeo, non quemlibet trium Episcoporum consecrare Episcopum, sed vnum solùm principaliter totam consecrationem perficere, alios verò adiutores esse. Sic Siluester ibi, Hostiens. & Goffredus apud ipsum; quos sequuntur Azor *part.*2. *lib.*3. *cap.*30. *q.*3. Sanchez *lib.*7. *opusc. cap.*1. *dub.* 15. *num.* 17. & Barbosa *de potest. Episcopi part.*2. *allegat.*1. *n.*46.

QVÆSTIO XIII.

An de plenitudine potestatis Pontificis, possit fieri, vt presbyteri validè Episcopum consecrent?

AFfirmauit Hostiens. vt vidimus *part.*2. *tract.*6. *de Ordine*, *disp.*4. *q.*21. cui nunc addo Paludanum *in* 4. *dist.* 7. *q.*4. *art.*3. *post concl.* 2. *in respons. ad* 1. docentem, posse Romanum Pontificem Presbytero delegare, siue committere, vt Episcopum consecret. Hanc Paludani sententiam videtur approbare Capreolus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. vt refert Azor *cap.* 30. *cit. q.* 4. *vers. in primis.*

Sed iterum vt quid certissimum respondeo, non posse fieri, quia vt ait Apostol. *ad Hebr.*7. *Maior à minori benedici non potest.* Atqui Episcopus iure diuino est Presbytero superior, habetque Ordinis potestatem, qua caret Presbyter: ergo eam dare non potest, cùm eam non habeat. Sic Biescas, Philibert. & Petrus à S. Ioseph, quos retulimus 2 *p. q.*21. *cit.* quibus nunc addo Azorium *part.*2. *lib.*3. *cap.* 30. *q.* 4. Barbosam *de potest. Episcopi part.*1. *tit.*1. *cap.*5. *num.*5. *vers. fieri autem debet*, Ægidium *de sacram. disp.* 20. *dub.*9. *num.* 86. & Alzedum *de præeminentia Episcop. dignit. part.* 2. *cap.*5. *num.*8. Legantur dicta *sup. disp.*1. *q.*4.

QVÆSTIO XIV.

An si non Sacerdos Episcopus consecretur, teneat verè consecratio?

AFfirmant aliqui, ex eo quod Episcopalis potestas sit indelebilis, & ab aliis officiis distincta. Ita Ioan. Andreas *cap.*1. *de clerico per saltum promoto.* Iacobat. *de Conciliis lib.*10. *art.* 7. quorum sententiam videtur approbare Couarru. *lib.*1. *variar. cap.* 10. *n.*16.

Sed vt mihi certum respondeo non tenere talem consecrationem, quia cùm Episcopus nil aliud sit, quàm Sacerdotium perfectum, aut perfecta Sacerdotij plenitudo, necessariò debet claudere in sua essentia Sacerdotium ipsum: ergo. Sic diximus *part.*2. *tract.*6. *de Ordine*, *disp.*1. *q.*11. vbi adduximus pro hac parte Durand. Philibert. Granadum, Henriquez, Hurtad. Petrum à S. Ioseph, Dicastillum, Gesualdum, Palaum, & Trullench. Quibus adhuc addo Thom. Sanchez *lib.* 7. *opusc. cap.*1. *dub.*14. *num.*8. D. Bonauent. Sotum, Barthol. de Ledesma, Petrum Sotum, Bellarmin. & alios plures, quos ipse refert.

QVÆSTIO XV.

An saltem teneat consecratio Episcopi, cui aliquis Ordo sacer (præter Sacerdotium) deficit?

REspondeo tunc, tenere consecrationem: quia solum Sacerdotium est de eius essentia, & prærequisito essentiali, non alij Ordines sacri, vt constat ex dictis. Sic communis, Sanchez *loco cit. num.*9. qui id probat *ex cap. gratia* 1. *q.* 1. & citat Salzedum, Siluest. Tabien. & D. Anton. Addit tamen, & benè, quod non debeat talis Episcopus exequi officium suum ante susceptionem Ordinis prætermissi.

QVÆSTIO XVI.

An dictus Episcopus per saltum ordinatus, aut consecratus, possit validè conferre ordinem, quem ipse non recipit?

NEgant D. Anton. Siluest. Henriquez, Sà, Suarez, Sanchez, & alij, quos citauimus 2.*p. tract.*6. *de Ordine disp.*4. *q.*4.

Sed iterum probabilius respondeo posse validè, quamuis

quamuis non licitè, Ordinem Diaconatus, aut alium ex inferioribus, quem non recepit, conferre; quia qui per saltum Sacerdos, & Episcopus est ordinatus, verè est Episcopus, cùm verè acceperit characterem Episcopalem: ergo verè potest conferre omnes Ordines Sacerdotio inferiores. Sic Vasquez, Layman, Hurtado, Molfes. Philibertus, Dicastillus, Palaus, Diana, & alij à nobis *vbi suprà* adducti.

QVÆSTIO XVII.

An Episcopus mortaliter peccet, si mortalis peccati conscius consecretur?

NEgant aliqui, quos suppressis nominibus refert Azor *vbi infrà*; quia (inquiunt) per consecrationem nullum sacramentum, nullumque characterem suscipit Episcopus. Ergo. Pro hac parte possunt citari omnes Authores, qui negant, Episcopatum, præcisè consideratum, esse verum Ordinis Sacramentum: sunt autem Abbas, Couarru. Franc. Leo, Alens. Palud. D. Bonauent. Albert. Magnus, Ricardus, Sotus, Villalob. Vi-ualdus, Diana, & alij plures, quos citauimus *part. 2. tract. 6. de Ordine, disp. 1. q. 10.*

Sed probabiliùs longè respondeo peccare mortaliter; quia omninò est certum, quod ad recipienda Sacramenta viuorum, saltem per se loquendo, requiratur status gratiæ, vt diximus *2. p. tract. 1. de sacram. in genere, disp. 5. q. 4.* arqui longè probabilius est, quod Episcopatus sit verus Ordo, verumque Sacramentum, & per illud infundatur nouus character, vt diximus, pluribus relatis Authoribus, *part. 2. tract. 6. de Ordine, disp. 1. q. 10. 11. & 12.* ergo longè probabilius est, quod ad Episcopatum recipiendum requiratur status gratiæ. Sic debent tenere omnes DD. affirmantes Episcopatum esse verum Sacramentum Ordinis; sunt autem Nauarr. Card. Thuscus, Scotus, Durand. Maior, Petr. Sotus, Medina, Caiet. Bellarm. Valentia. Vasquez, Sà, Ægidius, Layman, Henriquez, Hurtado, Dicastillo, & alij citati à nobis *vbi suprà, q. 10.* Et hanc sententiam vt valde probabilem defendit Azor *part. 2. lib. 3. cap. 30 q. 12.* ibi: Prima opinio (quæ est hæc nostra secunda) videtur valdè probabilis: nam quamuis per consecrationem Episcopi character non imprimatur, datur tamen Ordinis potestas, qua Episcopus fit aptus, & idoneus, & proinde dignus Minister ad quædam Sacramenta ministranda. Sic Azor, adhuc sentiendo (licèt non ita benè) per consecrationem Episcopi non imprimi characterem.

QVÆSTIO XVIII.

An locus, in quo consecrandus est Episcopus, debeat esse Ecclesia, quàm Metropolitanus elegerit?

AFfirmat absolutè Barbosa *de potest. Episcopi, part. 2. allegat. 1. num.* 44. probans id *ex cap. finali, dist.* 55. & ex Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap. 2.* nisi aliud legitima consuetudo obtinuerit; citatque pro se Siluestrum *consecratio* 1. *num.* 3. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 23. §. 5. Lessium *de iust. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 103. & Vgolinum *de offic. Episcopi, cap. 2. num. 4.*

Sed distinctiùs sic primò respondeo; attento iure communi, locus in quo est consecrandus Episcopus, debet esse Ecclesia, quam elegerit Metropolitanus, ad quem pertinet consecratio, *cap. fin. citato*, nisi consuetudo probata aliud habeat in vsu: in quo casu, si in alia Ecclesia fuerit consecratus, debet intra tres menses se præsentare Metropolitano suo, *cap. cùm longè, dist. 63.* Sic vltra Doctores citatos, tenet Sanchez *lib. 7. opusc. cap. 1. dub. 15. num. 8.* Tabiena, Angel. Rosella, & D. Anton. apud ipsum.

Respondeo secundò; attento iure nouo Trident. *cap. 2.* citato à Barbosa, locus in quo consecrandus est Episcopus, potest iam esse Ecclesia ipsius consecrandi, vel saltem in Prouincia, vel in Curia Romana: sic enim clarè constat ex Concil. Trident. *cap. 2. citato*, vbi ita dicitur: *Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.* Sic Concilium, & sic Sanchez *loco cit. num. 9.* ex quodam docto Magistro.

QVÆSTIO XIX.

An Episcopi debeant vti specialibus vestibus?

REspondeo, quod sic: nam in omni loco vti possunt vestimentis violacei coloris, rubeis transuersis, necnon & rochetto, quod est indumentum lineum, & album; cum hoc tamen temperamento, quod in propria Diœcesi incedunt rochetto discooperto; extra Diœcesim verò, vel in præsentia Legati de Latere, portant mantelettum ad rochettum cooperiendum, nam loco Manteletti in propria Diœcesi vtuntur mozzetta supra rochettum. Vtuntur item galero nigro laneo, serico viridi suffulto, cum chordulis, ac floccis sericis, viridibusque, quamuis Episcopus sit Regularis; necnon annulo gemmarum in quarto digito à pollice manus sinistræ. Sic habetur *in Carem. Episcopor. lib. 1. cap. 1. & 2.* & docet Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. numero* 47. *&* 48. & alij multi apud ipsum.

QVÆSTIO XX.

An etiam Episcopus Regularis possit vti iisdem vestimentis, ac vtuntur alij Episcopi non Regulares?

REspondeo, quod non: nam Episcopus Regularis tenetur ex iure gestare habitum Monasticum, vt præcipitur *in cap. Clerici offi-cia, in fine, de vita, & honest. Clericorum*, & docet Nauarr. Sanchez, Azor, Henriquez, Lessius, & alij plures, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 4. num. 17.* vbi addit, quod iam vsus Italiæ, & totius orbis admittit, huiusmodi Episcopum, etiam titularem, posse incedere, non habitu, & vestitu, vt antea, dum Monachus erat, incedebat; sed eo modo, quo alius

quiuis Episcopus, retento tantùm colore vestium Religionis; atque ideò cum bitteto clericali, & cum mantelleto eiusdem coloris Religionis; rochettum tamen portare minimè potest, sed cottam, nempe superpelliceum superimponit in actibus explendis Ecclesiasticis. Quod si præfatus Antistes aliis quàm Religionis vestibus indui audeat, assumendo illam albam, & candidam vestem, quæ ab Episcopis exteriùs defertur, quamuis non subiaceret excommunicationis vinculo, iuxta probabiliorem sententiam, peccaret tamen grauiter. Sic ille, ex Cæremon. Clem. VIII. *lib.1.cap.1.part.3.* Lezana *in sum.qq. regul. cap.17.* Azorio *1.p.lib.12. cap.7. quæst.4.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 50.* & ex aliis.

DISPVTATIO V.

De priuilegiis Episcoporum.

QVÆSTIO PRIMA.

An Episcopalis dignitas à patria potestate liberet?

RESPONDEO vt certum, quod sic; quia sic habetur *in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & in Authent. sed Episcopalis dignitas, C. de Episcopis, & Clericis.* Et docent omnes communiter. Couarru. *in cap. quia nos, de testam.num.5.* Molina *de iustitia tract.2. disp. 219. vers. sextò,* Rebell. *de obligat. part.2. lib.1. q.8. vers. octauo, n.6.* Barbosa *de potest. Episcopi part.2.alleg.1. num.20.* & etiam nos *part.7. disp.16. §.4. q.107.*

QVÆSTIO II.

An in Altari, in quo Episcopus Missam cantauit, possit aliquis eadem die Missam celebrare?

NEgandum absolutè videtur, eo quod sic habeatur in iure canonico, *cap. in altari, de consecrat. dist.2.* & ideò absolutè id negat Barbosa *de potest. Episcopi part.2. allegat.1 num.20. vers. tertiò.*

Sed clarius ipsemet respondet *part.2.cit.alleg.24. num.1.* sic dicens: Illud aduertere oportet, quod in Altari, in quo Episcopus sacrificat, non potest ea die sacrificare alius Sacerdos, nisi de licentia Episcopi, *cap.fin. de consecr. dist.2.* Henriquez *lib.9. cap.28.§.1* Fagundez *de præcep. præc.1.lib.3.cap.22. num.5.* vbi id intelligit de Missa solemni, & Pontificali, Azor *part.1 lib 10. cap.17. q.10.* Bonac. *de sacram. disp.4. q.vltima, punct.9. num.15* Basil. de Leon. *var. disput. lib.1 cap.2. in princip.* Vgolin. *de offic. Episcopi part.1. cap 2. §.2. num 4.* Alzedo *de præcell. Episcop. dignit.part.1. cap.13. num.24.* vbi hoc intelligit, quando Episcopus in Pontificalibus celebrauit solemniter. Sic ibi Barbosa, & benè.

QVÆSTIO III.

An possint Episcopi vbique locorum, & extra Ecclesiam per se, vel per alium in præsentia sua, cum Altari portatili celebrare?

REspondeo tanquam certum, quod, attentò iure Canonico, benè possint; quia id illis fuit concessum *in cap.fin. de priuileg. in 6.* vt docet Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 1. sub num.20. vers. tertiò.* & Machado *lib. 4. part. 6. tract. 2. docum. 2. num. 1.* vbi sic ait: *Por ser assi que el Derecho, vbi suprà, ordena à los Obispos, que digan todos los dias Missas, ò que por lo menos la oygan, si buenamente pudieren; les concedio tambien por particular priuilegio, cap. quoniam, de priuileg. in 6. que pudiessen dezir Missa en sus casas, en Oratorios particulares. Y porque les era necessariò para visitar sus ouejas, andar caminos, en los quales no siempre ay Iglesias, y comodidad de dezir Missa, porque no quedassen priuados deste consuelo, y aliento espiritual, les concedio tambien, in d. cap. quoniam, que en los caminos pudiessen dezir Missa, ò hazerla dezir en Altares portatiles, que consigo lleuassen: lo qual tambien parece les es permitido por derecho, iuribus sup. citatis, en sus casas.* Sic ille, & omnes.

QVÆSTIO IV.

An item, attento iure nouo Tridentini, possint etiam nunc Episcopi vti dicto priuilegio?

NEgandum videtur ex Nauarro *lib.5. consil. tit. de priuileg. consil. 5.* (olim 16.) vbi *numero 1.* ita ait: Ad hoc quæsitum respondeo primò, respondisse me *in Man. Confessor.* (*cap. 25. num.82.*) quid circa illud seruetur Romæ, scilicet, quod Episcopus non vtitur illo priuilegio Episcopali, post Concil. Tridentinum; adeò quidem, quod neque Cardinales vtuntur eo, nisi de concessione expressa Papæ, quam Papa concedit quidem illis; sed rarissimè vllis Episcopis: quamuis mihi concessa fuerit in insignem gratiam, ob aliquot circunstantias speciales, vt vbi suprà testatus fui. Ita meus Nauarrus.

Sed vt multò longè probabilius respondeo dicendum, quod adhuc post decretum nouum Concilij Tridentini, possint Episcopi vti dicto priuilegio dicendi Missam extra Ecclesiam, vel alium locum sacrum, super Altari portatili. Sic in primis sentit Nauarrus *loco cit. n. 2.* vbi id probat. Tum, quia Concil. Tridentinum *sess.22. de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ,* non vetat directè Episcopis missare cum altari portatili, sed solùm ne patiantur Episcopi id fieri in suis Episcopatibus. Tum, quia (inquit) per illam modificationem videtur significare, quod intentio Concilij fuit statuere, ne id fieret pro libito, & sine aliqua iusta causa, sed quod, interueniente illa, posset Episcopus missare, & eiusmodi celebrandi facultatem facere, iuxta statutū Tiburiense translatum *in c. concedimus, de consecr. dist.1.* quod satis nos significauimus *vbi suprà,* &c. Sic meus Nauarr. & sic tenet communis opinio,

opinio, Azor, qui id certissimum putat, *part.1. lib.10. cap.26. q.4.* & dicit sic decisum fuisse à Sacr. Cardinal. Congregatione, Beja, Valerus, Fagundez, Armendariz, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.2. alleg.23. num.5.* Machado *loco cit. num.2.* Marchin. & Vgolinus apud ipsum.

QVÆSTIO V.

An deinde eodem priuilegio dicendi Missam vbicumque, possint vti Episcopi extra suam Diœcesim?

NEgant Nauarrus *consilio illo 5. citato, num.1. vers. secundò*, non absolutè, vt dicit Machado, sed cum limitatione, & conditione, ita dicens: Verius credo, Episcopum non posse in alieno Episcopatu priuilegio illo vti, si Episcopus ille recepit Concil. Trident. prædictum, ita vt prohiberet, ne quis missaret in suo Episcopatu extra loca sacra, vel quæ ad solùm missandum specialiter non essent deputata secundùm formam Concilij; quia Episcopi auctoritate prædicti Concilij possunt statuere, quæ sibi videbuntur iusta, & honesta, tanquam Delegati Papæ, non obstantibus priuilegiis, vt exprimit ipsum Concilium. Ita Nauarrus.

Sed alij absolutè contrà docent, nempe quod Episcopi extra Diœcesim existentes, possint domi celebrare, vel sibi facere celebrari sine licentia Ordinarij, per *d. cap. finale, de priuileg.* Ita tenent Vgolinus *de offic. Episcopi part.1. cap.2. §.2. num.4.* Hieron. Venero *de examine Episcop. lib.4. cap.17. n.14.* limitans, dum non sit in vrbe. Alzedus *1 p. cap.13. num.6.* quos citant, & videntur sequi Barbosa *de potest. Episcopi part.2. allegat.23. num.5.* & Machado *lib.4. sum. part.6. tract.2. docum.2. num.3.*

Sed ego distinctiùs respondeo dicendum, quod Episcopi non possint vti dicto priuilegio, extra diœcesim suam existentes, si id sit illis prohibitum ab Episcopo illius Diœcesis, vt probat ratio Nauarri, benè tamen si id non sit illis prohibitum, in quo casu videntur loqui Authores secundæ sententiæ.

QVÆSTIO VI.

An possit Episcopus dum iter agit, Missam ante auroram, vel post meridiem dicere, & alteri concedere, vt eam sibi dicat?

REspondeo posse, quia id concessum est Episcopis, ob eorum prærogatiuas. Sic Nauarr. Siluest. Palud. Sotus, Henriquez, Fagundez, Azor, Hurtado, & Philibertus, atque Narbona, quos adduximus *part.2. tract.8. disp.6. q.6. & 7.* quibus addi possunt Rodriguez, Sà, Miranda, & Alzedo, quos citat & sequitur Barbosa *num.5. cit.* Machado *num.3. cit.* ibi: *Finalmente por la misma razon, y por los mismos principios afirman comunmente los Doctores, que el Obispo quando caminare, puede dezir Missa vna hora antes del alua, y otra despues de medio dia.* Sed sine vllo priuilegio posse inchoari Missam vna hora post meridiem, diximus *part.2. vbi suprà, q.11.*

QVÆSTIO VII.

An attento iure communi, possit Episcopus concedere vt in sua diœcesi, in Altari portatili extra locum sacrum quis celebret?

REspondeo tanquam certum, posse, attento iure canonico communi; quia sic clarè deducitur *ex cap. Missarum, de consecrat. dist.1.* ibi: *In locis ab Episcopis consecratis, vel vbi ipse permiserit.* Et *ex cap. in his ergo*, ibi: *Nisi in quibus Episcopus iusserit, ead. dist.1.* & ideò sic tenent Nauar. *cap.25. num.81.* Henriquez, Gutierrez, Suarez, Fagundez, & alij, quos affert, & sequitur Barbosa *de potestate Episcopi part.2. allegat.23. num.6.* qui dicunt, ante Concil. Tridentinum hanc fuisse certam omnium traditionem. Sed difficultas est, an post Concilium sit reuocata talis facultas, pro qua dissoluenda sit.

QVÆSTIO VIII.

An huiusmodi facultas concessa Episcopis, dandi licentiam alicui Sacerdoti, vt extra locum sacrum celebret, sit iam reuocata per Concilium Tridentinum?

AFfirmant esse iam reuocatam per Concilium *sess.22. de obseruandis, & euitandis in celebrat. Missæ*, vbi absolutè præcipitur Episcopis, ne permittant extra Ecclesiam, & Oratoria ad diuinum tantùm cultum dedicata, &c. sacrificium fieri, Nauarr. *cap.25. num. 81.* Fuscus *de visitat. lib.1. cap.21. n.8.* Gutierrez *Canon. lib.1. cap.30 num 25.* Cenedo *Canon. qq. lib.1. q.44 à num.6.* Cardos. *in praxi Iudicum, verb. Episcopus, num. 9.* Lotter *de re benef. lib.1. q.30. num.15.* Fagundez *in 5. Eccles. precep. prac. 1. lib.3. cap.13. à num.8.* Azor *1 p. lib.10. cap.26. q.3.* quos pro hac parte refert Barbosa *vbi suprà, num.7.* addens, aliquos Doctores sentire, nec iusta de causa posse Episcopum dare facultatem celebrandi in Capella domus priuatæ, & sub diu, etiam adhibito vtroque altari, firmo scilicet, & portatili. Ita (inquit) tenet Azor *quæst.3. citata*, Reginald. *lib.29. num.170.* Ægidius *q.83. num.225.* & Miranda *tom.1. Man. Prælator. q 40. art.9. concl.3. fine.*

Alij absolutè negant, facultatem concedendi dictam dicendi Missam licentiam, Episcopis iure communi competentem (vt nuper est habitum) esse reuocatam per decretum Concilij Trident. Sic sentiunt apud eumdem Barbosam *num. 8.* Henriquez *lib.9. cap.27. §.1.* Sà *verb. Missa, num.20.* Beja *casu 33. versu tertiò dico*, Nauar. *consil.5. num.2 tit. de priuileg.* Cenedo *d. q.44. à num.4.* Suarez *tom.3. disp.81. sect.3.* Rodriguez *tom 1. qq Regul. q.43. art.6.* Ragusa, Ioan. Valerus, Bonac. Piasec. Zerola, & alij.

Sed ego conciliando has contrarias opiniones respondeo dicendum, quod minimè sublata fuerit Episcopis à Concilio hæc facultas concedendi licentiam Sacerdoti dicendi Missam extra locum sacrum, stante necessitate, vel iusta causa; & in hoc casu intelligendi sunt Authores

secundæ sententiæ: benè verò in casu, quo non vrgeat necessitas, aut iusta causa, in quo sensu vera est prima sententia. Sic Barbosa *de potest. Episcopi part.2. allegat.23. à num.9.* præcipue ibi: Negari enim nequit, etiam hodie posse Episcopum in suo Episcopatu concedere talem vsum ex aliqua iusta causa, ex text. *in cap. concedimus, de consecrat. dist.1.* vt aduertunt Nauar. *d. consil.5. num.2. de priuileg.* Lotter. *d. lib.1. q.30. n.15. in fine.* Et quod magis est, etiam sine Episcopi licentia, propter necessitatem aliquam celebrari poterit super Altari portatili, ex Nauarro *d. cap.25. n.82.* vbi ait, hoc esse notandum pro terris, in quibus frequentissimè supplicationes fiunt ad aliqua parua eremitoria, præ quorum foribus solet dici Missa, vt ab omnibus audiatur; seu pro primis Missis Sacerdotum, ad quas maxima multitudo solet conuenire, quàm possit capere Ecclesia. Sequuntur Gutierrez *Canon. lib.1. cap.30. n.25.* Lotter. *d quæst.30. n.15.* Et quod magis est, posse Vicarium generalem liberè dictam facultatem concedere, ex causa graui, & necessaria, resoluunt Nauar. *d. cap.25. num.82.* Iacob. *de Graff. in aureis decis. lib.2. cap.41. n.7.* quos, & alios refert Mar. Antonin. *variar. resol. lib.1. resol.112. casu 5.* Hucusque Barbosa. Lege meipsum *2. part. tract. 8. de Sacrif. Missæ, disp.6. q.16.* vbi ex Henriquez, Sà, Hurtado, Lugo, & aliis docui, licere in casu necessitatis, absque vlla Episcopi licentia, extra Ecclesiam, in quouis loco decenti celebrare.

QVÆSTIO IX.

An Episcopi possint audire diuina officia tempore interdicti?

RESpondeo, posse audire diuina officia, imò & celebrare Missam, & facere sibi celebrare; quia id eis conceditur *in cap. quod nonnullis, de priuileg.* & constat ex dictis à nobis *part.4. tract.5. de interdicto, disp.2. q. 11.* vbi tanquam certum docuimus, Episcopos non censeri interdictos per legem generalem, aut sententiam, qua interdicuntur omnes, qui hoc, vel illud delictum commiserint, *ex cap. quia periculosum, de sentent. excommunicationis in 6.* Sic Barbosa *de potest. Episcopi part.2. alleg.1. sub num.20.*

QVÆSTIO X.

An Episcopi possint quem velint eligere Confessorem?

RESpondeo tanquam certum, posse quem velint eligere sibi Confessorem ex suis subditis, licèt non sit ex approbatis; quia id eis conceditur *in cap. finali, de pœnit. & remissionib.* Sic cum communi omnium diximus *1. p. tract.5. de pœnit. disp.11. q.27.* vbi *q.28.* vt quid longè probabilius sustinuimus, secus dicendum esse, loquendo de Sacerdotibus sibi non subditis, & non approbatis ab Ordinario; quia ex his non posse eligere quem velint in Confessorem, declarauit Sacra Congregatio Concilij, vt *loco citato* diximus. Sic quamplures Doctores ibi relati. Legantur ibi, quæ hîc desiderari possunt.

QVÆSTIO XI.

An causæ criminales grauiores Episcoporum, solùm à Summo Pontifice cognosci possint?

RESpondeo vt quid certum, quòd solùm à Pontifice; quia sic decreuit Concil. Trident. *sess.24. de reformat.* his verbis: *Causæ criminales graniores contra Episcopos, etiam hæresis* (quod absit) *quæ depositione, aut priuatione digna sunt, ab ipso tantùm Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si huiusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio, & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec vnquam plus his tribuat, quàm vt solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruata eidem Sanctissimo sententia definitiua.* Hæc Concilium. Videantur Vgolinus *de potest. Episcopi cap. 2. §.2. n.4.* Gratian. *disceptat. forens.169.* Machado *lib.4. part.6. tract.2. docum. 3. num.1.* Henriquez *lib.13. cap.55. §.2.* Barbosa *in remission. ad Concil. d. cap.5.* & alij.

QVÆSTIO XII.

An saltem causæ criminales minores contra Episcopos, cognosci possint ab alio, quàm à Romano Pontifice?

RESpondeo vt certum, quod sic; quia ex eodem Concilio constat, tales causas cognosci posse à Concilio Prouinciali. Audi Concilium: *Minores verò criminales causæ Episcoporum, in Concilio tantùm Prouinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium Prouinciale.* Sic Tridentinum. Vide Barbosam *loco cit.* & Lælium Iordanes *de maioribus Ecclesiæ causis cap.1. & 2.* & Menochium *de arbitr. casu 266.* vbi quæ sint causæ maiores, & minores, de quibus hîc tractat Concilium, specialiter disputant.

QVÆSTIO XIII.

An Inquisitores possint procedere contra Episcopos, saltem in crimine hæresis?

RESpondeo dicendum, quod, attento iure communi, certum sit, quod non possint; quia sic habetur *in cap. Inquisitores, de hæret. in 6.* & colligitur ex verbis Tridentini suprà adductis; & tenent Nauar. *consil.1. de foro competent. n. 5.* Peña *part.3. Director. Inquisit. commento 77.* & Rodrig. *tom.2. qq. regul. q.81. art.1.* quos citat, & sequitur Barbosa *vbi suprà, num.3.* quibus addo Dianam *part.4. tract.8. resol.21.* vbi aduertit, hanc responsionem procedere etiam casu, quo Episcopus sit electus, & confirmatus, licèt non consecratus, imò etiamsi solùm sit titularis. Sic ille, ex Acuña, Molina, & aliis. Et hæc intelligenda sunt, nisi aliàs Tribunal sanctum Inquisitionis habeat aliqua priuilegia, quibus standum est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

An saltem Inquisitores possint de Episcopo hæretico, aut de hæresi suspecto, recipere dicta testium, ad ipsos ad id recurrentium, vt certiorem Summum Pontificem efficiant, eaque testimonia ad eum mittant?

NEgant adhuc id efficere posse Inquisitores, inconsulto Summo Pontifice, Glossa *in d. cap. Inquisitores, verbo Apostolica*, & ibi Monachus, & Archidiaconus.

Sed omninò respondeo, posse id efficere, inconsulto adhuc Summo Pontifice, quia id non est procedere contra Episcopos, sed certiorem de eorum delicto Summum Pontificem facere, vt ipse procedat, & iudicet. Sic Simanchas *in Cathol. Institut. tit.* 25. *num.* 8. & Peña *in Director. Inquisitor. part.* 3. *schol.* 94. quos citat, & sequitur Molina *tom.* 6. *de iust. tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 19. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 25. Zecchius *in sum. tom.* 1. *tit. de haret. cap.* 11. *num.* 13. Diana *tomo* 4. *tract.* 8. *resol.* 21. *vers. verum licèt.*

QVÆSTIO XV.

An item casu, quo Episcopus hæreticus de fuga esset suspectus, vel aliqua sequerentur mala, nisi statim comprehenderetur; tunc possent Inquisitores illum comprehendere, & custodire, donec Summus Pontifex certior reddatur?

REspondeo vt certum, tunc posse Inquisitores illum comprehendere, non tamen contra eum procedere, quousque Summus Pontifex consultus id eis concedat. Ratio autem, cur tunc comprehendi possit, est quoniam per epicheiam is euentus est intelligendus exceptus ab ea Summi Pontificis prohibitione, de quo absque vllo dubio est censendum id gratum Summo Pontifici fore. Sic Molina *num.* 19. *cit.* Zanard. Barbosa, & Acuña, quos citat, & sequitur Diana *resol.* 21. *citata.*

QVÆSTIO XVI.

An Episcopi possint assistere Inquisitoribus in negotio Fidei?

REspondeo vt certum, posse, quia id eis concessit Alexand. IV. *Bulla* 13. Et habent eadem priuilegia circa officium inquisitionis, quæ habet Inquisitor delegatus, & maximè absentibus Inquisitoribus, & vbi Inquisitores non adsunt. Sic Peña 3. *p. Director. Inquisit. schol.* 112. Riccius *in praxi aurea, resol.* 203. *vers. duodecimò*, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi, part.* 2. *allegat.* 1. *num.* 20. *versu octauò.* Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Episcopus.* §. *decimonono*, & §. *vigesimò*, docet, quod Episcopus est Iudex ordinarius in causa fidei.

QVÆSTIO XVII.

An Episcopus possit esse Iudex in causa propria suæ Ecclesiæ?

REspondeo quod sic, vt docet Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 1. *numero* 20. *vers. duodecimò*, & 3. *part. allegat.* 87. *n.* 6.

QVÆSTIO XVIII.

An ciuitas occidens suum Episcopum, priuetur in posterum tali dignitate?

REspondeo vt certum, quod sic; quia sic habetur in iure, vt testatur Couarru. his verbis: his omnibus accedit, quod ciuitas, quæ proprium Episcopum occiderit, licèt omnes ciues, nec peccati, nec criminis rei sint, priuetur honore, & dignitate Episcopali, text. *in cap. ita nos* 25. *q.* 2. cuius meminere Baldus *in l. si nondum, C. de furtis*, Iason *in l.* 2. *col.* 2. *C. de inoffic. testam.* Id intelligentes quando is Episcopus erat iam consecratus. Hæc etenim pœna temporalis est; & ideò ex causa iusta possunt innocentes eam pati. Sic ille *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *fine.* Riccius *in praxi aurea resol.* 203. *num.* 4 Gutierrez *lib.* 2. *Canonic. cap.* 30. *num.* 11. Alzedo *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 17. Barbosa *allegat.* 1. *cit. num.* 20. *vers. decimotertiò*, Zerola *loco cit.* §. *vigesimoseptimò*, ex Rebuffo *in tit. de differentiis*, & alibi.

QVÆSTIO XIX.

An Episcopus dum iurat, teneatur tangere librum Euangeliorum?

REspondeo, non teneri, sed sat esse, quod pectus suum tangat, vel à longè manus eleuet versus librum. Sic habetur *in c. causa, de iuram. calum.* & tenent Glossa *in cap. quoties* 1. *quæst.* 7. Vgolin. *de offic. Episcopi, part.* 1. *cap.* 2. §. 2. *num.* 4. Hieron. Venero *de exam. Episcop. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 19. Alzedo *loco cit. cap.* 12. *num.* 38. & Barbosa *alleg.* 1. *cit. num.* 20. *vers. decimoquintò*, qui id ex Alzedo limitat ad casum, in quo Episcopus consecratus fidelitatem, & alia Papæ promittit, vt *in cap. Ego N. de iuram.* vel quando specialiter est statutum, quod Episcopus Scripturam tangat. Imò Episcopo credi sine iuramento in causis ciuilibus, resoluunt Aggia, *de exhibend. auxil. concl.* 4. & Bobadilla *in politic. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 15. Lege me ipsum *part.* 7. *tract.* 1. *de iuram. disp.* 1. *quæst.* 11. vbi vt quid probabilius diximus, quod in casibus iure expressis, in quibus cauetur, vt iuramentum fiat tactis Scripturis, aut Euangeliis, tunc non debeat Episcopus sic iuuare, nisi id ius expressè petat.

QVÆSTIO XX.

An Episcopus accusatus, debeat stare ante Iudicem?

Respondeo dicendum, quod non debeat stare, sed sedere simul cum Iudice, aliquantulum inferiùs. Sic Selua *de benef. p.* 1. *q.* 3. *num.* 12. Anton. Corset. *de potest. Regia part.* 4. *num.* 12. Alzedo *cap.* 12. *cit. num.* 32. Barbosa *de potest. Episcop part.* 2. *allegat.* 1. *num.* 20. *vers. decimosextò.*

QVÆSTIO XXI.

An si Episcopus ab aliquo rebus propriis spolietur, statim sint ei ante omnia, cuncta restituenda?

Respondeo dicendum, quod sic; quia sic habetur *in cap. si quis ordinatus, cum seqq. dist.* 92. & *Clement. vnica, de foro competent.* & sic docet Barbosa *loco cit. num.* 20. *vers. septimò*, his verbis: si Episcopi à quoquam rebus propriis spolientur, vel à suis sedibus eiiciantur, sunt statim in omnibus restituendi, & cuncta eis redintegranda, antequam vllum crimen obiici possit. Sic ille ex iuribus citatis.

QVÆSTIO XXII.

An Episcopus possit Episcopatu priuari propter ægritudinem, aut corporis infirmitatem?

Respondeo vt certum, quod non; quia sic decreuit D. Gregorius Papa *lib.* 9. *epistol.* 41. relatus *in cap.* 1. 7. *q.* 1. vbi ita loquitur Sanctus Pontifex: *Et quidem nusquam Canones præcipiunt, vt pro ægritudine Episcopo succedatur: & omninò iniustum est, vt si molestiâ corporis ruit, honore suo priuetur ægrotus*, &c. Sic ibi D. Gregorius. Quod idem docet *lib.* 3. *epist.* 13. relatus *in cap.* 3. 7. *q.* 1. Et idem habetur ibidem *cap.* 4. vbi Nicolaus Papa Albino Ianuensi (vel Viennensi) Archiepiscopo, ita scribit: *Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate, vel ægritudine, alij censendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti.* Sic Pontifex, & sic omnes. Lege Barbosam *loco cit.*

QVÆSTIO XXIII.

An Episcopus in sua Diœcesi debeat honorari ab Archiepiscopo, dum est in illa?

Respondeo dicendum, quod sic; sic enim docent Capyc. *decis.* 17. *num.* 25. & 28. & Riccius *d. resol.* 203. *num.* 3. quos citat & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 1. *num.* 20. *vers. vndecimò*, quibus ego addo Zerolam *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. Episcopus*, §. *nonò*, vbi ita ait: Episcopus in sua Diœcesi debet honorari ab Archiepiscopo, dum est in Diœcesi illius Episcopi, & Cardinalis debet eandem reuerentiam Episcopo in sua Diœcesi. Ratio est, quia Episcopalis dignitas multùm est commendanda. Sic ille, ex Capyc. *decis.* 27. *n.* 24. & 25. & ex Abbate *in Clement. si quis suadente, num.* 26. *de pœnitentia.*

QVÆSTIO XXIV.

An qui Episcopum personaliter offendit, incurrat excommunicationem reseruatam Pontifici in Bulla Cœnæ?

Respondeo vt quid certum, quod incurrat. Constat ex dictis à nobis *part.* 4. *tract.* 3. *de Bulla Cœnæ, disp.* 11. *à quæst.* 1. Legantur ibi, quæ hîc circa hanc materiam desiderari possunt. Et legantur etiam Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *allegat.* 1. *num.* 20. *vers. decimotertiò*, & Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 2. *docum.* 5. *num.* 2. & alij.

QVÆSTIO XXV.

An domus, seu Palatia Episcoporum gaudeant immunitate Ecclesiarum, vt Rei ad ea confugientes non possint extrahi per vim?

Negat Sarpus *cap.* 4. apud Dianam infrà citandum. Sed respondeo vt quid certum, quod illa gaudeant, quia priuilegium hoc eis concessit Concilium Aurelian. I. relatum *in cap. id constituimus* 17. *q.* 3. vbi ita habetur: *Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat*, &c. Sic textus, & sic omnes DD. & præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XXVI.

An vt domus, seu Palatium Episcopi gaudeat Ecclesiæ immunitate, debeat esse constructum intra quadraginta passus Ecclesiæ suæ?

Affirmant multi Doctores, docentes Palatium Episcopi non gaudere priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ, nisi intra præfatos limites existat; quia (inquiunt) iuxta *cap. Episcopus, de consecrat. dist.* 3. & *cap. Episcopus, dist.* 41. Palatium Episcopi non debet esse longè ab Ecclesia: ergo si vltra quadraginta passus distet ab illa, non debet priuilegio immunitatis gaudere. Ita tenent Iul. Clarus *lib.* 5. *pract. crimin.* §. *fin. q.* 30. *vers. scias etiam*, ibi: Nihilominus contraria opinio praxis forensis frequentius omnium vsu recipit, scilicet, quod Palatium Episcopi non gaudeat hac immunitate, nisi sit constructum intra dictos quadraginta passus ab ipsa Ecclesia, vt attestatur Didacus loco præallegato, nempe *lib.* 2. *resol. cap.* 20. *n.* 5. ita Iulius Clarus, necnon Bobadilla *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 85. Couarru. *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *n.* 5. Sarpus *vbi suprà.*

Alij distinguendo respondent, quod ad hoc vt Palatium Episcopi gaudeat immunitate prædicta, vel debeat esse constructum intra quadraginta passus Ecclesiæ, vel si longiùs sit constructum, habeat Oratorium, siue Capellam, in qua Missa celebretur. Ratio est, quia immunitas conce

conceditur Palatio Episcopi ratione loci sacri; atqui non censetur locus sacer, nisi sit intra quadraginta passus Ecclesiæ, aut saltem habeat Oratorium, aut Capellam, in qua Missa celebretur: ergo. Ita Decianus *cap. 25. num.* 14. Farinacius *in appendice, q.* 28. *num.* 36. Ambrosinus *de immunit. Ecclesia cap.* 10. *num.* 7. Germonius *de sacrorum immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 45. Quos citat, & sequitur Bonacina *circa prim. Decal. præcep. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *num.* 11. Quibus addi possunt Eliseus Danza *in pugna Doctorum cap.* 2. *de immunit. Eccles. num.* 1. Piasceus *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 4. *art.* 8. *num.* 2.

Sed longè multò probabilius contra has duas opiniones respondeo dicendum, quod vt Palatium Episcopi immunitate Ecclesiæ gaudeat, non sit necessum, quod aut habeat Oratorium, seu Capellam pro celebratione Missæ, aut intra quadraginta passus Ecclesiæ sit structum. Sic docet doctus Diana 1. *p. tract.* 1. *resol.* 27. *& part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 40. *&* 96. *& part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 4. *&* 5. Probatque primò quia (vt supra *q.* 25. vidimus) expressè, absolutè, & absque vlla limitatione ius Palatio Episcopali hoc priuilegium concedit: ergo cùm fauorabile sit, & pium, nullo modo est limitandum. Secundò, quia si intra quadraginta passus deberet Palatium Episcopale existere, vt hoc priuilegio immunitatis gauderet, nulla ei specialis prærogatiua concederetur, quæ non concedatur cuilibet alteri domui Ecclesiæ, vel Canonicorum ibi existenti, cum iis omnibus hoc priuilegium concessum sit. Tertiò, quia tale priuilegium non conceditur (vt contrarij putant) quia ipsum Palatium Episcopi deputatum sit diuinis Officiis; nullum enim tale est: neque quia Ecclesiæ adhæret, tanquam aliquid illius, aliàs cæteris domibus hoc priuilegium esset concedendum: sed conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est maxima dignitas in Ecclesia: ergo Palatium Episcopale, etiamsi vltra quadraginta passus ab Ecclesia existat, nec habeat Oratorium, seu Capellam pro celebratione Missarum, verè gaudebit hoc immunitatis priuilegio, itavt ad illud confugientes tuti sint. Sic Diana *vbi suprà*, & apud illum Peregrinus *tract. de immunit. cap.* 4. *num.* 69. Megala *in* 2. *p. lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 1. *num.* 36. Franc. Leon *in Thesauro fori Eccles. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 14. Gambacurta *de immunit. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. Azor *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8. *q.* 5. Marius Italia *de immunit. lib.* 1. *cap.* 4. *§.* 9. *num.* 1. Ludou. Correa *de immunit. Eccles. part.* 2. *q.* 8. *num.* 19. Belletus *in disquis. Clericor. part.* 1. *tit. de fauore Clericorum reali*, *§.* 4. *num.* 35. Alzedo *in praxi Episcop. part.* 2. *c.* 12. *num.* 77. Gauant. *in Enchir. Episcop. verbo immunitas Ecclesia*, Tassonus *in pragm. de antefato, vers.* 13. *obseruat.* 3. *num.* 31. & alij. Quibus adhuc ego addo Suarium *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. Filliucium *tract.* 15. *cap.* 6. *q.* 5. *num.* 150. Cardin. Thuscum *tom.* 3. *verb. Ecclesia*, *concl.* 9. *num.* 11. Zerolam *in praxi verb. immunitas*, *vers. secundò*, & alios, quos pro hac parte citat Bonacina *vbi suprà*, dicens, hanc nostram sententiam esse probabilissimam, cùm tantùm suam probabilem nuncupauerit. Lege Machadum *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 2. *docum.* 5. *num.* 3. vbi solùm dicit hanc sententiam esse communem contra communem, & transit.

QVÆSTIO XXVII.

An item Palatium Episcopi mortui, vel absentis, gaudeat adhuc immunitatis priuilegio?

NEgabit à fortiori Peregrinus, mox quæst. sequenti citandus. Sed respondeo satis probabiliter, adhuc gaudere, dummodo tale Palatium non sit alteri locatum; quia etiam in dictis casibus verè est, & remanet Palatium Episcopale, cui absolutè est concessum hoc priuilegium, vt habitum est suprà *q.* 25. ergo. Sic sentiunt Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n.* 10. Marius Italia *lib.* 1. *cap.* 4. *§.* 9. *num.* 4. *&* 13. quos citat, & sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 96. *fine*, *& part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 4. *vers. tertiò.*

QVÆSTIO XXVIII.

An rursus Palatium, seu domus Episcopi, quando in visitatione per suam Diœcesim transcurrit, gaudeat dicto immunitatis priuilegio?

NEgat Peregrinus *de immunitate cap.* 4. *num.* 79. vt refert Diana mox citandus, & negabunt Authores primæ sententiæ, relati *quæst.* 26.

Sed longè multò probabiliùs respondeo, gaudere etiam; quia illa domus verè est Episcopalis, cui hæc gratia est concessa. Sic Italia *loco cit.* Farinacius *de immunit. cap.* 17. *num.* 270. quos citat, & sequitur Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 4. *vers. tertiò, fine*, & innuit haud obscurè Machado *docum.* 5. *cit. num.* 1. *in ordine* 4. & ampliùs roborabitur ex mox dicendis.

QVÆSTIO XXIX.

An deinde Palatium, seu domus Episcopi, extra eius diœcesim gaudeat dicta immunitate?

NEgant communiter Doctores, eo quod Episcopus extra suam diœcesim nullam habeat authoritatem, nec exercere Pontificalia possit. Ita tenent Peregrinus *de immunit. cap.* 4. *num.* 73. Marius Italia *lib.* 1. *cap.* 4. *§.* 9. *num.* 19. & Anton. de Marinis *quotidian. resolut. cap.* 180. *num.* 12. Ciarlinius *controu. forens. lib.* 1. *cap.* 10. Machado *loco nuper cit. num. in ordine* 4. vbi pro contraria opinione citat absolutè Dianam, sed certè non bene, quia Diana non audet amplexari illam; benè tamen suadere, vt constabit ex eiusdem verbis.

Ait enim sic: Verùm contraria sententia potest suaderi; quia Concilium Aurelianense *in cap. id constituimus* 17. *quæst.* 4. indistinctè asserit, Palatium Episcopi gaudere immunitate, neque hoc coarctat in eius Diœcesi: & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Adde, quod cùm agatur de re fauorabili, vt in simili casu notat Germonius *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 49. fauor extendi debet. Deinde, vt obseruat Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. hæc immunitas concessa est loco, ratione personæ Episcopalis, propter

sanctitatem muneris, & dignitatis; & ideò, vt diximus, Palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam sine Capella, & etiam extra quadraginta passus Ecclesiæ: ergo in quacumque parte fuerit Episcopus, ratione eius Personæ, cuius intuitu concessum fuit hoc priuilegium, gaudere debet immunitate eius Palatium. Nec valet argumentum Peregrini; nam licèt Episcopus in aliena Diœcesi non possit exercere Pontificalia, attamen dignitas eius personæ, etiam in tali loco magnam habet reuerentiam, & auctoritatem. Vnde Episcopus alium Episcopum in sua Diœcesi debet valde honorare, & particularem reuerentiam exhibere, & in loco eminentiori, & in propria sede collocare, etiamsi qui suscipit, Cardinalis sit, & qui suscipitur, non, vt habetur *in cap. Episcopi* 7. *q.* 1. & docet Mauritius Alzedus *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. vbi citat Chassaneum, & Zerolam. Sed his non obstantibus, an hæc opinio sit probabilis, aliis iudicandum relinquo. Hæc omnia Diana, qui vt vides, nec hanc partem, nec vt probabilem iudicare audet; & ideò Ausonius eius compendiator, Sacræ Congregationi, vt de hac re oraculum ferat, committit, *verb. immunitas Ecclesiarum, num.* 7.

Sed certè ego non dubito, hanc partem esse probabilem, imò probabiliorem contraria, si solùm attendamus, & consideremus principia, quibus innititur, vt constat ex doctrina à nobis superioribus quæstionibus adducta; secus si attendamus praxim, & vsum. Vnde Machado absolutè dicit, hanc partem esse probabilem: his verbis: *Probable opinion es que se gozen, porque como hemos dicho, este priuilegio no se concede à lo material del lugar, sino à formal; esto es à la Santidad del officio, y dignidad Episcopal*, &c. Sic ille, & ego.

QVÆSTIO XXX.

An denique Palatium Episcopi titularis gaudeat immunitate.

NEgat Ciarlinus *controuers. forens. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. vbi docet, Palatium Episcopi titularis non gaudere immunitate, nisi sit positum in loco exempto. Hanc eamdem partem sustinere debent omnes Authores, qui putant non gaudere immunitate Palatium Episcopi existentis extra suam diœcesim, quos habes suprà, quæst. antecedenti.

Sed ego probabiliter respondeo, adhuc Palatium Episcopi titularis immunitate dicta gaudere. Probatur ex dictis. Primò, quia textus *in cap. id constituimus* 17. *q.* 4. absolutè, & sine vlla distinctione concedit domui, seu Palatio Episcopi, gaudere priuilegio immunitatis: atqui Episcopus titularis verè est Episcopus, ac verè retinet dignitatem Episcopalem, vt habetur *in cap. legimus, verbo vbicumque, dist.* 93. ibi: *Vbicumque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij.* Ergo eius Palatium verè etiam gaudebit priuilegio immunitatis, concesso absolutè Episcopis. Confirmatur, quia (vt suprà est habitum) hoc priuilegium concessum est Episcopis, non ratione loci, sed ratione personæ, in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis: atqui non minùs debetur honor, ac reuerentia Episcopis titularibus, quàm aliis, cùm pares sint in dignitate, vt constat *ex d. c. legimus*, ergo. Deinde id comprobatur, quia familia laica Episcopi titularis, gaudet priuilegio fori (vt sæpe declarauit Sacra Congregatio) immunitatis: ergo & Palatium eiusdem debet etiam priuilegio immunitatis gaudere. Patet consequentia, quia ex eadem ratione, qua competit Episcopo priuilegium suæ familiæ, competit etiam priuilegium sui Palatij, vt bene probat Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 5. qui hanc partem latiùs præfatis argumentis suadet, verumtamen in fine adiicit, omnia à se dicta, disputationis causâ esse velle, & oraculo Sacræ Congregationis immunitatis maturanda relinquere. Quod ego, sicut in aliis feci, in his etiam, & aliis à me dicendis, libenter, & humiliter facio. Et supposita hac debita subiectione, dico esse probabilem hanc sententiam, vt constat ex rationibus adductis.

DISPVTATIO VI.

De obligatione, quam habent Episcopi residendi in suis Ecclesiis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Episcopus teneatur residere in sua Ecclesia, sub mortali peccato?

RESPONDEO tanquam quid certum, teneri, quia sic habetur *in capite peruenit*, & *in cap. suggestum* 7. *quæst.* 1. & expresse etiam in Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* illis verbis: *Ne verè ea, quæ de residentia sanctè, & vtiliter iam antea (sess. 6. de reformat. cap. 1.) sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à Sacrosancta Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhærendo declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, quibuscumque, quocumque nomine, & titulo Præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis, & modis infrà scriptis.* Hæc Concilium. Et ideò illi inhærendo sic docent omnes Doctores. Legantur Nauar. *in Man. cap.* 25. *num.* 121. Lessius *lib.* 2. *de iust. c.* 34. *dubit.* 29. Azor *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 4. *&* 6. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *pag.* 83. Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 1. *num.* 103. Trullench. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 8. Marcus Vidal in suo opere morali *tract. de residentia, inquisitione vnica, pag.* 489.

QVÆSTIO II.

An Episcopus solo iure Ecclesiastico teneatur residere in sua Ecclesia, vel Diœcesi?

AFfirmarunt olim nonnulli Doctores, solo iure Ecclesiastico, non diuino, teneri Episcopum in sua residere Ecclesia. Primò, quia nullum extat in sacris literis diuinum iussum, quo præcipiantur Episcopi, vt Ecclesiis suis per seipsos seruiant. Secundò, quia si hoc mandatum esset iuris diuini, non posset Romanus Pontifex eius laxato rigore facultatem concedere, vt Episcopi à suis Ecclesiis absint: atqui multæ sunt causæ, ob quas Pontifex Episcopos hac lege soluit, vt passim videmus: ergo. Ita sensere Ambros. Catharinus *in opusc. de residentia*, & Albinianus *in tract. de residentia*, quorum sententiam esse probabilem clarè denotat Filliucius, dum oppositam probabiliorem appellat, *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *q.* 1. *dicto* 2. *& q.* 2. *n.* 105. & vt probabiliorem partem docet nouissimè Pater Geronda *de Episcopatu lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 4.

Sed vt certum mihi respondeo dicendum, quod Episcopus, non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure diuino teneatur residere in sua Ecclesia. Patet primò, quia licèt in sacris Scripturis hoc iussum non sit expressum; tamen necessariò, & euidenter colligitur ex his, quæ Sacræ Scripturæ tradiderunt, quod sufficit, vt iuris diuini mandatum appelletur, vt rectè aduertit Sotus *de iust. lib.* 10. *q.* 3. *art.* 1. *&* 5. & ex illo Azor infrà adducendus. Quod verò id ex Scriptura clarè colligatur, constat; tum ex illo Christi Domini mandato, quo dictum est Petro, *Pasce oues meas, & agnos meos*: & in Petro dictum est omnibus Ecclesiæ Pastoribus, ex quo loco euidenter colligitur, eos in suis Ecclesiis præsentes esse debere, eo quod in pastore propria cura, labor, opera, & industria personæ requiratur, vt bene probat Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 1. Tum etiam ex illo Ecclesiast. 7. *Pecora tibi sunt, attende illis.* Et ex illo 1. *Petri* 5. *Pascite, qui in vobis est gregem, &c.*

Secundò huic sententiæ valde suffragatur Concilium Trident. *loco suprà citato*, vbi clarè dicit, *Diuino præcepto mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* Et posteà subdit idem Concilium: *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenario um more deserunt.* Hæc Concilium. Vnde post illud nec quid probabilitatis ego in opposita opinione inuenio. Sic tenent Sotus *loco cit.* Caiet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 121. *vers. secundò*, Conarru. *lib.* 3 *variar. cap.* 13. (non 3. vt leges apud Filliuc. nec 2. vt apud Trullench) *n.* 3. Azor *loco citato*, vbi hanc sententiam veram, & certam appellat. Filliuc *tract.* 28 *part.* 1. *cap.* 6. *q.* 1. *dicto* 2. *num.* 104. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 5. Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 2. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 2. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. Marcus Vidal *loco cit. inquisit. vnica, num.* 2. vbi id docet ex communi sententia; Diana *part.* 10. *tr.* 14. *resol.* 66. Suarez, Basil. Pontius, Merolla, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO III.

An Cardinales Episcopi excusentur à residentia in suis Ecclesiis, si Romæ Summo Pontifici assistant?

AFfirmant quidam Doctores, moti ex eo quod Cardinales adstricti sint curæ vniuersalis Ecclesiæ, tenenturque assistere Pontifici, consulendo in rebus agendis, tangentibus totam Christianam Rempublicam. Sunt etiam, seu dicuntur pars corporis Papæ, nec possunt discedere à Curia sine licentia ipsius; igitur ex eo quod Romanæ Ecclesiæ seruiunt, quæ omnium Ecclesiarum Mater est, & aliarum Ecclesiarum sollicitudinem gerunt, haberi debent pro residentibus. Ita tenent Villadiego *de orig. Cardin. quæst.* 5. *art* 11. *&* 12. Gonzalez *in regul.* 8. *Cancellar. glossa* 24. *num.* 128. Parisius *de benefic. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 74. & alij, quos citat, & sequitur Hieronym. Gigas *tract. de resid. Episcop. cap.* 17. *num.* 30. quibus addit Diana Siculum Borbatiam (non Barbosam, vt legi apud Ausonium, *verb. Cardinales, num.* 1.) *tract. de Cardinal. quæst. vltima*, & Augustinum Germonium *tract. de Cardinal. §. tibi quoad vixeris, numero decimo.* His addit Azor *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 3. Oldradum *consil.* 48. Ioann. Andream *in cap. Ecclesia vestra* 2. *de elect.* Butrium *ibid.* Innocentium *in cap. iam dudum, de prebend.* Iacobatium *lib.* 1. *de Concil. fol.* 37. Andream Siculum *tract. de Cardin. q. vltim.* Martinum Laudensem *de Cardin. part.* 2. *quæst.* 42. *&* 44. affirmantes hanc fuisse communem omnium Iurisconsultorum sententiam.

Sed iam vt quid certum respondeo, non excusari præcisè ob illam causam, quia id clarè constat ex Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. cuius verba habes suprà *quæst.* 1. vnde post dictum Concilium, vt benè aduertit Azor, prima opinio, quamvis multorum Authorum iudicio confirmata fuerit, defendi non potest. Et maximè post Bullam bonæ mem. Vrbani Papæ VIII. vt notat etiam Diana infrà citandus. Igitur ex eo quod sint Cardinales, assistentes Summo Pontifici, non possunt licitè abesse à suis Ecclesiis, nisi speciali licentia, & facultate, ac indulgentia Pontificia, à residendi lege soluantur. Sic olim tenuere Panormitan. *in cap. bonæ memoriæ, de postulat. & cap. ex gestis, de Cleric. non resident. & cap. Ecclesia vestra* 2. *de elect. n.* 15. Imola *in cap. Ecclesia vestra, cit.* & Felinus *in cap. nonnulli, de rescript. num.* 65. Caiet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. Sotus *de iust. lib.* 10. *quæst.* 3. *art.* 4. Quos citat, & sequitur Azor *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 4. *q.* 7. *& cap.* 6. *quæst.* 2. Salonius 2. 2. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 2. *concl.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 5. Gonzalez *in regula* 8. *Cancellar. glossa* 24. *num.* 158. Sà *verb. residentia, num.* 1. Sanctarellus *variar. resolut. tom.* 1. *quæst.* 2. *per totam*, qui *num.* 5. optimè (ait Diana) excludit à residentia Cardinales illos sex, qui habent Episcopatus Vrbi proximos, & sunt Ostiensis, Portuensis S. Rufinæ, Tusculanus, Sabiniensis, Prænestinus, & Albanensis, qui quidem sex Episcopatus à sex antiquioribus S. R. E. Presbyteris Cardinalibus optantur. Diana *part.* 5. *tr.* 2. *resol.* 8. Filliuc. Trullench, & Machado *vbi suprà*, & iam omnes communiter.

QVÆSTIO IV.

An Episcopi possint exclusa vrgenti causa, abesse à suis Ecclesiis per aliquod breue tempus, hoc est, per tres menses?

NEgat Ioan. Vuiggers *de iust. tract.* 7. *cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 84.

Sed probabilius multò respondeo dicendum, quod possint per aliquod breue tempus, hoc est duorum, vel ad summum trium mensium, abesse absque culpa, modò id fiat sine detrimento Ecclesiæ, & non sine aliqua causa; quia abesse non dicitur, qui statim est reuersurus *l. postliminium*, §. *captiuis, l. nihil, ff. de captiuis.* Sic habetur in Tridentino *sess.* 23. *cit. cap.* 1. his verbis: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt, Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium, singulis annis, siue continuum, siue interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & habet rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento.* Hæc Concilium. Legantur Authores citati, & præcipuè Vidal *in arca Theol. tract. de resid. inquis. vnica, num.* 34. vbi docet, posse Episcopum absque vllo scrupulo, & culpa, per tres menses in anno abesse à sua Diœcesi, & Ecclesia, etiam animi, & recreationis gratia, vel amicos, aut consanguineos visendi. Ita ille, quem sequitur Diana *part.* 10. *tract.* 14. *res.* 67. & alij.

QVÆSTIO V.

An dentur aliquæ iustæ causæ, ob quas Episcopi possint, etiam per longius tempus, à suis Ecclesiis abesse?

REspondeo dari aliquas causas, quas ad quatuor capita redegit Trident. *sess.* 23. *cit. cap.* 1. quæ sunt ista: Prima enim legitimæ absentiæ causa est christiana charitas, secunda vrgens necessitas, tertia debita obedientia, quarta est euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas. Sic Concilium, & ex illo sic Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 4. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 6. *q.* 3. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. & 5. Marcus Vidal *in suo opere morali tract. de residentia, inquisitione vnica, num.* 5. & alij: circa quas legitimas absentiæ causas, aliquæ quæstiones tractandæ occurrunt, sit ergo circa primam.

QVÆSTIO VI.

An licitum sit Episcopis abesse à suis Ecclesiis, ob proximorum vtilitatem, aut necessitatem?

REspondeo dicendum, posse; quia id postulat ius charitatis, vt ait Sotus *lib.* 10. (non 4. vt legi apud Filliucium) *de iust. q.* 3. *art.* 4. *versu præterhac*: & ex illo Filliuc. *quæst.* 3. *cit.* his verbis: Prima est Christiana charitas, id est proximorum vtilitas ex Soto *loco citato*: Si enim aliqua Ecclesia esset in magno periculo hæresis, vel magnæ inimicitiæ inter aliquos Magnates, & Episcopus sua præsentia prodesse posset, liceret abesse à propria Ecclesia, dummodo id non cederet in notabile nocumentum ipsius. Hæc Filliucius, & ex illo non citato, Trullench *vbi suprà.* Azor *cap.* 4. *cit. q.* 4. *vers. ad primum*, & Machado *docum.* 5. *cit. num.* 1. sic dicens: *La primera causa de ausencia, es la caridad christiana, en laqual comunmente afirman los Dotores, que se contiene la vtilidad de los proximos, como seria, si la presencia del Obispo fuesse necessaria para socorrer el daño de alguna heregia, ò para componer algunas pazes, ò cosa semejante, que redundasse en bien publico, como fuesse sin daño notable de sus subditos.* Sic ille, & Toletus *lib.* 5. *summa, cap.* 4. *num.* 3. Sanctarellus *variar. resol. quæst.* 3. *n.* 5. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 6. Marcus Vidal *loco cit. num.* 6. & alij. Et hæc de prima causa. Circa secundam verò, quæ est vrgens necessitas, sit.

QVÆSTIO VII.

An vrgens necessitas personalis Episcopi, sit legitima causa absentiæ à sua Ecclesia?

REspondeo quod sic, quia sic intelligunt communiter Doctores secundam causam, quam Concilium assignat, nempe vrgens necessitas. Sic Machado *loco cit. docum.* 4. *num.* 3. per hæc verba: *Digo pues que la primera causa* (tu lege, *la segunda*) *porque el Concilio permite, que licitamente se pueda ausentar el Obispo, es la vrgente necessidad: à laqual los Doctores comunmente redusen todas las causas personales que por esta vrgente necessidad se le puedan ofrecer: lasquales porque no estan expressadas en el Concilio, toda via quedan dudosas, y controuersas.* Sic ille, & omnes communiter, præcipuè mox citandi. Sit ergo pro declaratione maiori huius causæ.

QVÆSTIO VIII.

An Episcopus possit licitè abesse à sua Ecclesia per longum tempus, ob morbum grauem curandum?

NEgant Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 7. & decisum refert Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarra lib.* 2. *tit.* 23. *l.* 2. §. 2.

Sed longè multò probabiliùs respondeo, posse licitè abesse; quia reverà occurrit illi vrgens necessitas morbi periculosi curandi: ergo iuxta beneplacitum Concilij abesse tunc potest à sua Ecclesia, etiam per longum tempus, dummodo interim populo consulat per Vicarium, & nullum detrimentum patiatur Ecclesia sua, ex sua absentia. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 4. *vers. ad secundum.* Toletus *lib.* 5. *sum. cap.* 4. *num.* 3. & 7. Cattanza *in tract. speciali de residentia Episcop. cap.* 12. Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3. *n.* 106. Trullench *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Machado *docum.* 4. *cit. num.* 3. ibi: *La primera duda es, quando el Obispo padece alguna tan graue enfermedad, que si no se ausentasse à buscar mejor temple, pudiera peligrar su vida, que en tal caso, aunque algunos lo niegan, es comun opinion que licitamente se puede ausentar todo el tiempo que fuere necessario para conseguir salud, principalmente si su Iglesia no padeciesse graue daño espiritual por su ausencia.* Sic ille, & benè, si demas illud verbum,

verbum, *principalmente*. Sic etiam Marcus Vidal *loco cit. inquisit. vnica, num.* 7. ita dicens: Secunda causa est vrgens necessitas, vt si absit ob aëris intemperiem, vel ob corporis infirmitatem, vel ob capitales inimicitias, &c.

QVÆSTIO IX.

An Episcopi teneantur ex iustitia tempore pestis à sua Ecclesia non discedere?

REspondeo tanquam certum, teneri à sua Ecclesia non fugere, aut discedere, sed ibi permanere, etiam cum vitæ periculo manifesto; in casu saltem, in quo non relinquant sufficientes substitutos, de quo infrà. Probatur, quia spiritualis salus gregis præponderat corporali vitæ Pastoris, iuxta illud *Ioan.* 10. *Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis.* Ergo cùm periculum immineat de salute gregis, tenetur pastor de iustitia, & ex officio vitam propriam exponere pro salute spirituali sui gregis: atqui verè imminet hoc periculum de salute gregis, non solùm infirmorum, & contagione pestis infectorum, sed etiam bene valentium, si non relictis substitutis tunc grex deseratur: ergo tenentur Episcopi (& idem dic de aliis Prælatis) eum non deserere, etiam cum periculo vitæ. Sic tenent omnes communiter, præcipuè Ripa 2. *p. de priuat. contract. cap. pestis, n.* 147. Rebuff. *in praxi beneficiali, cap. dispensatio, de non residendo, fol.* 350. malè citans Ripam in oppositum; Imola *in cap. fin. de Cleric. non resident.* Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. *versu quarta conclusio.* S. Thom. *super cap.* 10. *Ioan. lect.* 3. *& quodlib.* 12. *quæst.* 18. *art.* 3. *&* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 4. *&* 5. vbi *in corp.* ita dicit: *Vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor, neque etiam propter periculum vitæ, gregem deserere.* Sic Sanctus Doctor, & ibi Caiet. Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 3. *art.* 4. Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 44. *de præceptis, & ritu extremæ Vnctionis, sect.* 3. *num.* 10. Gallego *de obligatione parochor. tempore pestis, part.* 1. *num.* 18. quos omnes citat, & sequitur Fagundez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 29. *num.* 2. vbi ait, id à nemine negari. His adde Toletum, Carranzam, Barbosam, & alios, quos sequitur Machado *docum.* 4. *citato.*

QVÆSTIO X.

An saltem possint Episcopi à sua Ecclesia tempore pestis abesse, si relinquant Vicarios, seu substitutos sufficientes ad ministranda Sacramenta, & alia spiritualia suis ouibus?

NEgandum adhuc videtur, eo quod tunc cùm dimittant suas oues, iam non officium Pastorum exequuntur, sed mercenariorum, iuxta illud *Ioan.* 10. *Mercenarius, & qui non est pastor, dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est.* Ergo. Ob id sic sentit Melchior Gallegus *tract. de Parochi obligat. tempore pestis, part.* 1. *num.* 22.

Sed omninò respondeo dicendum, tunc abesse posse licitè, neque culpandos vt mercenarios, quia mercenarius nondicitur ille, qui fugit (hoc enim D. Athanasius, & alij Sancti licitè fecerunt:) sed ille, qui dimittit oues sine pastore, vt optimè notat D. Thomas *lect.* 3. *super cap.* 10. *Ioannis*: ergo quando Episcopi relinquunt alios Pastores, seu Vicarios, aut substitutos, qui regant, pascant, & sufficienter gregem gubernent, & Sacramenta, & pabula spiritualia ministrent, minimè censendi sunt mercenarij, aut oues dimittere. Ratio est quia; cùm præsentia Episcoporum, & aliorum Pastorum præcipuè requiratur propter administrationem Sacramentorum, cum necessaria doctrina & exhortatione ouium, vt dixit Trident. *sess.* 23. *de residentia Prælatorum, cap.* 1. si hæc fiant per sufficientes Vicarios, seu substitutos, satisfacere videntur suæ obligationi. Sic Fagundez *n.* 5. *&* 8. Filliuc. & Trullench *locis citatis.* Sic etiam Azor *part.* 2. *lib.* 7. *c.* 4. *quæst.* 4. ibi: Ad secundum caput reuocatur, cùm quis ad tempus abest, ob morbum curandum, bellum, hostium incursus, pestem sæuientem, aëris intemperiem, vel ob inimicitias, odium, vel offensionem Principis, vel populi declinandam, &c. sic ille, loquendo de Parocho; sed idem diceret de Episcopo. Sic etiam Machado *loco citato, num.* 4.

QVÆSTIO XI.

An Episcopi, qui sic aliis suo loco relictis, à suis Ecclesiis discedunt, teneantur adhuc curare de grege suo?

REspondeo dicendum, teneri, & sub mortali, omnem curam adhibere, vt crebrò certiores fiant de incolumitate vitæ, & bono regimine Vicariorum, aut substitutorum suorum, & inquirere, an id quod sui muneris est, præstent, & an aliquid spirituale suis ouibus deficiat. Quia ad omnia hæc ex officio, quo funguntur, tenentur, vt dixit Tridentinum *sess.* 23. *de residentia Prælatorum, cap.* 1. Sic Fagundez *vbi suprà, num.* 6.

QVÆSTIO XII.

An Episcopi, casu, quo tempore pestis in suis Ecclesiis permaneant, teneantur per se ipsos Sacramenta peste infectis ministrare?

AFfirmandum videtur. Quia Episcopi ratione sui muneris non solùm tenentur ad procurandum bonum animarum sibi commissarum, sed etiam bonum istius, aut illius particularis subditi: ergo tenentur huic, aut illi subdito particulari Sacramenta præbere.

Sed vt quid certum respondeo, non teneri Episcopos in casu dicto, per seipsos immediatè huic, vel illi personæ, siue peste infectæ, siue non, Sacramenta ministrare, nisi in casu, quo alij ministri, qui id possint efficere, deficiant. Ratio est, quia Episcopus magis obligatur multitudini, quàm singulari personæ: sed sic est, quod si Episcopus per se immediatè, & personaliter tempore pestis Sacramenta administret, imminet periculum multitudini, si ex dicta Sacramentorum administratione Episcopus moriatur: ergo non tenebitur per se immediatè, & personaliter Sacramenta administrare, nisi in subsidium aliorum ministrorum, & in casu quo alij deficiant, qui id possint sufficienter efficere. Sic D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 14. *&* *quodlib.* 3.

quodlib. 3. *art.* 17. & 2. 2. *quaest.* 184. *art.* 7. Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quaest.* 1. Suarez *tom.* 4. *de poenit. disp.* 44. *de pracep. & ritu Extremae Vnctionis*, *sect.* 3. *num.* 10. Nauarr. *cap.* 24. *num.* 18. Toletus *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 5. Sà *verbo charitas*, quos omnes refert, ac sequitur Fagundez *vbi suprà, num.* 8. sed ex his non bene refertur Sà, nam loco citato potiùs fauet opposito, dum *num* 3. hæc verba profert: Qui non est eius Prælatus, aut Parochus, non tenetur inuisere peste infectum cum vitæ periculo, nisi salus animæ eius omninò tali visitatione indigeat. Hæc Sà: ergo si fuerit Prælatus, ad id tenebitur, in eius sententia.

QVÆSTIO XIII.

An Episcopi teneantur tempore pestis deputare aliquos ministros idoneos, qui tam sanos, quàm infirmos visitent, & consolentur?

Respondeo vt quid certum, teneri ad id deputare aliquos Sacerdotes idoneos, qui numerò sibi visi fuerint sufficientes, quatuor v. g. vel plures, & fortibus, si fuerit necessarium, eligere, qui ad infirmos accedant, & qui ad sanos; & illis extinctis, è reliquis alios sorte eligere, si nulli sint, qui se ad id sponte offerant. Et in locis, in quibus ordinariè vnus tantùm Sacerdos existit, debet alterum Sacerdotem coadiutorem mittere, quorum alter ad infirmos, alter ad sanos destinetur: & si huiusmodi coadiutor sortem infirmorum eligere noluerit, tenetur curatus loci, cui ex officio id incumbit, sortem infectorum eligere. Ita omninò Fagundez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 29. *n.* 10. & Turrecremata *cap. aduersus*, §. *hoc etiam*, *num.* 2. 7. *q.* 1. & ex Rutilio Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quaest.* 1. *versu adde quod Rex, post concl.* 4. Lege me ipsum *part.* 6. *tract.* 9. *disp.* 2. *quaest.* 84. vbi vt certum dixi, posse tempore persecutionis Ecclesiæ, aut pestis, mitti sortem ad dirimendam controuersiam, quis ex Dei ministris, aut medicis permansurus sit, aut recessurus.

QVÆSTIO XIV.

An Episcopi teneantur assistere suo gregi tempore persecutionis contra fidem, aut Ecclesiam?

Respondeo vt certum teneri, si ex ipsorum absentia magnum periculum immineret populo, secus si aliàs nullum immineret. Id constat ex dictis, & testatur communis Doctorum opinio, vt ait Machado, ita dicens: *Comunmente afirman los Doctores, que si la persecucion es solo contra el Obispo, seguramente puede ausentarse, como lo hazian S. Pablo, y otros muchos Prelados de la Iglesia. Mas si la persecucion fuesse contra todo el pueblo, y su persona hiziesse notable falta à sus ouejas, pecaria grauemente en desampararlas; però no, si su presencia no fuesse tan necessaria, ò la pudiesse suplir con la assistencia de otra persona tal. Si bien nadie dudara, que en qualquier acontecimiento seria mas grato à Nuestro Señor assistir con sus ouejas, y dar por ellas, si necessario fuesse, la misma vida, como buen Pastor.* Hæc Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. *num.* 5. ex Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 9. & Molfesio *in sum. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 32. Lege Angel. Maria Verricelli, *de Apostolic. Mission. tit.* 15. *quaest.* 284. vbi inquirit, an Episcopus, qui habet Ecclesiam in loco, vbi omnes incolæ totius Diœcesis sunt schismatici, & incorrigibiles, vt nulla adsit spes proficiendi apud illos, teneatur nihilominus residere in sua Ecclesia?

Et respondet quod sic, licèt possit ex Apostolica licentia talem populum deserere. Sic ille, dicens ita esse decisum à Sac. Congreg. 2. Septemb. 1617. Et hæc circa secundam causam absentiæ. Circa tertiam sit.

QVÆSTIO XV.

An Episcopus possit abesse à sua Ecclesia, seu Episcopatu, ex eo quod vocetur à Pontifice?

Respondeo tanquam certum, posse; quia tunc abest ob debitam obedientiam, quæ est tertia legitima absentiæ causa, assignata à Tridentino, vt habitum est suprà *quaest.* 5. Sic Nauarr. *cap.* 25. *num.* 121. *vers. tertia causa*, Azor *lib.* 7. *cit. cap.* 4. *quaest.* 4. licèt hic Author ibi de Parocho loquatur. Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *quaest.* 3. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 2. Machado *loco cit. docum.* 5. *num.* 2. ita dicens: *La segunda es la deuida obediencia, à la qual reducen comunmente los Doctores, quando algun Obispo es llamado por el Pontifice, para algun negocio importante de la Iglesia, ò Republica Christiana, que entonces licitamente puede ausentarse de su Obispado.* Sic ille ex Carranza, & Barbosa. Sic etiam Vidal *tract. de residentia, inquisit. vnica, n.* 8. *pag.* 489.

QVÆSTIO XVI.

An sit iusta causa, vt Episcopus absit à sua Ecclesia, quod fiat à Pontifice Summus Pœnitentiarius, Cameræ Apostolicæ Thesaurarius, Auditor Rotæ, &c.

Negant hanc esse iustam causam absentiæ, seu non residendi, eo quod huiusmodi munera commodè alij ab Episcopis exequi queant, Caiet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. & Sotus *lib.* 10. *de iust. quaest.* 3. *art.* 4. *vers. perplacet*, vbi ita ait: Pari modo, si citra Concilium expedierit Papæ, propter egregiam doctrinam, aut singularem authoritatem personæ, aliquem Episcopum accersere, cuius consilium in commune bonum capiat, licebit quidem ad tempus eum è sua Sede euocare. At verò, si quia eleganter scribit, aut psallit, vult illo pro amanuensi, vel cantore vti; vel vult eum esse Auditorem Cameræ, aut Rotæ, cùm id non sit necessarium per Episcopum exequi, imò abundant, qui eiusmodi prouinciis obeundis præsto adsint, profectò non est legitima apud Deum excusatio; eo potissimùm, si residentia, vt verè res habet, iure diuino sit necessaria. Hæc Sotus, quem sequitur Vasq. *de benef. cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 141. cum aliis, quos citat.

Sed distinctiùs respondeo dicendum, quod verè non sit iusta causa, vt Episcopus à lege residendi, Summi Pontificis consensu, dissoluatur, si ab ipso Pœnitentiarius, Thesaurarius, Auditor Rotæ, Camerarius, aut Vicecancellarius, &c. fiat, casu, quo alij adsint satis idonei ad hæc munera, & officia obeunda

obeunda. Secus verò si desint, qui his muneribus pares esse possint; quia tunc iusta datur causa, vt Pontifex licitè Episcopum his officiis præficiat, & facultatem concedat, vt à sua Ecclesia absit. Sic Azor *part.2. lib.7. cap.4. q.5.* & anteà *q.3. versu & quamuis*, Palaus *tom.2. tract.13. disp.6. punct.4. n.8.* & alij. Legatur Machado *loco citato*. Et hæc de tertia causa, circa quartam sit.

QVÆSTIO XVII.

An sit iusta causa, vt Episcopus à sua Ecclesia absit, quod ad Concilium generale, vel prouinciale vocetur?

REspondeo tanquam certum, esse iustam causam, quia hîc interuenit euidens Ecclesiæ vniuersalis vtilitas, quam esse iustam causam absentiæ, dixit Concilium Tridentinum, vt vidimus *q.5.* Sic communiter Doctores apud Barbosam *de potest. Episcopi 3. p. allegat. 53. à num.14.* & apud Marcum Vidal. *loco cit. num.9.*

QVÆSTIO XVIII.

An item sit iusta causa, vt Episcopus à sua Ecclesia absit, quod exeat ad aliquid pro ipsamet sua Ecclesia procurandum, vel ad eius iura defendenda?

REspondeo tanquam certum, etiam hanc esse iustam causam eius absentiæ. Sic communiter etiam Doctores, Barbosa *loco citato*, Filliuc. *tract.28. part.2. cap.6. q.3.* Trullench *lib.4. cap.1. dub.8. n.2.* Machado *lib.4. part.6. tract.17. docum.5. num.3.* vbi inquit: *La vltima causa es la euidente vtilidad, que à la Iglesia, ò Republica se le sigue de la ausencia del Obispo. Vtilidad de la Iglesia seria, segun dotrina comun de los Doctores, ausentarse della para defender sus derechos, libertad, ò immunidad. Ir llamado al Concilio general, ò Prouincial.* Sic ille, & Vidal *loco citato.*

QVÆSTIO XIX.

An rursus vtilitas Reipublicæ sit causa iusta, vt Episcopus possit à sua Ecclesia abesse?

REspondeo vt certum, etiam esse iustam causam, casu, quo æquè benè per alium, quàm per Episcopum consuli vtilitati Reipublicæ non possit. Sic habetur in Tridentino, *vbi suprà*, & docent Authores citati, præcipuè Machado *vbi suprà*, ita prosequens: *Assi mismo se entiende por vtilidad euidente della Republica, quando la necessidad della, ò del Obispado, ò de todo el Reyno fuesse tal, que no huuiesse para remediarla persona tan à proposito, como la del Obispo, que en tal caso, como consta del derecho, cap. cùm parati, de appellat. se puede ausentar de su Obispado, por Procurador, ò Embajador.* Hæc Machado.

QVÆSTIO XX.

An sit iusta causa, vt Episcopus absit à sua Ecclesia, si à Rege eligatur in suum Confessorem, in Castellæ Præsidem, aut Consiliarium, &c.

NEgant communiter Doctores, licèt alij non pauci id affirment, vt fatetur Machado *lib.4. part.6. tract.17. docum.5. citato*, vbi *num.4.* ita scribit: *La mayor difficultad desta materia consiste en auerigar, si los Obispos, Arçobispos, &c. aquienes su Majestad ocupa en su seruicio, haziendoles sus Confessores, Virreyes, Presidentes, ò Consejeros, puedan licitamente estar ausentes de sus Obispados. Muchos Autores (como son Selua, Boërius, Zeuallos, & alij, quos refert Garcia de Benefic. 3. p. cap.2. num.389.) lo niegan, sino es en caso tan apretado, que no huiesse otras personas idoneas, que pudiessen acudir à essos ministerios; y entonces, interuiniendo tambien licencia del Pontifice, porque como hemos dicho, la assistencia de los Obispos proviene de derecho diuino. Otros muchos (como son Azor, vbi suprà, cap.4. Graff. de effect. Clericor. effectu 61. & alij apud Garciam, à num.338.) defienden la parte afirmatiua: fundanse, en que los Reyes de España tienen esta facultad por priuilegios concedidos por la Sede Apostolica, ò por immemorial costumbre introducida legitimamente en su fauor.* Hæc Machado.

Sed clariùs ego respondeo primò sic. Certum est, quod si Reges Hispaniarum habeant à Sede Apostolica priuilegium ad hoc, vt Episcopus electus in Confessorem, Protegem, Præsidem, &c. absit à sua Ecclesia, quod tuta conscientia ab ea abesse possit. Si verò tale priuilegium non habeant (quod ego magis credo) minimè possit abesse sine licentia expressa Apostolicæ Sedis, vt omnes vtriusque sententiæ Authores supponunt.

Respondeo secundò. Nulla datur iusta causa, vt quis Episcopus à lege residendi Pontificis consensu soluatur, eo quod sit Regis Confessarius, Prorex, Castellæ Præsidens, &c. casu, quo adsint alij ab Episcopo, qui his muneribus pares esse possint. Benè tamen si pares non adsint, quia tunc licitè poterit Pontifex concedere facultatem Episcopo vt à sua Ecclesia absit. Id, & non aliud, docet Azor. *loco citato* à Machado, & non loquendo de hoc casu, sed de simili, quem habes *q.16.* sic tenent etiam Palaus *tom.2. tract.13. disp.6. punct.4. n.9.* Vasq. *opusc. de benef. cap.4. §.2. n.140.* & alij.

QVÆSTIO XXI.

An saltem ob officium Inquisitoris Generalis possit Episcopus à sua Ecclesia abesse?

AFfirmat Vasq. *loco cit. n.139.* quia vix (inquit) hoc officium per alium, quàm per Episcopum potest præstari.

Sed probabiliùs respondeo, non posse ob id à sua Ecclesia abesse; quia in Hispania hoc officium sæpè commissum est non Episcopis, & ab eisdem legitimè præstitum. Sic Palaus *loco cit. n.10.* & penes ipsum, Gonzales, Riccius, & Barbosa.

QVÆSTIO XXII.

An quando causæ præfatæ absentiæ Episcopis occurrunt, sint examinandæ, & approbandæ ab aliquo Superiori?

REspondeo vt certum, quod sic; quia ita decreuit Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de residentia*, his verbis: *Decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas, à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scripto esse approbandas; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Prouinciali spectabit iudicare de licentiis à se, vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis Canonicis errantes puniantur.* Hæc omnia Concilium, de cuius decreto mentionem faciunt Azor 2. *p. lib.* 7. *cap.* 4. *q.* 9. *vers. In Episcopis verò.* Filliuc. *q.* 3. *cit.* & Trullench. *num.* 2. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An quando subita necessitas occurrit, qua Episcopus nequeat adire Papam, vel Metropolitanum, facultatem impetrandi causâ, fas sit illi abesse absque Superioris consensu?

REspondeo tanquam certum, tunc licere Episcopo absque consensu Superioris abesse. Tum quia id concedit eis Tridentinum, vt constat ex illis verbis nuper adductis: *Nisi cùm absentia inciderit*, &c. Tum etiam, quia subita necessitas, cùm grauis sit, moram non patitur. Et ideò sic tenent (etiam loquendo de Parocho) Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, & Selua, quos citat, & sequitur Azor *cap.* 4. *citato, quæst. vltima.*

QVÆSTIO XXIV.

An Pontifex possit absolutè, & propriè in lege residentiæ dispensare?

NEgant omnes Doctores, qui docent, non posse Pontificem propriè, & absolutè in voti, aut iuramenti obligatione dispensare, sed solùm declarare, in tali, vel tali casu non obligare; eo quod talis obligatio sit iuris diuini, in quo non potest dispensare, licèt possit declarare, aut interpretari. Ita tenent Authores citati à nobis *part.* 7. *tract.* 1. *de iuram. disp.* 17. §. 1. *q.* 3. & loquendo de iure, & lege residentiæ, ita tenent Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. q 4. *num.* 107. quem citat, & sequitur Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. *prope finem*, & Marcus Vidal *inquisit. vnica citata, numero* 11. vbi id quasi quid certum supponit.

Sed ego multò probabilius respondeo, posse Pontificem absolutè, & propriè in lege, & iure diuino in residentia Prælatorum iustis de causis dispensare; quia multò probabilius iudicaui id etiam posse in obligatione voti, & iuramenti, quamuis sit iuris diuini, quod latè probaui *loco citato.* Legantur ibi dicta, & applicentur ad nostrum casum.

QVÆSTIO XXV.

An Episcopi non residentes in suis Ecclesiis, aliquas pœnas incurrant?

REspondeo vt certum dicendum, quod Episcopi, qui absque legitima causa à suis Ecclesiis absunt, pro rata temporis amittunt fructus, & adeptos tenentur statim ante condemnationem restituere. Hanc pœnam constituit Episcopis Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de resident. cap.* 1. his verbis: *Si quis autem (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo III. (supra sess. 6. de reformat. cap. 1.) impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque priuilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ concessis.* Hæc Concilium, de cuius decreto agunt Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 5. Flam. *de resignat. lib.* 1. *q.* 10. *num.* 32. Filliuc. *loco cit. q.* 5. Trullench *vbi suprà*, Graffis *lib.* 3. *decis. aurear. cap.* 2. *num.* 20. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. *num.* 1. vbi aduertit, *que si la ausencia fuere de seys meses, pierda el Obispo la quarta parte de sus rentas; y si de otros seys meses, otra quarta parte, y si la ausencia passare de esse tiempo, el Metropolitano tenga obligacion de dar quenta della al Pontifice dentro de tres meses.* Sic ille, & benè, quia sic Concilium *sess.* 6. *de reformat. cap.* 1. Lege dicenda à nobis infrà *tract.* 7. *de paroch. disp.* 6. *à quæstione* 1.

DISPV

DISPVTATIO VII.

De obligatione, quam habent Episcopi visitandi suas Ecclesias.

QVÆSTIO PRIMA.

An Episcopi teneantur visitare Ecclesias, & populos sibi commissos?

RESPONDEO vt certum, teneri visitare; quia sic decernitur iure communi, *cap. decernimus, & cap. Episcopum, & cap. placuit* 10. q. 1. & in Trident. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* & ideò sic sentiunt omnes. Legantur Gutierrez *practicar. lib.* 1. *q.* 45. Azeuedo *lib.* 3. *num.* 9. *tit.* 14. *lib.* 8. *noua recopilat.* Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. visitatio*, Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 6. & alij plures apud Barbosam *in remiss. Doctorum in varia loca Concilij, sess.* 22. *de reform. c.* 8.

QVÆSTIO II.

An Episcopi teneantur visitare suas Ecclesias per seipsos?

REspondeo dicendum, quod attento iure communi debeant per seipsos Ecclesias visitare, nisi morbo, aut aliis occupationibus fuerint legitimè impediti, quia tunc per alios idoneos Presbyteros, aut Diaconos hoc visitationis iussum adimplere debent: sic enim habetur *in cap. decernimus, cap. Episcopum, & cap. placuit, nuper citatis.* At attento iure nouo Tridentini *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* debent visitare suas Ecclesias, aut Diœceses per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suos Vicarios generales, aut Visitatores. Sic omnes Doctores. Legantur ex citatis Azor *cap.* 40. *q.* 1. & 4. Zerola *verb. visitatio, vers. ad primum*, vbi aduertit, idem esse dicendum de omnibus habentibus ordinariam iurisdictionem in aliquos. An idem sit dicendum loquendo de visitatione Ecclesiarum Cathedralium, dicemus *quæst.* 7.

QVÆSTIO III.

An Episcopi cogantur suas Diœceses quotannis visitare?

REspondeo dicendum, quod teneantur quotannis visitare, si Diœcesis non sit valdè lata, seu ampla, quia tunc solùm tenebuntur singulis annis visitare maiorem partem; itavt totam biennio visitare non prætermittant. Sic expresè Tridentinum *cap.* 3. *cit.* his verbis: *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem: ita tamen vt tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.* Sic Concilium, & sic omnes. Legantur citati.

QVÆSTIO IV.

An Episcopi, aut alij locorum Ordinarij possint, si velint, visitare non solùm semel, sed pluries, in singulis annis, suas Ecclesias, &c.

REspondeo vt certum, posse toties quoties fuerit omninò necessarium. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 41. *q.* 5. vbi sic quæstioni satisfacit: Respondeo, quod attinet ad obligationem ordinariam, semel tantùm cogi in singulis annis, *cap. mandamus, de offic. Archidiaconi, cap. visitandi, & cap. non semel* 17. *& cap. mandamus* 18. *q.* 2. Glossa *in capite si Episcopus, de offic. Ordinarij in* 6. Toties verò possunt Ordinarij locorum visitare, quoties aut necessaria causa, aut recepta consuetudo postulauerit, aut speciale priuilegium id requirat. Glossa *in prædicto cap. mandamus, & in cap. conquerente, in verbo annua, de offic. Ordinarij.* Hæc Azor.

QVÆSTIO V.

An si Visitator sit Episcopus, debeat primò Ecclesiam Cathedralem, eiusque Capitulum visitare?

REspondeo dicendum, debere priùs visitare Ecclesiam Cathedtalem, eiusque Capitulum: deinde cæteras Ciuitatis Ecclesias, & postremò reliquas in Diœcesi sitas. Sic Azor *lib.* 3. *cit. c.* 41. *q.* 4. Vgolin. *de offic. Episcopi c.* 49. & alij apud Machadum *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 7. *docum.* 1. *n.* 2. *& tract.* 17. *docum* 6. *n.* 2. sed multos ex illis non benè citat hic Author.

QVÆSTIO VI.

An si Visitator sit Archiepiscopus, post visitationem suæ Ecclesiæ, & Diœcesis debeat visitare Suffraganeorum Ecclesias?

AFfirmat Azor *loco cit.* his verbis: Si verò Archiepiscopus sit Visitator, Ecclesiæ suæ Capitulum primò visitabit, deinde ciuitatis Ecclesias, mox Ecclesias propriæ Diœcesis, tandem Suffraganeorum Ecclesias, ac proinde Suffraganeos suos, eorumque Subditos, Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, pia, & religiosa loca, Clerum, & Populum. Hæc Azor ibi, *& part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 30. *in principio.*

Sed iam vt certum respondeo non debere, nec posse, quia licèt olim, attenta dispositione iuris communis, *in cap. Romana, de cens. lib* 6. *& cap perpetuò, eod. tit.* deberet Diœceses suorum Suffraganeorum visitare, at hoc ius reformatum fuit per Concil. Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. cap* 3. ibi: *A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum comprouincialium nisi causa cognita, & probata in Concilio Prouinciali* Hæc Concilium. Vnde constat, quod illud antiquum ius solùm habere potest locum, causa cognita in Concilio Prouinciali, propter absentiam Episcopi, vel negligentiam, vel aliquod huius generis, §. *sed aliud est* 9. *q.* 3. *& cap. conquestus, ibidem.* Sic tenet Zerola *in praxi Episcop. verbo visitatio, §. ad tertium.*

QVÆSTIO VII.

An Episcopi teneantur visitare Ecclesias Cathedrales, earumque Capitula per proprias personas?

AFfirmandum videtur, eo quod expresse Concil. Tridentinum *sess.6. cap.4. de reformat.* statuat, *quod Capitula Cathedralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum illarumque persona, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, &c. tueri se possint, quominus à suis Episcopis, & aliis maioribus Prælatis, per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta Canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apostolica, possint & valeant.* Hæc Concilium. Cùm igitur clarè dicat, quod prædicta Ecclesiarum Cathedralium Capitula, &c. à suis Episcopis per seipsos solos visitari valeant, clarè etiam constat, non posse per suos Vicarios visitari. Et ideò ita sentiunt aliqui Doctores.

Sed probabiliùs respondeo, non teneri Episcopos visitare Ecclesias Cathedrales, earumque Capitula per proprias personas: sed benè posse per alios, nempe per suos Vicarios, aut Visitatores. Id enim constat ex dictis suprà q.2. Vnde quando Concilium dicit, quod Episcopi per se ipsos solos dictas Ecclesias visitent, non denotat, quod personaliter debeant Episcopi interesse, sed id addidit ad excludendos adiunctos à Capitulo, ad id designari solitos. Ac si Concilium dicat; ad celebrandam visitationem Capituli Ecclesiæ Cathedralis, aut aliarum maiorum, decernimus non constringi Episcopum adiunctos vocare, sed id libertati eius relinquimus, modò velit, quos sibi videbitur, in socios sumere, vel absque adiunctis visitare. Vnde constat, non prohibuisse Concilium, quod Episcopus possit visitationem delegare. Sic Nauar. *lib.1. consil. de offic. indic. Ordin. consil.3.* & latissimè id defendit Sancius *in selectis disp.50. à num.20.* Legatur Machado *lib. 4. part.6. tract.7. docum.1. num.1.*

QVÆSTIO VIII.

An alia loca debeant Episcopi visitare?

REspondeo vt certum, debere. Nam tenentur visitare omnes Congregationes, Conuentus, Hospitalia, Collegia, Societates, seu Confraternitates clericorum, vel laïcorum, Capitula, cœnobia, & loca communia pietatis, beneficia curata, etiamsi sint perpetuò vnita, & annexa Cathedralibus, Collegiatis, aut aliis Ecclesiis, Oratoria, in quibus celebratur Missa, Ecclesias sæculares, quæ nullius Diœcesis esse dicuntur. Sic colligitur ex Concil. Trident. *sess.6. de reformat. cap.7. & 8. & sess.21. cap.8. & sess.22. eod. cap.8. de reformat. & sess.24. cap.9. de reformat.* Legantur Azor *part.2. lib.3. cap.40. q.10. & sequentibus*, Zerola *in praxi Episcop. 1. p. verbo visitatio, §. ad tertium*, & alij Doctores, quos adducit Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess.22. de reformat. cap.8.*

QVÆSTIO IX.

An Hospitalia, Collegia, seu Confraternitates, quæ sub Regum immediata protectione sunt, poßint visitari ab Episcopis sine illorum licentia?

REspondeo vt quid certum, quod non possint, quia sic decreuit Trident. *sess.22. de reformat. cap.8.* (non 18. vt legi apud Azorium, & Barbosam *vbi suprà*) ibi: *Habeant ius visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas Scholas, siue quocumque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.* Sic Concilium. Legantur Azor *cap.40. cit. q.13.* Barbosa *super cap.8. Trident. cit.* vbi *num.3.* ait, in hac exceptione non comprehendi omnia Hospitalia, quæ sunt in ditionibus, aut Regnis ipsorum Regum, sed solùm illa Hospitalia, quæ expressè reperiuntur esse sub Regum protectione. Et *num.5.* dicit, censuisse Congregationem, quod si Episcopo aliquod Hospitale visitare volenti, iuxta *cap.8. sess.22.* opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, vtique non ad sæcularem iudicem, sed ad ipsummet Episcopum talis exceptionis cognitio, vel definitio pertineat.

QVÆSTIO X.

An Hospitale, quod non est auctoritate Episcopi fundatum, possit ab Episcopo visitari?

AFfirmandum videtur, quia absolutè Concilium tribuit Episcopo ius ad visitanda Hospitalia, vt nuper vidimus: atqui Hospitale, etiam sine auctoritate Episcopi extructum, est verè Hospitale: ergo.

Sed vt quid certum respondeo, non posse visitari ab Episcopo sine consensu Fundatoris, si superstes sit. Ratio est, quia Hospitale fundatum absque auctoritate Episcopi, dum fundator viuit non est locus pius, aut religiosus, sed profanus, & non religiosus: ergo non potest ab Episcopo visitari sine licentia illius, qui illud fundauit, aut dotauit. Nec obstat Concilium, quia Concilium disponit, hoc posse Episcopum in casibus à iure concessis, sed cùm hoc non sit sub eius dispositione, cùm non sit quid religiosum, aut pium, sed profanum, vt dictum est, non loquitur de illo Concilium. Sic Socinas *tract. de visitat. num.14.* quem citat, & sequitur Azor *cap.40. cit. q.12. fine*, Zerola *verb. Hospitale, §. ad primum*, qui id limitat, modò tale Hospitale non habeat formam Ecclesiæ, vel si in eo celebretur, quia hoc non potest fundari sine Episcopi auctoritate. Legatur Machado *lib. 4. part.6. tract.7. docum.8.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

An saltem possit Episcopus visitare Hospitale, absque sua auctoritate extructum, post mortem ædificantis?

NEgant adhuc aliqui Doctores, eo quod tale Hospitale non fuerit fundatum auctoritate Episcopi, & consequenter nec post mortem illius, qui illud extruxit, aut dotauit, potest dici locus pius, aut religiosus, sed profanus. Ita tenent Paris. *consil.*34. *num.* 16. *lib.*4. Velasquez *consil.*105. *num.*50. Abbas *in cap. finali, notab.*1. *de censib.* & Gabriel *consil.* 195. *num.*15. *lib.*2. quos pro hac parte refert Machado *lib.*4. *part.*6. *tract.*7. *docum.*8. *num.*6.

Sed probabiliùs respondeo, posse Episcopum visitare Hospitale post mortem ædificantis, & videre si cuncta procedunt secundum ordinationem defuncti; necnon & videre computa, & administrationem Rectorum, & Procuratorum illius; & si reperit Rectorem positum per hæredes defuncti, perperam administrare, potest eum renocare, & alium instituere. Ratio est, quia licèt tale Hospitale non sit, strictè loquendo, locus religiosus, & sacer, vt nuper diximus, nihilominus dicitur locus pius, venitque appellatione piorum locorum, eo quod ad pios vsus ædificatum sit, vt docent Abbas, Selua, & Siluester, quos citat, & sequitur Zerola *vbi suprà, verb. Hospitale, §. ad secundum, & §. ad tertium*, quibus addi possunt Nicol. Garcia *de benef. part.*5. *cap.*1. *num.* 601. & 602. Castill. *quotid. lib.*1. *de vsufructu, cap.*54. *num.*24. necnon declaratio Sacræ Congregationis, vt refert dictus Garcia, & ex illo Barbosa *in remiss. ad loca Concilij sess.*22. *cap.*8. *num.*7. *fine.* Igitur si dictum Hospitale venit appellatione locorum piorum, & hæc visitari possunt, & debent ab Episcopis, consequenter debet & prædictum Hospitale. Et ideò sic sentit Zerola *loco cit.* qui id probat *ex §. si quis in ædificationem, verb. in omnibus, collat.*91. & ex Trident. *sess.*7. *cap.* 9. & tenent apud ipsum Selua, Siluester, & Angel. Nauar. Couarru. & Gomez. Quibus addo Mattham *de iurisd. part.*4. *casu* 88. *à num.*14. & *casu* 113. *à num.*31. Caldas Pereyram *de nomine emphyt. q.*19. *num.* 56. & Machado *vbi suprà.* *Porque aunque sea assi* (dicens) *que el Hospital este fundado sin autoridad del Obispo, y sea meramente laical, con todo esso el Obispo es competente Iuez para visitarle en orden à aueriguar, si las cosas dispuestas por el testador se guardan, y executan, como es razon. Porque segun consta del derecho* (*cap.*3. *de Religios. domib. cap. si hæredes* 6. *de testam.*) *es Iues competente el Obispo en quanto à la execucion de las obras pias, ora sean publicas, y Ecclesiasticas, ora particulares, y seculares.* Hæc Machado, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XII.

An rursus possit Episcopus visitare Hospitale, etiamsi testator, qui illud ædificauit, consentiente ipso Episcopo, interdixerit, ne Episcopus se intromittat, neve illud visitet?

AFfirmant adhuc posse Episcopum tale Hospitale visitare, non obstante dicta dispositione fundatoris, multi Doctores. Mouentur primò, quia talis clausula, vt constat *ex cap. tua nos, de testam.* fauore piarum dispositionum habetur pro non adiecta. Secundò, quia testator facere non potest, quod leges in casibus suis locum non habeant, *l. nemo potest, ff. de legat.* 1. & ideò ita sentiunt Duard. *in expositione Bullæ Cœnæ lib.*2. *can.*15. *q.*7. *num.*16. Vgolin. *de potest. Episcopi cap.*24. §.1. *num.*3. Cochier *de potest. ordin. in exemptos, part.*4. *q.* 53. Zerola *in praxi Episcop. part.*1. *verb. Hospitale, vers. ad secundum*, Marta *de iure part.*4 *cent.*2. *casu* 88. *num.*14. & *casu* 113. *num.*31. Fuscus *de visitat. lib.*2. *cap.*12. *num.*7. & 8. Riccius *part.*4. *decision.*209. & Nauar. *consil.*3. *de religios. domib.* vbi absolutè docet, quod Hospitale ædificatum à laico visitat Episcopus post mortem eius, etiam si fundator id prohibuisset. Couarru. *in cap. tua nos, de testam. num.*6. & 8. & decisio Rotæ 868. *in antiquis*, quam pro hac parte refert Zerola *vbi suprà.*

Sed probabiliùs respondeo, tunc non posse Episcopum, qui in tali fundatione consentit, dictum Hospitale visitare. Ratio est, inquit Diana, quia licèt Episcopus non possit consentire in præiudicium, & derogationem iuris acquisiti Episcopatui, potest tamen iuri quærendo præiudicare. Et licèt id non admittatur à Federico de Senis *consil.*247. & aliis, attamen post Concil. Tridentinum *sess.*22. *cap.*8. & 9. meo iudicio non est dubitandum; nam vt notat *vbi suprà* Gonzalez *n.* 48. cùm Ecclesiæ, & loca pia fundari nequeant sine consensu Episcopi, præsupponendo Concilium validam fundationem, disponit, quod clausula, & conditio expresè apposita, quod Ordinarius non se intromittat, est seruanda; ergo Concilium intellexit, quod si Episcopus in fundatione consentiat, non possit posteà locum pium visitare, & ita possit in iure quærendo Episcopatui, renunciare. Hæc Diana 1. *part. tract.* 2. *resol.* 84. & apud ipsum Perez de Lara *de Anniuers. & Capellan. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 48. Gutierrez *in repet. in l. nemo potest, de legat.* 1. *n.*451. *iuncto consil.* 1. *numero* 1. & Gonzalez *sup.* 8. *regul. Cancell. glossa* 5. *num.* 41. qui citat Rochum de Curte, Abbatem, Felinum, & Lambertinum. His addi possunt Authores citandi quæstione sequenti, in qua nostra responsio amplius roboratur, & confirmatur.

QVÆSTIO XIII.

An saltem possit Episcopus dictum hospitale visitare, si ille non consentiat, dummodo Fundator in fundatione Episcopum à visitatione expresse excludat?

AFfirmant, & à fortiori, omnes Doctores pro prima sententia nuper adducti, necnon Lara, Gutiertez, Gonzales, Rochus, Abbas, Felinus, & Albertinus, adducti pro nostra.

Sed probabiliùs respondeo, adhuc non posse Episcopum tale Hospitale visitare. Sic cum aliis Diana *resolut.* 84. *cit. vers. sed quidquid sit*, ita dicens: Etiamsi Episcopus non consentiat, dummodo Fundator in fundatione Episcopum à visitatione excluserit, puto non posse Hospitale illud visitare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, vt notat Armendariz *in addit. ad leg. Nauarra lib.* 1. *tit.* 6. *lege* 5. §. 2. *numero* 66. in hæc verba: *Si in fundatione hospitalis sit dictum, quod Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non poteris illud visitare.* Et stante dicta declaratione, in vna Abulensi ita fuit decisum per Sacram Rotam, vt patet apud Farinacium *tom.* 1. *part.* 2. *decis.* 33. vide etiam Riccium *in collect.* 1227. & 1228. Et ita sentiunt DD. communiter, Azeuedus *tom.* 2. *libro* 4. *titulo* 1. *lege* 10. *numero* 29. Muta *decis.* 28. *numero* 29. Carolus de Grassis *tract. de effectib. Cleric. effectu* 1. *numero* 610. & Garcia *de benefic. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 98. & 104. vbi asserit, ita nouissimè declarasse S. D. N. Paulum V. *die* 7. *Aprilis* 1616. (lege 16.) in causa Abulensi, pro Comite de Oropesa, contra Episcopum, vt in eius Breui sub annulo Piscatoris. Hæc omnia Diana, quem citat, & sequi videtur Machado *docum.* 8. *cit. num.* 8.

QVÆSTIO XIV.

An nostra sententia sit vera loquendo de omnibus Hospitalibus, etiam de illis, quæ auctoritate Episcopi fundata sunt?

NEgat Aug. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 75. *numero* 9. existimans, nostram, & Dianæ sententiam solùm tenere verum loquendo de hospitalibus, quæ sine auctoritate Episcopi sunt fundata. Et ideò ait, prædictas declarationes Cardinalium intelligendas esse de hospitalibus, quæ à laïcis reguntur, quasi merè laïcalibus, & in quibus piæ dispositiones non adsunt: vel de loco pio, hospitalitatis causâ priuatim instituto, intra ipsiusmet instituentis ædes intercluso; itavt ab extra, si quod opus sit spiritualitatis, vocetur. Ita ille.

Sed probabiliùs respondeo nostram sententiam asserentem, non posse Episcopum visitare illud Hospitale, in cuius fundatione Fundator expresè excludit Episcopum à visitatione, intelligendam esse de omnibus Hospitalibus, tam laïcalibus, quàm non laïcalibus. Probatur. Tum, quia Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 9. *de reformat.* loquendo absolutè, & sine vlla distinctione de visitatione Hospitalium, & aliarum Ecclesiarum, quæ debent ab Episcopis visitari, id limitat his verbis: *Nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ, expressè cautum esset.* Ergo. Tum etiam, quia adhærendo verbis Concilij, declarationes Cardinalium loquuntur de omnibus Hospitalibus in communi, & absolutè, & sine vlla distinctione, & de illis, in quibus piæ dispositiones adsunt, & erectæ sunt capellæ, cum onere Missarum, vt patet in illa declaratione facta in causa Hospitalis de Holmedo, ciuitatis Abulensis, & in multis aliis. Sic tenet contra Barbosam, Diana *loco citato, vers. tertiò exploditur*; vbi *vers. quartò*, benè etiam docet, contra Marium Antoninum *variar. resol. lib.* 1. *resol.* 66. *numero* 4. dictas declarationes Cardinalium non solùm loqui de Episcopo, qui vult visitare aliquod Hospitale vt Episcopus, vt existimat Marius; verùm etiam de Episcopo vt Apostolicæ Sedis Delegato. Nam Cardinales fuerunt interrogati in ordine ad decretum Concilij, & ipsi de dicto decreto loquentes responderunt. Et ratio, per quam adstricti fuerunt ad faciendas illas declarationes, nempe vt seruetur forum in fundatione appositum, non solùm militat, si Episcopus velit visitare Hospitale vt Episcopus, sed etiam vt Delegatus Apostolicus. Ita Diana, & benè.

QVÆSTIO XV.

An non obstantibus præfatis declarationibus Cardinalium, possint Episcopi visitare Hospitale cum dicta dispositione fundatum, in casu negligentiæ?

NEc negare, nec affirmare audet Diana *resolutione* 84. *citata*, dum hanc quæstionem per hæc verba resoluit: Pro complemento huius *quæstionis*, licèt Garcia *vbi suprà, de beneficiis tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 98. cum aliis afferat, dictas declarationes non esse intelligendas in casu negligentiæ; nam fundator, seu testator non potest prohibere, ne Episcopus se intromittat circa implementum, & executionem eorum, quæ ad pias causas relinquuntur, *ex cap. tua nobis*, §. 1. *de testament.* probant Bobadilla *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *numero* 102. Suarez *in praxi tom.* 2. *præl.* 2. *numero* 44. Sarmiento *lib.* 1. *select. capite* 11. *à numero* 14. Spino *in speculo testam. glossa* 28. *principalis*, *numero* 20. & alij. Tamen quidquid sit de hac opinione, notandum est, quod si esset amplectenda, limitanda foret,

ret, vt non procederet, quando in casu negligentiæ, Fundator, seu testator alios executores substituerit, vt rectè notant Aufretius *in apost. d. decis.* 112. *Capella Tolosana*, & Alexand. *vbi suprà*, *de commut. vltim. volunt. cap.* 10. *concl.* 7. *num.* 475. cum Couarruuia *in cap. tua nobis*, *de testam. numer.* 2. & Matienzo *lib.* 5. *tit.* 4. *lege* 7. *glossa* 2. *numer.* 2. *fol.* 120. *& lege* 14. *glossa* 1. *numer.* 45. *fol.* 130. tunc enim excluditur Episcopus, donec substituti constituantur in negligentia. Et ita etiam docet Perez *de anniuers. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 26. Hæc omnia Diana.

Sed certè ego satis probabiliter respondeo dicendum cum Garcia & aliis, quod non obstantibus præfatis Cardinalium declarationibus, possint Episcopi visitare Hospitale cum dicta dispositione fundatum, in casu negligentiæ executorum vltimæ voluntatis testatoris, aut fundatoris. Id enim optimè probat Couaruu. loco citato à Diana, vbi *num.* 6. (non 2. vt apud illum legi) sic loquitur: Hæc conclusio, quam ex hoc capitulo collegimus, procedit, quando voluntas testantis licita est; quod si illicita sit, seruanda non est: glossa hîc, quæ secundum Abbat. in hoc textu probatur, dum dicit executores testamentorum esse cogendos exequi vltimam defuncti voluntatem per Episcopum, etiamsi testator interdixerit Episcopo hanc coactionem. Ea etenim prohibitio illicita est, & ideò non est seruanda. Ex quo Bald. scripsit in *l. Lucius in secundo*, §. *vltimo*, *ff. de legatis* 2. minimè derogari potestati Episcopi, ad quem ex negligentia erat deuoluta executio testamenti paterni, etiamsi filius patris hæres in proprio testamento mandauerit, vltimam patris voluntatem per quosdam certos executores ad effectum deduci. Quod Bald. probat *ex* §. *Dama*, *eiusdem l. Lucius.* Imò nec potest testator prohibere Episcopum exequi vltimam voluntatem, negligentibus executoribus, & elapsa dilatione iuris, ex eadem ratione per istum textum, quem in hac specie notat Barb. *hîc num.* 4. contra Anchar. quamuis Abbas in legatis, quæ pia non sunt, idem asserat quod Anchar. Posset tamen testator euitare Episcopi iurisdictionem in executores vltimæ voluntatis, si in casu negligentiæ alios executores prioribus, & negligentibus substitueret, sicut ipse notaui *in cap.* 3. *huius tituli.* Idem erit, quando testator expressim voluit tempus datum executoribus à iure, eis minimè obesse, nec currere, sed liberam eis executionem relinquit, vt cùm voluerint, exequantur eius vltimam voluntatem. Hæc omnia Couarruuias, & benè. Intellige tamen id quod de executoribus vltimis asseuerat, cum limitatione, quam adducit Diana, eadem enim de omnibus executoribus est ratio.

QVÆSTIO XVI.

An Ecclesias Parochiales Equitum Hierosolymitanorum possit visitare Episcopus?

RESpondeo vt certum, quod non; quia sic censuit Sacra Congregatio *declaratione* 77. per hæc verba: *Ipsi verò Equites Hierosolymitani, non nisi quatenus obtineant beneficia curata, visitari possunt.* Et Pius V. *Bulla* 139. quæ incipit, *Exposcit*; *Solùm in his, quæ concernunt curam animarum, & administrationem Sacramentorum.* Sic omninò Zerola *in Praxi Episcop.* 1. *part. verb. visitatio*, *vers. primum dubium*, & Barbosa *in sum. Apostolicarum decis. verb. visitare*, *collect.* 728. vbi sic ait: Visitare Ecclesias Parochiales Militum Hierosolymitanorum possunt locorum Ordinarij, quoad ea tantùm, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem spectant. Sic ille, ex Bulla Pij V. citata, Laërtio Cherub. Scortia, & aliis.

QVÆSTIO XVII.

An visitare possit Episcopus Ecclesias Parochiales vnitas Canonicorum Regularium, vel Ordinis S. Benedicti Monasteriis.

RESpondeo vt certum, posse; quia sic decreuit sacra Congregatio Concilij, vt refert Barbosa *in collect. cit. numero* 6. *&* 7. his verbis: Visitare potest Episcopus ex decreto Concilij *sess.* 7. *capite* 7. *de reformat.* Ecclesias Parochiales vnitas Monasterio Canonicorum Regularium; tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat. Sac. Congr. Concil. testibus Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ*, *libro* 1. *tit.* 6. *l.* 7. §. 2. *numer.* 1. Lezana *in sum. quæst. Regul. tom.* 2. *cap.* 3. *numer.* 29. Hæc Barbosa circa primam quæstionis partem, & deinde circa secundam, hæc: Visitare potest Episcopus non solùm Ecclesiam Parochialem vnitam Monasterio Ordinis S. Benedicti, cuius cura geritur à Monacho dicti Ordinis; sed etiam Baptisterium, & Tabernaculum, vbi asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia exempta existens. Sacra Congregat. Concil. *in Curiens.* 5. *April.* 1631. *penes Bonfadin. d. resol.* 76. *n.* 18. Sic Barbosa vbi suprà *num.* 7. & Lezana mox citandus.

QVÆSTIO XVIII.

An Episcopus possit visitare Ecclesias Regulares, quibus animarum personarum sæcularium cura non imminet?

RESpondeo vt certum, quod non (secus si illis cura immineret illarum, vt nu-

per est habitum:) quia Regulares exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, & consequenter eorum Ecclesiæ ab eorum visitatione, in casu proposito. Sic Sac. Congreg. Concilij apud Sellium *in selectis Canonic. cap.6. n.25.* & apud Barbosam *vbi suprà n.* 14. & apud Lezanam *tom. 2. qq. Regul. verb. visitator Regularis, num.* 17. sic dicentem. Notandi sunt, saltem remissiuè, casus, in quibus Episcopi, vel Ordinarij visitare possunt Ecclesias, seu Monasteria Regularium. Et quidem primò, si tales Regulares subditi sunt Episcopis, nec ab illis exempti, cùm ipsorum Prælati sint, potuerunt ipsos visitare, quando, & quomodo Prælati Regulares, iuxta dicta tamen suprà *verb. Episcopus quoad Regulares, n.2.* Si autem Regulares sint exempti à iurisdictione Episcoporum, quales communiter sunt ferè omnes Religiosi, tunc etsi non possint eos regulariter, vt ipsorum Prælati, visitare, nihilominus iuxta dicta *tom.1. p.1. cap.11. n.7. & 9. & tom.1. part.2. cap.5. num.* 49. visitare possunt Ecclesias Regularium, quibus imminet cura animarum sæcularium, imò & Regulares ipsos, qui talem curam exercent, in iis, quæ ad dictam curam & administrationem Sacramentorum spectant. Hæc Lezana. Lege Barbosam *vbi suprà, num.*12. dicentem, quod visitare sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & cætera huiusmodi; aut etiam Tabernaculum, seu Pyxidem, in qua sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, non licet Episcopis vigore cuiusvis Decreti Concilij, in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium.

QVÆSTIO XIX.

An possit ad minùs visitare Episcopus quascumque Ecclesias sæculares, etiamsi ad Regulares pertineant?

RESpondeo vt certum, posse, dummodo dictis Ecclesiis per sæculares deseruiatur. Sic sacra Congreg. Concilij, vt refert Barbosa *dicta collect.*718. *n.*8. ita dicens: Visitare potest Episcopus quascumque Ecclesias sæculares, intra fines suæ Diœcesis existentes, vigore *cap.8. sess.7. de reformat.* etiamsi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deseruiatur. Sac. Congreg. Concil. de qua Armendariz *lib.1. tit.6. de visitat. cap.5. §. 2. n. 3.* Hæc Barbosa.

QVÆSTIO XX.

An Confraternitates Laicorum existentes intra Ecclesias Regularium, possint Episcopi visitare?

NEgandum videtur, attenta Bulla Pij V. quæ est 38.

Sed vt quid certum respondeo, posse; quia sic sæpe declarauit sacra Congregatio Concilij, vt fatentur Lezana *tom.2 qq. Regul. verb. visitator Regularis, n.*17. & antea *tom.1. sum. c 15. de Confratribus, & Confraternitatib Regul. n.*27. vbi ita ait: Habent Episcopi ius visitandi Confraternitates Laicorum, iis exceptis, quæ sub Regum immediata protectione sunt. Ita enim habetur in Concil. Trident. *sess.* 22. *c.* 8. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.75. n.2.16. &* 19. Item Confraternitates Laicorum erectas in Ecclesiis Regularium, non obstante quacumque contraria consuetudine: ita enim decreuit Sac. Congr. Episcoporum, & Regul. 17. Iulij 1615. Ita ille. (Quod intellige quoad ea tantùm, quæ ad Confratres spectant, prout declarauit Sac. Congregatio, teste Barbosa *de iure Eccles. lib.1. c.4. n.*30. vt aduertit ipsemet Lezana *tom. 2. loco cit. n.*17.) Nec obest Bulla Pij V. quia vt aduertit Zerola *1. p. praxis Episcopal. verb. visitatio, vers. 2. dubium,* Greg. XIII. eam reuocauit, reducens illam ad terminos iuris communis, Bulla sua 15. Et ideò sic tenet ille, & penes illum Hostiens. & Rebuff. & rursus Barbosa *in summa Apostolicar. decis. verb. visitare Eccles. collect.*718. *n.9. &* 10. *& in remissionib. ad loca Concilij, sess. 22. de reform. c.8. n.9.*

QVÆSTIO XXI.

An Episcopus possit visitare Altaria, & Capellas Confraternitatum in Regularium Ecclesiis constructas?

NEgat absolutè Barbosa *in summa Apostolicar decisionem, collect.*718. *n.*15. ita dicens: Visitare non potest Episcopus Altaria, & Capellas in Regularium Ecclesiis, etiam per sæcularium Confraternitates constructa. Sac. Congreg. Episcopor. & Regular. *in Papiens.* 21. *Augusti* 1615. *& in Tarracon.* 22. *Ianuarij* 1616. Hæc ille.

Sed distinctiùs respondet Lezana ex ipsomet Barbosa, *tom.2. qq. Regular. verb. visitator Regularis, num.* 17. ita scribens: Similiter, iuxta dicta *eodem num.*27. visitare etiam possunt Episcopi Altaria, & Capellas Confraternitatum in eisdem Regularium Ecclesiis existentes; in his tamen, quæ Confratrum administrationem respiciunt, propter declarationem etiam S. Congreg. apud eundem Barbosam suprà, Nouarium etiam suprà *num.* 4. & 8. Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An omnes Christianæ Personæ visitari possint à suis Prælatis?

RESpondeo vt certum, posse. Sic omnes, inter quos doctus Azor *part. 2. lib.3. cap. 40. quæst.*11. iis verbis nostro quæsito respondet: Possunt visitari omnes Christiani, & Christianorum Principum imperio subiecti, siue Iudæi, siue Pagani. *Clement. 1. de Iudæis.* Item omnes, siue Ecclesiastici, siue sæculares sint, vt constat *ex cap.1. §. deinde, de censibus in 6.*

QVÆSTIO XXIII.

An sit aliqua forma in visitatione à Prælato obseruanda?

RESpondeo esse: nam in primis Episcopus, seu visitator ab eo designatus, debet literis monere Clerum, & populum, quem visitaturus est, vt ad certam diem paratus sit, proximeque diebus sequenti

sequentibus, Visitatorem, eiusque familiam, & comites recepturus; edictaque valuis Ecclesiæ affigenda sunt, ne quis eorum, qui in illa Ecclesia ministrant, excusare se, vti absens, prætextu ignorantiæ possit. Sic Federicus *consil.* 79. quem citat, & sequitur Azor vbi suprà *cap.* 41. *quæst.* 1.

Deinde dum Visitator ad Ecclesiam accesserit, aqua benedicta in primis adstantes hyssopo asperget, moxque preces aliquas genibus flexis ante Deum fundet, absoluetque omnes à peccatis generali absolutione, & ad Clerum, & ad Populum adstantem per se, aut per alium concionem habebit, qua visitationis causarum rationem exponet; sic Azor *vbi suprà*, & Zerola *vbi suprà*, *vers. ad quintum*, ex Consilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. §. *Visitationem.*

Rursus inchoare visitationem debet à SS. Eucharistiæ Sacramento, inspiciendo, an honotificè habeatur, an mundè, pureque, & fideli custodia seruetur, quoque honore ad infirmos deferatur. Deinde visitare debet Chrisma, Oleum infirmorum, & Fontem baptismalem, Ecclesiam, Altaria, & ornamenta, & alia supellectilia; & si quæ inuenerit lacera, aut vetustate consumpta, ita vt sacris vsibus seruire nequeant, iubeat comburi, & cineres in Baptisterio recondi, aut in pariete, aut fossis pauimentorum, aut alio honesto loco, qua iter fieri non soleat, *cap. Altaria, & seqq. de consecr. dist.* 1. Sic Azor. *vbi suprà*, *quæst.* 2. Legatur.

QVÆSTIO XXIV.

An, & quomodo Clerici, & personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo visitari debeant?

Respondeo dicendum, quod visitari debent ab Episcopo iuxta *cap.* 1. Concil. Bracharens. 11. relatum *in cap. placuit* 10. *quæst.* 1. vbi ita dicitur: *Placuit omnibus Episcopis, vt per singulas Ecclesias Episcopi, & per Diœceses ambulantes, primùm discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæque officia in Ecclesia peragant. Et si rectè quidem inuenerint; Deo gratias agant: sin autem minimè, &c.* Sic Concilium. Legatur Zerola 1. *part. praxis Episcopal. verb. visitatio, vers. secundò circa Clericos.* Vbi addit, quod debeat Episcopus interrogare sigillatim singulos Clericos, vt quisque deponat circa vitam, & mores alterius, etiam cum iuramento; & ad veritatem dicendam potest Episcopus cogere illum per excommunicationem. Legantur Syluest. *verb. visitatio*, §. 6. *verb. quartum, & verb. Inquisitio, num.* 15. Sotus *lib. de rat. legendi, & detegend. secr.* 2. *q.* 6. & alij.

QVÆSTIO XXV.

An, & quomodo sint personæ Laïcæ ab Episcopo visitandæ?

Respondeo dicendum, quod in primis Episcopus postquàm consumpsit diem primam circa eruditionem & visitationem Clericorum, vt dixit Concilium Bracharens. *in d. cap. placuit*, altera die debet conuocare plebem ipsius Ecclesiæ, & docere eos, vt errores fugiant, & omnia peccata mortalia, vt homicidium, adulterium, periurium, &c. & quod nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, &c.

Deinde Episcopus à Clericis, & à Laicis probatæ vitæ debet inquirere, an laici diebus festis ad templum accedant, illosque obseruent; an sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, iuxta iussum Ecclesiæ suscipiant; an sint aliqui in gradibus prohibitis matrimonio coniuncti: an sint aliqui adulteri, blasphemi, concubinarij, fœneratores, sacrilegi, aut superstitiosi. An sint aliqui Ecclesiasticorum bonorum raptores, inuasores, occupatores. An sint qui decimas, primitias, aliasque oblationes Ecclesiæ debitas non soluerint, vel pia à testoribus relicta legata denegent. An sint qui magicis artibus operam dent, aut qui libros prohibitos habeant, vel legant, &c. Vbi autem super his, aut aliis similibus, quæ in generali visitatione inquiruntur, aliquid speciale contra aliquem emerserit, putà infamia, aut facti euidentia, aut testes, tunc in eum specialiter inquiret. Sic Azor. *cap.* 41. *cit. q.* 3.

QVÆSTIO XXVI.

An personæ, quæ visitantur, debeant aliquas expensas, seu (vt iura vocant) procurationes visitanti soluere.

Respondeo tanquam certum, quod sic, quia nemo suis stipendis militat; ideoque iure canonico institutum est, vt ij ad quos curandos, & corrigendos accedunt, moderatas impensas faciant. Constat ex cap. *Cùm Apostolus*, *cap. olim*, *cap. sopitæ*, *cap. procurationes*, *de censib.* & ex Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. præcipiente Visitatoribus, *Ne ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatéque pro temporis tantùm necessitate, & non vltra, erunt ministranda.* Hæc Concilium Legantur Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. Zerola 1. *p. praxis Episcop. verbo visitatio*, §. *ad sextum.* Barbosa *sup. hoc cap.* 3. *Trident.* Machado *lib.* 4. *par.* 6. *tract.* 17. *docum.* 7.

QVÆSTIO XXVII.

An omnes, qui visitantur, debeant impensarum, seu procurationum onera sustinere?

Respondeo vt certum, omnes teneri, & non minùs ij, qui ad alium locum è domo sua euocantur, vt corrigantur, & curentur ibi, quàm ij, qui ipsius Prælati præsentia visitantur. Sic Glossa *in cap.* 1. *verb. visitatus*; *de censib. & ibid.* Ioan. Andreas, Dominicus, & alij. Et eodem iure tenentur Oratoria erecta authoritate Episcopi, & Capellæ etiam in Collegiatis Ecclesiis erectæ. Sic Azor *cap.* 42. *cit. q.* 1.

I.

quodlib. 3. *art.* 17. & 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 7. Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 44. *de præcep. & ritu Extremæ Vnctionis, sect.* 3. *num.* 10. Nauarr. *cap.* 24. *num.* 18. Toletus *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 5. Sà *verbo charitas*, quos omnes refert, ac sequitur Fagundez *vbi suprà, num.* 8. sed ex his non bene refertur Sà, nam loco citato potiùs fauet opposito, dum *num* 3. hæc verba profert: Qui non est eius Prælatus, aut Parochus, non tenetur inuisere peste infectum cum vitæ periculo, nisi salus animæ eius omninò tali visitatione indigeat. Hæc Sà: ergo si fuerit Prælatus, ad id tenebitur, in eius sententia.

QVÆSTIO XIII.

An Episcopi teneantur tempore pestis deputare aliquos ministros idoneos, qui tam sanos, quàm infirmos visitent, & consolentur?

RESpondeo vt quid certum, teneri ad id deputare aliquos Sacerdotes idoneos, qui numerò sibi visi fuerint sufficientes, quatuor v. g. vel plures, & sortibus, si fuerit necessarium, eligere, qui ad infirmos accedant, & qui ad sanos; & illis extinctis, è reliquis alios sorte eligere, si nulli sint, qui se ad id sponte offerant. Et in locis, in quibus ordinariè vnus tantùm Sacerdos existit, debet alterum Sacerdotem coadiutorem mittere, quorum alter ad infirmos, alter ad sanos destinetur: & si huiusmodi coadiutor sortem infirmorum eligere noluerit, tenetur curatus loci, cui ex officio id incumbit, sortem infectorum eligere. Ita omninò Fagundez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 29. *n.* 10. & Turrecremata *cap. aduersus*, §. *hoc etiam*, *num.* 2. 7. *q.* 1. & ex Rutilio Benzonius *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *versu adde quod Rex, post concl.* 4. Lege me ipsum *part.* 6. *tract.* 9. *disp.* 2. *quæst.* 84. vbi vt certum dixi, posse tempore persecutionis Ecclesiæ, aut pestis, mitti sortem ad dirimendam controuersiam, quis ex Dei ministris, aut medicis permansurus sit, aut recessurus.

QVÆSTIO XIV.

An Episcopi teneantur assistere suo gregi tempore persecutionis contra fidem, aut Ecclesiam?

RESpondeo vt certum teneri, si ex ipsorum absentia magnum periculum immineret populo, secus si aliàs nullum immineret. Id constat ex dictis, & testatur communis Doctorum opinio, vt ait Machado, ita dicens: *Communmente afirman los Doctores, que si la persecucion es solo contra el Obispo, seguramente puede ausentarse, como lo hazian S. Pablo, y otros muchos Prelados de la Iglesia. Mas si la persecucion fuesse contra todo el pueblo, y su persona hiziesse notable falta à sus ouejas, pecaria grauemente en desampararlas; però no, si su presencia no fuesse tan necessaria, ò la pudiesse suplir con la assistencia de otra persona tal. Si bien nadie dudara, que en qualquier acontecimiento seria mas grato à Nuestro Señor assistir con sus ouejas, y dar por ellas, si necessario fuesse, la misma vida, como buen Pastor.* Hæc Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 17. *docum.* 4. *num.* 5. ex Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 9. & Molfesio *in sum. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 32. Lege Angel. Maria Verricelli, *de Apostolic. Mission. tit.* 15. *quæst.* 284. vbi inquirit, an Episcopus, qui habet Ecclesiam in loco, vbi omnes incolæ totius Diœcesis sunt schismatici, & incorrigibiles, vt nulla adsit spes proficiendi apud illos, teneatur nihilominus residere in sua Ecclesia?

Et respondet quod sic, licèt possit ex Apostolica licentia talem populum deserere. Sic ille, dicens ita esse decisum à Sac. Congreg. 2. Septemb. 1617. Et hæc circa secundam causam absentiæ. Circa tertiam sit.

QVÆSTIO XV.

An Episcopus possit abesse à sua Ecclesia, seu Episcopatu, ex eo quod vocetur à Pontifice?

RESpondeo tanquam certum, posse; quia tunc abest ob debitam obedientiam, quæ est tertia legitima absentiæ causa, assignata à Tridentino, vt habitum est suprà *quæst.* 5. Sic Nauarr. *cap.* 25. *num.* 121. *vers. tertia causa*, Azor *lib.* 7. *cit. cap.* 4. *quæst.* 4. licèt hic Author ibi de Parocho loquatur. Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3. Trullench *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 2. Machado *loco cit. docum.* 5. *num.* 2. ita dicens: *La segunda es la deuida obediencia, à laqual reducen communmente los Doctores, quando algun Obispo es llamado por el Pontifice, para algun negocio importante de la Iglesia, ò Republica Christiana, que entonces licitamente puede ausentarse de su Obispado.* Sic ille ex Carranza, & Barbosa. Sic etiam Vidal *tract. de residentia, inquisit. vnica, n.* 8. *pag.* 489.

QVÆSTIO XVI.

An sit iusta causa, vt Episcopus absit à sua Ecclesia, quod fiat à Pontifice Summus Pœnitentiarius, Cameræ Apostolicæ Thesaurarius, Auditor Rotæ, &c.?

NEgant hanc esse iustam causam absentiæ, seu non residendi, eo quod huiusmodi munera commodè alij ab Episcopis exequi queant, Caiet. 2. 2. q. 185. *art.* 5. & Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 3. *art.* 4. *vers. perplacet*, vbi ita ait: Pari modo, si citra Concilium expedierit Papæ, propter egregiam doctrinam, aut singularem authoritatem personæ, aliquem Episcopum accersere, cuius consilium in commune bonum capiat, licebit quidem ad tempus eum è sua Sede euocare. At verò, si quia eleganter scribit, aut psallit, vult illo pro amanuensi, vel cantore vti; vel vult eum esse Auditorem Cameræ; aut Rotæ, cùm id non sit necessarium per Episcopum exequi, imò abundant, qui eiusmodi prouinciis obeundis præsto adsint, profectò non est legitima apud Deum excusatio; eo potissimùm, si residentia, vt verè res habet, iure diuino sit necessaria. Hæc Sotus, quem sequitur Vasq. *de benef. cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 141. cum aliis, quos citat.

Sed distinctiùs respondeo dicendum, quod verè non sit iusta causa, vt Episcopus à lege residendi, Summi Pontificis consensu, dissoluatur, si ab ipso Pœnitentiarius, Thesaurarius, Auditor Rotæ, Camerarius, aut Vicecancellarius, &c. fiat, casu, quo alij adsint satis idonei ad hæc munera, & officia obeunda

obeunda. Secus verò si desint, qui; his muneribus pares esse possint; quia tunc iusta datur causa, vt Pontifex licitè Episcopum his officiis præficiat, & facultatem concedat, vt à sua Ecclesia absit. Sic Azor *part.2. lib.7. cap.4. q.5.* & anteà *q.3. versu & quamuis*, Palaus *tom.2. tract.13. disp.6. punct.4.n.8.* & alij. Legatur Machado *loco citato*. Et hæc de tertia causa, circa quartam sit.

QVÆSTIO XVII.

An sit iusta causa, vt Episcopus à sua Ecclesia absit, quod ad Concilium generale, vel prouinciale vocetur?

REspondeo tanquam certum, esse iustam causam, quia hîc interuenit euidens Ecclesiæ vniuersalis vtilitas, quam esse iustam causam absentiæ, dixit Concilium Tridentinum, vt vidimus *q.5.* Sic communiter Doctores apud Barbosam *de potest. Episcopi 3.p. allegat. 53. à num.14.* & apud Marcum Vidal. *loco cit. num.9.*

QVÆSTIO XVIII.

An item sit iusta causa, vt Episcopus à sua Ecclesia absit, quod exeat ad aliquid pro ipsamet sua Ecclesia procurandum, vel ad eius iura defendenda?

REspondeo tanquam certum, etiam hanc esse iustam causam eius absentiæ. Sic communiter etiam Doctores, Barbosa *loco citato*, Filliuc. *tract.28. part.2. cap.6.q.3.* Trullench *lib.4. cap.1. dub.8.n.2.* Machado *lib.4.part.6. tract.17. docum.5.num.3.* vbi inquit: *La vltima causa es la euidente vtilidad, que à la Iglesia, ò Republica se le sigue de la ausencia del Obispo. Vtilidad de la Iglesia seria, segun dotrina comun de los Doctores, ausentarse della para defender sus derechos, libertad, ò immunidad. Ir llamado al Concilio general, ò Prouincial.* Sic ille, & Vidal *loco citato.*

QVÆSTIO XIX.

An rursus vtilitas Reipublicæ sit causa iusta, vt Episcopus possit à sua Ecclesia abesse?

REspondeo vt certum, etiam esse iustam causam, casu, quo æquè benè per alium, quàm per Episcopum consuli vtilitati Reipublicæ non possit. Sic habetur in Tridentino, *vbi supra*, & docent Authores citati, præcipuè Machado *vbi supra*, ita prosequens: *Assi mismo se entiende por vtilidad euidente della Republica, quando la necessidad della, ò del Obispado, ò de todo el Reyno fuesse tal, que no huuiesse para remediarla persona tan à proposito, como la del Obispo, que en tal caso, como consta del derecho, cap. cùm parati, de appellat. se puede ausentar de su Obispado, por Procurador, ò Embajador.* Hæc Machado.

QVÆSTIO XX.

An sit iusta causa, vt Episcopus absit à sua Ecclesia, si à Rege eligatur in suum Confessorem, in Castellæ Præsidem, aut Consiliarium, &c.

NEgant communiter Doctores, licèt alij non pauci id affirment, vt fatetur Machado *lib.4. part.6. tract.17. docum.5. citato*, vbi *num.4.* ita scribit: *La mayor difficultad desta materia consiste en aueriguar, si los Obispos, Arçobispos, &c. aquienes su Majestad ocupa en su seruicio, haziendoles sus Confessores, Virreyes, Presidentes, ò Consejeros, puedan licitamente estar ausentes de sus Obispados. Muchos Autores (como son Selua, Boërius, Zeuallos, & alij, quos refert Garcia de Benefic. 3.p. cap.2. num.389.) lo niegan, sino es en caso tan apretado, que no huuiesse otras personas idoneas, que pudiessen acudir à essos ministerios; y entonces, interuiniendo tambien licencia del Pontifice, porque como hemos dicho, la assistencia de los Obispos prouiene de derecho diuino. Otros muchos (como son Azor, vbi suprà, cap.4. Graff. de effect. Clericor. effectu 61. & alij apud Garciam, à num.338.) defienden la parte afirmatiua: fundanse, en que los Reyes de España tienen esta facultad por priuilegios concedidos por la Sede Apostolica, ò por immemorial costumbre introducida legitimamente en su fauor.* Hæc Machado.

Sed clariùs ego respondeo primò sic. Certum est, quod si Reges Hispaniarum habeant à Sede Apostolica priuilegium ad hoc, vt Episcopus electus in Confessorem, Proregem, Præsidem, &c. absit à sua Ecclesia, quod tuta conscientia ab ea abesse possit. Si verò tale priuilegium non habeant (quod ego magis credo) minimè possit abesse sine licentia expressa Apostolicæ Sedis, vt omnes vtriusque sententiæ Authores supponunt.

Respondeo secundò. Nulla datur iusta causa, vt quis Episcopus à lege residendi Pontificis consensu soluatur, eo quod sit Regis Confessarius, Prorex, Castellæ Præsidens, &c. casu, quo adsint alij ab Episcopo, qui his muneribus pares esse possint. Benè tamen si pares non adsint, quia tunc licitè poterit Pontifex concedere facultatem Episcopo vt à sua Ecclesia absit. Id, & non aliud, docet Azor. *loco citato* à Machado, & non loquendo de hoc casu, sed de simili, quem habes *q.16.* sic tenent etiam Palaus *tom.2. tract.13. disp.6. punct.4. n.9.* Vasq. *opusc. de benef. cap.4.§.2.n.140.* & alij.

QVÆSTIO XXI.

An saltem ob officium Inquisitoris Generalis possit Episcopus à sua Ecclesia abesse?

AFfirmat Vasq. *loco cit. n.139.* quia vix (inquit) hoc officium per alium, quàm per Episcopum potest præstari.

Sed probabiliùs respondeo, non posse ob id à sua Ecclesia abesse; quia in Hispania hoc officium sæpè commissum est non Episcopis, & ab eisdem legitimè præstitum. Sic Palaus *loco cit. n.10.* & penes ipsum, Gonzales, Riccius, & Barbosa.

QVÆSTIO XXII.

An quando causæ præfatæ absentiæ Episcopis occurrunt, sint examinandæ, & approbandæ ab aliquo Superiori?

RЕspondeo vt certum, quod sic; quia ita decreuit Concil. Trident. *sess.*23. *cap.*1. *de residentia*, his verbis: *Decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas, à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scripto esse approbandas; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Prouinciali spectabit iudicare de licentiis à se, vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis Canonicis errantes puniantur.* Hæc omnia Concilium, de cuius decreto mentionem faciunt Azor 2.*p. lib.*7. *cap.*4. *q.* 9. *vers. In Episcopis verò.* Filliuc. *q.* 3. *cit.* & Trullench. *num.*2. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An quando subita necessitas occurrit, qua Episcopus nequeat adire Papam, vel Metropolitanum, facultatem impetrandi causâ, fas sit illi abesse absque Superioris consensu?

RЕspondeo tanquam certum, tunc licere Episcopo absque consensu Superioris abesse. Tum quia id concedit eis Tridentinum, vt constat ex illis verbis nuper adductis: *Nisi cùm absentia inciderit*, &c. Tum etiam, quia subita necessitas, cùm grauis sit, moram non patitur. Et ideò sic tenent (etiam loquendo de Parocho) Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, & Selua, quos citat, & sequitur Azor *cap.*4. *citato, quæst. vltima.*

QVÆSTIO XXIV.

An Pontifex possit absolutè, & propriè in lege residentiæ dispensare?

NEgant omnes Doctores, qui docent, non posse Pontificem propriè, & absolutè in voti, aut iuramenti obligatione dispensare, sed solùm declarare, in tali, vel tali casu non obligare; eo quod talis obligatio sit iuris diuini, in quo non potest dispensare, licèt possit declarare, aut interpretari. Ita tenent Authores citati à nobis *part.* 7. *tract.*1. *de iuram. disp.*17. §.1. *q.*3. & loquendo de iure, & lege residentiæ, ita tenent Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 6. *q* 4. *num.* 107. quem citat, & sequitur Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. *prope finem*, & Marcus Vidal *inquisit. vnica citata, numero* 11. vbi id quasi quid certum supponit.

Sed ego multò probabilius respondeo, posse Pontificem absolutè, & propriè in lege, & iure diuino in residentia Prælatorum iustis de causis dispensare; quia multò probabilius iudicaui id etiam posse in obligatione voti, & iuramenti, quamuis sit iuris diuini, quod latè probaui *loco citato.* Legantur ibi dicta, & applicentur ad nostrum casum.

QVÆSTIO XXV.

An Episcopi non residentes in suis Ecclesiis, aliquas pœnas incurrant?

RЕspondeo vt certum dicendum, quod Episcopi, qui absque legitima causa à suis Ecclesiis absunt, pro rata temporis amittunt fructus, & adeptos tenentur statim ante condemnationem restituere. Hanc pœnam constituit Episcopis Concilium Tridentinum *sess.*23. *de resident. cap.* 1. his verbis: *Si quis autem (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo III. (supra sess.*6. *de reformat. cap.*1.) *impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque priuilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ concessis.* Hæc Concilium, de cuius decreto agunt Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.*3. *punct.* 5. Flam. *de resignat. lib.* 1. *q.* 10. *num.* 32. Filliuc. *loco cit. q.*5. Trullench *vbi suprà*, Graffis *lib.* 3. *decis. aurear. cap.* 2. *num.* 20. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.*17. *docum.*4. *num.* 1. vbi aduertit, *que si la ausencia fuere de seys meses, pierda el Obispo la quarta parte de sus rentas; y si de otros seys meses, otra quarta parte, y si la ausencia passare de esse tiempo, el Metropolitano tenga obligacion de dar quenta della al Pontifice dentro de tres meses.* Sic ille, & benè, quia sic Concilium *sess.* 6. *de reformat. cap.*1. Lege dicenda à nobis infrà *tract.* 7. *de paroch. disp.* 6. *à quæstione* 1.

DISPV

DISPVTATIO VII.

De obligatione, quam habent Episcopi visitandi suas Ecclesias.

QVÆSTIO PRIMA.

An Episcopi teneantur visitare Ecclesias, & populos sibi commissos?

RESPONDEO vt certum, teneri visitare; quia sic decernitur iure communi, *cap. decernimus, & cap. Episcopum, & cap. placuit* 10. *q.*1. & in Trident. *sess.*24.*cap.*3. *de reformat.* & ideò sic sentiunt omnes. Legantur Gutierrez *practicar. lib.*1. *q.*45. Azeuedo *lib.*3. *num.*9. *tit.*14. *lib.*8. *noua recopilat.* Zerola *in praxi Episcop.* 1.*p. verb. visitatio*, Azor *part.*2. *lib.*3. *cap.*40. Machado *lib.*4.*part.*6.*tract.*17. *docum.*6. & alij plures apud Barbosam *in remiss. Doctorum in varia loca Concilij, sess.*21.*de reform.c.*8.

QVÆSTIO II.

An Episcopi teneantur visitare suas Ecclesias per seipsos?

REspondeo dicendum, quod attento iure communi debeant per seipsos Ecclesias visitare, nisi morbo, aut aliis occupationibus fuerint legitimè impediti, quia tunc per alios idoneos Presbyteros, aut Diaconos hoc visitationis iussum adimplere debent: sic enim habetur *in cap. decernimus, cap. Episcopum, & cap. placuit, nuper citatis.* At attento iure nouo Tridentini *sess.*24. *cap.*3. *de reformat.* debent visitare suas Ecclesias, aut Diœceses per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suos Vicarios generales, aut Visitatores. Sic omnes Doctores. Legantur ex citatis Azor *cap.*40. *q.*1.*&* 4. Zerola *verb. visitatio, vers. ad primum*, vbi aduertit, idem esse dicendum de omnibus habentibus ordinariam iurisdictionem in aliquos. An idem sit dicendum loquendo de visitatione Ecclesiarum Cathedralium, dicemus *quest.*7.

QVÆSTIO III.

An Episcopi cogantur suas Diœceses quotannis visitare?

REspondeo dicendum, quod teneantur quotannis visitare, si Diœcesis non sit valdè lata, seu ampla, quia tunc solùm tenebuntur singulis annis visitare maiorem partem; ita vt totam biennio visitare non prætermittant. Sic expresè Tridentinum *cap.*3. *cit.* his verbis: *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem: ita tamen vt tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.* Sic Concilium, & sic omnes. Legantur citati.

QVÆSTIO IV.

An Episcopi, aut alij locorum Ordinarij possint, si velint, visitare non solùm semel, sed pluries, in singulis annis, suas Ecclesias, &c.

REspondeo vt certum, posse toties quoties fuerit omninò necessarium. Sic Azor *part.*2. *lib.*3. *cap.*41. *q.*5. vbi sic quæstioni satisfacit: Respondeo, quod attinet ad obligationem ordinariam, semel tantùm cogi in singulis annis, *cap. mandamus, de offic. Archidiaconi, cap. visitandi, & cap. non semel* 17. *& cap. mandamus* 18. *q.*2. Glossa *in capite si Episcopus, de offic. Ordinarij in* 6. Toties verò possunt Ordinarij locorum visitare, quoties aut necessaria causa, aut recepta consuetudo postulauerit, aut speciale priuilegium id requirat. Glossa *in prædicto cap. mandamus, & in cap. conquerente, in verbo annua, de offic. Ordinarij.* Hæc Azor.

QVÆSTIO V.

An si Visitator sit Episcopus, debeat primò Ecclesiam Cathedralem, eiusque Capitulum visitare?

REspondeo dicendum, debere priùs visitare Ecclesiam Cathedralem, eiusque Capitulum: deinde cæteras Ciuitatis Ecclesias, & postremò reliquas in Diœcesi sitas. Sic Azor *lib.*3.*cit. c.*41.*q.*4. Vgolin. *de offic. Episcopi c.*49.& alij apud Machadum *lib.*4.*part.*6.*tract.*7.*docum.*1.*n.*2.*& tract.*17. *docum* 6. *n.*2. sed multos ex illis non benè citat hic Author.

QVÆSTIO VI.

An si Visitator sit Archiepiscopus, post visitationem suæ Ecclesiæ, & Diœcesis debeat visitare Suffraganeorum Ecclesias?

AFfirmat Azor *loco cit.* his verbis: Si verò Archiepiscopus sit Visitator, Ecclesiæ suæ Capitulum primò visitabit, deinde ciuitatis Ecclesias, mox Ecclesias propriæ Diœcesis, tandem Suffraganeorum Ecclesias, ac proinde Suffraganeos suos, eorumque Subditos, Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, pia, & religiosa loca, Clerum, & Populum. Hæc Azor ibi, *& part.*3. *lib.*13. *cap.*30. *in principio.*

Sed iam vt certum respondeo non debere, nec posse, quia licèt olim, attenta dispositione iuris communis, *in cap. Romana, de cens. lib* 6.*& cap. perpetuò, eod. tit.* deberet Diœceses suorum Suffraganeorum visitare, at hoc ius reformatum fuit per Concil. Tridentinum *sess.*24.*de reformat. cap* 3. ibi: *A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum comprouincialium nisi causa cognita, & probata in Concilio Prouinciali* Hæc Concilium. Vnde constat, quod illud antiquum Ius solùm habere potest locum, causa cognita in Concilio Prouinciali, propter absentiam Episcopi, vel negligentiam, vel aliquod huius generis, §. *sed aliud est* 9.*q.*3.*& cap. conquestus, ibidem.* Sic tenet Zerola *in praxi Episcop. verbo visitatio, §. ad tertium.*

QVÆSTIO VII.

An Episcopi teneantur visitare Ecclesias Cathedrales, earumque Capitula per proprias personas?

AFfirmandum videtur, eo quod expresse Concil. Tridentinum *sess.6. cap.4. de reformat.* statuat, *quod Capitula Cathedralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum, illarumque persona, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, &c. tueri se possint, quominus à suis Episcopis, & aliis maioribus Prelatis, per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta Canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apostolica, possint & valeant.* Hæc Concilium. Cùm igitur clarè dicat, quod prædicta Ecclesiarum Cathedralium Capitula, &c. à suis Episcopis per seipsos solos visitari valeant, clarè etiam constat, non posse per suos Vicarios visitari. Et ideò ita sentiunt aliqui Doctores.

Sed probabiliùs respondeo, non teneri Episcopos visitare Ecclesias Cathedrales, earumque Capitula per proprias personas: sed benè posse per alios, nempe per suos Vicarios, aut Visitatores. Id enim constat ex dictis suprà q.2. Vnde quando Concilium dicit, quod Episcopi per se ipsos solos dictas Ecclesias visitent, non denotat, quod personaliter debeant Episcopi interesse, sed id addidit ad excludendos adiunctos à Capitulo, ad id designari solitos. Ac si Concilium dicat; ad celebrandam visitationem Capituli Ecclesiæ Cathedralis, aut aliarum maiorum, decernimus non constringi Episcopum adiunctos vocare, sed id libertati eius relinquimus, modò velit, quos sibi videbitur, in socios sumere, vel absque adiunctis visitare. Vnde constat, non prohibuisse Concilium, quod Episcopus possit visitationem delegare. Sic Nauar. *lib.1. consil. de offic. indic. Ordin. consil.3.* & latissimè id defendit Sancius *in selectis disp.50. à num.20.* Legatur Machado *lib. 4. part.6. tract.7. docum.1. num.1.*

QVÆSTIO VIII.

An alia loca debeant Episcopi visitare?

REspondeo vt certum, debere. Nam tenentur visitare omnes Congregationes, Conuentus, Hospitalia, Collegia, Societates, seu Confraternitates clericorum, vel laicorum, Capitula, cœnobia, & loca communia pietatis, beneficia curata, etiamsi sint perpetuò vnita, & annexa Cathedralibus, Collegiatis, aut aliis Ecclesiis, Oratoria, in quibus celebratur Missa, Ecclesias sæculares, quæ nullius Diœcesis esse dicuntur. Sic colligitur ex Concil. Trident. *sess.6. de reformat. cap.7. & 8. & sess.21. cap.8. & sess.22. eod. cap.8. de reformat. & sess.24. cap.9. de reformat.* Legantur Azor *part.2. lib.3. cap.40. q.10. & sequentibus*, Zerola *in praxi Episcop. 1. p. verbo visitatio, §. ad tertium*, & alij Doctores, quos adducit Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess.22. de reformat. cap.8.*

QVÆSTIO IX.

An Hospitalia, Collegia, seu Confraternitates, quæ sub Regum immediata protectione sunt, possint visitari ab Episcopis sine illorum licentia?

REspondeo vt quid certum, quod non possint, quia sic decreuit Trident. *sess.22. de reformat. cap.8.* (non 18. vt legi apud Azorium, & Barbosam *vbi suprà*) ibi: *Habeant ius visitandi Hospitalia, Collegia quacumque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas Scholas, siue quocumque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.* Sic Concilium. Legantur Azor *cap.40. cit. q.13.* Barbosa *super cap.8. Trident. cit.* vbi *num.3.* ait, in hac exceptione non comprehendi omnia Hospitalia, quæ sunt in ditionibus, aut Regnis ipsorum Regum, sed solùm illa Hospitalia, quæ expresse reperiuntur esse sub Regum protectione. Et *num.5.* dicit, censuisse Congregationem, quod si Episcopo aliquod Hospitale visitare volenti, iuxta *cap.8. sess.22.* opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, vtique non ad sæcularem iudicem, sed ad ipsummet Episcopum talis exceptionis cognitio, vel definitio pertineat.

QVÆSTIO X.

An Hospitale, quod non est auctoritate Episcopi fundatum, possit ab Episcopo visitari?

AFfirmandum videtur, quia absolutè Concilium tribuit Episcopo ius ad visitanda Hospitalia, vt nuper vidimus: atqui Hospitale, etiam sine auctoritate Episcopi extructum, est verè Hospitale: ergo.

Sed vt quid certum respondeo, non posse visitari ab Episcopo sine consensu Fundatoris, si superstes sit. Ratio est, quia Hospitale fundatum absque auctoritate Episcopi, dum fundator viuit non est locus pius, aut religiosus, sed profanus, & non religiosus: ergo non potest ab Episcopo visitari sine licentia illius, qui illud fundauit, aut dotauit. Nec obstat Concilium, quia Concilium disponit, hoc posse Episcopum in casibus à iure concessis, sed cùm hoc non sit sub eius dispositione, cùm non sit quid religiosum, aut pium, sed profanum, vt dictum est, non loquitur de illo Concilium. Sic Socinas *tract. de visitat. num.14.* quem citat, & sequitur Azor *cap.40. cit. q.12. fine*, Zerola *verb. Hospitale, §. ad primum*, qui id limitat, modò tale Hospitale non habeat formam Ecclesiæ, vel si in eo celebretur, quia hoc non potest fundari sine Episcopi auctoritate. Legatur Machado *lib. 4. part.6. tract.7. docum.8.*

QVÆSTIO XI.

An saltem possit Episcopus visitare Hospitale, absque sua auctoritate extructum, post mortem ædificantis?

NEgant adhuc aliqui Doctores, eo quod tale Hospitale non fuerit fundatum auctoritate Episcopi, & consequenter nec post mortem illius, qui illud extruxit, aut dotauit, potest dici locus pius, aut religiosus, sed profanus. Ita tenent Paris. *consil.* 34. *num.* 16. *lib.* 4. Velasquez *consil.* 105. *num.* 50. Abbas *in cap. finali, notab.* 1. *de censib.* & Gabriel *consil.* 195. *num.* 15. *lib.* 2. quos pro hac parte refert Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 7. *docum.* 8. *num.* 6.

Sed probabiliùs respondeo, posse Episcopum visitare Hospitale post mortem ædificantis, & videre si cuncta procedunt secundum ordinationem defuncti; necnon & videre computa, & administrationem Rectorum, & Procuratorum illius; & si reperit Rectorem positum per hæredes defuncti, perperam administrare, potest eum reuocare, & alium instituere. Ratio est, quia licèt tale Hospitale non sit, strictè loquendo, locus religiosus, & sacer, vt nuper diximus, nihilominus dicitur locus pius, venitque appellatione piorum locorum, eo quod ad pios vsus ædificatum sit, vt docent Abbas, Selua, & Siluester, quos citat, & sequitur Zerola *vbi suprà, verb. Hospitale, §. ad secundum, & §. ad tertium*, quibus addi possunt Nicol. Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 601. & 602. Castill. *quotid. lib.* 1. *de vsufructu, cap.* 54. *num.* 24. necnon declaratio Sacræ Congregationis, vt refert dictus Garcia, & ex illo Barbosa *in remiss. ad loca Concilij sess.* 22. *cap.* 8. *num.* 7. *fine.* Igitur si dictum Hospitale venit appellatione locorum piorum, & hæc visitari possunt, & debent ab Episcopis, consequenter debet & prædictum Hospitale. Et ideò sic sentit Zerola *loco cit.* qui id probat *ex §. si quis in ædificationem, verb. in omnibus, collat.* 91. & ex Trident. *sess.* 7. *cap.* 9. & tenent apud ipsum Selua, Siluester, & Angel. Nauar. Couarru. & Gomez. Quibus addo Martham *de iurisd. part.* 4. *casu* 88. *à num.* 14. & *casu* 113. *à num.* 31. Caldas Pereyram *de nomine emphyt. q.* 19. *num.* 56. & Machado *vbi suprà. Porque aunque sea assi* (dicens) *que el Hospital este fundado sin autoridad del Obispo, y sea meramente laical, con todo esso el Obispo es competente Iuez para visitarle en orden à auerigar, si las cosas dispuestas por el testador se guardan, y executan, como es razon. Porque segun consta del derecho (cap.* 3. de Religios. domib. cap. si hæredes 6. de testam. *) es Iues competente el Obispo en quanto à la execucion de las obras pias, ora sean publicas, y Ecclesiasticas, ora particulares, y seculares.* Hæc Machado, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XII.

An rursus possit Episcopus visitare Hospitale, etiamsi testator, qui illud ædificauit, consentiente ipso Episcopo, interdixerit, ne Episcopus se intromittat, neve illud visitet?

AFfirmant adhuc posse Episcopum tale Hospitale visitare, non obstante dicta dispositione fundatoris, multi Doctores. Mouentur primò, quia talis clausula, vt constat *ex cap. tua nos, de testam.* fauore piarum dispositionum habetur pro non adiecta. Secundò, quia testator facere non potest, quod leges in casibus suis locum non habeant, *l. nemo potest, ff. de legat.* 1. & ideò ita sentiunt Duard. *in expositione Bullæ Cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *q.* 7. *num.* 16. Vgolin. *de potest. Episcopi cap.* 24. *§.* 1. *num.* 3. Cochier *de potest. ordin. in exemptos, part.* 4. *q.* 53. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Hospitale, vers. ad secundum*, Marta *de iure part.* 4 *cent.* 2. *casu* 88. *num.* 14. *& casu* 113. *num.* 31. Fuscus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 7. *&* 8. Riccius *part.* 4. *decision.* 209. & Nauar. *consil.* 3. *de religios. domib.* vbi absolutè docet, quod Hospitale ædificatum à laico visitat Episcopus post mortem eius, etiam si fundator id prohibuisset. Couarru. *in cap. tua nos, de testam. num.* 6. *&* 8. & decisio Rotæ 868. *in antiquis*, quam pro hac parte refert Zerola *vbi suprà.*

Sed probabiliùs respondeo, tunc non posse Episcopum, qui in tali fundatione consentit, dictum Hospitale visitare. Ratio est, inquit Diana, quia licèt Episcopus non possit consentire in præiudicium, & derogationem iuris acquisiti Episcopatui, potest tamen iuri quærendo præiudicare. Et licèt id non admittatur à Federico de Senis *consil.* 247. & aliis, attamen post Concil. Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 8. *&* 9. meo iudicio non est dubitandum; nam vt notat *vbi suprà* Gonzalez *n.* 48. cùm Ecclesiæ, & loca pia fundari nequeant sine consensu Episcopi, præsupponendo Concilium validam fundationem, disponit, quod clausula, & conditio expresè apposita, quod Ordinarius non se intromittat, est seruanda; ergo Concilium intellexit, quod si Episcopus in fundatione consentiat, non possit posteà locum pium visitare, & ita possit in iure quærendo Episcopatui, renunciare. Hæc Diana 1. *part. tract.* 2. *resol.* 84. & apud ipsum Perez de Lara *de Anniuers. & Capellan. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 48. Gutierrez *in repet. in l. nemo potest, de legat.* 1. *n.* 451. *iuncto consil.* 1. *numero* 1. & Gonzalez *sup.* 8. *regul. Cancell. glossa* 5. *num.* 41. qui citat Rochum de Cutte, Abbatem, Felinum, & Lambertinum. His addi possunt Authores citandi quæstione sequenti, in qua nostra responsio ampliùs roboratur, & confirmatur.

QVÆSTIO XIII.

An saltem possit Episcopus dictum hospitale visitare, si ille non consentiat, dummodo Fundator in fundatione Episcopum à visitatione expressè excludat?

AFfirmant, & à fortiori, omnes Doctores pro prima sententia nuper adducti, necnon Lara, Gutierrez, Gonzales, Rochus, Abbas, Felinus, & Albertinus, adducti pro nostra.

Sed probabiliùs respondeo, adhuc non posse Episcopum tale Hospitale visitare. Sic cum aliis Diana *resolut.* 84. *cit. vers. sed quidquid sit*, ita dicens: Etiamsi Episcopus non consentiat, dummodo Fundator in fundatione Episcopum à visitatione excluserit, puto non posse Hospitale illud visitare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, vt notat Armendariz *in addit. ad leg. Nauarra lib.* 1. *tit.* 6. *lege* 5. §. 2. *numero* 66. in hæc verba: *Si in fundatione hospitalis sit dictum, quod Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non poterit illud visitare.* Et stante dicta declaratione, in vna Abulensi ita fuit decisum per Sacram Rotam, vt patet apud Farinacium *tom.* 1. *part.* 2. *decis.* 33. vide etiam Riccium *in collect.* 1227. & 1228. Et ita sentiunt DD. communiter, Azeuedus *tom.* 2. *libro* 4. *titulo* 1. *lege* 10. *numero* 29. Muta *decis.* 28. *numero* 29. Carolus de Graffis *tract. de effectib. Cleric. effectu* 1. *numero* 610. & Garcia *de benefic. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 98. & 104. vbi asserit, ita nouissimè declarasse S. D. N. Paulum V. *die* 7. *Aprilis* 1626. (lege 16.) in causa Abulensi, pro Comite de Oropesa, contra Episcopum, vt in eius Breui sub annulo Piscatoris. Hæc omnia Diana, quem citat, & sequi videtur Machado *docum.* 8. *cit. num.* 8.

QVÆSTIO XIV.

An nostra sententia sit vera loquendo de omnibus Hospitalibus, etiam de illis, quæ auctoritate Episcopi fundata sunt?

NEgat Aug. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 75. *numero* 9. existimans, nostram, & Dianæ sententiam solùm tenere verum loquendo de hospitalibus, quæ sine auctoritate Episcopi sunt fundata. Et ideò ait, prædictas declarationes Cardinalium intelligendas esse de hospitalibus, quæ à laïcis reguntur, quasi merè laïcalibus, & in quibus piæ dispositiones non adsunt: vel de loco pio, hospitalitatis causâ priuatim instituto, intra ipsiusmet instituentis ædes intercluso; itavt ab extra, si quod opus sit spiritualitatis, vocetur. Ita ille.

Sed probabiliùs respondeo nostram sententiam asserentem, non posse Episcopum visitare illud Hospitale, in cuius fundatione Fundator expressè excludit Episcopum à visitatione, intelligendam esse de omnibus Hospitalibus, tam laïcalibus, quàm non laïcalibus. Probatur. Tum, quia Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 9. *de reformat.* loquendo absolutè, & sine vlla distinctione de visitatione Hospitalium, & aliarum Ecclesiarum, quæ debent ab Episcopis visitari, id limitat his verbis: *Nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ, expressè cautum esset.* Ergo. Tum etiam, quia adhærendo verbis Concilij, declarationes Cardinalium loquuntur de omnibus Hospitalibus in communi, & absolutè, & sine vlla distinctione, & de illis, in quibus piæ dispositiones adsunt, & erectæ sunt capellæ, cum onere Missarum, vt patet in illa declaratione facta in causa Hospitalis de Holmedo, ciuitatis Abulensis, & in multis aliis. Sic tenet contra Barbosam, Diana *loco citato, vers. tertiò exploditur*; vbi *vers. quartò*, benè etiam docet, contra Marium Antoninum *variar. resol. lib.* 1. *resol.* 66. *numero* 4. dictas declarationes Cardinalium non solùm loqui de Episcopo, qui vult visitare aliquod Hospitale vt Episcopus, vt existimat Marius; verùm etiam de Episcopo vt Apostolicæ Sedis Delegato. Nam Cardinales fuerunt interrogati in ordine ad decretum Concilij, & ipsi de dicto decreto loquentes responderunt. Et ratio, per quam adstricti fuerunt ad faciendas illas declarationes, nempe vt seruetur forum in fundatione appositum, non solùm militat, si Episcopus velit visitare Hospitale vt Episcopus, sed etiam vt Delegatus Apostolicus. Ita Diana, & benè.

QVÆSTIO XV.

An non obstantibus præfatis declarationibus Cardinalium, possint Episcopi visitare Hospitale cum dicta dispositione fundatum, in casu negligentiæ?

NEc negare, nec affirmare audet Diana *resolutione* 84. *citata*, dum hanc quæstionem per hæc verba resoluit: Pro complemento huius *quæstionis*, licèt Garcia *vbi suprà, de beneficiis tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 98. cum aliis asserat, dictas declarationes non esse intelligendas in casu negligentiæ; nam fundator, seu testator non potest prohibere, ne Episcopus se intromittat circa implementum, & executionem eorum, quæ ad pias causas relinquuntur, *ex cap. tua nobis*, §. 1. *de testament.* probant Bobadilla *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *numero* 102. Suarez *in praxi tom.* 2. *prel.* 2. *numero* 44. Sarmiento *lib.* 1. *select. capite* 11. *à numero* 14. Spino *in speculo testam. glossa* 28. *principalis*, *numero* 20. & alij. Tamen quidquid sit de hac opinione, notandum est, quod si esset amplectenda, limitanda foret,

ret, vt non procederet, quando in casu negligentiæ, Fundator, seu testator alios executores substituerit, vt rectè notant Aufrerius *in apost. d. decis.* 112. *Capella Tolosana*, & Alexand. *vbi suprà, de commut. vltim. volunt. cap.* 10. *concl.* 7. *num.* 475. cum Gouarruuia *in cap. tua nobis, de testam. numer.* 2. & Matienzo *lib.* 5. *tit.* 4. *lege* 7. *glossa* 2. *numer.* 2. *fol.* 120. *& lege* 14. *glossa* 1. *numer.* 45. *fol.* 130. tunc enim excluditur Episcopus, donec substituti constituantur in negligentia. Et ita etiam docet Perez *de anniuers. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 26. Hæc omnia Diana.

Sed certè ego satis probabiliter respondeo dicendum cum Garcia & aliis, quod non obstantibus præfatis Cardinalium declarationibus, possint Episcopi visitare Hospitale cum dicta dispositione fundatum, in casu negligentiæ executorum vltimæ voluntatis testatoris, aut fundatoris. Id enim optimè probat Couaruu. loco citato à Diana, vbi *num.* 6. (non 2. vt apud illum legi) sic loquitur: Hæc conclusio, quam ex hoc capitulo collegimus, procedit, quando voluntas testantis licita est; quod si illicita sit, seruanda non est: glossa hîc, quæ secundum Abbat. in hoc textu probatur; dum dicit executores testamentorum esse cogendos exequi vltimam defuncti voluntatem per Episcopum, etiamsi testator interdixerit Episcopo hanc coactionem. Ea etenim prohibitio illicita est, & ideò non est seruanda. Ex quo Bald. scripsit in *l. Lucius in secundo*, §. *vltimo*, *ff. de legatis* 2. minimè derogari potestati Episcopi, ad quem ex negligentia erat deuoluta executio testamenti paterni, etiamsi filius patris hæres in proprio testamento mandauerit, vltimam patris voluntatem per quosdam certos executores ad effectum deduci. Quod Bald. probat *ex* §. *Dama*, *eiusdem l. Lucius.* Imò nec potest testator prohibere Episcopum exequi vltimam voluntatem, negligentibus executoribus, & elapsa dilatione iuris, ex eadem ratione per istum textum, quem in hac specie notat Barb. *hîc num.* 4. contra Anchar. quamuis Abbas in legatis, quæ pia non sunt, idem asserat quod Anchar. Posset tamen testator euitare Episcopi iurisdictionem in executores vltimæ voluntatis, si in casu negligentiæ alios executores prioribus, & negligentibus substituerit, sicut ipse notaui *in cap.* 3. *huius tituli.* Idem erit, quando testator expressim voluit tempus datum executoribus à iure, eis minimè obesse, nec currere, sed liberam eis executionem relinquit, vt cùm voluerint, exequantur eius vltimam voluntatem. Hæc omnia Couarruuias, & benè. Intellige tamen id quod de executoribus vltimis asseuerat, cum limitatione, quam adducit Diana, eadem enim de omnibus executoribus est ratio.

QVÆSTIO XVI.

An Ecclesias Parochiales Equitum Hierosolymitanorum possit visitare Episcopus?

RESpondeo vt certum, quod non; quia sic censuit Sacra Congregatio *declaratione* 77. per hæc verba: *Ipsi verò Equites Hierosolymitani, non nisi quatenus obtineant beneficia curata, visitari possunt.* Et Pius V. *Bulla* 139. quæ incipit, *Exposcit; Solùm in his, quæ concernunt curam animarum, & administrationem Sacramentorum.* Sic omninò Zerola *in Praxi Episcop.* 1. *part. verb. visitatio, vers. primum dubium*, & Barbosa *in sum. Apostolicarum decis. verb. visitare, collect.* 728. vbi sic ait: Visitare Ecclesias Parochiales Militum Hierosolymitanorum possunt locorum Ordinarij, quoad ea tantùm, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem spectant. Sic ille, ex Bulla Pij V. citata, Laëtio Cherub. Scortia, & aliis.

QVÆSTIO XVII.

An visitare possit Episcopus Ecclesias Parochiales vnitas Canonicorum Regularium, vel Ordinis S. Benedicti Monasteriis.

RESpondeo vt certum, posse; quia sic decreuit sacra Congregatio Concilij, vt refert Barbosa *in collect. cit. numero* 6. *&* 7. his verbis: Visitare potest Episcopus ex decreto Concilij *sess.* 7. *capite* 7. *de reformat.* Ecclesias Parochiales vnitas Monasterio Canonicorum Regularium; tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat. Sac. Congr. Concil. testibus Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ, libro* 1. *tit.* 6. *l.* 7. §. 2. *numer.* 1. Lezana *in sum. quæst. Regul. tom.* 2. *cap.* 3. *numer.* 29. Hæc Barbosa circa primam quæstionis partem, & deinde circa secundam, hæc: Visitare potest Episcopus non solùm Ecclesiam Parochialem vnitam Monasterio Ordinis S. Benedicti, cuius cura geritur à Monacho dicti Ordinis; sed etiam Baptisterium, & Tabernaculum, vbi asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia exempta existens. Sacra Congregat. Concil. *in Curiens.* 5. *April.* 1631. *penes Bonfadin. d. resol.* 76. *n.* 18. Sic Barbosa vbi suprà *num.* 7. & Lezana mox citandus.

QVÆSTIO XVIII.

An Episcopus possit visitare Ecclesias Regulares, quibus animarum personarum sæcularium cura non imminet?

RESpondeo vt certum, quod non (secus si illis cura immineret illarum, vt nu-

per est habitum:) quia Regulares exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, & consequenter eorum Ecclesiæ ab eorum visitatione, in casu proposito. Sic Sac. Congreg. Concilij apud Sellium *in selectis Canonic. cap.6. n.25.* & apud Barbosam *vbi suprà n.* 14. & apud Lezanam *tom.* 2. *qq. Regul. verb. visitator Regularis, num.* 17. sic dicentem. Notandi sunt, saltem remissiuè, casus, in quibus Episcopi, vel Ordinarij visitare possunt Ecclesias, seu Monasteria Regularium. Et quidem primò, si tales Regulares subditi sunt Episcopis, nec ab illis exempti, cùm ipsorum Prælati sint, potuerunt ipsos visitare, quando, & quomodo Prælati Regulares, iuxta dicta tamen suprà *verb. Episcopus quoad Regulares, n.2.* Si autem Regulares sint exempti à iurisdictione Episcoporum, quales communiter sunt ferè omnes Religiosi, tunc etsi non possint eos regulariter, vt ipsorum Prælati, visitare, nihilominus iuxta dicta *tom.1. p.1. cap.11. n.7. & 9. & tom.1. part.2. cap.5. num.* 49. visitare possunt Ecclesias Regularium, quibus imminet cura animarum sæcularium, imò & Regulares ipsos, qui talem curam exercent, in iis, quæ ad dictam curam & administrationem Sacramentorum spectant. Hæc Lezana. Lege Barbosam *vbi suprà, num.12.* dicentem, quod visitare sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & cætera huiusmodi; aut etiam Tabernaculum, seu Pyxidem, in qua sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, non licet Episcopis vigore cuiusvis Decreti Concilij, in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium.

QVÆSTIO XIX.

An possit ad minùs visitare Episcopus quascumque Ecclesias sæculares, etiamsi ad Regulares pertineant?

REspondEo vt certum, posse, dummodo dictis Ecclesiis per sæculares deseruiatur. Sic sacra Congreg. Concilij, vt refert Barbosa *dicta collect.728. n.8.* ita dicens: Visitare potest Episcopus quascumque Ecclesias sæculares, intra fines suæ Diœcesis existentes, vigore *cap.8. sess.7. de reformat.* etiamsi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deseruiatur. Sac. Congreg. Concil. de qua Armendariz *lib.1. tit.6. de visitat. cap.5. §. 2. n.3.* Hæc Barbosa.

QVÆSTIO XX.

An Confraternitates Laicorum existentes intra Ecclesias Regularium, possint Episcopi visitare?

NEgandum videtur, attenta Bulla Pij V. quæ est 38.

Sed vt quid certum respondeo, posse; quia sic sæpæ declarauit sacra Congregatio Concilij, vt fatentur Lezana *tom.2 qq. Regul. verb. visitator Regularis, n.17.* & antea *tom.1. sum. c 15. de Confratribus, & Confraternitatib. Regul. n.27.* vbi ita ait: Habent Episcopi ius visitandi Confraternitates Laicorum, iis exceptis, quæ sub Regum immediata protectione sunt. Ita enim habetur in Concil. Trident. *sess.22. c.8.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.75. n.2.16. & 19.* Item Confraternitates Laicorum erectas in Ecclesiis Regularium, non obstante quacumque contraria consuetudine: ita enim decreuit Sac. Congr. Episcoporum, & Regul. 17. Iulij 1615. Ita ille. (Quod intellige quoad ea tantùm, quæ ad Confratres spectant, prout declarauit Sac. Congregatio, teste Barbosa *de iure Eccles. lib.1. c.4. n.30.* vt aduertit ipsemet Lezana *tom 2. loco cit. n.17.*) Nec obest Bulla Pij V. quia vt aduertit Zerola *1.p. praxis Episcopal. verb. visitatio, vers.2. dubium,* Greg. XIII. eam reuocauit, reducens illam ad terminos iuris communis, Bulla sua 15. Et ideò sic tenet ille, & penes illum Hostiens. & Rebuff. & rursus Barbosa *in summa Apostolicar. decis. verb. visitare Eccles. collect.728. n.9. & 10. & in remissionib. ad loca Concily, sess.22. de reform. c.8. n.9.*

QVÆSTIO XXI.

An Episcopus possit visitare Altaria, & Capellas Confraternitatum in Regularium Ecclesiis constructas?

NEgat absolutè Barbosa *in summa Apostolicar decisionem, collect.728. n.15.* ita dicens: Visitare non potest Episcopus Altaria, & Capellas in Regularium Ecclesiis, etiam per sæcularium Confraternitates constructa. Sac. Congreg. Episcopor. & Regular. *in Papiens. 21. Augusti 1615. & in Tarracon. 22. January* 1616. Hæc ille.

Sed distinctiùs respondet Lezana ex ipsomet Barbosa, *tom.2. qq. Regular. verb. visitator Regularis, num.* 17. ita scribens: Similiter, iuxta dicta *eodem num.27.* visitare etiam possunt Episcopi Altaria, & Capellas Confraternitatum in eisdem Regularium Ecclesiis existentes; in his tamen, quæ Confratrum administrationem respiciunt, propter declarationem etiam S. Congreg. apud eundem Barbosam supra, Nouatium etiam suprà *num.* 4. & 8. Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An omnes Christianæ Personæ visitari possint à suis Prælatis?

REspondeo vt certum, posse. Sic omnes, inter quos doctus Azor *part.2. lib.3. cap.40. quæst.11.* iis verbis nostro quæsito respondet: Possunt visitari omnes Christiani, & Christianorum Principum imperio subiecti, siue Iudæi, siue Pagani. *Clement.1. de Iudæis.* Item omnes, siue Ecclesiastici, siue sæculares sint, vt constat *ex cap.1. §. deinde, de censibus in 6.*

QVÆSTIO XXIII.

An sit aliqua forma in visitatione à Prælato obseruanda?

REspondeo esse: nam in primis Episcopus, seu visitator ab eo designatus, debet literis monere Clerum, & populum, quem visitaturus est, vt ad certam diem paratus sit, proximeque diebus sequenti

sequentibus, Visitatorem, eiusque familiam, & comites recepturus; edictaque valuis Ecclesiæ affigenda sunt, ne quis eorum, qui in illa Ecclesia ministrant, excusare se, vti absens, prætextu ignorantiæ possit. Sic Federicus *consil.* 79. quem citat, & sequitur Azot vbi suprà *cap.41.quæst.1.*

Deinde dum Visitator ad Ecclesiam accesserit, aqua benedicta in primis adstantes hyssopo asperget, moxque preces aliquas genibus flexis ante Deum fundet, absoluetque omnes à peccatis generali absolutione, & ad Clerum, & ad Populum adstantem per se, aut per alium concionem habebit, qua visitationis causarum rationem exponet; sic Azor *vbi suprà*, & Zerola *vbi suprà*, *vers. ad quintum*, ex Consilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. *§. Visitationem.*

Rursus inchoare visitationem debet à SS. Eucharistiæ Sacramento, inspiciendo, an honorificè habeatur, an mundè, pureque, & fideli custodia seruetur, quòque honore ad infirmos deferatur. Deinde visitare debet Chrisma, Oleum infirmorum, & Fontem baptismalem, Ecclesiam, Altaria, & ornamenta, & alia supellectilia; & si quæ inuenerit lacera, aut vetustate consumpta, ita vt sacris vsibus seruire nequeant, iubeat comburi, & cineres in Baptisterio recondi, aut in pariete, aut fossis pauimentorum, aut alio honesto loco, qua iter fieri non soleat, *cap. Altaria, & seqq. de consecr. dist.* 1. Sic Azor. *vbi suprà*, *quæst.* 2. Legatur.

QVÆSTIO XXIV.

An, & quomodo Clerici, & personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo visitari debeant?

RESpondeo dicendum, quod visitari debent ab Episcopo iuxta *cap.* 1. Concil. Bracharens. 11. relatum *in cap. placuit* 10. *quæst.* 1. vbi ita dicitur: *Placuit omnibus Episcopis, vt per singulas Ecclesias Episcopi, & per Diœceses ambulantes, primùm discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæque officia in Ecclesia peragant. Et si rectè quidem inuenerint; Deo gratias agant: sin autem minimè, &c.* Sic Concilium. Legatur Zerola 1. *part. praxis Episcopal. verb. visitatio, vers. secundò circa Clericos.* Vbi addit, quod debeat Episcopus interrogare sigillatim singulos Clericos, vt quisque deponat circa vitam, & mores alterius, etiam cum iuramento; & ad veritatem dicendam potest Episcopus cogere illum per excommunicationem. Legantur Syluest. *verb. visitatio, §.6. verb. quartum, & verb. Inquisitio, num.* 15. Sotus *lib. de rat. legendi, & detegend. secr. 2. q. 6.* & alij.

QVÆSTIO XXV.

An, & quomodo sint personæ Laïcæ ab Episcopo visitandæ?

RESpondeo dicendum, quod in primis Episcopus postquàm consumpsit diem primam circa eruditionem & visitationem Clericorum, vt dixit Concilium Bracharens. *in d. cap. placuit*, altera die debet conuocare plebem ipsius Ecclesiæ, & docere eos, vt errores fugiant, & omnia peccata mortalia, vt homicidium, adulterium, periurium, &c. & quod nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, &c.

Deinde Episcopus à Clericis, & à Laicis probatæ vitæ debet inquirere, an laici diebus festis ad templum accedant, illosque obseruent; an sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, iuxta iussum Ecclesiæ suscipiant; an sint aliqui in gradibus prohibitis matrimonio coniuncti: an sint aliqui adulteri, blasphemi, concubinatij, fœneratores, sacrilegi, aut superstitiosi. An sint aliqui Ecclesiasticorum bonorum raptores, inuasores, occupatores. An sint qui decimas, primitias, aliasque oblationes Ecclesiæ debitas non soluerint, vel pia à testoribus relicta legata denegent. An sint qui magicis artibus operam dent, aut qui libros prohibitos habeant, vel legant, &c. Vbi autem super his, aut aliis similibus, quæ in generali visitatione inquiruntur, aliquid speciale contra aliquem emerserit, putà infamia, aut facti euidentia, aut testes, tunc in eum specialiter inquiret. Sic Azor. *cap.* 41. *cit. q.* 3.

QVÆSTIO XXVI.

An personæ, quæ visitantur, debeant aliquas expensas, seu (vt iura vocant) procurationes visitanti soluere.

RESpondeo tanquam certum, quod sic, quia nemo suis stipendiis militat; ideoque iure canonico institutum est, vt ij ad quos curandos, & corrigendos accedunt, moderatas impensas faciant. Constat ex cap. *Cùm Apostolus, cap. olim, cap. sopita, cap. procurationes, de censib.* & ex Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. præcipiente Visitatoribus, *Ne ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatéque pro temporis tantùm necessitate, & non vltra, erunt ministranda.* Hæc Concilium. Legantur Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. Zerola 1. *p. praxis Episcop. verbo visitatio, §. ad sextum.* Barbosa *sup. hoc cap.* 3. *Trident.* Machado *lib.* 4. *par.* 6. *tract.* 17. *docum.* 7.

QVÆSTIO XXVII.

An omnes, qui visitantur, debeant impensarum, seu procurationum onera sustinere?

RESpondeo vt certum, omnes teneri, & non minùs ij, qui ad alium locum è domo sua euocantur, vt corrigantur, & curentur ibi, quàm ij, qui ipsius Prælati præsentia visitantur. Sic Glossa *in cap.* 1. *verb. visitatus; de censib. & ibid.* Ioan. Andreas, Dominicus, & alij. Et eodem iure tenentur Oratoria erecta authoritate Episcopi, & Capellæ etiam in Collegiatis Ecclesiis erectæ. Sic Azor *cap.* 42. *cit. q.* 1.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXII.

An si Visitator non habeat equitaturas ad equitandum, teneantur subditi ei illas administrare?

NEgat absolutè Zerola 1. *p. praxis Episcop. verb. visitatio, §. ad sextum, dub.* 3. ex Innocent. Anchar. Franc. & D. Anton. quem sequitur Barbosa *in Remiss. ad loca Concilij, sess.* 24. *cap.* 3. *num.* 9.

Sed distinctiùs respondeo dicendum, teneri quidem subditos administrare equitaturas Visitatori, si hic sit à summo Pontifice delegatus; quia tunc ei equitaturæ debentur, vt à loco ad locum transite commodè possit, vt docent Glossa *in Clement.* 2. *verbo voluerit, de censib.* Vital. & Imola, *ibidem.* Secus si Visitator sit Ordinarius, quia huic non debentur vecturæ, aut equitaturæ, neque impensæ factæ in iteneris transitu, neque iactura equorum, vel iumentorum, si quæ in itinere perierint, resarcienda est. Glossa *in cap. Romana, §. procurationes, in verb. in victualibus, de censib. in* 6. quia ista non continentur nomine victualium, ac proinde cùm ad aliquem locum visitandum se conferens Episcopus, per alium locum transit, ab incolis eius loci, ad quem diuertit, exigere visitationis impensas iure non potest, vt colligi videtur *ex capite primo de emption. & vendit. & cap. de Monachis, de prabend.* Sic Azor *cap.* 42. *cit. quæst. octaua.*

QVÆSTIO XXXIII.

An Visitatori ægrotanti teneantur subditi, seu visitati, ministrare ea, quæ sunt necessaria infirmitati illius?

REspondeo, non teneri, quia victualia debentur Visitatori dum visitat, vt ex Trident. *cap.* 3. *cit.* constat: sed sic est, quod dum ægrotat, non visitat: ergo. Si dicas, quod dum iacet in lecto, potest per suum Vicarium visitare; respondeo quod tunc Vicario visitanti, & non Episcopo ægrotanti deberentur victualia. Sic Zerola *loco cit. dub.* 3. Qui tamen addit, & benè, quod possit dici, quod tunc etsi ipsi Episcopo ægrotanti debeantur victualia, non tamen medecinalia, nec aliis personis necessaria, præcipuè quando infirmitas protraheretur.

QVÆSTIO XXXIV.

An visitationis impensæ exigi possint à Visitatore in numerata pecunia?

REspondeo vt certum, non posse; quia non in optione Episcopi visitantis, sed in optione visitatorum hoc reliquit Trident. *sess.* 24. *cit. cap.* 3. ibi: *Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint soluere id, quod erat ab ipsis ante solui, certa pecunia taxata, consuetum; an verò prædicta victualia ministrare, &c.* Quod antea fuerat decisum *in cap. felicis, de censib. in* 6. & *in extrauag. vnica, de decimis.* Et sic correctum est *cap. exigit. de censib. in* 6. vbi hoc prohibebatur, & meritò, cùm oppositum non posset vbique sine maximo Ecclesiarum, quæ visitantur, & Prælatorum, qui visitant, incommodo seruari; eo quod sæpe contingat, vt Clerici, ad quos Prælati visitandos accedunt, nec domum habeant, quæ commodè Episcopum capere queat, nec supellectilem tali vsui necessariam; nec possint sine dispendio, quæ sunt ad victum parata aliò transmittere. Sic Zerola 1. *p. praxis Episcop. verb. visitatio, §. ad sextum, dub.* 2. & ex illo Barbosa *in remiss. ad loca Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *num.* 9. ibi: Visitator id quod per victum sibi necessarium contingebat, non potest in pecunia taxare; quia (addit Zerola) in optione Visitatorum hoc reliquit Concilium. Sic etiam Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 9.

QVÆSTIO XXXV.

An si Episcopus vna die duas Parochias visitet, possit duas procurationes accipere?

REspondeo vt certum, non posse, nisi vnicam procurationem accipere; quia sic expresse habetur *in cap. felicis, de censib. exaction. & procurat.* illis verbis: *Adiicientes quod non liceat visitanti, nisi vnam procurationem recipere vna die, siue vnum locum solùm visitauerit, siue plura, etiamsi locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad procurationem integram persoluendam, cùm eidem sufficere debeat, vt temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat.* Hæc Bonifac. VIII. & ex illo Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 9. qui tamen legendus est cautè, eo quod ex errore Typographi dicat, quod non liceat Visitatori vnam procurationem eadem die accipere, quamvis plura loca visitasser. Legendus enim est, quod non liceat Visitatori nisi vnam procurationem eadem die accipere, &c. Sic etiam Zerola *loco cit. dub.* 6. licèt addat, quod bene possint ipsi visitati diuidere expensas faciendas, & soluendas Visitatoribus inter se. Sic etiam Barbosa vbi suprà, ex eodem Zerola.

QVÆSTIO XXXVI.

An si Ecclesia, quam Episcopus visitat, sit pauper, debeat ille eam gratis visitare?

AFfirmant Siluester *verb. hospitale, numero decimo quinto, vers. nec tertiò ad procurationem, &c.* Panormitan. apud ipsum, & Astens. quem citat, & sequitur Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. visitatio. §. ad sextum, dub.* 7. illis verbis: Fallit secundò in Ecclesia paupere, quia debet gratis visitari. Siluest. & Astens. Nec quando visitati ipsum visitatorem procurare non possunt, putà propter paupertatem; quia tunc ipsemet sibi prouideat, *cap. cauendum* 10. *quæst.* 3. Hostiens. *in sum. tit. de offic. Archidiac. §. quod si eius officum, num.* 4. Hæc Zerola.

Sed clariùs, aut distinctiùs respondeo cum Azorio dicendum, quod in proposito casu debeant Ecclesiæ vicinæ pro cuiusque redditibus opem ferre. Quod si hæ adhuc nequeant subsidium præstare, tunc Episcopus suis sumptibus debeat visitationis munus absoluere, si id commodè possit. Glossa, Ioan.

Ioan. Andreas, & alij *in cap. Procurationes, de censib.* & Dominicus *in cap. vltimo, eodem titulo*. Nec Rector Ecclesiæ vllo iure cogitur ornamenta suæ Ecclesiæ distrahere, vel alienare, vt victum Visitatori præbeat, vt est communis opinio Doctorum, *in cap. cùm Apostolus, de censib.* Quod si dubitetur, an sit diues, aut pauper Ecclesia, standum est iuriiurando Rectoris. Hæc Azor *p. 2. lib. 3. cap. 24. q. 10.*

QVÆSTIO XXXVII.

An Secretarius, vel Scriba, possit aliquid recipere pro suis laboribus, scribendo, & transcribendo, vel dando copiam ipsius visitationis?

Negatiuam sententiam tenere Zerolam, ait Barbosa *in remissionib. ad loca Concilij, sess. 24. de reformat. cap. 3. num. 9. vers. &, dub. 4.* Sed meo videri non bene citat illum pro hac parte, cùm oppositam planè sequatur: nam citata pro hac negatiua parte Glossa *in §. procurationes, in verbo officij*, ait hæc verba Zerola: Sed D. Anton. *loco cit.* (hoc est 3. *p. tit. 20. cap. 5. §. 5.*) dicit quod sic, nisi haberet salarium ex publico, *argum cap. Ecclesiasticis, & cap. Ecclesiarum 12. q. 2.* Confirmatur sententia Diui Antonini à simili, quod dicit Concil. Tridentinum *sess. 21. cap. 1. de reform.* Et dicit hanc esse opinionem Hostiens. & Iun. & sic vidi obseruari in praxi. Hæc Zerola, qui & citat pro se Nauarrum loco à nobis mox citando. Igitur.

Probabiliùs multò respondeo dicendum, quod possit benè Secretarius, vel Scriba, accipere aliquid, hoc est iustum salarium, pro suo labore, nisi aliàs ipse sit de familia Visitatoris, aut habeat salarium ex publico, aut statutum rationabile prohibeat illud sibi. Sic Nauarrus *lib. 3. consil. consil. 1. de censibus*, his verbis: Sed pro contraria parte (id est, pro hac nostra) facit, quod lex naturæ habet *Lucæ 10.* mercenarium dignum esse mercede sua. Et quod licèt Delegatus Sedis Apostolicæ nihil debeat percipere à partibus, Notarius tamen recipit iustum salarium, *cap. statutum, §. Notarius, de rescript. lib. 6.* Et licèt Ordines gratis debeant dari, Notario tamen soluitur pro scriptura, qua fidem facit de collatis Ordinibus, si non habeat salarium de publico, secundùm Panormit. communiter receptum *in cap. de simonia, num. 3.* vel nisi consuetudo laudabilis habeat, ne quidquam recipiatur, iuxta Concil. Trident. *de reformat. sess. 21.* Et Notarij non solent esse de familia Visitatoris, nec famuli eorum, & tenentur seruire gratis visitatis, 13. *q. 1. cap. 1.* sic meus Nauarrus, cuius sententiam, & non esse Glossæ, sequitur Zerola.

QVÆSTIO XXXVIII.

An quando Episcopus visitat per alium, teneantur visitati ad omnia ipsis Visitatoribus, ac ipsi Episcopo, si visitaret?

Respondeo dicendum, teneri ad omnia ipsis Visitatoribus; Episcopo verò tunc nihil. Sic habetur *in cap. si Episcopus, de offic. Ordinarij in 6.* his verbis: *Si Episcopus suam Diœcesim* (vbi ei à iure permittitur) *faciat per alium visitari, licèt ipse illi habeat in aliis necessariis prouidere; ij tamen qui visitantur, ministrare tenentur expensas victualium visitanti: cùm secundùm Apostolum, non sit magnum si ab eo metantur temporalia, per quem spiritualia seminantur. Idem tamen Episcopus, cùm personaliter non visitat, nil prorsus ab iis, qui per illum, quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit, aut debebit.* Sic dictum cap. quod est Bonifacij VIII. Et sic Zerola *vbi suprà, dub. 5.* & penes illum Glossa, & Hostiens. & tenet etiam ex illo Barbosa *loco citato, vers. &, dubit. 5.*

QVÆSTIO XXXIX.

An Episcopus, vel alius Visitator, possit accipere expensas victualium ab Hospitalibus, & aliis locis leprosorum, domorum Dei, pauperum, & infirmorum?

Respondeo vt certum, quod non; quia sicut Ecclesias pauperes debet gratis visitare, vt habitum est *quæst. 36.* ita & huiusmodi domos. Sic Zerola *dub. 7.* ex Pederico de Senis *consil. 105.* Siluestro *verb. Hospitale, num. 16.* Quos sequitur Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess. 24. cap. 3. num. 9. vers. & dub. 7.* & alij.

QVÆSTIO XL.

An in locis vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec aliquid aliud Visitatoribus detur, debeant Visitatores gratis illa visitare?

Respondeo vt certum, quod sic; quia sic decreuit Trident. *sess. 24. cit. cap. 3.* illis verbis: *In iis verò locis, seu prouinciis, vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur.* Hæc Concilium. Sic Zerola *dub. 8.* Azor *part. 2. lib. 3. cap. 42. q. 9. versic. tandem Concil. Trident.* & *q. 11.* vbi quærens, quot, & quibus modis aliqui soluantur onere impensarum, quæ ratione visitationis debentur? Respondet, quod soluuntur, vel priuilegio à Romano Pontifice accepto, vel præscriptione, vel consuetudine, vel pacto, vel commutatione, vel re iudicata, vel paupertate, vel sterilitate. Hæc ille. Lege quæst. sequentem, in qua explicatur, quid velit dicere Azor per illa verba, *vel præscriptione.*

QVÆSTIO XLI.

An huiusmodi procuratio, seu impensa victualium possit præscribi, ita vt ex hoc capite non soluatur?

NEgat absolutè Zerola *loco cit.* qui id probat *ex cap. circunstantia, de censib. cap. cùm ex officij, & cap. accidens, de præscriptionib.* & ex Glossa *in cap. cùm non liceat, in verb. non obstante, eod. tit.* & Glossa *in extrauag. Execrabilis, Ioan. XXII. sub tit. de prabend. in fine, in verb. procurationes.*

Sed licèt absolutè loquendo, vera sit hæc sententia, & apud omnes certa; nihilominus tamen locum habet, quod dicit Azor *vbi suprà, q.11. vers. insuper*, nempe, quod possit præscriptio contra procurationem currere, quando procuratio non tollitur, sed mutatur in aliud: v. g. si sit consuetudo recepta, vt procuratio semper in pecunia soluatur, non in victualibus; vel vt Visitator cum familia, non in domo Ecclesiastica, sed in aliquo diuersorio excipiatur; vel si nunquam Visitatoris comites, & famuli plures esse consueuerunt, quàm decem, aut duodecim. Nam quemadmodum locum habere potest præscriptio, ne decima soluatur, si fuerit consuetudine receptum, vt aliud loco decimæ impendatur; sic etiam præscriptio consuetudine recepta valet contra procurationem, quando aliquid aliud loco procurationis soluitur, Butrius, Imola, & alij *in prædicto cap. ex officij.* Hucusque Azor, qui, vt vides, non contrariatur sententiæ Zerolæ, & aliorum. Lege illum.

QVÆSTIO XLII.

An sit locus præscriptioni, si procuratio nunquam fuerit petita à Prælato visitante?

AFfirmandum videtur, eo quod eo ipso eam remisisse præsumatur; & ideò ita sensit Vincentius citatus à Panormitano pro hac parte.

Sed longè multò probabilius respondeo non esse propterea locum præscriptioni; quia si quis immunitatem, & libertatem à procuratione soluenda præscriberet, visitationem ipsam Prælati negligerent, quia nollent cum tanto rerum suarum dispendio visitationis onus subire. Sic Panormitan. *in cap. cùm ex officij, de præscrip.* cum aliis, quos sequitur Azor *part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 13.*

QVÆSTIO XLIII.

An longissimi temporis præscriptio, cuius initium memoriam hominum superat, vim habeat ad hoc, vt visitanti procuratio non soluatur?

AFfirmant quidam, eo quod huiusmodi præscriptio habet eandem vim, quam habet priuilegium: at sic est, quod priuilegio tollitur procuratio: ergo & præscriptione longissima hominum memoriam superante. Ita tenent Abbas *consil. 26. lib. 2.* & Marianus *in tract. de visit. num. 52.*

Sed multò longè probabiliùs respondeo, non habere vim dictam præscriptionem, ad hoc vt visitanti procuratio non soluatur: quia in his, quæ ex sua natura præscriptionem pati non solent, præscriptio longissimi temporis priuilegio non comparatur; alioqui enim laïci iura spiritualia longissima præscriptione possent acquirere, quod est omninò falsum: nam laïcus spiritualis iuris capax non est. Sic Felinus *in cap. cum ex officij, de præscriptione*, quem citat, & sequitur Azor *vbi suprà, q. 14.* addens, hanc longissimam præscriptionem prodesse, dummodo is, qui ea vtitur, suum in præscriptione fundamentum non ponat, sed in priuilegio, aut aliquo alio titulo, quem tam longæua possessione se habere probauerit.

QVÆSTIO XLIV.

An aliquando procuratio solui debeat, etiam sine vlla visitatione Prælati?

NEgandum videtur ex dictis suprà, *q. 33.* quia impensæ victualium debentur propter visitationem: ergo vbi non interuenit hæc, nec impensæ contribui debent.

Sed nihilominus respondeo dicendum, quod debeat in aliquibus casibus solui procuratio, etiamsi nulla visitatio fiat. Primus sit, quando priuilegio, vel pacto constitutum est, vt procuratio debeatur. Secundus, Legatis Apostolicis aliquò proficiscentibus, debentur sumptus, & viaticum ab iis Ecclesiis, ad quas dum legationis officio funguntur, accesserint, etiam sine vlla visitatione, *cap. procurationes, & cap. cùm instantia, de censib.* Tertius, potest deberi ratione fundationis, consuetudinis, vel præscriptionis, etiamsi nulla visitatio intercedat. Quartus, debetur procuratio, non solùm quando Episcopus visitat gratiâ corrigendi; sed etiam quando accedit gratiâ Sacramenti Confirmationis administrandi, vel Chrismatis conficiendi, vel Ecclesiæ recens ædificatæ consecrandæ, vel pollutæ reconciliandæ. Sic omninò Azor *part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. vltima*, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XLV.

An possit Episcopo visitanti præfigi terminus in visitatione?

REspondeo dicendum, quod non: quia id reliquit Concilium arbitrio Episcopi. Sic respondit Sacra Congreg. Concilij, vt refert Zerola *2. p. Praxis Episcop. verb. visitatio, §. nono*, his verbis: An Episcopus possit, vel teneatur præfigere terminum visitationis, vel ei Episcopo præfigi terminus in visitatione? Respondetur à Sac. Congr. *decis. 445.* (in meis) pro parte Decani, & Capituli Gadicensis, in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit, nullum certum tempus fuisse præfixum à Concilio, sed id relictum arbitrio Episcopi; quod tamen debebit esse moderatum, & discretum.*

QVÆSTIO XLVI.

An libris visitationum debeat dari plena fides?

R_Espondeo dicendum, quod sic, præcipuè vbi adest consuetudo probata, quæ extenditur ad alium locum. Sic Zerola *vbi suprà, §. sextò*, ex Caputaq. 1. *p. decis.* 229. & *part.* 2. *decis.* 159.

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam habent Episcopi circa diuinum cultum, & Christianam Religionem augendam, & conseruandam.

QVÆSTIO PRIMA.

In quibus præcipuè munus, & officium Episcoporum consistat?

RESPONDEO dicendum, quod in duobus. Primò in cultu diuino, & Christiana Religione augenda, & conseruanda: & secundò in pascendis, ac regendis ouibus sibi commissis, & eis in æternæ salutis viam perducendis. Sic Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *in principio, num.* 2.

QVÆSTIO II.

An attendere debeat Episcopus ad ea, quæ fidem, & cultum, seu venerationem Dei concernunt?

RESpondeo dicendum, quod sic; quia hoc est eius præcipuum munus, & officium: vnde multa debet curare circa hæc concernentia.

Nam primò curare debet, vt omnes suæ Diœcesis animæ fidem christianam suscipiant; si sit in terris infidelium, vt omnes rudimenta fidei sciant, & ea ritè doceantur, ac eis explicentur, & ad hoc exequendum Curas animarum compellere, *capite ante Baptismum, de consecrat. dist.* 3. *Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 4.

Secundò debet curare, vt verbum Dei populo prædicetur, & lectio Sacræ Scripturæ, ac Theologiæ habeatur.

Tertiò debet curare, ne verba Sacræ Scripturæ ad superstitiones, incantationes, ac diuinationes, vel sortes, & in alia profana, & scurrilia adhibeantur.

Quartò debet curare, diuinos omnes, & sortilegos, & magicam artem exercentes, aut docentes, & superstitionibus, aliisque similibus operam dantes, ex Diœcesibus suis penitus eradicare, *cap. contra, & cap. Episcopi* 25. *q.* 5. Ita hæreticos, & hæreses omnes similiter extirpare, &c.

Quintò debet noua miracula, reliquias, & imagines approbare, *cap. fin. de reliquiis, & vener. Sanctor. cap. placuit, de consecr. dist.* 1. Concil. Trid. *sess.* 25. *de inuocat. & vener. Sanct.* Et abusus, & superstitiones, quæ circa hæc, & circa Indulgentias, & Celebrationem Missarum, plerumque versantur, tollere. Concil. Trident. *sess.* 22. *de obseruandis, & euitand. in celebrat. Missarum.*

Sextò debet curare, vt festa ritè, ac debitè celebrentur, vt in his diebus fideles diuinis intersint, & à seruilibus operibus, & aliis illicitis abstineant. Sic Barbosa omninò *de potest. Episcopi part.* 2. *in principio, à num.* 4. *vsque ad* 10. Legantur ipse *part.* 3. *allegat.* 76. 97. 105. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO III.

An, & qua ratione debeat curare Episcopus de celebratione Missarum, & diuinorum officiorum?

RESpondeo dicendum, quod circa hæc debet curare Episcopus, primò vt Missæ purè, ac piè, modo, loco, ac tempore debito celebrentur, & in his, si quæ sunt, superstitiones, & abusus tollere, & ne cui vago, & ignoto Sacerdoti eas celebrare permittat. Concil. Trident. *sess.* 22. *citata.*

Secundò debet curare, vt diuina officia, & horæ Canonicæ debitè, ac deuotè suis horis celebrentur, & recitentur, abusus omnes circa huiusmodi profligando. *Clem.* 1. *de celebr. Missar.*

Tertiò debet curare, vt populis diuersarum linguarum Missa, & officia, & Sacramenta secundum eorum linguas, & approbatos ritus celebrentur, ac ministrentur, instruendo eos pariter verbo, & exemplo, *cap. quoniam in plerisque, de offic. ordin.* Sic omninò Barbosa *vbi suprà, à num.* 11.

QVÆSTIO IV.

An, & qua ratione debeat curare Episcopus de recta, ac debita administratione Sacramentorum?

RESpondeo dicendum, quod Episcopus primò debet curare, vt Sacramenta à Ministris idoneis, cum debita forma, ac ritu, & materia, ac tempore legitimo, personis habilibus ministrentur; & specialiter vt Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum honorificè, ac decenter obseruetur, *cap. sanè, de celebrat. Missar.*

Secundò debet curare, ne pro ministrandis Sacramentis aliud indebitè exequatur, *cap. placuit,* el 2. 1. *q.* 1. & specialiter, vt in matrimonio decreta Concilij Trident. *sess.* 24. *de reformat. matrim.* seruentur.

Tertiò, vt vis, ac virtus omnium Sacramentorum à Parochis suis populis exponatur; & vt sæpiùs explicetur, & publicetur decretum Concilij Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 7. Sic Barbosa 2 *p. de potest. Episcopi, in principio, à num.* 14. *vsque ad* 16. & latiùs ibidem *alleg.* 22. & 32.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An, & qua ratione curare debeat Episcopus de personis, ac locis Ecclesiasticis?

REspondeo dicendum, quod Episcopus debet curare primò, vt personæ, quæ ordinandæ, & sacris initiandæ sunt, habeant omnia ad hoc munus recipiendum requisita, de quibus egimus *2.p. tractatu de Ordine.*

Secundò debet Clericos, ac Regulares delinquentes corrigere, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem *in cap. irrefragabili, de offic. Ordinarij, & Clement.* 1. *eod. tit.* & in Concil. Trident. *sess.6. de reformat, cap.6.* & constituere honestatem, quam Clerici in vestibus obseruare debent, iuxta consuetudinem, & vsum vniuscuiusque regionis, vt latè Barbosa *2 p. de potest. Episcopi, alleg.9.*

Tertiò peregrinos Clericos sine testimonialibus litteris proprij Ordinarij non debet ad celebrandum admittere, licèt benè possit, casu quo, si illis carerent, fidem de sua ordinatione facerent. Sic Barb. *vbi suprà, alleg.*21. ex Nauar. & Riccio, *à n.*1.

Quartò debet supplere negligentiam Abbatum, assignare Confessorem Monialibus, & Monasteria earum visitare. Barbosa *2.p. in princip. n.*20. *& alleg.*25. *&* 74.

Quintò debet Ecclesiasticas immunitates tueri, *cap. decet, de immunit. Eccles. lib.6.* necnon Ecclesiarum reuerentiam, circa ea, quæ in eis fieri prohibentur, conseruare, & augere; gubernationem Hospitalium, & aliorum piorum locorum curare, Ecclesias reparare, &c. Barbosa vbi suprà *num.*22. *& alleg.*26. *&* 75.

QVÆSTIO VI.

De cura, & modo, quem Episcopus in pascendis suis ouibus habere adstringitur?

REspondeo dicendum, quod in pascendis suis ouibus Episcopus seruare tenetur sequentia. Primò enim debet prædicare verbum Dei, & subditos suos docere, & eis salutis monita tradere, *cap. audire 25. dist. cap. inter cætera, de offic. Ordinarij,* & Concil. Trid. *sess.*5. *de reformat. cap.*2. *& sess.*24. *cap.*4. & anteà D. Paulus 1. *Timoth.*5. *&* 2. *cap.*4.

Secundò debet animarum curæ prouidere, bonos, & idoneos Rectores, siue Curatos instituendo, qui curam suam non negligant, *cap. nullus omninò* 16. *q.*6.

Tertiò debet Episcopus excommunicatorum nomina subditis suis, & vicinis etiam Episcopis, si oporteat, dare, & publicare, & ea præ foribus Ecclesiæ affigere, vt quisque communionem eorum euitet, *cap. cura* 11. *q.*3. *Clement. vnica, de consanguin. & affinit.*

Quartò debet Episcopus vitia subditorum arguere, & errantes corrigere, Concil. Trid. *sess.*13. *cap.*1. pacem inter eos conciliare, & treguam rumpentes punire, *cap.*1. *de tregua, & pace,* atque dissidentes fratres ad pacem magis, quàm ad iudicium excitare, *cap. studentes, cap. præcipimus* 90. *dist.*

Quintò tenetur Episcopus curam gerere, vt victus pauperibus tribuatur, & viduarum, orphanorum, ac miserabilium personarum patrocinium sumere; necnon carceratorum curam habere, pro-

uidendo, vt humaniter tractentur, & prouideantur eis necessaria; & tandem infantium expositorum curam gerere, & curare, ne serui fiant colligentium. Sic Conc. Trid. *sess.*23. *de reform. cap.*1. *& l. iudices, C. de Episcop. audient. l. nemini licere, C. eod. tit.*

Sextò debet Episcopus prouidere, ne subditi sui vanis, & superfluis sumptibus intendentes, substantias suas consumant; & ne quis vltra quàm gradus personæ, & facultates patiantur, expendat. *Clem.*2. *de Magistris.*

Septimò debet Episcopus oues sibi commissas bonorum operum exemplo pascere, pro eis frequenter orare, & sacrificia Deo offerre, easque continuis monitis in viam salutis dirigere. Concil. Trid. *sess.*2. *de reformat. cap.*1.

Octauò debet Episcopus sæpius totam suam Diœcesim visitare personaliter, exemplo Apostolorum, *Actor. cap.*15. & habetur *in cap. legitur, & cap. relata, & cap. decernimus, cum sequent.* 10. *q.*1. & in Concil. Trident. *sess.*24. *de reformat. cap.*3. de quo iam egimus suprà *disp.*7. præcipuè *q.*2.

Nonò debet Episcopus semel saltem quotannis synodum totius Cleri conuocare, vt in ea, cuncta, quæ ad eius officium spectant, & ea quæ correctione, emendatione, ac reparatione indigent, ordinentur, emendentur, & corrigantur, *cap. annis singulis, & cap. quoniam* 18. *dist.*

Decimò debet Episcopus apud suam Ecclesiam residere, quamdiu poterit, præcipuè certis anni temporibus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oues debent. Sunt autem hæc tempora, Dominicæ Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & festum Corporis Christi. Sic decreuit Trident. *sess.*23. *de reformat. cap.*1. de qua materia egimus suprà *disp.*6. per totam. Legatur Barbosa *de potest. Episcopi* 2. *p. in principio*, ex quo hæc omnia collegimus.

DISPVTATIO IX.

Compendium de potestate, auctoritate, & iurisdictione quam habet Episcopus.

QVÆSTIO PRIMA.

An sint aliqua, quæ ad Episcopum ratione Ordinis, seu consecrationis spectent?

RESPONDEO dicendum, quod sint. Nam primò conuenit Episcopo ratione sui Ordinis, seu consecrationis, Chrisma conficere, fontesque baptizandorũ chrismate signare, esseque ministrum Confirmationis, vt latè ostendimus 1. *p. tract.*3. *de sacram. confirmat. disp.*2. vbi *q.*1. vt certum docuimus, de fide esse, quod solus Episcopus sit Minister ordinarius Confirmationis: & *q.*2. quod ex commissione Papę possit simplex Sacerdos esse minister confirmationis; non tamen ex commissione Episcopi, vt contra Caietanum adstruximus ibi *q.*3. Legantur in dicta disputatione alia, quæ hìc desiderari possunt.

Secundò conuenit Episcopo benedicere oleum Extremæ-Vnctionis, hoc vt tanquam certum docuimus 1. *p. tract.* 4. *disp.* 2. *q.* 2. *&* 3. & vt probabilius, nec ex commissione Papæ posse

simplicem Sacerdotem tale oleum benedicere. Legantur ibi alia ad hæc concernentia.

Tertiò conuenit Episcopo, ratione suæ consecrationis, Basilicas consecrare, *cap. nemo 1. de consecrat. dist. 1. & cap. tua fraternitas, de consecrat. Ecclesiar.* Nec potest id munus alteri delegare, nisi Episcopo, *cap. aqua, de consecrat. Eccles.* similiter conuenit ei Altaria in Ecclesia consecrata erigere, & consecrare, sicut & ei competit consecratio petræ Aræ, Calicis, & Patenæ, vt diximus *part. 2. tract. 8. de sacrif. Missæ, disp. 7. q. 7. & 29.* vbi hæc consecrari posse à simplici Sacerdote ex commissione Summi Pontificis, etiam adstruximus. Legantur ibi dicta, & Barbosa *de potest. Episcopi allegat. 27.* Deinde conuenit Episcopo virgines benedicere, & consecrare, *cap. perlectis, §. ad Episcopum 25. dist.* publicè pœnitentes in Missa reconciliare, *cap. quamuis, dist. 68.* Item corporalia, & Pallas Altaris, & alia vtensilia Ecclesiæ consecrare, seu benedicere, licèt hæc omnia etiam non Episcopus possit facere ex priuilegio Pontificis, vel consuetudine, vt benè docet Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. in compendio, num. 39. & sequent. & allegat. 27. citata.* Lege meipsum *p. 2. tract. 6. disp. 2. q. 34.*

Quartò conuenit Episcopo ratione suæ consecrationis Episcopos consecrare, vt latè diximus *2. p. tract. 6. quæst. 1. & sequent.* & nuper: de quo & Barbosa *de potest. Episcopi 1. parte, tit. 1. cap. 5. & 2. p. in compendio, num. 37.*

Quintò conuenit Episcopo vt legitimo, & ordinario Sacramenti Ordinis Ministro, Ordines Clericis conferre, de quo latè diximus *2. p. tract. 6. de Ordine, disp. 4. per totam*; & agit Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. alleg. 3. & in compendio, loco cit.*

Sextò conuenit illi approbare Sacerdotes, qui beneficium Parochiale non habent, ad confessiones audiendas. Concil. Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 15.* de quo nos latè *2. p. tract. 5. de pœnit. disp. 11. q. 44. & sequent.*

Septimò competit Episcopo in aliquibus casibus dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, tam post illud contractum, quàm ante contractum illud, vt latè diximus *part. 2. tract. 9. de matrim. disp. 24. à quæst. 7.* Similiter competit illi, vt denunciationes postponantur, aut omittantur. Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap..* de quo nos etiam vbi suprà *disp. 7. q. 66. & sequent.* & Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. in compendio, n. 75. & alleg. 32. num. 27. cum seqq.*

QVÆSTIO II.

An, & quam iurisdictionem habeat Episcopus ad instituendos in sua Diœcesi dies festos?

Respondeo ex dictis *part. 3. tract. 1. de obseruatione festorum, disp. 2.* primò, quod Episcopus, attento iure communi, *cap. conquestus, de feriis, & cap. pronunciandum, de consecr. dist. 3.* benè possit instituere in sua Diœcesi aliquos dies festos, vt ibidem q. 4. cum communi omnium docuimus.

Secundò, quod vt festa indicta ab Episcopo obligent, non est opus, attento iure communi, speciali facultate, aut confirmatione Summi Pontificis, ibi *q. 5.*

Tertiò, quod iam nequeunt Episcopi (licèt olim licitum eis fuerit) instituere festum in honorem alicuius sancti, nondum à Pontifice Romano canonizati, aut saltem beatificati, ibi *q. 6. & 7.*

Quartò, quod probabilius est, quod ad hoc, vt Episcopi possint de iure communi festos dies instituere, etiam pro vna vice, necessariò requiratur consensus Cleri, *q. 8.* imò & consensus Populi, *q. 9.* secus est loquendo ex vi consuetudinis, vbi hæc legitimè introducta est, quia tunc, eâ attentâ, rectè poterunt Episcopi instituere pro sua Diœcesi dies festos absque sui Cleri, vel Capituli consensu, quamuis non absque eius consilio; & absque populi consensu, & consilio, ibi *q. 10. & 11.* Legantur ibi alia, quæ in hac materia hîc desiderari possunt, & Machado *tom. 1 lib. 2. part. 2. tract. 14. docum. 1.*

Quintò addo, quod Episcopus licitè potest dispensare, vt quis in festo laboret, & hoc non solùm in festis à se indictis, sed etiam in indictis à Rom. Pontifice. Sic *tract. 1. cit. disp. 6. quæst. 68.*

QVÆSTIO III.

An, & quam iurisdictionem habeant Episcopi circa dispensationem ieiuniorum?

Respondeo ex dictis *part. 3. tract. 5. de obseruat. ieiunior. disp. 10.* primò, quod Episcopus rectè possit dispensare cum hoc, vel illo in particulari, in præcepto ieiunij, vt constat ex approbato vsu Ecclesiæ, vt cum communi omnium diximus *vbi suprà, quæst. 6.* verum est, quod vt talis dispensatio sit licita, & valida, requiratur iusta causa; quia ea, quæ sunt iuris communis, non possunt Episcopi dispensare sine iusta causa, vt cum communi diximus *vbi suprà quæst. 7.* Legantur ibi dicta.

Secundò Episcopus optimè potest abrogare legem ieiunij latam à Synodo Diœcesana; quia lex Diœcesana solùm habet vim, & vigorem ab Episcopo; ergo ab ipsomet potest abrogari, & à fortiori in ea cum aliquibus dispensare, etiam validè (non licitè) quamuis id faciat sine causa. Quod idem est dicendnm de lege propria ab Episcopo lata, vt cum communi diximus vbi suprà q. 9. Secus diximus dicendum q. 8. loquendo de lege locali ieiunij, lata à Concilio Prouinciali. Nam etiam nequit Episcopus abrogare, cùm Concilium Prouinciale sit supra Episcopum; benè tamen poterit in ea dispensare, sicut potest in lege ieiunij lata à iure communi, vt nuper est habitum.

QVÆSTIO IV.

An, & quam iurisdictionem habeant Episcopi circa dispensationem irregularitatum?

Respondeo tanquam certum ex dictis *part. 5. tract. de irregularitate*, quod Episcopi verè habeant facultatem dispensandi in multis irregularitatibus. In hoc omnes conueniunt Doctores. Difficultas igitur solum est, in quibus dispensare, tam ex iure, quàm ex priuilegio possint. Pro qua enodanda sit.

§. I.

§. I.

De irregularitate orta ex illegitimitate.

RESpondeo primò. Episcopus potest dispensare cum quocumque illegitimo, ad Ordines minores, & ad beneficium simplex obtinendum, vt habetur *in canone 1. & 2. de filiis Presbyter. in 6.* vt cum communi diximus *part. 5. tract. 2. de irregular. disp. 3. de irregularitate ex defectu natalium, quæst. 5.*

Respondeo secundò, tanquam quid probabilius, quod Episcopus possit dispensare cum illegitimo ad beneficium simplex, etiam casu, quo huic sit annexum curatum, *ibid. q. 52.* non tamen potest dispensare cum illegitimo ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, attento iure nouo Concilij Trident. requirentis in Canonico Ordinem sacrum, *sess. 24. cap. 12. de reformat. ibidem q. 54.* benè tamen poterit dispensare cum illo ad dimidiam portionem Ecclesiæ Cathedralis, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ, *cap. 1. de filiis Presbyter.* quia hæc beneficia non habent Ordinem sacrum annexum, *ibidem q. 55.*

Respondeo tertiò vt ferè certum, quod Episcopus benè possit dispensare cum proprio filio illegitimo ad minores Ordines, & ad simplex beneficium. Probatur *ex cap. 1. de filiis Presbyter. in 6.* de quo nos *disp. 3. cit. q. 60.* Et hæc omnia posse facere Episcopum electum, & confirmatum, etiam antequam consecretur, constat ex ibidem dictis, *q. 59.*

Respondeo quartò vt quid longè probabilius, quod etiam casu, quo huiusmodi irregularitas orta ex defectu natalium, ex occulto delicto parentum proueniat, non possit in ea Episcopus dispensare quoad maiores Ordines, beneficium curatum, & Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis suscipiendum. Sic contra multos Doctores diximus *disp. 3. citata, q. 56.* sicut nec similiter posse Episcopum dispensare cum illegitimo ordinato in Sacris mala fide, vt in susceptis Ordinibus ministret, diximus *q. 57.* Imò etiam cum eodem ordinato cum bona fide, *ibidem q. 58.* Et hæc de hac irregularitate.

§. II.

De irregularitate orta ex bigamia.

RESpondeo primò, quod Episcopus nequeat dispensare cum Bigamis propriis ad sacros Ordines suscipiendos, imò neque ad suscipiendos minores, neque vt in his susceptis ministrent (quidquid alij probabiliter contrà dicant) quia id colligitur ex iure, *cap. vnico, de bigamis in 6.* & ex Trident. *sess. 23. cap. 17.* hæc habes *part. 5. tract. 2. disp. 6. de irregularit. orta ex bigamia, q. 30. 31. & 32.*

Respondeo secundò: probabilius est, quod neque possit Episcopus dispensare cum bigamis interpretatiuis, ad recipiendos adhuc minores Ordines; neque ad maiores recipiendos, etiam casu, quo bigamus huiusmodi ad Religionem transeat: *ibidem q. 34.*

Respondeo tertiò: probabilius est, quod Episcopus, casu, quo vrgeat necessitas, ob penuriam ministrorum, possit dispensare, vt bigamus, tam proprius, quàm interpretatiuus, ad Subdiaconatum, imò ad Sacerdotium promoueatur; non quidem iure ordinario, sed ex tacita concessione Pontificis, casu, quo non sit ad illum facilis aditus: *ibi q. 35.*

Respondeo quartò, & tanquam certum, quod Episcopus possit dispensare in bigamia similitudinaria Clerici in sacris constituti, ineuntis matrimonium cum vnica, ac virgine, *ibi quæst. 36.* licèt probabilius sit, quod non possit dispensare cum dicto Clerico contrahente matrimonium cum vidua, vel corrupta, *ibi q. 37.* & *disp. 27. quæst. 28.*

§. III.

De irregularitate orta ex defectu animæ.

RESpondeo primò, quod Episcopus benè possit dispensare, vt ordinetur ille, qui linguam Latinam parum callet, si aliàs sit bonæ indolis, & de eo habeatur spes, quod postea addiscet necessaria. Hæc habes *dicta part. 5. tract. 2. disp. 2. q. 4.* vbi *q. 5.* diximus, etiam posse Episcopum dispensare, vt in susceptis Ordinibus administret ille, qui ignarus literarum eos recepit, dummodo ordinatus non sit omninò ignarus. Sic etiam *disp. 27. q. 28.*

Respondeo secundò, quod quamuis ex parte possit Episcopus dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui semel in furiam, aut in amentiam incidit, & sanitatem recuperauit, non tamen totaliter: potest namque dispensare in hoc, vt in Ordinibus susceptis exerceatur, aut vtatur illis; non tamen ad hoc vt promoueatur ad alios Ordines; quia hoc solùm spectat ad Romanum Pontificem, quidquid aliqui etiam id Episcopo concedant. Sic vbi suprà *quæst. 11.* cum multis DD.

§. IV.

De irregularitate ex defectu corporis proueniente.

RESpondeo primò ex habitis *part. 5. tract. 5. disp. 2. de irregularitate orta ex defectu corporis* (vbi de ea latissimè tractauimus) quod ad Episcopum pertinet iudicare in dubio, an defectus corporis, aut deformitas ita nobilis sit, vt inducat irregularitatem. Sic vbi suprà *q. 81.* Lege ibi dicta in fauorem Prælati Religiosorum.

Respondeo secundò: Episcopus non potest dispensare cum Clericis sæcularibus sibi subditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente; quia id solùm spectat ad Pontificem, *ibi q. 82.* Imò nec cum Religioso, etsi aliqui contrà dixere: *q. 83.* An autem id possint Prælati Regulares facere cum suis subditis, ibi latè tractatum inuenies.

§. V.

De irregularitate orta ex defectu lenitatis.

RESpondeo tanquam quid certum, quod stando iuri communi solus Pontifex possit dispensare in irregularitate huiusmodi. Quia solus ille habet potestatem supra ius commune, à quo irregularitas est imposita. Imò neque ex iure nouo, aut priuilegio Tridentini, in illa dispensare posse Episcopum, vt quid probabilius defendimus *part. 5. tract. 2. disp. 7. q.133. & 134. & disp.27. q.12.*

Respondeo secundò, licèt probabile sit, quod irregularitas orta ex homicidio iusto, facto in bello iusto, aut à iudice, sit dispensabilis ab Episcopo, probabilius tamen est oppositum, *ibi, q.137. & disp.27. q.13.*

§. VI.

De irregularitate contracta à Medicis, Chirurgis, &c.

RESpondeo dicendum, quod possit Episcopus in ea dispensare; quia cùm huiusmodi Medicorum, Chirurgorum, aut Infirmariorum irregularitas non contrahatur ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidij casualis, casu quo ægrotus ex culpa graui ipsorum decedat è vita, dicendum est, posse Episcopum in ea dispensare, cùm possit in irregularitate orta ex homicidio casuali, vt infrà. Sic habes *p.5. tract. 2. disp. 9. q. 38. & disp.27. q.26.*

§. VII.

De irregularitate orta ex homicidio voluntario iniusto, directè volito.

RESpondeo tanquam quid certum, quod nequeat Episcopus in ea dispensare; quia id est eis prohibitum multis iuribus, præcipuè nouo Tridentini *sess. 24. cap. 6.* Sic habes *vbi suprà, disp.10. q.103.*

Idem est dicendum de irregularitate contracta ex occisione fœtus animati, casu quo talis occisio fuerit directè voluntaria, & consultò intenta; secus si indirectè, & casualiter, & occultè patrata, *ibi disp.11. q.21.*

§. VIII.

De irregularitate orta ex homicidio casuali.

RESpondeo primò, vt quid longè probabilius, quod Episcopus possit dispensare in irregularitate orta ex homicidio casuali occulto, non verò si orta sit ex homicidio casuali publico, vt ascendat ad Ordines sacros, quamuis sic vt ascendat ad non sacros: *part. 5. tract. 2. disp. 27. q.15. & 16. & 27.*

Respondeo secundò, probabiliter certè, quod Episcopus benè possit dispensare in irregularitate orta ex homicidio volito, non ex consilio, aut matura deliberatione, sed ex repentina ira, vel rixa facto, dummodo dictum homicidium sit occultum, *ibi, q.17.*

Respondeo tertiò. Episcopus potest dispensare in irregularitate orta ex homicidio volito in se causâ defensionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, dummodo tale homicidium sit occultum, secus si notorium, aut publicum, *ibi, quæst.18.*

Respondeo quartò. Ferè certum est, quod Episcopus non possit dispensare in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario, quamuis sit omninò occultum, itavt in iudicio minimè probari possit; quia mihi ferè certum est, id definisse Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* & antea *sess.4. canon.7.* Sic ibi latè *quæst.19.*

Respondeo quintò. Episcopus potest dispensare in irregularitate orta ex homicidio voluntario iniusto occulto, vrgente necessitate magna euitandi scandali, aut alia, & difficili existente in recursu ad Papam, vel propter inopiam homicidæ, vel magnam distantiam, vt dictus homicida ministret in susceptis Ordinibus: *ibi, quæst. 20.*

Respondeo sextò. Certum est (quidquid alij dicant) quod Episcopus nequeat dispensare in irregularitate orta ex homicidio iniusto voluntario occulto, adhuc vt homicida suscipiat Ordines minores; *ibi, quæst. 21.* necdum in minoribus Ordinibus iam susceptis ministret, *ibi, quæst. 22.* nec rursus ad hoc, vt simplex beneficium obtineat, *quæst. 23.* nec adhuc vt obtentum retineat, *ibi, quæst. 24.*

§. IX.

De irregularitate orta ex delicto occulto.

RESpondeo dicendum primò, quod optimè potest Episcopus dispensare in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum, excepta irregularitate proueniente ex homicidio voluntario; quia sic habetur iure nouo Tridentini *sess. 24. cap. 6.* Sic diximus *p.4. tract. 2. disp.17. de absolutione ab excommunicat. à quæst. 41. & p. 5. tract. 2. disp. 27. q. 6.*

Respondeo tamen secundò, quod Episcopus bene possit dispensare in irregularitate procedente ex delicto occulto, etiam deducto ad forum contentiosum, casu, quo reus in eo non fuerit conuictus. Sic diximus *part. 4. disp.17. cit. quæst.55. & part. 5. tract. 2. disp. 27. quæst. 9.* Sicuti etiam poterit dispensare casu, quo delinquens, finito iudicio punitus fuerit, quidquid alij in hoc casu negent, *part. 4. loco citato, q.56. & part. 5. disp. 27. cit. q.10.*

Respondeo tertiò. Episcopus optimè potest dispensare in dictis irregularitatibus cum Religiosis exemptis, casu, quo isti, illi de licentia suorum Prælatorum se subiiciant. Sic contra aliquos diximus *part. 4. tract. 2. disp.17. q. 70. & part.5. tract.2. disp.27. q.8.* Legantur alia scripta *locis citatis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

De iurisdictione, quam habent Episcopi in vota, & iuramenta.

---

§. I.

De potestate, quam habent Episcopi ad irritanda vota, & iuramenta suorum subditorum.

Respondeo primò. Episcopi minimè possunt (quidquid alij dicant) directè irritare, aut relaxare vota, & iuramenta suorum subditorum. Sic diximus *part. 7. tract. 1. disp. 16. §. 2. quæst.* 11.

Respondeo secundò. Certum est, quod Episcopi possint directè irritare vota Monialium sibi subditarum, *part. 7. loco cit. q.* 13.

---

§. II.

De potestate, quam habent Episcopi ad dispensanda vota, & iuramenta.

Respondeo primò tanquam certum, quod Episcopi habent potestatem ordinariam dispensandi vota, & iuramenta in tota sua Diœcesi: *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 2. quæst.* 55. quam potestatem habent dicti Episcopi antequam sint consecrati, dummodo à Papa confirmati sint, *ibi, q.* 56. vbi latè egimus de potestate, quam circa hanc materiam habent Archiepiscopi, & alij prælati inferiores.

Respondeo secundò, etiam tanquam quid certum, quod Episcopi possint dispensare cum suis subditis in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis, exceptis specialiter à Papa reseruatis, quæ quidem solùm sunt quinque, nempe vota, seu iuramenta castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad Sanctum Iacobum Compostellanum, & in terram sanctam: *part. 7. disp. 17. cit. §. 3. quæst.* 77. 78. & 80.

Respondeo tertiò vt quid certum, quod Episcopus optimè possit dispensare in voto castitatis non perpetuæ, vt verbi gratia, ad annum; secus verò in voto castitatis emisso pro centum vitæ annis: *ibi quæst.* 82. & 83.

Respondeo quartò item vt certum, quod Episcopus possit dispensare in voto castitatis coniugalis, sicuti in voto de non petendo debito, quod alter, vel vterque coniux cum licentia, aut sine illa emisit: imò & in voto, quod vterque coniux communi consensu emisit non reddendi debitum, non fornicandi, non contrahendi secundas nuptias, &c. *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 3. q.* 83. 84. 85. & 86.

Respondeo quintò. Episcopus potest dispensare in voto, aut iuramento assumendi Ordines sacros, quibus annexum est votum castitatis; sicuti etiam potest in expresso voto promittendæ castitatis, & in voto, aut iuramento non ineundi matrimonij; secus verò in iuramento Deo facto, aut voto virginitatis seruandæ (nisi in certo aliquo casu) *part. 7. §. 3. cit. quæst.* 87. 88. 89. 90. & 91.

Respondeo sextò. Episcopus potest dispensare iuramentum Deo factum, aut votum castitatis emissum ab vno coniuge post consummatum matrimonium, sine consensu alterius; sicuti in voto castitatis emisso ante contractum matrimonium, ad hoc vt vouens possit consummare matrimonium, & petere debitum; secus verò in voto castitatis, quod vterque coniux emisit ex communi consensu per modum contractus, *facio, vt facias; voueo, & iuro, vt voueas, & iures: part. 7. §. 3. cit. quæst.* 92. & 93.

Respondeo septimò. Episcopus potest dispensare votum castitatis, aut Religionis, emissum metu leui ab extrinseco incusso ad extorquendum tale votum: *part. 7. vbi suprà, quæst.* 94.

Respondeo octauò. Episcopus nequit dispensare in iuramento, aut voto ingrediendi Ordinem Militum Maltensium, siue Sancti Ioannis; benè tamen in voto, aut iuramento ingrediendi Religionem Militum Alcantaræ, Calatrauæ, Diui Iacobi, S. Stephani, vel S. Mauritij; sicuti in voto aut iuramento, quod fœmina emisit assumendi habitum Beatarum: *part. 7. vbi suprà, quæst.* 95. 96. & 97.

Respondeo nonò. Episcopus non potest dispensare in iuramento, aut voto ingrediendi Religionem approbatam, ad probandum, num sibi placeat: *ibi, quæst.* 98.

Respondeo decimò. Episcopus potest dispensare in votis paupertatis, & obedientiæ in sæculo, vel in Religione non approbata, emissis; sicuti potest in iuramento, aut voto ingrediendi Religionem strictiorem, vt relicta ista, alteram laxiorem ingrediatur vouens; *vbi suprà quæst.* 99. & 100.

Respondeo vndecimò. Episcopus non potest dispensare in iurameto, seu voto pœnali castitatis, vel Religionis absolutè emisso; sicut nec in iuramento, seu voto castitatis, seu Religionis, emisso in pœnam peccati mortalis, quod quis heri admisit, vel nunc proponit admissurum: *vbi suprà, quæst.* 101. & 102.

Respondeo duodecimò. Episcopus potest dispensare in iuramento, seu voto pœnali Religionis, aut castitatis emisso cum conditione de futuro, vt *si lusero, iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem.* Id vt quid probabilius docuimus *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 3. quæst.* 103. etiam casu, quo conditio sit impleta, & pœna incursa.

Respondeo decimotertiò. Episcopus nequit dispensare cum illo, qui promisit Religionem, aut castitatem, sub ea conditione; *si pater suus obierit.* Bene tamen poterit cum illo, qui morbo oppressus, dixit, *Iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem, si incolumis euasero. Ita vbi suprà, quæst.* 104. & 105. Quod intellige etiam post conditionem impletam.

Respondeo decimoquartò. Episcopus potest dispensare votum disiunctiuum, cuius sola altera pars est reseruata, saltem re integra, & antequam vouens eligat materiam reseruatam; vt si quis, verbi gratia, voueret castitatem, vel ieiunium. Quod quidem etiam potest casu, quo pars non reseruata (v. g. ieiunium) effecta sit impossibilis, itavt nequeat vouens illam adimplere. Ita vt quid probabilius sustinuimus *part. 7. loco cit. quæst.* 106. & 107. Imò adhuc poterit in casu, quo vouens eligat efficaciter castitatem seruare: *ibi q.* 108.

Respondeo decimoquintò. Episcopus bene potest dispensare in voto, aut iuramento peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ

lanæ, emissis non animo visitandi illa loca, sed alio fine: sicuti etiam potest dispensare in qualitate dictis peregrinationibus adiuncta: *part.* 7. *disp.* 17. §. 3. *quæst.* 109. *&* 110.

§. III.

De Episcopi iurisdictione in reliquis.

RESpondeo dicendum primò, quod post Bullam Gregorij XV. Episcopus potest cognoscere de crimine confessarij sollicitantis pœnitentes in confessione. De hac materia latè tractauimus *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *per totam.* Legatur præcipuè *quæst.* 46.

Respondeo secundò, quod Episcopus possit sibi aliquos reseruare casus. De qua materia egimus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 12.

Respondeo tertiò, quod Episcopus potest concedere indulgentias, licèt non iure diuino (vt aliqui volunt) sed solùm iure humano. De hac materia habes quidquid hic desiderare potes, *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 16. *& sequentib.*

Respondeo quartò. Episcopus potest in aliquibus casibus absoluere à censuris Pontifici reseruatis. De hoc egimus *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12.

DISPVTATIO X.

De obligatione Clericorum erga suos Episcopos.

QVÆSTIO PRIMA.

An subditi teneantur suis Superioribus Ecclesiasticis amorem, reuerentiam, & obedientiam exhibere?

RESPONDEO cum communi omnium teneri; quia hæc omnia debentur parentibus, & illis omnibus, qui parentum vices gerunt, vt suprà *tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5. Sed sic est, quod Superiores, præcipuè Ecclesiastici, gerunt vices parentum, vt vbi suprà est habitum: ergo. Sic omnes DD. præcipuè Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 1. *num.* 88. vbi docet subditos erga suos Superiores Ecclesiasticos teneri generaliter ad quatuor. Primò ad amorem, tanquam filij erga patres spirituales. Secundò ad obedientiam in rebus honestis, iis præsertim, quæ pertinent ad eorum officium. Tertiò ad reuerentiam propter dignitatem, in qua sunt. Quartò ad eos defendendos, & ministrandum necessaria. Hæc Filliucius, & omninò ex illo non citato, Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 1.

QVÆSTIO II.

An Clericus teneatur obedire Episcopo in iis, quæ pertinent ad statum Clericalem?

REspondeo teneri, & quidem sub mortali, si res est grauis. Sic omnes, præcipuè Filliuc. *loco cit. quæst.* 5. *num.* 94. & Trullench *num.* 5. & Siluest. *verb. obedientia*, §. *septimò*, vbi ita ait: Clerici sæculares Prælatis Ecclesiasticis indubitanter tenentur obedire, vt Papæ, eo modo, quo dictum est §. 5. & omnibus inferioribus Prælatis suis, in quantum se extendit eorum superioritas; non autem extraneis, quia sicut non valet sententia non sui iudicis, ita nec præceptum, *cap. at si Clerici* 7. *quæst.* 1. *cap. at si frater.* Hæc Siluester. Legatur Angelus *verbo obedientia*, *num.* 1.

QVÆSTIO III.

An si Episcopus præcipiat alicui Clerico, vt excommunicet illum, quem ipsemet Clericus scit esse innocentem, teneatur illum excommunicare?

REspondet Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 94. his verbis: Respondet Siluester *verb. obedientia*, §. 7. & Angelus §. *item septimo*, ex S. Thoma, quod si tantùm Episcopus præcipiat denunciationem excommunicationis, obedire debet; si verò vt excommunicet, tunc si potest probare innocentiam, debet id probare: & si quidem probet, non debet obedire, sed recurrere, si oporteat, ad Superiorem: si deficiat à probatione, debet obedire. Hæc Filliuccius, & ex illo Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 5.

Sed certè etsi doctrina hæc sit vera, Filliuccius non bene ex omni parte citat Angelum; nam hic hæc verba *loco suprà citato* scribit: Respondeo secundùm D. Thomam, quod si solùm mandet denunciationem, obediat; si verò mandet excommunicationem, dicit, quod si probare non potest eius innocentiam, quod debet obedire. Sed ego dico, quod nullo modo debeat obedire; quia habet excusationem paratam, dicendo, quod aut committat causæ cognitionem, aut ipse excommunicet, si non vult committere, & ipse denunciabit, aliter debet, non contra conscientiam, obedire. Hæc omnia Angelus. Non igitur bene citatur à Filliuccio. Lege Siluestrum *loco citato*, vbi in primis dicit, quod dicta opinio imponitur D. Thomæ. Secundò eum defendit, & respondet fundamento Angeli, quo nititur aduersus D. Thomam.

QVÆSTIO IV.

An si Episcopus præcipiat Clerico, quod det suos libros alteri, vel beneficium resignet, teneatur illi obedire?

REspondeo vt certum, quod non teneatur, nisi subsit aliqua iusta causa; quia non pertinet ad Episcopum hoc præcipere, 7. *q.* 1. *quia frater sine iusta causa*: secus si causâ iusta præciperet, quia

quia tunc teneretur: vt si Clericus, cui id præcipit Episcopus, est ineptus, & vult dare idoneo propter bonum Ecclesiæ; quia hoc potest, *argum. cap. cùm Apostolus*, §. *prohibemus*, *de censibus*, & 16. *quæst*. 1. *cap. prædicator*. Quod intellige dummodo libri sint de rebus Ecclesiasticis, non propriis. Sic Angelus *loco cit. num. 9*. Siluest. *num. 7. vers. tertium*. Filliuc. & Trullench *vbi suprà*, & antea Raymund. apud illos.

QVÆSTIO V.

An si Episcopus præcipiat Clerico, vt Romam adeat pro negotiis Ecclesiæ, debeat Clericus obedire?

RESpondeo vt certum, debere obedire; quia iustè id præcipit. Nec valere potest excusatio dicentis, alios esse idoneos magis, quia in talibus legationibus hunc ordinem seruare non oportet, *ff. de legat*. 1. *sciendum*, §. *penult*. Nec tursus valet excusatio allegantis curam rei familiaris, quia priuatæ vtilitati communis est præferenda, *de postulat. Prælat. cap. bona*, el 1. Verum tamen est, quod non tenetur obedire, vt promoueat negotia contra se ipsum, *l. sciendum*, §. *si accusatio*. Sic omninò Syluester *verb. obedientia*, *quæst*. 7. *num*. 7. *vers. quartum*, sequutus Raym. & alios. Filliuc. & Trullench vbi suprà, licèt non ita latè.

QVÆSTIO VI.

An Clericus teneatur obedire potiùs Episcopo, quàm Archiepiscopo?

RESpondeo, teneri obedire potiùs Episcopo; quia potiùs subditur illi. Excipiendi tamen sunt aliqui casus, in quibus potiùs debet Clericus obedire Archiepiscopo, quos refert Siluest. *verbo Archiepiscopus*, *quæst*. 1. *num*. 2. Sic ipse *verbo obedientia*, *quæst*. 7. *citata*, *in fine*.

DISPVTATIO XI.

De obligatione Religiosorum erga Dominos Episcopos, & de horum potestate in illos?

QVÆSTIO PRIMA.

An Religiosi non exempti teneantur ex vi voti obedientiæ obedire Episcopis?

RESPONDEO tanquam quid certum, quod teneantur illis obedire ex vi voti obedientiæ (si qui sint adhuc non exempti.) Ratio est, quia Episcopi sunt verè Prælati ipsorum, illisque emittunt votum obedientiæ: ergo tenentur illis obedire. Confirmatur, quia ideò Moniales subiectæ Episcopo tenentur ei obedire ex voto, quia illi emittunt votum obedientiæ: ergo similiter tenebuntur Religiosi, qui votum obedientiæ Episcopo emittunt. Sic Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 1. num. 11*. & ex illo citato, Lezana *tomo 1. qq. Regular. tract. de obligationib. obediendi*, *cap. 11. num. 1*.

QVÆSTIO II.

An etiam Religiosi exempti teneantur ex vi voti obedientiæ obedire Episcopis?

RESpondeo vt quid certum, non teneri. Ratio est, quia Religiosi exempti (quales communiter sunt omnes ferè Religiosi, propter multa Pontificum priuilegia, vt constat *ex cap. quàm sit necessarium* 18. *q*. 2. de quo Nauarr. *in cap. non dicatis*, *num. 63. & in cap. nulla* 18. *quæst*. 2. *num*. 40.) solùm promittunt obedientiam Prælatis Regularibus: ergo ex vi voti solùm his tenentur obedire, non Episcopis. Sic D. Thom. 2.2 *dist*. 44. Siluest. *verb. obedientia*, *quæst*. 8. & 10. *dicto* 2. Sanchez, & Lezana *locis citatis*, & omnes.

QVÆSTIO III.

An Religiosi, qui non promittunt obedientiam Episcopo, teneantur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ, stando in iure diuino, & secluso omni exemptionis priuilegio.

AFfirmat Petrus Ledesma *tom. 3. sum. tract. 10. de voto, cap. 7. notabili* 2. vbi docet, attento solummodo iure diuino, & secluso hoc exemptionis priuilegio, Episcopum esse specialem Religiosorum Prælatum, & habere dominatiuam, voti ratione, potestatem voluntatis eorum.

Sed vt quid ferè certum respondeo dicendum, quod dicti Religiosi minimè teneantur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ, etiam stando in iure diuino, & secluso exemptionis priuilegio. Ratio est, quia quamvis, eo iure attento, & secluso hoc priuilegio, Religiosi subessent Episcopo, & esset illorum Superior, id tantùm esset eo modo, quo nunc Episcopus est Superior Clericorum omnium, nempe quoad disciplinam Ecclesiasticam, non autem quoad obseruantias regulares, ad quas ex solo obedientiæ voto tenentur. Sic Sanchez *loco citato, cap. 1. num. 12. & 13*. & ex illo Lezana *cap. 11. citato*, *num*. 4.

QVÆSTIO IV.

An priuilegio exemptionis possint renunciare Regulares?

REspondeo vt quid certum, quod non possint absque Papæ licentia. Ratio est, quia hoc exemptionis priuilegium datum est in honorem status Religiosi: ergo noceret iuri Religionis, qui dicto priuilegio renunciare tentaret. Confirmatur, quia Pontifex in Bullis exemptionum Regularium, non solùm dicit, se suscipere eos sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione, sed expressè ait, *immediatè nobis*

nobis subiicimus: quo denotatur, Pontificem se constituere immediatum Superiorem, iudicem ordinarium, & quasi Episcopum Regularium: ergo iuri exemptionis nequibunt Regulares renunciare, cùm si id intentarent, intentarent nocere iuri Pontificio. Sic Rodrig. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 63. *art.* 10. Laurent. Peyrinis *tom.* 1. *de Priuileg. Minim. in constitut. Sixti V.* §. 7. Lezana *tomo* 1. *qq. regul. cap.* 11. *num.* 5. *pag.* 79. Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *quæst.* 12. & alij communiter.

QVÆSTIO V.

An non obstante priuilegio exemptionis, teneantur Regulares reuereri, & honorare DD. Episcopos?

RESpondeo teneri, quia exemptus à iurisdictione, non est exemptus à iure reuerentiali, vt probat Roman. *singul.* 486. Vnde cùm venerint ad Regularium Ecclesias ad celebrandum, reuerenter suscipiendi sunt. Sic Lezana *vbi suprà, c.* 11. *num.* 3. Et certè hanc reuerentiam teneri Regulares omnes exhibere Episcopis, monet, imò & præcipit Leo X. *in sua constitut.* 26. quæ incipit: *Dum intra mentis arcana*, illis verbis: *Eosdem insuper Fratres, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem Episcopos, loco SS. Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, & Apostolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & conuenienti obseruantia venerentur.* Sic Pontifex. Ex quibus verbis colligit Peyrinis, *in dicta constit.* §. 24. *num.* 44. quod Regulares teneantur Episcopos venerari sub pœna peccati mortalis.

QVÆSTIO VI.

An possint Episcopi in Ecclesiis Mendicantium aliqua munia exercere?

REspondeo, quod sic: possunt enim diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter populo benedicere, per illa verba: *Sit nomen Domini benedictum*: & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus. Ita habetur *in Clement. Archiepiscopo, de priuileg.* Rursus possunt in dictis Mendicantium Ecclesiis vti baldachino, & contradicentes Fratres censuris, & pœnis cogere, per nouum decretum Congregationis, quod refert Quaranta *in summa Bullarum, verb. priuilegia Regular. pag.* 515. & etiam referunt Piasec. *in praxi Episcopor. part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 191. & Laurent. Peyrin. *vbi suprà*, §. 24. *num.* 45. Lezana suprà *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 109. & Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *num.* 5. & alij plures apud ipsum.

QVÆSTIO VII.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium processionem solemnem, & generalem ordinare, ipsis inuitis?

AFfirmat Lezana *tom.* 3. *qq. Regular. in Mare magnum, & Regulam Carmelitarum*, §. 75. *num.* 423. vbi ita scribit: Si autem quæras, an possit Episcopus conuocare Processiones ad Ecclesias Regularium? Respondeo affirmatiuè, contra Portellium *in dubiis Regular. verb. processiones, n.* 10. & Tamburinum *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *q.* 15. *num.* 12. Ratio est, quia hoc videtur ius Episcopale, iuxta dicta *tom.* 4. *verbo processio quoad Regulares, num.* 4. Et priuilegium, de quo in præsenti, & alia similia, quibus prohibentur Episcopi conuentus publicos in Regularibus domibus conuocare, intelligi debent de conuentibus odiosis, & contentiosis, aut præiudicialibus, non de illis, qui cedunt in honorem, & æstimationem Religionum, quales sunt processiones. Hæc Lezana, & anteà Bordonus *in consiliis Regular. tom.* 1. *resol.* 7. *num.* 132.

Sed omninò respondeo, non posse Episcopos dictam processionem ordinare, aut conuocare, inuitis ipsis Regularibus: quia omninò est tenendum, quod facere, aut conuocare processiones generales, potiùs est officij, & iurisdictionis actus, quàm honoris Episcopalis. Sic Tamburinus, & Portellius, citati à Lezzana; necnon idem tenet iam Bordonus *tom.* 2. *consil. resol.* 68. *q.* 6. *num.* 21. vbi se retractat de opinione quam loco citato suprà docuit, & tenet Episcopum non posse in Ecclesiis Regularium processiones ordinarias conuocare. Ita ille, quem refert & sequitur Diana *part.* 9. *tr.* 6. *resol.* 48. quibus ego addo Laurentium de Peyrinis *tom.* 1. *in Constitut.* 26. *Leonis X.* §. 24. *num.* 46. & apud ipsum Vital. *super Clement. Archiepiscopo, num.* 55.

QVÆSTIO VIII.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, Ordinis, & Confirmationis Sacramenta celebrare, & ministrare?

REspondeo vt certum, non posse; quia certum est, quod Episcopi nequeunt in Ecclesiis Regularium, his inuitis, ea quæ iurisdictionem dicunt, exercere, vt omnes DD. supponunt: sed sic est, quod ordinare, confirmare, degradare, & his similia, dicunt iurisdictionem: ergo. Sic Tamburinus *disp.* 15. *cit. quæst.* 15. *num.* 10. & penes illum Anchar. Cardin. Imola, Abbas, & Vitalinus. Quibus addo Portellium *loco citato, numero decimo*, Peyrin. §. 24. *numero* 45. & Dianam *resolut.* 48. *citata*.

QVÆSTIO IX.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, prædicare, & indulgentias concedere?

NEgat Peyrinus *tom. 1. de priuileg. Minim. constit. 26. Leonis X. §. 24. num. 47.* his verbis: An autem possit prædicare, dubitant aliqui, quia actus videtur honoris. Sed credo, quod non, per doctrinam Cardinalis *in d. Clementina* (nempe *Archiepiscopo*) *§. si tamen, num. 2. & 3.* Nam exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur: & priuilegiatus in aliquo non potest ad aliud extendere suum priuilegium. Si tamen concedatur, quod prædicare possit, non tamen poterit indulgentias concedere. Ita ille, quem citat, & videtur sequi Diana *part. 3. tract. 2. resol. 109.*

Sed certè satis probabiliter respondeo primò. Episcopi benè possunt in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, prædicare, sicuti & possunt celebrare, vt suprà *q. 6.* est habitum; quia per hæc non exercent ea, quæ ad iurisdictionem spectant. Sic tenet Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbatum, disp. 15. quæst. 15. num. 9. iuncto eod. num. 9. summarij*: & apud ipsum Glossa *in Clement. Archiepiscopo, verb. etiam celebrare.* Abbas *num. 3.* Vitalin. *num. 19. 20. & 66.* & Gratianus *discept. 467. num. 37.*

Respondeo secundò tanquam quid certum, quod casu, quo in Ecclesiis Regularium Episcopi prædicent, inuitis Regularibus, tunc minimè possint indulgentias concedere; quia hic actus est iurisdictionis. Sic Tamburinus *loco cit.* vbi *num. 13.* sic ait: Neque poterunt Episcopi in locis exemptis celebrantes, vel concionantes, indulgentias concedere, quia hoc est iurisdictionis, & dignitatis Episcopalis, *cap. quod autem, & cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remiss.* notant Anchar. *in d. Clement. Archiepiscopo, num. 6.* Cardin. *in §. sic tamen, n. 4.* Vitalin. *num. 65.* Imò nec possunt concedere, vt exempti eorum nomine largiantur; & si dant, non prosunt, nisi quoad sibi subditos, vt post Hostiens. *in cap. accedentibus, de excessib. Prælat.* notant Cardin. & Vitalin. locis proximè citatis. Hæc Tamburinus, quem in hac parte sequitur Peyrinus *vbi suprà.* Nota tamen, quod iis non obstantibus, optimè possunt Regulares exempti frui indulgentiis, quas Episcopi suis subditis concedunt, vt communiter docent DD. quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi 3. p. alleg. 88. num. 27.*

QVÆSTIO X.

An Episcopus possit in Monasteriis Regularium exemptorum pro Tribunali sedere?

AFfirmandum videtur, eo quod Episcopus in quovis loco suæ Diœcesis valet pro Tribunali sedere, ibique iura reddere, vt constat *ex cap. cùm Episcopus, de offic. Ordinarij in 6.* ergo.

Sed vt certum respondeo, non posse. Tum quia dicta potestas concessa Episcopo *in d. cap.* limitatur, ibi; *Vt id sibi non liceat in loco exempto.* Tum etiam, quia Iudex nequit extra suam Diœcesim Tribunal erigere, *cap. notandum 2. quæst. 3. & cap. Episcopum 9. quæst. 3.* sed locus exemptus (qualis est conuentus Regularium) & locus extra Diœcesim, iudicantur à pari, vt dicunt communiter DD. ergo nequibit Episcopus in locis exemptis Tribunal ad iura reddenda erigere, nec Cathedram ad iudicandum collocare. Sic cum multis tenent Quaranta *in summa Bullarij, verb. priuilegia Regular.* Barbosa *de potest. Episcopi part. 3. alleg. 80. num. 17.* Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbat. disp. 15. q. 14. per totam, & quæst. 15. num. 16.*

QVÆSTIO XI.

An Episcopi, aut Ordinarij locorum, possint cogere Regulares exemptos, vt ad publicas processiones accedant?

REspondeo, posse ad id omnes Regulares cogere, exceptis tamen illis, qui in strictiori clausura perpetuò vitam traducunt: sic enim habetur in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 13. de Regular.* his verbis: *Exempti autem omnes, tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compelluntur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Sic concilium, & sic omnes. Legantur Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. quæst. 36. art. 1.* Erasmus Cochier *de iurisdict. Ordinar. in exemptos part. 2. quæst. 45. num. 109.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 78. num. 8. & 14.* Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbatum, disp. 15. quæst. 7. n. 20. & disp. 24. quæst. 8.* Zerola *in 1. p. praxis Episcop. verbo processiones, num. 1.* Machado *lib. 4. part. 6. tract. 10. docum. 6.* Lezzana *tom. 1. qq. Regul. cap. 9. de obligationib. Religios. numero 47. pag. mihi 68.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. capite vndecimo, numero primo*; & alij.

QVÆSTIO XII.

Quænam dicantur publicæ processiones, ad quas Regulares tenentur accedere?

REspondeo dicendum, quod publicæ processiones dicuntur in primis illæ, quæ fiunt in Festo Corporis Christi, & in Litaniis maioribus, & minoribus. Deinde publicæ processiones dici possunt, quæ fiunt propter bonum vniuersale totius Reipublicæ Christianæ, aut quæ fiunt imminente peste, aut alio flagello, vel pro pace, aut in nouo introitu Episcopi, vel Legati Pontificis; aut denique, quę fiunt in iubileis publicis. Ad has igitur processiones tenentur Regulares accedere, non ad alias, nisi fiant, vt diximus, ex aliqua causa magna. Sic Zerola, Barbosa, Tamburinus, Machado, & alij *locis proximè citatis.* Legantur infrà dicenda *quæst. 29.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLVI.

An libris visitationum debeat dari plena fides?

REspondeo dicendum, quod sic, præcipuè vbi adest consuetudo probata, quæ extenditur ad anum locum. Sic Zerola *vbi suprà*, §. *sextò*, ex Caputaq. 1. *p. decis.* 229. *& part.* 2. *decis.* 159.

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam habent Episcopi circa diuinum cultum, & Christianam Religionem augendam, & conseruandam.

QVÆSTIO PRIMA.

In quibus præcipuè munus, & officium Episcoporum consistat?

RESPONDEO dicendum, quod in duobus. Primò in cultu diuino, & Christiana Religione augenda, & conseruanda: & secundò in pascendis, ac regendis ouibus sibi commissis, & eis in æternæ salutis viam perducendis. Sic Barbosa *de potest. Episcopi part.* 1. *in principio, num.* 2.

QVÆSTIO II.

An attendere debeat Episcopus ad ea, quæ fidem, & cultum, seu venerationem Dei concernunt?

REspondeo dicendum, quod sic; quia hoc est eius præcipuum munus, & officium: vnde multa debet curare circa hæc concernentia.

Nam primò curare debet, vt omnes suæ Diœcesis animæ fidem christianam suscipiant; si sit in terris infidelium, vt omnes rudimenta fidei sciant, & ea ritè doceantur, ac eis explicentur, & ad hoc exequendum Curas animarum compellere, *capite ante Baptismum, de consecrat. dist.* 3. *Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 4.

Secundò debet curare, vt verbum Dei populo prædicetur, & lectio Sacræ Scripturæ, ac Theologiæ habeatur.

Tertiò debet curare, ne verba Sacræ Scripturæ ad superstitiones, incantationes, ac diuinationes, vel sortes, & in alia profana, & scurrilia adhibeantur.

Quartò debet curare, diuinos omnes, & sortilegos, & magicam artem exercentes, aut docentes, & superstitionibus, aliisque similibus operam dantes, ex Diœcesibus suis penitus eradicare, *cap. contra, & cap. Episcopi* 25. *q.* 5. Ita hæreticos, & hæreses omnes similiter extirpare, &c.

Quintò debet noua miracula, reliquias, & imagines approbare, *cap. fin. de reliquiis, & vener. Sanctor. cap. placuit, de consecr. dist.* 1. Concil. Trid. *sess.* 25. *de inuocat. & vener. Sanct.* Et abusus, & superstitiones, quæ circa hæc, & circa Indulgentias, & Celebrationem Missarum, plerumque versantur, tollere. Concil. Trident. *sess.* 22. *de obseruandis, & euitand. in celebrat. Missarum.*

Sextò debet curare, vt festa ritè, ac debitè celebrentur, vt in his diebus fideles diuinis intersint, & à seruilibus operibus, & aliis illicitis abstineant. Sic Barbosa omninò *de potest. Episcopi part.* 1. *in principio, à num.* 4. *vsque ad* 10. Legantur ipse *part.* 3. *allegat.* 76. 97. 105. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO III.

An, & qua ratione debeat curare Episcopus de celebratione Missarum, & diuinorum officiorum?

REspondeo dicendum, quod circa hæc debet curare Episcopus, primò vt Missæ purè, ac piè, modo, loco, ac tempore debito celebrentur, & in his, si quæ sunt, superstitiones, & abusus tollere, & ne cui vago, & ignoto Sacerdoti eas celebrare permittat. Concil. Trident. *sess.* 22. *citata.*

Secundò debet curare, vt diuina officia, & horæ Canonicæ debitè, ac deuotè suis horis celebrentur, & recitentur, abusus omnes circa huiusmodi profligando. *Clem.* 1. *de celebr. Missar.*

Tertiò debet curare, vt populis diuersarum linguarum Missa, & officia, & Sacramenta secundum eorum linguas, & approbatos ritus celebrentur, ac ministrentur, instruendo eos pariter verbo, & exemplo, *cap. quoniam in plerisque, de offic. ordin.* Sic omninò Barbosa *vbi suprà, à num.* 11.

QVÆSTIO IV.

An, & qua ratione debeat curare Episcopus de recta, ac debita administratione Sacramentorum?

REspondeo dicendum, quod Episcopus primò debet curare, vt Sacramenta à Ministris idoneis, cum debita forma, ac ritu, & materia, ac tempore legitimo, personis habilibus ministrentur; & specialiter vt Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum honorificè, ac decenter obseruetur, *cap. sanè, de celebrat. Missar.*

Secundò debet curare, ne pro ministrandis Sacramentis aliud indebitè exequatur, *cap. placuit, el* 2. 1. *q.* 1. & specialiter, vt in matrimonio decreta Concilij Trident. *sess.* 24. *de reformat. matrim.* seruentur.

Tertiò, vt vis, ac virtus omnium Sacramentorum à Parochis suis populis exponatur; & vt sæpiùs explicetur, & publicetur decretum Concilij Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 7. Sic Barbosa 2 *p. de potest. Episcopi, in principio, à num.* 14. *vsque ad* 16. & latiùs ibidem *alleg.* 21. & 32.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An, & qua ratione curare debeat Episcopus de personis, ac locis Ecclesiasticis?

RESpondeo dicendum, quod Episcopus debet curare primò, vt personæ, quæ ordinandæ, & sacris initiandæ sunt, habeant omnia ad hoc munus recipiendum requisita, de quibus egimus *1. p. tractatu de Ordine.*

Secundò debet Clericos, ac Regulares delinquentes corrigere, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem *in cap. irrefragabili, de offic. Ordinarij, & Clement. 1. eod. tit.* & in Concil. Trident. *sess. 6. de reformat. cap. 6.* & constituere honestatem, quam Clerici in vestibus obseruare debent, iuxta consuetudinem, & vsum vniuscuiusque regionis, vt latè Barbosa *2 p. de potest. Episcopi, alleg. 9.*

Tertiò peregrinos Clericos sine testimonialibus litteris proprij Ordinarij non debet ad celebrandum admittere, licèt benè possit, casu quo, si illis carerent, fidem de sua ordinatione facerent. Sic Barb. *vbi suprà, alleg. 21.* ex Nauar. & Riccio, *à n. 1.*

Quartò debet supplere negligentiam Abbatum, assignare Confessorem Monialibus, & Monasteria earum visitare. Barbosa *2. p. in princip. n. 20. & alleg. 25. & 74.*

Quintò debet Ecclesiasticas immunitates tueri, *cap. decet, de immunit. Eccles. lib. 6.* necnon Ecclesiarum reuerentiam, circa ea, quæ in eis fieri prohibentur, conseruare, & augere; gubernationem Hospitalium, & aliorum piorum locorum curare, Ecclesias reparare, &c. Barbosa vbi suprà *num. 22. & alleg. 26. & 75.*

QVÆSTIO VI.

De cura, & modo, quem Episcopus in pascendis suis ouibus habere adstringitur?

RESpondeo dicendum, quod in pascendis suis ouibus Episcopus seruare tenetur sequentia. Primò enim debet prædicare verbum Dei, & subditos suos docere, & eis salutis monita tradere, *cap. audire 25. dist. cap. inter cætera, de offic. Ordinarij,* & Concil. Trid. *sess. 5. de reformat. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* & antea D. Paulus *1. Timoth. 5. & 2. cap. 4.*

Secundò debet animarum curæ prouidere, bonos, & idoneos Rectores, siue Curatos instituendo, qui curam suam non negligant, *cap. nullus omninò 16. q. 6.*

Tertiò debet Episcopus excommunicatorum nomina subditis suis, & vicinis etiam Episcopis, si oporteat, dare, & publicare, & ea præ foribus Ecclesiæ affigere, vt quisque communionem eorum euitet, *cap. cura 11. q. 3. Clement. vnica, de consanguin. & affinit.*

Quartò debet Episcopus vitia subditorum arguere, & errantes corrigere, Concil. Trid. *sess. 13. cap. 1.* pacem inter eos conciliare, & treguam rumpentes punire, *cap. 1. de tregua, & pace,* atque dissidentes fratres ad pacem magis, quàm ad iudicium excitare, *cap. studentes, cap. præcipimus 90. dist.*

Quintò tenetur Episcopus curam gerere, vt victus pauperibus tribuatur, & viduarum, orphanorum, ac miserabilium personarum patrocinium sumere; necnon carceratorum curam habere, prouidendo, vt humaniter tractentur, & prouideantur eis necessaria; & tandem infantium expositorum curam gerere, & curare, ne serui fiant colligentium. Sic Conc. Trid. *sess. 23. de reform. cap. 1. & l. iudices, C. de Episcop. audient. l. nemini licere, C. eod. tit.*

Sextò debet Episcopus prouidere, ne subditi sui vanis, & superfluis sumptibus intendentes, substantias suas consumant; & ne quis vltra quàm gradus personæ, & facultates patiantur, expendat. *Clem. 2. de Magistris.*

Septimò debet Episcopus oues sibi commissas bonorum operum exemplo pascere, pro eis frequenter orare, & sacrificia Deo offerre, easque continuis monitis in viam salutis dirigere. Concil. Trid. *sess. 2. de reformat. cap. 1.*

Octauò debet Episcopus sæpius totam suam Diœcesim visitare personaliter, exemplo Apostolorum, *Actor. cap. 15.* & habetur *in cap. legitur, & cap. relata, & cap. decernimus, cum sequent. 10. q. 1.* & in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 3.* de quo iam egimus suprà *disp. 7.* præcipuè *q. 2.*

Nonò debet Episcopus semel saltem quotannis synodum totius Cleri conuocare, vt in ea, cuncta, quæ ad eius officium spectant, & ea quæ correctione, emendatione, ac reparatione indigent, ordinentur, emendentur, & corrigantur, *cap. annis singulis, & cap. quoniam 18. dist.*

Decimò debet Episcopus apud suam Ecclesiam residere, quamdiu poterit, præcipuè certis anni temporibus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oues debent. Sunt autem hæc tempora, Dominicæ Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & festum Corporis Christi. Sic decreuit Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 1.* de qua materia egimus suprà *disp. 6.* per totam. Legatur Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. in principio*, ex quo hæc omnia collegimus.

DISPVTATIO IX.

Compendium de potestate, auctoritate, & iurisdictione quam habet Episcopus.

QVÆSTIO PRIMA.

An sint aliqua, quæ ad Episcopum ratione Ordinis, seu consecrationis spectent?

RESPONDEO dicendum, quod sint. Nam primò conuenit Episcopo ratione sui Ordinis, seu consecrationis, Chrisma conficere, fontesque baptizandorũ chrismate signare, esseque ministrum Confirmationis, vt latè ostendimus *1. p. tract. 3. de sacram. confirmat. disp. 2.* vbi *q. 1.* vt certum docuimus, de fide esse, quod solus Episcopus sit Minister ordinarius Confirmationis: & *q. 2.* quod ex commissione Papę possit simplex Sacerdos esse minister confirmationis; non tamen ex commissione Episcopi, vt contra Caietanum adstruximus ibi *q. 3.* Legantur in dicta disputatione alia, quæ hîc desiderari possunt.

Secundò conuenit Episcopo benedicere oleum Extremæ-Vnctionis, hoc vt tanquam certum docuimus *1. p. tract. 4. disp. 2. q. 2. & 3.* & vt probabilius, nec ex commissione Papæ posse simpli

simplicem Sacerdotem tale oleum benedicere. Legantur ibi alia ad hæc concernentia.

Tertiò conuenit Episcopo, ratione suæ consecrationis, Basilicas consecrare, *cap. nemo 1. de consecrat. dist. 1. & cap. tua fraternitas, de consecrat. Ecclesiæ.* Nec potest id munus alteri delegare, nisi Episcopo, *cap. aqua, de consecrat. Eccles.* similiter conuenit ei Altaria in Ecclesia consecrata erigere, & consecrare, sicut & ei competit consecratio petræ Aræ, Calicis, & Patenæ, vt diximus *part. 2. tract. 8. de sacrif. Missæ, disp. 7. q. 7. & 29.* vbi hæc consecrari posse à simplici Sacerdote ex commissione Summi Pontificis, etiam adstruximus. Legantur ibi dicta, & Barbosa *de potest. Episcopi allegat. 27.* Deinde conuenit Episcopo virgines benedicere, & consecrare, *cap. perlectis, §. ad Episcopum 25. dist.* publicè pœnitentes in Missa reconciliare, *cap. quamuis, dist. 68.* Item corpotalia, & Pallas Altaris, & alia vtensilia Ecclesiæ consecrare, seu benedicere, licèt hæc omnia etiam non Episcopus possit facere ex priuilegio Pontificis, vel consuetudine, vt benè docet Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. in compendio, num. 39. & sequent. & allegat. 27. citata.* Lege meipsum *p. 2. tract. 6. disp. 2. q. 34.*

Quartò conuenit Episcopo ratione suæ consecrationis Episcopos consecrare, vt latè diximus *2. p. tract. 6. quæst. 1. & sequent.* & nuper: de quo & Barbosa *de potest. Episcopi 1. parte, tit. 1. cap. 5. & 2. p. in compendio, num. 37.*

Quintò conuenit Episcopo vt legitimo, & ordinario Sacramenti Ordinis Ministro, Ordines Clericis conferre, de quo latè diximus *2. p. tract. 6. de Ordine, disp. 4. per totam*; & agit Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. alleg. 3. & in compendio, loco cit.*

Sextò conuenit illi approbare Sacerdotes, qui beneficium Parochiale non habent, ad confessiones audiendas. Concil. Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 15.* de quo nos latè *2. p. tract. 5. de pœnit. disp. 11. q. 44. & sequent.*

Septimò competit Episcopo in aliquibus casibus dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, tam post illud contractum, quàm ante contractum illud, vt latè diximus *part. 2. tract. 9. de matrim. disp. 24. à quæst. 7.* Similiter competit illi, vt denunciationes postponantur, aut omittantur. Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap..* de quo nos etiam vbi suprà *disp. 7. q. 66. & sequent.* & Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. in compendio, n. 75. & alleg. 32. num. 27. cum seqq.*

QVÆSTIO II.

An, & quam iurisdictionem habeat Episcopus ad instituendos in sua Diœcesi dies festos?

Respondeo ex dictis *part. 3. tract. 1. de obseruatione festorum, disp. 2.* primò, quod Episcopus, attento iure communi, *cap. conquestus, de feriis, & cap. pronunciandum, de consecr. dist. 3.* benè possit instituere in sua Diœcesi aliquos dies festos, vt ibidem *q. 4.* cum communi omnium docuimus.

Secundò, quod vt festa indicta ab Episcopo obligent, non est opus, attento iure communi, speciali facultate, aut confirmatione Summi Pontificis, ibi *q. 5.*

Tertiò, quod iam nequeunt Episcopi (licèt olim licitum eis fuerit) instituere festum in honorem alicuius sancti, nondum à Pontifice Romano canonizati, aut saltem beatificati, ibi *q. 6. & 7.*

Quartò, quod probabilius est, quod ad hoc, vt Episcopi possint de iure communi festos dies instituere, etiam pro vna vice, necessariò requiratur consensus Cleri, *q. 8.* imò & consensus Populi, *q. 9.* secus est loquendo ex vi consuetudinis, vbi hæc legitimè introducta est, quia tunc, eâ attentâ, rectè poterunt Episcopi instituere pro sua Diœcesi dies festos absque sui Cleri, vel Capituli consensu, quamuis non absque eius consilio; & absque populi consensu, & consilio, ibi *q. 10. & 11.* Legantur ibi alia, quæ in hac materia hîc desiderari possunt, & Machado *tom. 1. lib. 2. part. 2. tract. 14. docum. 1.*

Quintò addo, quod Episcopus licitè potest dispensare, vt quis in festo laboret, & hoc non solùm in festis à se indictis, sed etiam in indictis à Rom. Pontifice. Sic *tract. 1. cit. disp. 6. quæst. 68.*

QVÆSTIO III.

An, & quam iurisdictionem habeant Episcopi circa dispensationem ieiuniorum?

Respondeo ex dictis *part. 3. tract. 5. de obseruat. ieiunior. disp. 10.* primò, quod Episcopus rectè possit dispensare cum hoc, vel illo in particulari, in præcepto ieiunij, vt constat ex approbato vsu Ecclesiæ, vt cum communi omnium diximus *vbi suprà, quæst. 6.* verum est, quod vt talis dispensatio sit licita, & valida, requiratur iusta causa; quia ea, quæ sunt iuris communis, non possunt Episcopi dispensare sine iusta causa, vt cum communi diximus *vbi suprà quæst. 7.* Legantur ibi dicta.

Secundò Episcopus optimè potest abrogare legem ieiunij latam à Synodo Diœcesana; quia lex Diœcesana solùm habet vim, & vigorem ab Episcopo; ergo ab ipsomet potest abrogari, & à fortiori in ea cum aliquibus dispensare, etiam validè (non licitè) quamuis id faciat sine causa. Quod idem est dicendnm de lege propria ab Episcopo lata, vt cum communi diximus vbi suprà *q. 9.* Secus diximus dicendum *q. 8.* loquendo de lege locali ieiunij, lata à Concilio Prouinciali. Nam etiam nequit Episcopus abrogare, cùm Concilium Prouinciale sit supra Episcopum; benè tamen poterit in ea dispensare, sicut potest in lege ieiunij lata à iure communi, vt nuper est habitum.

QVÆSTIO IV.

An, & quam iurisdictionem habeant Episcopi circa dispensationem irregularitatum?

Respondeo tanquam certum ex dictis *part. 5. tract. de irregularitate*, quod Episcopi verè habeant facultatem dispensandi in multis irregularitatibus. In hoc omnes conueniunt Doctores. Difficultas igitur solum est, in quibus dispensare, tam ex iure, quàm ex priuilegio possint. Pro qua enodanda sit.

§. I.

De irregularitate orta ex illegitimitate.

RESpondeo primò. Episcopus potest dispensare cum quocumque illegitimo, ad Ordines minores, & ad beneficium simplex obtinendum, vt habetur *in canone 1. & 2. de filiis Presbyter. in 6.* vt cum communi diximus *part. 5. tract. 2. de irregular. disp. 3. de irregularitate ex defectu natalium, quæst. 5.*

Respondeo secundò, tanquam quid probabilius, quod Episcopus possit dispensare cum illegitimo ad beneficium simplex, etiam casu, quo huic sit annexum curatum, *ibid. q. 52.* non tamen potest dispensare cum illegitimo ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, attento iure nouo Concilij Trident. requirentis in Canonico Ordinem sacrum, *sess. 24. cap. 12. de reformat. ibidem q. 54.* benè tamen poterit dispensare cum illo ad dimidiam portionem Ecclesiæ Cathedralis, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ, *cap. 1. de filiis Presbyter.* quia hæc beneficia non habent Ordinem sacrum annexum, *ibidem q. 55.*

Respondeo tertiò vt ferè certum, quod Episcopus benè possit dispensare cum proprio filio illegitimo ad minores Ordines, & ad simplex beneficium. Probatur *ex cap. 1. de filiis Presbyter. in 6.* de quo nos *disp. 3. cit. q. 60.* Et hæc omnia posse facere Episcopum electum, & confirmatum, etiam antequam consecretur, constat ex ibidem dictis, *q. 59.*

Respondeo quartò vt quid longè probabilius, quod etiam casu, quo huiusmodi irregularitas orta ex defectu natalium, ex occulto delicto parentum proueniat, non possit in ea Episcopus dispensare quoad maiores Ordines, beneficium curatum, & Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis suscipiendum. Sic contra multos Doctores diximus *disp. 3. citata, q. 56.* sicut nec similiter posse Episcopum dispensare cum illegitimo ordinato in Sacris mala fide, vt in susceptis Ordinibus ministret, diximus *q. 57.* Imò etiam cum eodem ordinato cum bona fide, *ibidem q. 58.* Et hæc de hac irregularitate.

§. II.

De irregularitate orta ex bigamia.

RESpondeo primò, quod Episcopus nequeat dispensare cum Bigamis propriis ad sacros Ordines suscipiendos, imò neque ad suscipiendos minores, neque vt in his susceptis ministrent (quidquid alij probabiliter contrà dicant) quia id colligitur ex iure, *cap. vnico, de bigamis in 6.* & ex Trident. *sess. 23. cap. 17.* hæc habes *part. 5. tract. 2. disp. 6. de irregularit. orta ex bigamia, q. 30. 31. & 32.*

Respondeo secundò: probabilius est, quod neque possit Episcopus dispensare cum bigamis interpretatiuis, ad recipiendos adhuc minores Ordines; neque ad maiores recipiendos, etiam casu, quo bigamus huiusmodi ad Religionem transeat: *ibidem q. 34.*

Respondeo tertiò: probabilius est, quod Episcopus, casu, quo vrgeat necessitas, ob penuriam ministrorum, possit dispensare, vt bigamus, tam proprius, quàm interpretatiuus, ad Subdiaconatum, imò ad Sacerdotium promoueatur; non quidem iure ordinario, sed ex tacita concessione Pontificis, casu, quo non sit ad illum facilis aditus: *ibi q. 35.*

Respondeo quartò, & tanquam certum, quod Episcopus possit dispensare in bigamia similitudinaria Clerici in sacris constituti, ineuntis matrimonium cum vnica, ac virgine, *ibi quæst. 36.* licèt probabilius sit, quod non possit dispensare cum dicto Clerico contrahente matrimonium cum vidua, vel corrupta, *ibi q. 37. & disp. 27. quæst. 28.*

§. III.

De irregularitate orta ex defectu animæ.

RESpondeo primò, quod Episcopus benè possit dispensare, vt ordinetur ille, qui linguam Latinam parum callet, si aliàs sit bonæ indolis, & de eo habeatur spes, quod postea addiscet necessaria. Hæc habes *dicta part. 5. tract. 2. disp. 2. q. 4.* vbi *q. 5.* diximus, etiam posse Episcopum dispensare, vt in susceptis Ordinibus administret ille, qui ignarus literarum eos recepit, dummodo ordinatus non sit omninò ignarus. Sic etiam *disp. 27. q. 28.*

Respondeo secundò, quod quamuis ex parte possit Episcopus dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui semel in furiam, aut in amentiam incidit, & sanitatem recuperauit, non tamen totaliter: potest namque dispensare in hoc, vt in Ordinibus susceptis exerceatur, aut vtatur illis; non tamen ad hoc vt promoueatur ad alios Ordines; quia hoc solùm spectat ad Romanum Pontificem, quidquid aliqui etiam id Episcopo concedant. Sic vbi suprà *quæst. 11.* cum multis DD.

§. IV.

De irregularitate ex defectu corporis proueniente.

RESpondeo primò ex habitis *part. 5. tract. 5. disp. 2. de irregularitate orta ex defectu corporis* (vbi de ea latissimè tractauimus) quod ad Episcopum pertinet iudicare in dubio, an defectus corporis, aut deformitas ita nobilis sit, vt inducat irregularitatem. Sic vbi suprà *q. 81.* Lege ibi dicta in fauorem Prælati Religiosorum.

Respondeo secundò: Episcopus non potest dispensare cum Clericis sæcularibus sibi subditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente; quia id solùm spectat ad Pontificem, *ibi q. 82.* Imò nec cum Religioso, etsi aliqui contrà dixere: *q. 83.* An autem id possint Prælati Regulares facere cum suis subditis, ibi latè tractatum inuenies.

QVÆSTIO V.

De iurisdictione, quam habent Episcopi in vota, & iuramenta.

---

§. I.

De potestate, quam habent Episcopi ad irritanda vota, & iuramenta suorum subditorum.

RESpondeo primò. Episcopi minimè possunt (quidquid alij dicant) directè irritare, aut relaxare vota, & iuramenta suorum subditorum. Sic diximus *part. 7. tract. 1. disp. 16. §. 2. quæst. 11.*

Respondeo secundò. Certum est, quod Episcopi possint directè irritare vota Monialium sibi subditarum, *part. 7. loco cit. q. 13.*

---

§. II.

De potestate, quam habent Episcopi ad dispensanda vota, & iuramenta.

RESpondeo primò tanquam certum, quod Episcopi habent potestatem ordinariam dispensandi vota, & iuramenta in tota sua Diœcesi: *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 2. quæst. 55.* quam potestatem habent dicti Episcopi antequam sint consecrati, dummodo à Papa confirmati sint, *ibi, q. 56.* vbi latè egimus de potestate, quam circa hanc materiam habent Archiepiscopi, & alij prælati inferiores.

Respondeo secundò, etiam tanquam quid certum, quod Episcopi possint dispensare cum suis subditis in omnibus votis, & iuramentis Deo præstitis, exceptis specialiter à Papa reseruatis, quæ quidem solùm sunt quinque, nempe vota, seu iuramenta castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad Sanctum Iacobum Compostellanum, & in terram sanctam: *part. 7. disp. 17. cit. §. 3. quæst. 77. 78. & 80.*

Respondeo tertiò vt quid certum, quod Episcopus optimè possit dispensare in voto castitatis non perpetuæ, vt verbi gratia, ad annum; secus verò in voto castitatis emisso pro centum vitæ annis: *ibi quæst. 82. & 83.*

Respondeo quartò item vt certum, quod Episcopus possit dispensare in voto castitatis coniugalis, sicuti in voto de non petendo debito, quod alter, vel vterque coniux cum licentia, aut sine illa emisit: imò & in voto, quod vterque coniux communi consensu emisit non reddendi debitum, non fornicandi, non contrahendi secundas nuptias, &c. *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 3. q. 83. 84. 85. & 86.*

Respondeo quintò. Episcopus potest dispensare in voto, aut iuramento assumendi Ordines sacros, quibus annexum est votum castitatis; sicuti etiam potest in expresso voto promittendæ castitatis, & in voto, aut iuramento non ineundi matrimonij; secus verò in iuramento Deo facto, aut voto virginitatis seruandæ (nisi in certo aliquo casu) *part. 7. §. 3. cit. quæst. 87. 88. 89. 90. & 91.*

Respondeo sextò. Episcopus potest dispensare iuramentum Deo factum, aut votum castitatis emissum ab vno coniuge post consummatum matrimonium, sine consensu alterius; sicuti in voto castitatis emisso ante contractum matrimonium, ad hoc vt vouens possit consummare matrimonium, & petere debitum; secus verò in voto castitatis, quod vterque coniux emisit ex communi consensu per modum contractus, *facio, vt facias; voueo, & iuro, vt voueas, & iures*: *part. 7. §. 3. cit. quæst. 92. & 93.*

Respondeo septimò. Episcopus potest dispensare votum castitatis, aut Religionis, emissum metu leui ab extrinseco incusso ad extorquendum tale votum: *part. 7. vbi suprà, quæst. 94.*

Respondeo octauò. Episcopus nequit dispensare in iuramento, aut voto ingrediendi Ordinem Militum Maltensium, siue Sancti Ioannis; benè tamen in voto, aut iuramento ingrediendi Religionem Militum Alcantaræ, Calatrauæ, Diui Iacobi, S. Stephani, vel S. Mauritij; sicuti in voto aut iuramento, quod fœmina emisit assumendi habitum Beatarum: *part. 7. vbi suprà, quæst. 95. 96. & 97.*

Respondeo nonò. Episcopus non potest dispensare in iuramento, aut voto ingrediendi Religionem approbatam, ad probandum, num sibi placeat: *ibi, quæst. 98.*

Respondeo decimò. Episcopus potest dispensare in votis paupertatis, & obedientiæ in sæculo, vel in Religione non approbata, emissis; sicuti potest in iuramento, aut voto ingrediendi Religionem strictiorem, vt relicta ista, alteram laxiorem ingrediatur vouens; *vbi suprà quæst. 99. & 100.*

Respondeo vndecimò. Episcopus non potest dispensare in iurameto, seu voto pœnali castitatis, vel Religionis absolutè emisso; sicut nec in iuramento, seu voto castitatis, seu Religionis, emisso in pœnam peccati mortalis, quod quis heri admisit, vel nunc proponit admissurum: *vbi suprà, quæst. 101. & 102.*

Respondeo duodecimò. Episcopus potest dispensare in iuramento, seu voto pœnali Religionis, aut castitatis emisso cum conditione de futuro, vt *si lusero, iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem.* Id vt quid probabilius docuimus *part. 7. tract. 1. disp. 17. §. 3. quæst. 103.* etiam casu, quo conditio sit impleta, & pœna incursa.

Respondeo decimotertiò. Episcopus nequit dispensare cum illo, qui promisit Religionem, aut castitatem, sub ea conditione; *si pater suus obierit.* Benè tamen poterit cum illo, qui morbo oppressus, dixit, *Iuro, aut voueo Religionem, aut castitatem, si incolumis euasero. Ita vbi suprà, quæst. 104. & 105.* Quod intellige etiam post conditionem impletam.

Respondeo decimoquartò. Episcopus potest dispensare votum disiunctiuum, cuius sola altera pars est reseruata, saltem re integra, & antequam vouens eligat materiam reseruatam; vt si quis, verbi gratia, voueret castitatem, vel ieiunium. Quod quidem etiam potest casu, quo pars non reseruata (v. g. ieiunium) effecta sit impossibilis, itavt nequeat vouens illam adimplere. Ita vt quid probabilius sustinuimus *part. 7. loco cit. quæst. 106. & 107.* Imò adhuc poterit in casu, quo vouens eligat efficaciter castitatem seruare: *ibi q. 108.*

Respondeo decimoquintò. Episcopus benè potest dispensare in voto, aut iuramento peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostel-

lanæ, emissis non animo visitandi illa loca, sed alio fine: sicuti etiam potest dispensare in qualitate dictis peregrinationibus adiuncta: *part.* 7. *disp.* 17. §. 3. *quæst.* 109. *&* 110.

§. III.

De Episcopi iurisdictione in reliquis.

RESpondeo dicendum primò, quod post Bullam Gregorij XV. Episcopus potest cognoscere de crimine confessarij sollicitantis pœnitentes in confessione. De hac materia latè tractauimus *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *per totam.* Legatur præcipuè *quæst.* 46.

Respondeo secundò, quod Episcopus possit sibi aliquos reseruare casus. De qua materia egimus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 12.

Respondeo tertiò, quod Episcopus potest concedere indulgentias, licèt non iure diuino (vt aliqui volunt) sed solùm iure humano. De hac materia habes quidquid hic desiderare potes, *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 16. *& sequentib.*

Respondeo quartò. Episcopus potest in aliquibus casibus absoluere à censuris Pontifici reseruatis. De hoc egimus *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12.

DISPVTATIO X.

De obligatione Clericorum erga suos Episcopos.

QVÆSTIO PRIMA.

An subditi teneantur suis Superioribus Ecclesiasticis amorem, reuerentiam, & obedientiam exhibere?

RESPONDEO cum communi omnium teneri; quia hæc omnia debentur parentibus, & illis omnibus, qui parentum vices gerunt, vt suprà *tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5. Sed sic est, quod Superiores, præcipuè Ecclesiastici, gerunt vices parentum, vt vbi suprà est habitum: ergo. Sic omnes DD. præcipuè Filliuc. *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 1. *num.* 88. vbi docet subditos erga suos Superiores Ecclesiasticos teneri generaliter ad quatuor. Primò ad amorem, tanquam filij erga patres spirituales. Secundò ad obedientiam in rebus honestis, iis præsertim, quæ pertinent ad eorum officium. Tertiò ad reuerentiam propter dignitatem, in qua sunt. Quartò ad eos defendendos, & ministrandum necessaria. Hæc Filliucius, & omninò ex illo non citato, Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 1.

QVÆSTIO II.

An Clericus teneatur obedire Episcopo in iis, quæ pertinent ad statum Clericalem?

REspondeo teneri, & quidem sub mortali, si res est grauis. Sic omnes, præcipuè Filliuc. *loco cit. quæst.* 5. *num.* 94. & Trullench *num.* 5. & Siluest. *verb. obedientia*, §. *septimò*, vbi ita ait: Clerici sæculares Prælatis Ecclesiasticis indubitanter tenentur obedire, vt Papæ, eo modo, quo dictum est §. 5. & omnibus inferioribus Prælatis suis, in quantum se extendit eorum superioritas; non autem extraneis, quia sicut non valet sententia non sui iudicis, ita nec præceptum, *cap. at si Clerici* 7. *quæst.* 1. *cap. at si frater.* Hæc Siluester. Legatur Angelus *verbo obedientia, num.* 1.

QVÆSTIO III.

An si Episcopus præcipiat alicui Clerico, vt excommunicet illum, quem ipsemet Clericus scit esse innocentem, teneatur illum excommunicare?

REspondet Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 94. his verbis: Respondet Siluester *verb. obedientia*, §. 7. & Angelus §. *item septimo*, ex S. Thoma, quod si tantùm Episcopus præcipiat denunciationem excommunicationis, obedire debet; si verò vt excommunicet, tunc si potest probare innocentiam, debet id probare: & si quidem probet, non debet obedire, sed recurrere, si oporteat, ad Superiorem: si deficiat à probatione, debet obedire. Hæc Filliuccius, & ex illo Trullench *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 5.

Sed certè etsi doctrina hæc sit vera, Filliuccius non bene ex omni parte citat Angelum; nam hic hæc verba *loco suprà citato* scribit: Respondeo secundùm D. Thomam, quod si solùm mandet denunciationem, obediat; si verò mandet excommunicationem, dicit, quod si probare non potest eius innocentiam, quod debet obedire. Sed ego dico, quod nullo modo debeat obedire; quia habet excusationem paratam, dicendo, quod aut committat causæ cognitionem, aut ipse excommunicet, si non vult committere, & ipse denunciabit, aliter debet, non contra conscientiam, obedire. Hæc omnia Angelus. Non igitur bene citatur à Filliuccio. Lege Siluestrum *loco citato*, vbi in primis dicit, quod dicta opinio imponitur D. Thomæ. Secundò eum defendit, & respondet fundamento Angeli, quo nititur aduersus D. Thomam.

QVÆSTIO IV.

An si Episcopus præcipiat Clerico, quod det suos libros alteri, vel beneficium resignet, teneatur illi obedire?

REspondeo vt certum, quod non teneatur, nisi subsit aliqua iusta causa; quia non pertinet ad Episcopum hoc præcipere, 7. *q.* 1. *quia frater sine iusta causa*: secus si causâ iusta præciperet, quia

quia tunc teneretur: vt si Clericus, cui id præcipit Episcopus, est ineptus,& vult dare idoneo propter bonum Ecclesiæ; quia hoc potest, *argum. cap. cùm Apostolus*, §.*prohibemus*, *de censibus*, *&* 16.*quæst*.1. *cap. prædicator.* Quod intellige dummodo libri sint de rebus Ecclesiasticis, non propriis. Sic Angelus *loco cit. num.* 9. Siluest. *num.*7.*vers.tertium.* Filliuc. & Trullench *vbi suprà*, & antea Raymund. apud illos.

QVÆSTIO V.

An si Episcopus præcipiat Clerico, vt Romam adeat pro negotiis Ecclesiæ, debeat Clericus obedire?

RESpondeo vt certum, debere obedire; quia iustè id præcipit. Nec valere potest excusatio dicentis, alios esse idoneos magis, quia in talibus legationibus hunc ordinem seruare non opottet, *ff. de legat.* 1. *sciendum*, §. *penult.* Nec rursus valet excusatio allegantis curam rei familiaris, quia priuatæ vtilitati communis est præferenda, *de postulat. Prælat. cap. bonæ*, *el* 1. Verum tamen est, quod non tenetur obedire, vt promoueat negotia contra se ipsum, *l. sciendum*, §. *si accusatio.* Sic omninò Syluester *verb. obedientia*, *quæst.*7.*num.* 7.*vers. quartum*, sequutus Raym. & alios. Filliuc. & Trullench vbi suprà, licèt non ita latè.

QVÆSTIO VI.

An Clericus teneatur obedire potiùs Episcopo, quàm Archiepiscopo?

RESpondeo, teneri obedire potiùs Episcopo; quia potiùs subditur illi. Excipiendi tamen sunt aliqui casus, in quibus potiùs debet Clericus obedire Archiepiscopo, quos refert Siluest. *verbo Archiepiscopus*, *quæst.* 1. *num.* 2. Sic ipse *verbo obedientia*, *quæst.* 7. *citata*, *in fine.*

DISPVTATIO XI.

De obligatione Religiosorum erga Dominos Episcopos, & de horum potestate in illos?

QVÆSTIO PRIMA.

An Religiosi non exempti teneantur ex vi voti obedientiæ obedire Episcopis?

RESPONDEO tanquam quid certum, quod teneantur illis obedire ex vi voti obedientiæ (si qui sint adhùc non exempti.) Ratio est, quia Episcopi sunt verè Prælati ipsorum, illisque emittunt votum obedientiæ: ergo tenentur illis obedire. Confirmatur, quia ideò Moniales subiectæ Episcopo tenentur ei obedire ex voto, quia illi emittunt votum obedientiæ: ergo similiter tenebuntur Religiosi, qui votum obedientiæ Episcopo emittunt. Sic Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. *num.* 11. & ex illo citato, Lezana *tomo* 1.*qq. Regular. tract. de obligationib. obediendi*, *cap.* 11. *num.* 1.

QVÆSTIO II.

An etiam Religiosi exempti teneantur ex vi voti obedientiæ obedire Episcopis?

RESpondeo vt quid certum, non teneri. Ratio est, quia Religiosi exempti (quales communiter sunt omnes ferè Religiosi, propter multa Pontificum priuilegia, vt constat *ex cap. quàm sit necessarium* 18.*q.*2. de quo Nauarr. *in cap. non dicatis*, *num.* 63.*& in cap. nulla* 18. *quæst.* 2. *num.* 40.) solùm promittunt obedientiam Prælatis Regularibus: ergo ex vi voti solùm his tenentur obedire, non Episcopis. Sic D. Thom. 2.2 *dist.*44. Siluest. *verb. obedientia*, *quæst.* 8. *&* 10. *dicto* 2. Sanchez, & Lezana *locis citatis*, & omnes.

QVÆSTIO III.

An Religiosi, qui non promittunt obedientiam Episcopo, teneantur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ, stando in iure diuino, & secluso omni exemptionis priuilegio.

AFfirmat Petrus Ledesma *tom.* 3.*sum. tract.*10. *de voto*,*cap.* 7. *notabili* 2. vbi docet, attento solummodo iure diuino,& secluso hoc exemptionis priuilegio, Episcopum esse specialem Religiosorum Prælatum, & habere dominatiuam, voti ratione, potestatem voluntatis eorum.

Sed vt quid ferè certum respondeo dicendum, quod dicti Religiosi minimè teneantur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ, etiam stando in iure diuino, & secluso exemptionis priuilegio. Ratio est, quia quamvis, eo iure attento,& secluso hoc priuilegio, Religiosi subessent Episcopo, & esset illorum Superior, id tantùm esset eo modo, quo nunc Episcopus est Superior Clericorum omnium, nempe quoad disciplinam Ecclesiasticam, non autem quoad obseruantias regulares, ad quas ex solo obedientiæ voto tenentur. Sic Sanchez *loco citato*, *cap.* 1. *num.* 12.*&* 13. & ex illo Lezana *cap.* 11. *citato*, *num.* 4.

QVÆSTIO IV.

An priuilegio exemptionis possint renunciare Regulares?

RESpondeo vt quid certum, quod non possint absque Papæ licentia. Ratio est, quia hoc exemptionis priuilegium datum est in honorem status Religiosi: ergo noceret iuri Religionis, qui dicto priuilegio renunciare tentaret. Confirmatur, quia Pontifex in Bullis exemptionum Regularium, non solùm dicit, se suscipere eos sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione, sed expresè ait, *immediatè nobis*

nobis subiicimus: quo denotatur, Pontificem se constituere immediatum Superiorem, iudicem ordinarium, & quasi Episcopum Regularium: ergo iuri exemptionis nequibunt Regulares renunciare, cùm si id intentarent, intentarent nocere iuri Pontificio. Sic Rodrig. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 63. *art.* 10. Laurent. Peyrinis *tom.* 1. *de Priuileg. Minim. in constitut. Sixti V.* §. 7. Lezana *tomo* 1. *qq. regul. cap.* 11. *num.* 5. *pag.* 79. Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *quest.* 12. & alij communiter.

QVÆSTIO V.

An non obstante priuilegio exemptionis, teneantur Regulares reuereri, & honorare DD. Episcopos?

RESpondeo teneri, quia exemptus à iurisdictione, non est exemptus à iure reuerentiali, vt probat Roman. *singul.* 486. Vnde cùm venerint ad Regularium Ecclesias ad celebrandum, reuerenter suscipiendi sunt. Sic Lezana *vbi suprà, c.* 11. *num.* 3. Et certè hanc reuerentiam teneri Regulares omnes exhibere Episcopis, monet, imò & præcipit Leo X. *in sua constitut.* 26. quæ incipit: *Dum intra mentis arcana*, illis verbis: *Eosdem insuper Fratres, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem Episcopos, loco SS. Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, & Apostolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & conuenienti obseruantia venerentur.* Sic Pontifex. Ex quibus verbis colligit Peyrinis, *in dicta constit.* §. 24. *num.* 44. quod Regulares teneptur Episcopos venerari sub pœna peccati mortalis.

QVÆSTIO VI.

An possint Episcopi in Ecclesiis Mendicantium aliqua munia exercere?

RESpondeo, quod sic: possunt enim diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter populo benedicere, per illa verba: *Sit nomen Domini benedictum*: & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus. Ita habetur *in Clement. Archiepiscopo, de priuileg.* Rursus possunt in dictis Mendicantium Ecclesiis vti baldachino, & contradicentes Fratres censuris, & pœnis cogere, per nouum decretum Congregationis, quod refert Quaranta *in summa Bullarum, verb. priuilegia Regular. pag.* 515. & etiam referunt Piasec. *in praxi Episcopor. part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 191. & Laurent. Peytin. *vbi suprà*, §. 24. *num.* 45. Lezana suprà *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 109. & Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *num.* 5. & alij plures apud ipsum.

QVÆSTIO VII.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium processionem solemnem, & generalem ordinare, ipsis inuitis?

AFfirmat Lezana *tom.* 3. *qq. Regular. in Mare magnum, & Regulam Carmelitarum*, §. 75. *num.* 423. vbi ita scribit: Si autem quæras, an possit Episcopus conuocare Processiones ad Ecclesias Regularium? Respondeo affirmatiuè, contra Portellium *in dubiis Regular. verb. processiones, n.* 10. & Tamburinum *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 15. *q.* 15. *num.* 12. Ratio est, quia hoc videtur ius Episcopale, iuxta dicta *tom.* 4. *verbo processio quoad Regulares, num.* 4. Et priuilegium, de quo in præsenti, & alia similia, quibus prohibentur Episcopi conuentus publicos in Regularibus domibus conuocare, intelligi debent de conuentibus odiosis, & contentiosis, aut præiudicialibus, non de illis, qui cedunt in honorem, & æstimationem Religionum, quales sunt processiones. Hæc Lezana, & anteà Bordonus *in consiliis Regular. tom.* 1. *resol.* 7. *num.* 132.

Sed omninò respondeo, non posse Episcopos dictam processionem ordinare, aut conuocare, inuitis ipsis Regularibus: quia omninò est tenendum, quod facere, aut conuocare processiones generales, potiùs est officij, & iurisdictionis actus, quàm honoris Episcopalis. Sic Tamburinus, & Portellius, citati à Lezzana; necnon idem tenet iam Bordonus *tom.* 2. *consil. resol.* 68. *q.* 6. *num.* 21. vbi se retractat de opinione quam loco citato suprà docuit, & tenet Episcopum non posse in Ecclesiis Regularium processiones ordinarias conuocare. Ita ille, quem refert & sequitur Diana *part.* 9. *tr.* 6. *resol.* 48. quibus ego addo Laurentium de Peyrinis *tom.* 1. *in Constitut.* 26. *Leonis X.* §. 24. *num.* 46. & apud ipsum Vital. *super Clement. Archiepiscopo, num.* 55.

QVÆSTIO VIII.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, Ordinis, & Confirmationis Sacramenta celebrare, & ministrare?

RESpondeo vt certum, non posse; quia certum est, quod Episcopi nequeunt in Ecclesiis Regularium, his inuitis, ea quæ iurisdictionem dicunt, exercere, vt omnes DD. supponunt: sed sic est, quod ordinare, confirmare, degradare, & his similia, dicunt iurisdictionem: ergo. Sic Tamburinus *disp.* 15. *cit. quæst.* 15. *num.* 10. & penes illum Anchar. Cardin. Imola, Abbas, & Vitalinus. Quibus addo Portellium *loco citato, numero decimo*, Peyrin. §. 24. *numero* 45. & Dianam *resolut.* 48. *citata*.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, prædicare, & indulgentias concedere?

NEgat Peyrinus *tom. 1. de priuileg. Minim. const. it. 26. Leonis X. §. 24. num.* 47. his verbis: An autem possit prædicare, dubitant aliqui, quia actus videtur honoris. Sed credo, quod non, per doctrinam Cardinalis *in d. Clementina* (nempe *Archiepiscopo*) *§. si tamen, num.* 2. *&* 3. Nam exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur: & priuilegiatus in aliquo non potest ad aliud extendere suum priuilegium. Si tamen concedatur, quod prædicare possit, non tamen poterit indulgentias concedere. Ita ille, quem citat, & videtur sequi Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 109.

Sed certè satis probabiliter respondeo primò. Episcopi benè possunt in Ecclesiis Regularium, ipsis inuitis, prædicare, sicuti & possunt celebrare, vt suprà *q.* 6. est habitum; quia per hæc non exercent ea, quæ ad iurisdictionem spectant. Sic tenet Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbatum, disp.* 15. *quæst.* 15. *num.* 9. *iuncto eod. num.* 9. *summarij*: & apud ipsum Glossa *in Clement. Archiepiscopo, verb. etiam celebrare.* Abbas *num.* 3. Vitalin. *num.* 19. 20. *&* 66. & Gratianus *discept.* 467. *num.* 37.

Respondeo secundò tanquam quid certum, quod casu, quo in Ecclesiis Regularium Episcopi prædicent, inuitis Regularibus, tunc minimè possint indulgentias concedere; quia hic actus est iurisdictionis. Sic Tamburinus *loco cit.* vbi *num.* 13. sic ait: Neque poterunt Episcopi in locis exemptis celebrantes, vel concionantes, indulgentias concedere, quia hoc est iurisdictionis, & dignitatis Episcopalis, *cap. quod autem, & cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remiss.* notant Anchar. *in d. Clement. Archiepiscopo, num.* 6. Cardin. *in §. sic tamen, n.* 4. Vitalin. *num.* 65. Imò nec possunt concedere, vt exempti eorum nomine largiantur; & si dant, non prosunt, nisi quoad sibi subditos, vt post Hostiens. *in cap. accedentibus, de excessib. Prælat.* notant Cardin. & Vitalin. locis proximè citatis. Hæc Tamburinus, quem in hac parte sequitur Peyrinus *vbi suprà*. Nota tamen, quod iis non obstantibus, optimè possunt Regulares exempti frui indulgentiis, quas Episcopi suis subditis concedunt, vt communiter docent DD. quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi* 3. *p. alleg.* 88. *num.* 27.

QVÆSTIO X.

An Episcopus possit in Monasteriis Regularium exemptorum pro Tribunali sedere?

AFfirmandum videtur, eo quod Episcopus in quouis loco suæ Diœcesis valet pro Tribunali sedere, ibique iura reddere, vt constat *ex cap. cùm Episcopus, de offic. Ordinarij in* 6. ergo.

Sed vt certum respondeo, non posse. Tum quia dicta potestas concessa Episcopo *in d. cap.* limitatur, ibi; *Vt id sibi non liceat in loco exempto.* Tum etiam, quia Iudex nequit extra suam Diœcesim Tribunal erigere, *cap. notandum* 2. *quæst.* 3. *& cap. Episcopum* 9. *quæst.* 3. sed locus exemptus (qualis est conuentus Regularium) & locus extra Diœcesim, iudicantur à pari, vt dicunt communiter DD. ergo nequibit Episcopus in locis exemptis Tribunal ad iura reddenda erigere, nec Cathedram ad iudicandum collocare. Sic cum multis tenent Quaranta *in summa Bullarij, verb. priuilegia Regular.* Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 80. *num.* 17. Ascan. Tamburin. *tom.* 1 *de iure Abbat. disp.* 15. *q.* 14. *per totam, & quæst.* 15. *num.* 16.

QVÆSTIO XI.

An Episcopi, aut Ordinarij locorum, possint cogere Regulares exemptos, vt ad publicas processiones accedant?

REspondeo, posse ad id omnes Regulares cogere, exceptis tamen illis, qui in strictiori clausura perpetuò vitam traducunt: sic enim habetur in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* his verbis: *Exempti autem omnes, tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Sic concilium, & sic omnes. Legantur Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. quæst.* 36. *art.* 1. Erasmus Cochier *de iurisdict. Ordinar. in exemptos part.* 2. *quæst.* 45. *num.* 109. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 78. *num.* 8. *&* 14. Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbatum, disp.* 15. *quæst.* 7. *n.* 20. *& disp.* 24. *quæst.* 8. Zerola *in* 1. *p. praxis Episcop. verbo processiones, num.* 1. Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 10. *docum.* 6. Lezzana *tom.* 1. *qq. Regul. cap.* 9. *de obligationib. Religios. numero* 47. *pag. mihi* 68. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *capite vndecimo, numero primo*; & alij.

QVÆSTIO XII.

Quænam dicantur publicæ processiones, ad quas Regulares tenentur accedere?

REspondeo dicendum, quod publicæ processiones dicuntur in primis illæ, quæ fiunt in Festo Corporis Christi, & in Litaniis maioribus, & minoribus. Deinde publicæ processiones dici possunt, quæ fiunt propter bonum vniuersale totius Reipublicæ Christianæ, aut quæ fiunt imminente peste, aut alio flagello, vel pro pace, aut in nouo introitu Episcopi, vel Legati Pontificis; aut denique, quę fiunt in iubileis publicis. Ad has igitur processiones tenentur Regulares accedere, non ad alias, nisi fiant, vt diximus, ex aliqua causa magna. Sic Zerola, Barbosa, Tamburinus, Machado, & alij *locis proximè citatis.* Legantur infrà dicenda *quæst.* 29.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An vt Regulares teneantur ad publicas processiones accedere, debeant necessariò vocari?

NEgat, deberi necessariò vocari formaliter, sed sufficere virtualiter, Zerola *in praxi Episcop. part. 1. verb. processiones, §. ad tertium*, his verbis: Ad tertium, *loco cit.* Concilium dicit, quod debent vocari,& hoc rationabiliter; primò non solùm, vt si ire nollent, non se excusarent, sed ad hoc, vt sciant horam, qua processio fieri debeat: vel vocari virtualiter, vt quia sciunt diem consuetum,& sic non opus est vocari actu semper. Ita Zerola, quem citat,& sequitur Pellizzar. *tom. 1. tr. 5. cap. 11. quæst. 3. num. 4.*

Sed vt mihi ferè certum respondeo,debere necessariò vocari actualiter,personaliterque per Clericos, aut alios ministros idoneos Ordinarij,aliàs non teneri Regulares ad processiones accedere; quia id indicant verba Concilij suprà relata. Et ideò sic tenent Rodriguez *qq. Regular. tom. 3. quæst. 36. art. 1.* & ex illo Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbat. disput. 24. quæst. 8. num. 2.* Lezzana *tom. 1. cap. 9. cit. num. 47.* Peyrinus *tom. 1. priuileg. Minim. in constitut. 2 Sixti IV. §. 11. n. 77.* Bordon. *resol 7. cap. 142.* Et id esse probabile in rigore iuris, apertè sentit Pellizzarius *vbi suprà*, & tenet Portellius *in dubiis Regul. verb. processiones, num. 1.*

QVÆSTIO XIV.

An Regulares, qui tenentur ad publicas processiones adire, peccent mortaliter in casu, quo culpabiliter omittant illis interesse?

REspondeo dicendum, quod sic; quia violant decretum Tridentini suprà *quæst. 11.* relatum, quod vtique est de re graui, & consequenter reddit violationem grauem. Sic Pellizzarius *cap. 11. cit. quæst. 2. num. 2.* qui *num. 3.* aduertit, in dicto casu non peccare mortaliter singulos Religiosos non euntes ad publicas processiones; sed solùm eos, qui aduertunt fore, vt si ipsi omittant ire ad processionem, Conuentus simpliciter non sit interfuturus processioni, eo quod non adsint alij, qui commodè possint ire ad eam, vel certè, quòd in eo pauci degant Religiosi, vel quia plures eorum ægrotent, &c. Sic ille.

QVÆSTIO XV.

An aliquorum Ordinum Religiosi sint exempti à processionibus?

REspondeo esse aliquos: nam in primis sunt illi, qui in strictiori clausura perpetuò degunt,vt disponit Concilium *loco citato*,vt sunt Carthusiani, Camaldulenses, Benedictini, & his similes. Item sunt exempti Patres S. Hieronymi in Hispania, per Bullam Pij V. vt refert Capucinus *in compend. verb. processiones.* Patres Societatis IESV, per Bullam Gregorij XIII. Necnon communiter Clerici omnes Regulares. Rursus Patres scholarum piarum, & Patres Ioannis Dei, teste Gauanto *in enchiridio, verb. processio, num. 12.* Patres Carmelitani Discalceati, per Bullam Clement. VIII. quæ incipit, *Religiosorum*, expeditam anno 1596. & per Bullam Pauli V. quæ incipit, *Decet Romanum*, anni 1610. Item sunt exempti à processionibus Religiosi illorum Conuentuum, qui collegia nuncupantur, qui neque in choro cantant, neque ad mortuos accedunt, sed tantùm studiis, & lectionibus vacant, per Bullam Pij V. incipientem, Etsi *Mendicantium, in fine.* Vnde (ait Portellius) collegia Mendicantium excipiuntur, vt ait Marzilla. Legantur de hac re Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. disp. 24. quæsito* 8. Portell. *verb. processiones, num. 4. & 5.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 4. n. 5.* Lezzana *tom. 1. qq. Regul. cap. 9. num. 47. & ibid. de iurib. Mendicantium cap. 1. num. 50. pag. 355.*

QVÆSTIO XVI.

An si hi Religiosi, qui ex priuilegio sunt exempti, ne ad processiones ire compellantur, interdum ad eas inuitati ab Episcopo, accedant, intelligantur per talem accessum, priuilegium amisisse, & sic in posterum ad id compelli possint?

REspondeo vt certum, quod non ideò priuilegium censeantur amisisse,nec ob id *in posterum* ad processiones ire compelli possint; quia tale priuilegium est meræ facultatis, quod nunquam amittitur per non vsum. Vnde dicti priuilegiati possunt ire, si volunt; si autem nolunt, possunt non ire. Sic Tamburinus *disp. 24. cit. quæst. 8. n. 5. & 6.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 4. fine*, Lezzana *tom. 1. qq. Regul. cap. 9. num. 47. & tom. 2. verb. processiones, num. 3.* & penes illum Barbosa, Portel. & Nouarius.

QVÆSTIO XVII.

An Religiosi, qui ad processiones sunt adstricti, si vocati non accedant, possint Episcopi per censuras aduersus eos procedere?

AFfirmant plures Doctores, existimantes in dicto casu posse Episcopos per censuras Ecclesiasticas, nempe per excommunicationem, suspensionem, vel interdictum, compellere dictos Religiosos, vt accedant ad processiones; quia sic, inquiunt, declarauit Sacra Congregatio Concilij. Ita tenent Macerat. *decis. Papiens. 35. dub. 2.* Genuens. *in praxi Archiepisc. Neapolit. cap. 45. num. 9.* Riccius *in praxi fori Ecclesiast. resol. 308. num. 6.* Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episcopi, alleg. 78. num. 25.* Zerola *in praxi Episcop. verb. excommunicatio de causa materiali, §. quartò an Episcopi*, ibi: Secundò fallit, quando Regulares nollent ire ad processiones indictas ab Episcopo, *sess. 25. cap. 13. de Regular.* Et Sacra Congregatio declarat. 32. censuit, Regulares, qui non accedunt ad processiones ab Episcopo indictas, posse ab eo puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia iuris remedia. Ita Zerola *ibi*, *& verbo processiones, §. ad secundum,*

dum, & Capucinus *in compend. verb. processiones*, & Marzilla *in loca Concilij*, §. *ad publicas processiones*, necnon & Pottell. *verb. processiones*, dicunt Cardinales iam declarasse, posse scilicet Episcopos in hoc casu cogere Regulares per censuras. Quod idem firmat Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarra lib.* 1. *tit.* 14. *cap.* 28. §. 31. *num.* 7.

Sed alij contrà negant, posse Episcopos compellere per censuras Ecclesiasticas Regulares renuentes accedere ad processiones, vt ad illas accedant, & conueniant; licèt benè possint id facere per alias pœnas Ecclesiasticas.

Probatur; quia Religiosi pluribus Sedis Apostolicæ priuilegiis tuti sunt, ne ab Episcopis, vel ab aliis quibuscumque Ordinariis ex quavis causa excommunicari, suspendi, vel interdici possint (vt latè probat ipsemet Zerola *vbi suprà, verb. excommunicatio*) nisi in casibus expressè concessis à Papa. At sic est, quod Concilium Tridentinum (*loco citato*) concedens Episcopis, vt cogant Regulares ad processiones, non exprimit, vt possint illos cogere per censuras, supponens posse per alias pœnas Ecclesiasticas, nempe per priuationem ab audiendis confessionibus, à prædicatione verbi Dei in Ecclesiis non propriis Ordinis, &c. ergo. Confirmatur, quia pluries per Sacram Congregationem fuisse decisum, non posse compelli per censuras, refert Quaranta *in sum. Bullar. verb. præcedentia*, *in fine*, & ex illo Barbosa *in remissionib. ad Trident. sess.* 25. *cap.* 13. *de Regularib. numero quinto*, & ideò hanc partem sustinent Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 33. *num.* 23. Gambara *in tract. de potest. Legati à latere lib.* 8. *cap. fin. num.* 77. Henriquez *in sum. lib.* 7. *cap.* 25. §. 7. Rodriguez *in sum. tom.* 1. *cap.* 74. *num.* 4. *& tom.* 3. *qq. Regular. quæst.* 36. *art.* 1. Quaranta *loco citato*, Scortia *in Bullis selectis, theoremate* 393. *vers. si autem* Laurent. de Peyrin. 1. *p. Ritual. notabili* 3. *& tom.* 1. *priuileg. sui Ordin. in annotat. ad constitut.* 2. *Sixti IV. num.* 60. Ascan. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 24. *quæst. vltima, & num vltimo*. Portel. mutans sententiam, *loco cit. pro parte contraria*, *in addit.* Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 76. Villalob. *in sum. tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 5. *num.* 17. Hieronym. Rodrig. *in compend. qq. Regular. resol.* 118. *num.* 1. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 5. *num.* 6. Frater Antonius ab Spiritu Sancto, Carmelita Discalceatus, *in suo Directorio Regularium*, *tract.* 3. *disput.* 6. *sect.* 9. §. 7. *n.* 1562. & apud ipsum Belasius, *verb. processio*, *num.* 5. & alij plures, vt dicit Machado *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 10. *docum.* 6. *num.* 2. qui duas declarationes Cardinalium pro hac parte afferunt.

Ego verò in hac quæstione respondeo, vtquid certum: Primò, quod Episcopi omninò possint cogere Regulares renuentes accedere ad processiones, per pœnas Ecclesiasticas suprà relatas, nimirum deponendo Superiores, & contradictores incarcerando, & ex Monasterio amouendo, priuando prædicatione verbi Dei, & etiam pœnis pecuniariis, &c. Imò & poterunt de facto illos punire dictis pœnis, si de facto culpabiliter illis non interfint. Quia aliàs inutilis, & irrisoria esset comminatio illa pœnarum, quæ hac in re Episcopis erga Regulares conceditur, si ea per ipsos non posset mandari executioni. In hoc conueniunt omnes vtriusque sententiæ Doctores.

Respondeo secundò, vt longè multò probabilius, imò & vt mihi certum, quod non attentis declarationibus Sacræ Congregationis (vt in hoc casu attendi non debent, eo quod pro vtraque parte referantur) minimè possint Episcopi cogere, aut compellere Regulares per censuras Ecclesiasticas, nempe per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum, vt ad processiones accedant. Ratio est assignata, quia quoties Concilium voluit dare hanc auctoritatem Episcopis procedendi per censuras contra Religiosos exemptos, id explicuit, vt constat *in sess.* 25. *cap.* 16. contra dantes, aut recipientes aliquid pro ingressu Nouitiorum: *& c.* 5. *eiusdem sessionis*, pro restituenda, & conseruanda clausura Sanctimonialium; *& sess.* 22. *in decreto de obseruandis, & vitandis in celebrat. Missæ*, quoad hoc, quod est non celebrare in Oratorio priuato, vel omninò extra Ecclesiam: ergo signum est, in aliis locis, & casibus, in quibus non explicuit talem auctoritatem concedi Episcopis supra Religiosos exemptos (vt non explicuit in nostro casu) noluisse illam habere. Sic Authores secundæ sententiæ, quibus addo Lezzanam *tom.* 2. *qq. Regular. verb. exemptio Regul. num.* 11. *& verb. processio quoad Regulares*, *num.* 2. vbi addit, non obstare, quod dicitur, scilicet, Sacram Congregationem declarasse contrarium, prout referunt Sorbus *in annotat. ad compend priuileg. Mendicant. verb. processiones*, & Barbosa *de iure ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 163. *&* 164. Tum quia eodem Barbosa teste *in remission. ad Concil. Trident. loco relato*, ex Quaranta *in sum. Bullarij*, *verbo præcedentia*, pluries declaratum est à Sacra Congregatione, non posse Episcopum per censuras cogere Regulares ad dictas processiones. Tum, quia ad minus, vt Diana suprà ait, authenticè non constat de huiusmodi declaratione. Interim ergo dum de aliqua declaratione eiusdem S. Congregationis authenticè non constiterit, standum erit rationi adductæ. Sic ille, & ego.

QVÆSTIO XVIII.

An saltem possint Episcopi compellere, etiam censuris, Regulares Parochos, seu habentes curam animarum, vt ad processiones accedant?

RESpondeo vt certum, posse. Sic Pellizzar. *loco cit. num.* 7. sic dicens: Imò si loquamur de Regularibus habentibus curam animarum, sicut hi tenentur ire ad omnes processiones, ad quas conueniunt Parochi sæculares (idque licèt aliqui essent Ordinis specialiter exempti à processionibus) ita & possunt puniri ab Ordinario, etiam per censuras Ecclesiasticas, æquè ac possunt alij Parochi sæculares. Patet ex eo, quod Regulares, prout sunt Parochi, in omnibus rebus concernentibus munus parochiale eadem ratione subsunt Ordinario, ac subsunt Parochi sæculares; ac proinde sicut hi possunt per censuras adstringi ad processiones, ita & per eas posse adstringi Regulares curam animarum habentes, ostendemus infià *in tract. de priuileg. cap.* 4. *sect.* 3. Hæc Pellizzarius.

QVÆSTIO XIX.

An Episcopi compellere possint ire ad processiones Regulares illos, qui per aliquod tempus ad eas non conuenere?

RESpondeo posse, nisi casu, quo iam Regulares legitimè præscripserint contra obligationem conueniendi ad dictas processiones. Ratio est, quia seclusa præscriptione, quæ in hoc casu requirit, & sufficit, spatium decem annorum, possunt Episcopi, seu Ordinarij vti potestate sibi concessa à Tridentino *vbi suprà*, quamvis per aliquod tempus illa noluerint vti, ob causas tunc cedentes iuri suo. Sic Pellizzarius *vbi suprà, tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 6. num.* 9. cui fauet Lezzana *tom. 2. verb. processio quoad Regulares, num. 3. in fine*, docens, Regulares cogi non posse ad accedendum ad processiones in eo loco, in quo consuetudine fruerentur non accedendi; quia ita declaratum vidisse à Sacra Congreg. refert Campanile *in diuersor. iuris, rubr. 12. cap. 13. num.* 18. Sic ille, necnon Pellizzarius *sup. num. 13. vers. addo.*

QVÆSTIO XX.

An publicæ processiones solùm possint indici ab Episcopo, aut Ordinario?

RESpondeo dicendum, quod solùm ab ipsis, & ipsis absentibus, ab ipsorum Vicariis generalibus. Ratio est, quia hoc spectat ad ius, & munus Episcopale, vt docent Innocent. *in cap. cùm inter, num. 2. de sententia, & re iudicata*, Campanile *suprà*, Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 362. *in prima editione, & in secunda, resol.* 308. *num.* 7. Barbosa *part. 3. de potest. Episcopi, alleg. 78. num. 3. & 4.* Pellizzar suprà *quæst. 8. num.* 10. Lezzana vbi suprà *num.* 4. vbi aduertit, quod licet Portell. *in dubiis Regul. verb. processiones, num.* 7. post Rodrig *in addit. ad sum. tom. 4. cap. 105. num. 1. ad finem*, tenere videatur, quod Priores, vel Archipresbyteri, in vrbibus, vel oppidis, vbi non resident Episcopi, non possint compellere Religiosos ad processiones, intelligendum est, si tales non sint Ordinarij locorum; vel processiones illæ sint insolitæ, neque pro causa publica, sed tantùm ex leui causa. Sic ille, ex Erasmo Cochier *de iurisdict. Ordinarij in exemp. part. 2. quæst. 45. n.* 109. Aduertit etiam Pellizzar, quod ad eosdem Episcopos, seu Ordinarios pertineat statuere Ecclesias, ad quas dirigenda sit processio, cum consilio tamen Capituli, & non aliter. Quamvis non possint conuocare illam ad Ecclesias Regularium, inuitis illorum Prælatis, idque ob varias concessiones, quoad hoc factas Regularibus, & allegatas ab Henriquez *lib. 7. cap. 26. num. 5. in comment. lit. G.* Sic ille, de quo nos etiam suprà *quæstione* 7.

QVÆSTIO XXI.

An Regulares interuenturi ad processiones, teneantur se transferre ad Cathedralem hora statuta?

RESpondeo vt certum, teneri se transferre ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad aliam, quæ ab Ordinario assignetur, vt inde cum aliis institui possit processio. Id constat, tum ex communi praxi. Tum quia aliàs magna oriretur confusio, si ordinata iam processione subintrarent in eam modò Religiosi vnius Ordinis, & modò alterius. Sic Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 8. n. 10. & 11.*

Vbi inquirit, an item Regulares teneantur eodem modo agminatim redire cum Clero ad Ecclesiam, vnde discessit processio? Et respondet, standum esse consuetudini vniuscuiusque loci, & Diœcesis, quæ non eadem est, sed varia; cùm alicubi sit in vsu, quòd vbi processio peruenit ad Ecclesiam, ad quam illa ordinata est, absolutis consuetis precibus, singuli Ordines Regularium inde separatim ad propria redeant Monasteria; alibi verò tota processio agminatim à loco, ad quem directa est, reuertatur ad locum, à quo discessit. Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An Regulares accedentes ad processiones teneantur in illis cantare?

AD hanc quæstionem respondet Lezzana sic: Nota secundò Sorbum suprà referre, S. Congregationem declarasse, Regulares sic accedentes ad processiones, teneri in illis cantare; quod tamen obseruari non video, nisi in solis processionibus Litaniarum. Hæc Lezzana *tom. 2. verbo processiones quoad Regulares, num.* 3.

Sed ego respondeo, standum esse consuetudini Regionum, aut Diœcesum: Nam in Hispania nec in processionibus Litaniarum cantare solent Regulares, vt notum est.

QVÆSTIO XXIII.

An in processionibus debeant Clerici sæculares præcedere omnes Clericos regulares, & Religiosos?

RESpondeo vt quid certum, quod sic. Probatur per argumentum ab ordine literæ, quod in iure receptum est. Nam in titulo, *ne Clerici, vel Monachi*, priori loco Clerici, secundo verò Monachi apponuntur: ergo & in processionibus priori loco sunt apponendi Clerici, & posteà Religiosi. Inter Clericos verò priori loco constituendi sunt Canonici Ecclesiarum Cathedralium, in secundo Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, in tertio alij Clerici simplicium Ecclesiarum, in quarto Canonici Regulares Sancti Augustini, & in quinto Regulares secundùm antiquitatem suorum Ordinum, seu priuilegia, aut præscriptam consuetudinem. Sic docent Montanus, Ripa, & Cassaneus, quos citat, & sequitur Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. quæst. 37. art. 1.* vbi *art. 2.* docet, quod etiam Regulares debeant in processionibus seruare debitas præcedentias, eo quòd hæ adhuc inter Ordines Religiosos licitæ sint. Legatur ipse Rodriguez, & etiam Pellizzar. suprà *quæst. 10. num. 14. & 15.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

An spectet ad Episcopum, aut Ordinarium, componere differentias, quæ occasione processionum inter Clericos, & Religiosos, vel inter ipsosmet diuersorum Ordinum Religiosos suboriuntur?

RESpondeo vt quid certum, quod sic; quia ita voluit Concil. Tridentin. *sess. 25. de Regularib. cap.* 13. vt dicunt hæc verba: *Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur, inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares, quàm Regulares, tum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat.* Hæc Concilium, & omnes. Legantur Laurent. Peyrinus *tom. 1. priuileg. constit. 2. Sixti IV. num.* 58. vbi notat, quod circa compositionem præcedentiæ Pius V. *in constit. eius 7. §.11.* ita declarauit: *Controuersias autem omnes de præcedentia, quæ ead. sess. 25. cap. 13. per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo modo innouari posse statuimus.* Sic Pontifex. Portel. etiam *in dub. Regul. verb. processiones, num.* 9. optimè Rodriguez suprà *art.* 3. vbi agit de modo, quo has controuersias debeat tollere Episcopus, quando ex improuiso oriuntur, nimirum, expellendo controuertentes, si de iure eorum non possit in continenti constare. Pellizzarius suprà *num.* 15. Lezzana *tom. 2. verb. processio quoad Regulares, numero quinto.*

QVÆSTIO XXV.

An Religiosi obligati ad processiones, deobligati maneant, si distent ab vrbe per dimidium milliare, idest, per quingentos passus?

NEgandum videtur ex eo, quod Leo X. in Concilio Lateranensi, vt habetur *in Compend. verbo processio, §. 2.* solùm liberet ab obligatione eundi ad processiones illos Religiosos, qui distant ab vrbe, vel loco vltrà vnum milliare, vulgò *mil passos.* Ita refert, & tenet Portell. *in dub. Regul. verbo processiones, num.* 3. licèt *in Additionib.* aliud sentiat, vt infrà. Igitur.

Respondeo vt quid certum, dicendum manere deobligatos eundi ad processiones, illos Religiosos, qui distant ab vrbe, vel oppido per dimidium milliare. Sic tenet Portel. *in addit. loco citato*, vbi *numero secundo* ita ait: Dixi *numero tertio*, Conuentum distantem à loco, vrbe, vel oppido per vnum milliare, non teneri accedere ad processiones, ex concessione Leonis X. Nunc addo, neque ad id teneri Conuentum distantem ab vrbe, vel oppido per medium milliare, quod continet solùm quingentos passus. Ita declarauit Congregatio Cardinalium, apud Rodriguez in Bullario, *fol.* 1200. *col.* 1. sub Clemente VIII. vbi dicitur, Regulares distantes ab vrbe vltra medium milliare, non posse compelli ab Episcopo. Hæc Portellius. Eandem declarationem referunt Marzilla *lib. 2. tit. 12. cap. 14. §. exempti omnes*, Barbosa etiam *part. 3. de potest. Episcopi, alleg.* 78. *num.* 21. Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 11. num.* 16. Steph. Quaranta *in sum. Bullar. verb. priuilegia Regularium, pag.* 406. & *verb. præcedentia, col.* 2. Piasec. *in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. sub num.* 47. Riceius *in praxi fori Ecclesiast. resol.* 308. *num.* 3. *in* 2. *edit.* Ascan. Tambutin. *de iure Abbat. tom. 1. disp. 24. quæsito 8. num.* 4.

QVÆSTIO XXVI.

An item eximantur à lege eundi ad processiones, Regulares, ob superuenientem pluuiam, aut alium casum fortuitum?

REspondeo vt certum, etiam eximi. Tum quia præcepta humana, maximè Ecclesiæ, cuius iugum suaue est, non solent obligare cum tanto incommodo filiorum. Tum etiam, quia in tali euentu datur locus epicheiæ, & rationabiliter præsumitur, Ordinarium non ægrè laturum Regularium absentiam. Sic Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. capite 11. quæst. 11. num.* 16.

QVÆSTIO XXVII.

An rursus excusentur Regulares à processionibus, ex paucitate Religiosorum in Conuentu existentium?

REspondeo vt certum, etiam excusari ex hoc capite; quia Regulares accedentes ad processiones, debent accedere in numero decenti, debito, & consueto, vt declarauit Sacra Congregatio 30. Augusti 1602. testibus Barbosa *lib. 1. de triplici iure Eccles. cap. 43. num.* 165. Nouario *in lucerna Regular. verb. processiones, num.* 3. Lezzana *tom. 2. verbo processio quoad Regulares, num.* 3. & Pellizzario *suprà, quæst. 12. num.* 17. ergo si in Conuentu non existat numerus decens, debitus, & consuetus Religiosorum, verè excusabuntur ab obligatione eundi ad processiones. Sic tenent Doctores citati.

Quod si ab illis quæras, quot Religiosi requirantur ad talem effectum? Respondet Bordonus *resol. 7. num.* 147. & ex illo Pellizzarius suprà, requiri saltem duodecim Religiosos. Mihi id verum videtur, loquendo de processione solemnissima, verbi gratia, Corporis Christi, in qua Regulares procedunt cum Cruce, & Candelabris, &c. loquendo verò de aliis processionibus communibus, mihi sufficerent decem, aut etiam octo; quia hoc sæpius in praxi obseruari vidi,

QVÆSTIO XXVIII.

An casu, quo in aliquo Conuentu sit insufficiens numerus Religiosorum ad obligandum processionibus, teneantur nihilominus ad illas accedere, si eo die adsint plures Religiosi hospites, qui constituant numerum sufficientem?

RESpondeo, non teneri; quia ex vna parte Religiosi Conuentuales excusantur ob paucitatem eorum; ex alia verò non est æquum, vt hospites, qui non sunt subditi illius Conuentus, obligentur ad subeundum onus interessendi processioni. Sic Pellizzar. *tom.* 1 *tract.* 5. *capite vndecimo, quæst.* 12. *num.* 18. & alij Recentiores ab ipso consulti.

Addit etiam *num.* 19. quod si fortè in aliquo Monasterio, vbi degit numerus competens Religiosorum ad processiones, infirmentur aliqui, ita vt iam non remaneat numerus sufficiens ad illis interessendum; tunc quidem hi excusabuntur ab obligatione adeundi processionem, vt constat ex dictis.

Aduertit etiam, & benè, quod in his casibus debent Prælati Regulares significare Ordinario causam suæ absentiæ, ne alioqui contra ipsos tanquam inobedientes procedat, inscius causæ ipsorum absentiæ.

QVÆSTIO XXIX.

An Regulares non solùm teneantur interesse processioni Corporis Christi in proprio die, sed etiam in octaua?

AFfirmat Machado *tom.* 2. *sum. lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 10. *docum.* 6 *num.* 1 ita dicens: *Llaman comunmente los Doctores, publicas processiones, las que la Iglesia tiene ordenadas el dia, y octaua de Corpus, las Letanias maiores, y menores, el dia de S. Marco, y todas las demas processiones, que publicamente se hizieren por orden del Prelado, en casos graues de vrgente necessidad, como seria el tiempo de peste, y de otra qualquiera necessidad publica. Dispone pues el Santo Concilio Tridentino, sess.* 25. *de Regular. cap.* 13. *que todos los Religiosos por extentos que sean, esten obligados à acudir à estas processiones publicas; y que el Obispo los pueda compeller à ello, si lo recusassen.* Hæc Machado.

Sed vt certum respondeo, non teneri interesse in die octaua Corporis Christi; quia sic declaratum fuit à Sacra Congregatione, vt refert Lezana iis verbis: insuper notandum, quòd cum in Monte Leone aliqui prætenderent, quòd Religiosi Augustiniani discalceati ibi existentes, deberent interuenire, non solùm ad processionem Corporis Christi in proprio die, sed etiam in octaua, supplicatum fuit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium pro declaratione, & obtenta hæc declaratio: *Sacra Regularium Congregatio respondet, Regulares supradictos non teneri in casu proposito, accedere ad processionem Sanctissimi Sacramenti, nisi in die solemnitatis Corporis Christi; & nullo modo posse cogi in octaua: & ita seruari mandauit die nona Decembris* 1638. Hæc Lezzana *tom.* 2. *qq. Regul. verbo processio quoad Regulares, num.* 12. *&* 13. Nec oppositum docent Authores, quos pro se refert Machado, vt constat ex habitis suprà *quæst.* 12.

QVÆSTIO XXX.

An Regulares possint facere processiones extra Claustra, sine licentia Ordinarij.

AFfirmat Graffis *consil.* 20. *de Regularib.* vbi docet, licere Regularibus per triginta passus extra ambitum proprij Monasterij processiones facere, idque probat *ex cap. sicut antiquitus* 17. *quæst.* 4. Et huius Authoris sententiam esse probabilem, apertè dicunt Pellizzar. *infrà*, & Machado *docum.* 6. *cit. numero tertio*, vbi ita ait: *Esta potestad que el Obispo tiene, la podemos tambien considerar en orden à lo que puede en prohibir à los Religiosos, que hagan processiones fuera de sus claustros. Para cuya inteligencia se ha de aduertir, que segun consta del Derecho* (*cap. quoniam, dist.* 38. *& cap. sicut antiquitus, cit.*) *los Religiosos pueden hazer processiones, no solo dentro de sus Conuentos, sino tambien por el ambito de sus Iglesias, y treinta passos mas. Si este derecho este ya derogado por la costumbre contraria, disputan los Dotores. Y si bien es probable, que no* (apud Graff. *loco citato* tenet Peyrin *in constitutione sui Ordinis tom.* 2. *constitut. septima Pij V. num.* 13.) *comunmente affirman los Dotores, que esta es derogado, y dizen, que se ha resuelto assi no pocas vezes.* Hæc Machado.

In hac difficultate respondeo tanquam certum, primò: minimè possunt Regulares, attento iure, facere processiones per triginta passus, extra ambitum proprij Conuentus, sine licentia Ordinarij. Patet, quia nullum extat ius, quod id Religiosis concedat. Nam *cap. sicut antiquitus*, quod citant Graffis, & Machado, solùm decernit, quod Ecclesiæ omnes potiantur priuilegio immunitatis per triginta, aut quadraginta passus; ex quo minimè colligitur, quod iurisdictio Conuentus Regularis extendatur ad illud spatium, cùm potiùs Abbatis territorium tantum dicatur ipsius Conuentus, seu Monasterium. Deinde malè citat Machado pro sua opinione textum *in cap. quoniam, dist.* 38. quia in tota illa distinctione non extat tale caput. Vnde Pellizzarius infrà citandus, oppositum esse de iure communi verum, apertè affirmat, quod antea dixerat Rodrig. *in addit. ad sum. tom.* 4. *capite* 105. *num.* 5.

Respondeo secundò, vt longè multò probabilius, imò vt mihi certum, quòd Regulares minimè possint facere processiones extra claustra (seclusa consuetudine, de qua infrà) sine licentia Ordinarij.

Probatur primò, quia non potest institui processio, nisi ab habente iurisdictionem in territorio; sed Regulares non habent iurisdictionem extra proprium Monasterium, vt docent Campanil. *in Diuersorio iuris, rubr.* 12. *capite* 13. *numero* 118. ex Zabarella, & aliis; necnon Zerola mox citandus.

Secundò, quia id sæpe declarauit Sacra Congregatio, vt referunt Barbosa *de potest. Episcopi, part.* 3. *alleg* 78. *num.* 7. Peyrin. *tom.* 1. *part.* 2. *priuileg. constitut. septima Pij V.* §. 10. Gauant. *in enchirid.*

enchirid. Episcoporum, verb. processio, numero 48. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 16. *num.* 25. Lezzana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 41. *& tomo* 2. *verb. processio quoad Regulares, num.* 8. *&* 9. vbi hanc declarationem ex vtroque Nouario, his verbis refert: *Sacra Congregatio, ad tollendas difficultates, quæ quotidie circa processiones fiendas, tam per Regulares, quàm per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhærendo decretis aliàs in similibus factis, & signanter in Cæsaraugustana* 17. *Martij* 1627. *censuit, in processionibus fiendis, tam per Regulares, quàm Confraternitates laicorum, ita in posterum seruari debere, vt in Ecclesiis habentibus claustrum, processiones fieri non possint, nisi intra claustra, & non extra. In Ecclesiis verò carentibus claustris, fieri possint intra ambitum, hoc est, propè muros Ecclesiæ, siue exeundo à ianua Ecclesiæ, & per aliam intrando; siue per eandem, & prope muros Ecclesiæ. Extra verò ambitum Ecclesiæ, non licere, neque Confraternitatibus, facere processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum cruce Parochi; exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale priuilegium faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc decretum Sacra Congregatio non intendit præiudicari.* Hæc Sacra Congregatio, & sic omnes Authores nuper citati. Nec Peyrinus oppositum tenuit, nec adhuc probabile dixit, vt putat Machado. Legantur Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verbo processiones, num.* 4. *vers. ad quartum*, & Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 77.

QVÆSTIO XXXI.

An Regulares habentes consuetudinem legitimam faciendi processiones extra proprium ambitum, per totam ciuitatem, possint illas continuare sine licentia Ordinarij?

Respondeo vt certum, posse: quia ita sæpe etiam declarauit Sacra Congregatio. Nam circa processionem Rosarij refert Festus *in constitution. sui Ordinis, part.* 1. *cap.* 23. declarationem Sacræ Congregationis, qua declaratur, posse dictam processionem fieri per totam ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retrò annis seruata, in quatuor festiuitatibus Beatæ Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis. Ita referunt Peyrinus *part.* 2. *priuileg. in constit.* 7. *Pij V.* §. 10. *num.* 13. Lezzana *tom.* 2. *verb. processio quoad Regulares, sub num.* 8. vbi adhuc refert duas alias declarationes, factas à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, 18. Maij 1640. & 14. Februarij 1642. quibus declaratur, Regulares habentes consuetudinem faciendi processiones extra proprium ambitum, posse illas continuare. Sic ille. Et tenent omnes, præcipuè suprà citati.

QVÆSTIO XXXII.

An detur consuetudo legitima in Hispania, vt Religiosi absque licentia Episcopi faciant processiones extra suum Conuentum?

Affirmat Portell. *in dub. Regular. verbo processiones, num.* 8. (non 18. vt legi apud Lezzanam) dicens, sic se vidisse practicari, præsertim in Regno Portugaliæ. Idem dicit Lezzana *num.* 8. proximè citato, affirmans, ita vidisse obseruari in aliquibus locis Hispaniæ.

E contrà verò sentit, & dicit Zerola *verb. processiones, vers. ad quartum.* vbi dicit sic: *Ad quartum, extra Claustra non possunt Regulares facere processiones, cap. certum est quidem. de consecr. dist.* 1. Ratio est, quia non habent territorium, & sic vidi practicari in omnibus ciuitatibus: imò semel vidi de hoc dubitari, & fuit dictum, quod non possint sine Ordinarij licentia, nisi intra claustra, & ambitum suorum Monasteriorum, &c. Ita ille.

Sed Ego ad hanc quæstionem sic respondeo. Primò: Certum est, quòd in Hispania datur consuetudo legitima, vt Religiosi absque licentia Episcopi, vel Ordinarij faciant extra Claustra suorum Monasteriorum per ciuitatem, processiones pro pluuia, serenitate, & aliis similibus, in quibus non procedunt cum Ministris, nempe cum Sacerdote induto pluuiali, aut stola, cum crucifero, & Acolytis, sed solummodo cum nuda Cruce. Quia hoc modo procedentes, non solùm non vituperantur, verùm laudantur à Populo, Clero, & Ordinario. Vnde si hoc solum velit Portellus, facilè ei credimus; non verò si aliud, vt iam dicimus.

Respondeo ergo secundò: Minimè datur consuetudo in Hispania, vt Religiosi faciant processiones extra territorium suorum Monasteriorum, sine licentia Ordinarij, si in illis incedant, & procedant cum ministris indutis, vt diximus. Quia oppositum semper vidimus practicari in Hispania. Si verò alicubi extet de hac re consuetudo, standum est illi, vt suprà cum communi diximus. Et idem dicimus, si Religio aliqua, vel Conuentus habeat circa hoc particulare priuilegium, de quo iam agimus.

QVÆSTIO XXXIII.

An aliqua Religio, seu Conuentus, fruatur priuilegio faciendi processiones extra Claustra, absque licentia Ordinarij.

Negat Zerola 1. *p. praxis Episcop. verb. processiones*, §. *ad quartum*, illis verbis: Addo ego ex Abbate *vbi suprà, num.* 4. quod in tantum eximuntur Regulares à iurisdictione Ordinarij, quatenùs eis conceditur in eorum priuilegiis, *cap. porrò, de priuileg. cap. cùm & plantare, eodem.* Sed inspicienda sunt eorum priuilegia, an habeant concessionem, quòd possint facere processionem extra eorum claustra, absque licentia Ordinarij; quod non credo eos habere, cùm passim videatur in processionibus Rosarij, Conceptionis, & huiusmodi, Neapoli, & alibi, solùm illos facere eas intra claustra, & ambitum Monasteriorum. Hæc Zerola.

Sed licèt hæc communiter loquendo, vera sint, non tamen desunt Religiones aliquæ, quæ hoc priuilegio fruantur. Nam Religio S. Dominici habet priuilegium faciendi Processionem Sanctissimi Sacramenti in Dominica infrà octauam Corporis Christi, per vicos, & plateas, & loca ciuitatis, iuxta litteras quasdam Clementis VIII. quamvis non possint variare loca ab ipsis semel electa, per quę personaliter prima vice ire cœperunt. Sic Lezzana *tom. 2. verbo processio quoad Regulares, num. 11.* & Barbosa *in summa decis. Apostolic. verbo Fratres Prædicatores, collect. 372. num. 12. & 13.* vbi refert duas declarationes Cardin. *& collect. 606. n. 7. & de potest. Parochi, cap. 12. num. 14.*

QVÆSTIO XXXIV.

An priuilegium faciendi processionem per vrbem certa die, extendatur ad aliam diem, si fortè die assignato non possit fieri?

RESpondeo, non extendi, nisi in priuilegio id exprimatur, aut iam per consuetudinem introductum sit. Sic docet Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 16. num. 26.* his verbis: Addo, quod si Regulares alicuius Ordinis, aut Monasterij, peculiare habeant indultum faciendi publicam Processionem per Vrbem, aut Oppidum pro certo aliquo die, aut solemnitate, si fortè eo die non possint ex aliquo casu fortuito eam facere, non possunt propria authoritate illam protrahere in aliam diem; siquidem illa concessio est alligata certæ diei, & limitata: causa autem limitata non potest producere nisi effectum limitatum. Vnde talis est praxis ferè communis. Hæc ille.

QVÆSTIO XXXV.

An Regulares possint per vias publicas processionaliter deferre corpus defuncti Religiosi sui Ordinis, sine licentia Episcopi?

AFfirmandum videtur, ex eo, quod id aliquando fiat, vt testatur Pellizzarius mox citandus.

Sed omninò respondeo non posse, nisi alicubi adsit consuetudo legitima in contrarium. Quia rationes suprà allatæ, etiam militant in his processionibus. Excipe, nisi Ecclesia Regularium sit parochialis; tunc enim per propriam Parochiam possunt instituere eiusmodi processiones, quo pacto instituunt occasione funeris aliorum parochianorum laicorum; sicuti possunt ordinare alias Processiones intra fines propriæ Parochiæ: sic Pellizzar *tom. 1. tract. 5 cap. 11. q. 16. num. 25. & sequentibus.*

QVÆSTIO XXXVI.

An in processionibus debeant Regulares ferre Crucem processionalem cum velo, seu sudario pendente?

RESpondeo dicendum, quod sic, ad indicandam subiectionem, ac inferioritatem respectu Cleri sæcularis: non secùs ac baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium, ad differentiam baculi Episcopalis. Sic Gauantus *in Rubr. Missalis, part. 1. tit. 19.* ex decreto Sac. Congregationis Rituum, edito 14. Ianuar. 1617. & ex illo Pellizzar. *loco cit. cap. 11. fine.* Quibus ego addo Barbosam *in summa Apostol. decis. collect. 234. n. 7.* ita dicentem: *Crux in Processionibus publicis debet à Regularibus deferri cum velo, seu pallio appenso; non autem discooperta, vt defert Clerus sæcularis. Sacra Congregatio, vbi suprà.* Sic ille, & Lezzana *tom. 2. qq. Regul. verb. Crux, n. 1.* Nouarius *in lucerna Regular. sub eod. verbo, num. 1.* & alij. Excipio tamen ego, iuxta nuper habita, nisi Ecclesia Regularium sit parochialis; tunc enim deferre debent Crucem, sicuti aliæ parœciæ.

QVÆSTIO XXXVII.

An in die ipso Corporis Christi licitum sit Regularibus in suis Ecclesiis processiones facere?

RESpondeo vt certum, quod non, nisi casu, quo aliqua Religio ad hoc priuilegium habeat: quia in dictæ festiuitatis die nulli Ecclesiæ, nisi soli Cathedrali, licet processionem facere. Sic enim sæpe decreuit Sacra Congregatio *in vna Pisana 22. Maij 1615. in Tuscan. 19. Augusti 1619.* vbi deciditur, quod processio Sanctissimi Sacramenti in eius Festo, debet inchoari à Cathedrali, & in ea terminari. Item *in altera Aretina, 11. Decemb. 1613.* & alibi sæpè. De quo agunt Barbosa *in sum. Apostol. decis. collect. 606* Lezzana *tom. 2. verb. processio quoad Regulares, num. 11.* Sellio *in selectis Can. cap. 52. num. 12.* & alij.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Episcopus possit carcerare Regularem notoriè delinquentem?

AFfirmant quidam Doctores, docentes, posse Episcopum carcerare Regularem notoriè delinquentem, & contra illum processum formare super delicto, vt posteà cum copia processus remittat ad suum Superiorem, vt illum puniat. Probant hanc sententiam ex Concilio Trident. *sess. 6. cap. 3. de reformat.* vbi ita habetur: *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum Prælatorum excessus, prudenter, ac diligenter intendant; & nemo sæcularis Clericus cuiusvis personalis, vel Regularis, extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas Sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeat.* Hæc Concilium ibi. Et id ita sentiunt Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. n. 43.* Naldus *in sum. verb. Episcopus, n. 28.* Barbosa *de potest. Episcopi part. 3. allegat. 105. n. 19.* & Portel. *in addit. ad dubia Regular. verb. punitio Religiosi extra conuentum, n. 17.* quos omnes pro hac parte citat Diana *part. 3 tract. 2. resol. 132.* Quibus adde Machado *lib. 4. sum. part. 6. tract. 10. docum. 3.*

Sed clariùs, ac probabiliùs respondeo dicendum, quod licèt Episcopus possit Regularem extra Monasterium degentem, & delinquentem corrigere, & punire; non tamen poterit Religiosum intra claustra degentem, & extra ea delinquentem, etiam publicè, incarcerare, aut contra illum processum facere, sed debet illum statim ad suum Superiorem remittere

remittere (si non adsit periculum fugæ) vt ab eo puniatur.

Primam partem huius responsionis probat solùm locus Tridentini citatus à contrariis. Secundam verò alter expressus eiusdem Tridentini *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 14. vbi ita dicitur: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minùs à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Hæc Concilium. Sic Villalob. *tom.* 2. *sum. tract.* 35. *diff.* 5. *num.* 5. ita dicens: *Estan sujetos los Religiosos à los Obispos, quanto à la correccion del Religioso que mora en Conuento, y comete delicto escandaloso fuera del, del dire el Concilio*, Regularis non subditus (vt retulimus) *y notese la palabra*, notoriè, *que sino lo es, no podra el Obispo entremeterse en ello: y aunque lo sea, no le ha de poner el Obispo en su carcel, sino remitirle luego al Superior, aunque no haga instancia en ellos, como declararon los Cardenales: mas si se temiesse fuga del Religioso, puede el Ordinario prenderle, y remitirle luego à su Prelado.* Hæc Villalobos, & Hieronym. Rodrig. *in compendio qq. Regular. resol.* 26. *num.*8. quos citat, & sequitur Diana *vbi suprà.* Legatur Tamburinus *tom.*1. *de iure Abbat. disp.* 15. *q.*7. *num.* 7. *&* 11. *& tom.*3. *disp.* 5. *q.*11. *num.*4. vbi totam nostram doctrinam iis verbis amplectitur: Generalis differentia est inter Regulares exemptos (lege *degentes*) extra Monasteria, & degentes intra: nam hi super nullis causis possunt conueniri coram Ordinariis; illi autem sic, super prædictis duobus generibus causarum. Alia differentia est, quod degentes intra, non possunt ab Ordinariis ratione delicti puniri, nisi quando extra Monasterium cum populi scandalo delinquunt, & non puniuntur à suis Prælatis, monitis ab Ordinariis, vt id faciant: degentes verò extra, sic, vt in directo sensu, & à contrario habetur in eodem Concil. Trident. *sess.*25.*cap.*14. *de Regularib.* Vnde responsum est, non potuisse Vicarium Episcopi cognoscere de quodam censu petito à Conuentu Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, habentium exemptionem, cum derogatione *cap. volentes.* Tum quia non degebant extra conuentum: tùm quia non agebatur de vlla causa prædictorum generum, neque de delicto extra Monasterium cum Populi scandalo. Ita Nauar. *tit. de Regular.tom.*1. *comm.*2. *num.*63. Hæc omnia Tamburinus. Legatur etiam Peyrin. *tom.*1. *in constitut.*2. *Sixti IV.* à *n.*61.

Nec obstant declarationes Cardinalium, quas Barbosa, & ex illo Machado, adducunt. Quia aliæ extant pro hac parte, vt denotat Villalobos proximè citatus; Imò & Tamburinus, vt vidimus, sic esse decisum fatetur. Præterquam quod ad illas satis benè respondet Hieronym. Rodriguez suprà, & ex illo Diana.

QVÆSTIO XXXIX.

An possit Episcopus procedere per censuras, ac punire Regularem intra claustra degentem, si notoriè, & cum scandalo extra ea delinquat, si à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfixum non puniatur?

AFfirmat Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.*63. *art.*7.

Sed probabiliùs respondeo, non posse; quia Concil. Tridentinum, *loco suprà cit.* non exprimit, quod per censuras Ecclesiasticas possit Episcopus punire Regularem notoriè, & cum scandalo delinquentem: ergo non vult, vt per illas eum puniat; nam vbi voluit hanc potestatem Episcopo concedere in Regulares, id expressit, & declarauit, vt diximus suprà *quæst.*17. & ideò sic sentiunt Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 33. *num.*22. Portell. *verb. Episcopus, in addit. num.*5. Villalob. *part.*2. *sum. tract.*35. *diff.*5. *num.*37. quos citat, & sequitur Tamburin. *tomo* 3. *de iure Abbat. disp.*5. *quæst.*11. *num.*63. Machado *lib.* 4. *summa, part.*6. *tract.*10. *docum.*3. *num.*4.

QVÆSTIO XL.

An Episcopus habeat iurisdictionem in Regulares exemptos, casu, quo sit in possessione iudicandi illos?

AFfirmant aliqui Authores, eo quod in tali casu apparet, Religiosos dictos renunciasse priuilegio exemptionis. Ita sentiunt Treuisanus *lib.* 1. *decis.* 26. *num.* 2. Capra *Regula* 84. *numero* 21. Cucchius *in instit. Canon. lib.*1. *tit.*6. *num.*6. & alij.

Sed longè multò probabiliùs respondeo adhuc in eo casu non habere Episcopum iurisdictionem in Regulares. Probatur, quia exempti non possunt renunciare expresè priuilegio exemptionis, sine licentia Pontificis, vt suprà *quæst.* 4. diximus: ergo multò minùs implicitè, vt est in casu proposito. Sic Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 105. *num* 76. dicens, ita fuisse decisum *in vna Vlissiponens. Monasterij, die* 19. *Nouemb.* 1625. coram Illustr. Coccino. Hieronymus Rodriguez *in compend. qq. Regul. resol.*63. *num.* 23. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.*134. & alij.

QVÆSTIO XLI.

An Regularis delinquens in Monasterio alterius Ordinis, v.g. Religiosus Franciscanus in claustris Dominicanis, possit puniri ab Episcopo?

AFfirmandum videtur ex dispositione Tridentini *cap. 14. sess. 25. de Regular.* per illa verba : *Qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, &c.* relata suprà, *q.37.* At sic est, quòd per claustra Monasterij, intelligit Concilium proprium Monasterium : ergo Religiosus Franciscanus delinquens in claustro Dominicanorum, dicetur delinquere extra claustra Monasterij, vbi degit : ergo in hoc casu subiectus erit Episcopo,iuxta dispositiones dicti capitis,modo explicato suprà *q.37.*

Sed probabiliùs respondeo quod non possit puniri ab Episcopo, sed debet puniri à suo immediato Superiore, modo suprà explicato : quia probabilius est, quòd in verbis Concilij adductis, nomen claustri non sumitur absolutè, sed comparatiuè ad Diœcesim Episcopi : cùm ergo claustrum alienum, seu alterius Ordinis, non sit locus Diœcesis, quoad iurisdictionem Episcopi ; hinc est, quòd dispositio Tridentini non potest subintrare in eo casu. Sic Bordonus *in Consiliis Regular. tom.2. resol.68. q.9. num.26.* quem citat, & sequitur Diana *parte 9. tract.7. resol.49.*

QVÆSTIO XLII.

An non solùm Regulares subditi, verùm etiam eorum Superiores, possint puniri ab Episcopo, modo suprà explicato, si extra claustra notoriè delinquant?

AFfirmandum videtur, quia Concilium absolutè de omni Regulari loquitur, illis verbis : *Regularis non subditus Episcopo, &c.* cùm ergo Prælati, & Superiores Regulares, verè sint Regulares, & non subiecti Episcopo, de illis idem, ac de subditis est sentiendum.

Sed probabiliter respondeo, non posse Superiores Regulares, sicuti & subditi possint, ab Episcopo in dicto casu puniri ; quia probabile est, quod adhuc in dictis verbis Concilij, sub nomine Regularium non includantur Superiores ; nam hi speciali mentione egent. Vnde si Superiores Regularium delinquunt notoriè extra claustra, minimè subiiciuntur punitioni Episcoporum ex vi Concilij Tridentini. Sic Bordonus, & Diana *locis citatis.*

QVÆSTIO XLIII.

An Regulares possint imprimere libros sine licentia Ordinarij, & suorum Superiorum?

REspondeo vt certum, non posse. Nam loquendo de libris tractantibus de rebus sacris, id decreuit Concilium Tridentinum *sess. 4. in decreto de vsu, & editione Sacrorum Librorum* ; & absolutè loquendo de omnibus Libris id antea decreuerat Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 10.* & docet praxis. Legantur de hac re Castro *de lege pœnali capite* 8. Couarruu. *lib. 4. variar. cap. 17. numero 1.* Azot 1. *parte instit. moral. lib. 8. capite 17. quæst. 1. & 2.* vbi resoluit idem esse dicendum de quacumque alia scriptura, cuiusmodi sunt theses, carmina, vel poëmata, vel orationes, &c. eo quod in Concilio Lateranensi citato dicitur, *quicumque liber, aut quæcumque alia scriptura, &c.* Tamburin. *tomo 3. de iure Abbat. disp. 5. quæst. 11. numero 56.* Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess. 4. numero 9.* & omnes, inter quos latè Lezzana *tom. 2. qq. Regular. verb. libri.*

TRACTATVS VII.
DE PAROCHIS, ET PAROCHIIS.

DISPVTATIO I.
De nomine, & origine Parochi, & Parochiæ.

QVÆSTIO PRIMA.
Vndenam dicti sunt Parochi?

Respondeo dicendum, quod olim apud Ethnicos Parochi dicebantur illi, qui legatis publicè Romam missis, salem, & ligna præparabant; hoc est, qui omnium rerum copiam Legatis Regum, Principum, ac Populorum, hospitio receptis suppeditabant. Vnde instar horum dictos esse Parochos in Ecclesia quidam existimant, eo quod sint Sacerdotes, auctoritate Episcoporum Ecclesiis præfecti, vt plebibus, siue populis sacrum diuini verbi, & Sacramentorum pabulum, ad pascendas animas subministrent.

Alij verò putant Parochum dictum, quasi Paræcum; Paræcus autem Græcis est incola, siue habitator in loco, vt ait Pomponius Iurisconsultus *in l. pupillus, ff. de verbor. significat.* ibi: *Incola est, qui in aliquam Regionem domicilium suum contulit, quem Græci Paræcon vocant.* Sic omninò Azor 1. *p. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 1. & ex illo Barbosa *de offic. parochi part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. 2. & 3. & alij. Lege Bassæum *tom.* 2. *verb. parochus, n.* 1. 2. & 3.

QVÆSTIO II.
An aliis nominibus gaudeant Parochi?

Respondeo dicendum, quod sic: nam in multis Regionibus Parochi vocantur Rectores, eo quod populum sibi commissum cum cura regunt, iuxta *cap.* 1. *de capellis Monachor. cap.* 3. *de vita, & honest. Clericorum*, & ideò eorum beneficium dicitur Rectoria.

Rursus in aliis Regnis appellantur curati, à cura, quam de regendis ouibus susceperunt.

Deinde cuiuslibet Parochiæ Rector, Curatus, & Parochus, vocatur proprius Sacerdos, *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.*

Denique Parochus dicitur à parochia, seu parœcia, sicut & parochiani, seu parœciani; constat ex *tit. de parochiis.* Sic ex aliis Barbosa *cap.* 1. *cit. à num.* 10.

QVÆSTIO III.
An parochia propriè vocetur certa alicuius Diœcesis Ecclesia, habens populum certis limitibus distinctum?

Respondeo dicendum, quod sic: nam licèt olim parochiæ distinctæ non essent, sed Episcopi dicebantur totius Diœcesis animarum curam habere, *dist.* 92. *cap. si quis ordinatus*, & *duob. seqq. capitibus*; posteà tamen cùm augeretur populus Christianus, Dionysius Papa 26. (non 24. vt inuenies apud Barbosam) post Beatum Petrum, singulas Ecclesias singulis Sacerdotibus assignauit, vt vnusquisque proprium haberet territorium, nec vnus alterius fines ingrederetur, *cap.* 13. *q.* 1. & *cap. pastoralis, de iis, quæ fiunt à Prælatis.* Igitur hoc modo sumpta parochia, vni Sacerdoti committitur, vt in ea Baptismum, & alia Sacramenta populo ministret. Sic omnes. Legantur Nauarr. *in cap. placuit, de pœnit. dist.* 6. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract. de decim. lib.* 1. *cap.* 21. Trullench *lib.* 3. *in Decal. cap.* 5. *dub.* 2. Azor *tomo* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 2. latè Barbosa *de offic. parochi part.* 1. *cap.* 1. *à num.* 16. *vsque ad* 22. vbi addit, quod iam Episcopus minimè possit dici Rector, Curatus, seu Parochus totius Diœcesis, sed solius Ecclesiæ Cathedralis, & Prælatus super omnes suæ Diœcesis Rectores, &c. Gonzal. *glossa* 6. *num.* 83. *ad Regul.* 8. *Cancellar.* & Rota *decis.* 25. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* Bassæus *loco citato*, *num.* 1. & omnes.

QVÆSTIO IV.
An parochia debeat constare ad minus ex decem familiis, seu domibus?

Respondeo vt certum, quod sic. Ita sentit Barbosa *cap.* 1. *cit.* ibi: Non minùs quàm decem distinctæ domus, & familiæ parochiam facere possunt, quæ municipia nominantur, *cap. vnio* 10. *q.* 3. Curat. *de iurib. paroch. tit.* 3. *cap.* 3. *in fine.* Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 23.

QVÆSTIO V.
An in casu, quo parochiæ certos non habeant fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, debeat tunc Episcopus proprium vnicuique assignare?

Respondeo vt certum, quod sic; quia ita decreuit Concil. Trident. *de reformat. sess.* 24. *cap.* 13. his verbis: *In iis quoque ciuitatibus, ac locis,*

locis, vbi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, vt distincto populo in certas, propriasque parochias, vnicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant, aut alio vtiliori modo (prout loci qualitas exegerit) prouideant. Hæc Concilium. Quod quidem decretum, non comprehendere parochias, quæ licèt certos fines non habeant, certum tamen habent populum, & per certas familias distinguuntur, vsque adeò, vt Sacramenta promiscuè non administrentur, referunt decisum à Sacra Congreg. Nicol. Garcia *de benefic. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 88. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. glossa* 6. *num.* 96. & Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. verb. parochiales Ecclesiæ; collect.* 552. *numero* 8. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 1. *num.* 23. sic etiam Vgolin. *de offic. Episcopi cap.* 14. §. 2.

QVÆSTIO VI.

An Episcopus possit nouas parochias, etiam inuitis Parochis, seu Rectoribus, instituere, casu, quo parochiani propter locorum distantiam sine magno incommodo, ad percipienda sacramenta, & diuina audienda, accedere non valent?

Respondeo vt certum, posse. Constat ex cap. *Ad audientiam, de Eccles. ædificand.* & ex Trident. infrà citando. In quo euentu, pro victu, & sustentatione noui Parochi assignati debent fructus, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodolibet pertinentibus: aut si necesse fuerit, debet Episcopus compellere populum Ecclesiæ nouiter erectæ, ad necessaria eidem Sacerdoti subministranda, vt decidit Concil. Tridentin. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 4. in quo hæc omnia habentur. Legatur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 78. & *de potest. Parochi* 1. *p. cap.* 1. *n.* 25.

QVÆSTIO VII.

An Ecclesia parochialis gaudeat priuilegio, vt intra suos limites alia Ecclesia, vel Capella non possit ædificari, inuito eius Parocho?

Respondeo vt certum, gaudere dicto priuilegio, concesso in capite *quicumque* 16. *q.* 1. & meritò, quia aliàs esset facere in præiudicium Ecclesiæ Parochialis, cùm comprehendat quidquid est intra fines, & limites eiusdem parochiæ, quasi totum ipsum solum per fines designatos sit certo modo in posse ipsius parochiæ, vt contra eius voluntatem alia Capella ædificari nequeat. Sic Hieronym. Garc. *in opusc. de iurib. paroch. tit.* 2. *cap.* 1. & Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 1. *num.* 26. Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 15. *vers. gaudet priuilegio.*

QVÆSTIO VIII.

Quænam debeant concurrere ad constituendam Ecclesiam parochialem?

Respondeo dicendum, quòd quatuor. Primum est potestas fori pœnitentialis, hoc est, potestas ligandi, atque soluendi. Secundum est certa parochia, seu locus certis finibus constitutus, in quo populus alicuius Ecclesiæ deputatus degit. Tertium, vt Parochus curam exerceat nomine suo. Quartum, quod Sacerdos, tanquam Rector suo nomine, singulariter, & non cum aliis ad regimen Parochialis Ecclesiæ admittatur. Sic ex quadam decis. Rotæ 52. Maij 22. 1630. docet Barbosa *de offic. Parochi cap.* 1. *cit. num.* 27. Vnde constat, quod probare volens, Ecclesiam esse parochialem, debet iustificare quatuor prædicta.

QVÆSTIO IX.

An aliqua Ecclesia probetur parochialis ex eo solùm, quod ibi reperiatur Fons baptismalis?

Respondeo dicendum, quod non. Tum quia id non continetur sub prædictis quatuor requisitis. Tum etiam, & præcipuè, quia id habetur *in Clement. vnica, de baptis.* vt docet Zerola *in praxi Episcop.* 1. *parte, verb. parochia*, §. 1. ex Gom. *quæst.* 2. *in Reg. de idiom.* & alij apud Bassæum *tom.* 2. *verb. parochia, num.* 1.

QVÆSTIO X.

An saltem probetur esse Parochialis illa Ecclesia, in qua retinetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum?

Respondeo dicendum, quod quamvis ex hac Eucharistiæ Sanctissimæ retentione resultet præsumptio, eo quod in Parochialibus Ecclesiis solùm de iure debeat de necessitate retineri, non tamen est concludens. Tum quia hoc non continetur sub prædictis quatuor requisitis. Tum etiam, quia ita sibi fuisse responsum à Sacra Congregatione Concilij Trident. *de anno* 1609. attestatur Marc. Anton. Genuens. *in practica Archiepiscop. Neapol. cap.* 110. refertque Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *capite tertio, numero tertio*, & ex vtroque, Barbosa *de offic. Parochi parte prima, capite primo, numero trigesimo tertio.*

QVÆSTIO XI.

An saltem ex actu sepeliendi, aut sepulturæ, probetur Ecclesia esse Parochialis?

Respondeo dicendum, quod nec ex hoc capite probetur; quia quilibet potest eligere sibi sepulturam in loco sacro sibi bene viso, *cap. cùm liberum, de sepultur. & capite primo, eod. tit. in* 6. Bene verum est, quod, vt ait Zerola, licèt Ecclesia non dicatur Parochialis, ex eo solùm, quod

quod ibi reperiatur fons baptismalis, & sepultura, benè ramen si hæc duo reperiantur simul, cum cura fori pœnitentialis, & vnico tantummodo Sacerdote, *cap. sicut in vnaquaque* 21. *q.*2. Cardin. *in Clemen.* 1. *§. fin. de relig. domib.* Gomez *in d. q.* 2. Hæc Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. parochia*, §.1. & bene, si supponat cætera necessaria, & requisita ad Ecclesiam parochialem, iuxta dicta *quæst.* 8. Legantur Barbosa *loco citato, cap.* 1. *num.*29. Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.*865. *num.*14. & Gonzalez *sup. glossa* 6. *num.*53.

QVÆSTIO XII.

An bene probetur, quod Ecclesia sit parochialis, ex eo quod percipiat decimas, & primitias?

Respondeo dicendum, quod adhuc nec ex hoc capite probetur necessariò, licèt præsumatur non leuiter. Prima pars probatur, quia decimæ possunt acquiri Ecclesiæ non parochiali ex aliquo titulo, quàm ex iure diuino, ex quo Ecclesiæ parochiali debentur, *cap.*1. *& cap. cùm homines, de decimis*, nempe præscriptione, *cap. cùm contingat, cap. cùm in sua, eod. tit. & cap. de præscript. in* 6. (de quibus nos latè egimus *part.*3. *tract.*6. *de decimis, disp.*7. *&* 8.) ergo.

Secunda pars docetur à Barbosa *loco citato, num.*34. his verbis: Etiam parochialitatis præsumptio non leuis induceretur, si aliqua Ecclesia perciperet decimas, & primitias, vel in illa diebus festis Christi fideles Missas audirent, vel alia Sacramenta, excepto Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, perciperent: non tamen necessariò ex illis inferretur ad curam parochialem, cùm hæc omnia possent adesse ex aliquo accidenti, vt ponderauit Gonzalez *d. glossa* 6. *num.*56. Hæc ille, qui benè etiam colligit, quod nec contrà sequatur necessariò; Ista Ecclesia non percipit decimas, vel primitias: ergo non est parochialis: quia sine harum perceptione potest talis esse. Legatur Barbosa *num.*31.

QVÆSTIO XIII.

An parochialitas probetur ex eo, quod Ecclesia habeat campanas?

Affirmandum videtur, eo quod solis parochialibus Ecclesiis permittatur habere campanas, vt probant Alciat. *lib.*8. *parerg. cap.*1. Selua *de benefic. part.*1. *q.*5. *num.*82. & Valenzuela *consil.*26. *num.*1. *&* 2. *tom.*1. Vnde nec in Monasteriis pulsari publicè sine priuilegio possunt, *cap. parentibus, de priuileg.* ergo, &c.

Sed omninò respondeo, quod nec ex hoc capite parochialitas probetur, cùm campanas possit habere ex priuilegio, vel vsu, Ecclesia non parochialis. Sic Federic. Senens. *consil.* 80. *num.* 3. Rota *decis.*52. *num.*28. *part.*2. *diuers.* Seraph. *decis.*1026. *num.*5. Gregor. XV. *decis.*387. *num.* 11. Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 1. *num.* 34. *vers. simili modo.*

QVÆSTIO XIV.

An saltem parochialitas probetur ex eo, quod Ecclesia gaudeat cœmeterio, aut quod eius prouisio fiat per concursum?

Respondeo dicendum, per neutrum probari. Non per primum, quia etiam Ecclesia non parochialis potest habere cœmeterium. Nec per secundum, quia Episcopi possunt etiam prouidere de beneficiis non parochialibus per concursum. Vtramque partem tenuit Greg. XV. *decis.* 387. *cit. num.*12. *&* 15. & ex illo Barbosa *loco proximè citato.*

QVÆSTIO XV.

An sicut omnis Ecclesia parochialis, est beneficium curatum, ita è contra, omne beneficium curatum, sit parochialis Ecclesia?

Respondeo dicendum, quod non. Nam eo ipso, quod vna Ecclesia sit parochialis, consequenter est beneficium curatum, & habet curam; non tamen è contrà, quia potest esse beneficium curatum, absque eo quod sit Ecclesia parochialis. Constat: nam si sit aliqua Ecclesia ruralis, & ad eam de nouo veniant homines ad illic inhabitandum, tunc licèt illa Ecclesia possit dici curata, non tamen parochialis, si non habeat certum territorium. Sic Rota coram Greg. XV. *decis.*387. *num.*10. quatenus ait, parochialitatem non probari ex cura animarum, quia potest esse cura sine parochialitate. Ioan. Andr. Rebuff. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *vbi suprà, num.* 35. quod amplius constabit ex mox dicendis.

QVÆSTIO XVI.

An vt aliqua Ecclesia fiat parochialis, requiratur auctoritas Episcopi?

Respondeo vt certum, requiri auctoritatem Episcopi, qui fines designet, plebem constituat, & parochialem nominet, *cap. nullus omninò* 16. *q.*7. Sic Azor *part.*2. *lib.*3. *cap.*12. (non 11. vt legi, apud Barbosam) *quæst.*14. vbi subdit, quod dum discutitur, num parochialis sit Ecclesia, inquiritur, quando ædificata fuit, cuius consensu fuerit extructa, quibus oneribus, quibus conditionibus affecta. Sic ille, & ex illo Barbosa *n.*38. vbi *num.*39. addit, quod tunc præsumitur erecta Episcopi auctoritate, & consensu, ex lapsu temporis, quando in illa diuina officia publicè celebrata fuerunt. Sic ille ex Afflict. *decis.* 368. *n.*5. Gam. *decis.*144. *in fine*, *& decis.*168. & aliis.

QVÆSTIO XVII.

An Parochialis Ecclesia debeat esse dotata?

Respondeo vt certum, debere esse, & ita, vt possit saltem ex dote ipsius, vnus Presbyter cum alio Clerico ministro commodè sustentari, & iura Episcopalia persoluere, *cap. piè* 16. *q.*7. & quando opus sit, hospitalitate vti, *cap.* 1. *de prabend. in* 6. & *cap. vt quisquis, de vita, & honest. Clericor.* vnde constat non debere Ecclesiam dedicari, antequam assignetur id quod duobus Ministris sufficiat. Sic Azor *loco proximè citato, quæst.*15. Læl.Zech. *cap.*28. *de Parocho, num.* 4. Cabal. *decis.*498. *num.*1. Rebuffus *in tract. congrua portionis, num.* 65. Rota *decis.*56. *num.*10. *part.*2. *diuers.* Barbosa *de offic. Parochi part.*1. *cap.*1. *numero* 40. & 41.

QVÆSTIO XVIII.

An si Parochialis Ecclesia ita exiguos, & tenues redditus habere deprehendatur, vt non sufficiant duobus, possit tunc Episcopus illi adiungere aliquod beneficium simplex, vel illam cum aliis Parochialibus vnire?

Respondeo vt quid certum, posse, quia hanc potestatem tribuit Episcopis Concil.Trident. *sess.*21. *de reformat. cap.*5. his verbis: *Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi, etiam tanquam Apostolica Sedis delegati, iuxta formam iuris, sine tamen praiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & Baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in cateris casibus iure permissis, etiamsi dicta Ecclesia, vel beneficia essent generaliter, vel specialiter reseruata, aut qualitercumque affecta.* Hæc Concilium ibi, & *sess.*24. *de reforma.* (non 25. vt legi apud Barbosam) *cap.*13. *vers. in Parochialibus etiam.* Sic Azor *part.*2. *lib.*3. *cap.*12. *q.*15.*vers. si ita exiguos.* Gonzalez *ad reg.*8. *Cancell. glossa* 5. §. 7. *num.* 65. Zerola 1.*p. prax. Episcop. verb. vnio*, §.1. Barbosa *loco cit. num.*41.

QVÆSTIO XIX.

An Episcopus possit vnire Parochialem Ecclesiam Capitulo Cathedralis?

Respondeo vt quid certum, quod non; quia sic declarauit Sac. Congregatio Concilij *in Marianens.* 17. *Iunij* 1592. vt refert Sellius *in selectis canonic. cap.*11. *num.*32. & ex illo Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.*552. *verbo Parochialis Ecclesia, num.*10. & 13. vbi id esse verum dicit, etiam ob tenuitatem Canonicatuum, & ob impossibilitatem vniendi beneficia simplicia, & ob id quoque, quod non deceat minuere eorum numerum.

QVÆSTIO XX.

An Episcopus possit Ecclesiam Parochialem in Collegiatam erigere?

Respondeo vt quid certum, nec id posse sine facultate Pontificis. Sic enim declarauit Sacra Congregatio Rituum *in Caputaquens.* 12. *Iulij* 1628. vt refert Barbosa *tract. de Canonic.cap.*2. *num.*8. & *in sum. Apostolicar. decis. collect. citata, num.*69.

QVÆSTIO XXI.

An vna Parochialis Ecclesia possit duos Parochos habere?

Respondeo vt certum, quod non; quia sicut vna mulier non potest duos sponsos habere, *cap.*1. *de sponsa duorum*, nec vnum corpus duo capita, quia esset monstrum, *cap. quia plerisque, de offic. ordinandorum*, sic nec Ecclesia duos Parochos aut Curatos, seu Rectores, *cap. cùm non ignores, de prabend.* Sic Oldrad. *consil.* 67. *num.* 1. Rota *decis.*489. *num.*3. *part.*1. *recentiss.* Barbosa *de officio Parochi part.*1. *cap.*1. *num.*43. Et constat ex supra dictis, quia Parochus is dicitur, qui suo nomine singulariter, & non cum aliis, ad regimen Ecclesiæ Parochialis assumitur. Vnde casu, quo duo, aut plures præficiantur, qui confessiones audiant, baptizent, & alia ad curam spectantia faciant, tunc non dicentur curati, seu Parochi. Sicuti quando aliqui canonici hebdomadatim habent curam animarum, talis cura non remanet penes ipsos, vel singulos Canonicos, sed penes Collegium, vt docent Oldrad. Put. Gonzalez, & Stephan. Gratian, apud Barbosam *loco cit. num.*44. vbi addit, quod in illa Diœcesi, vbi in Ecclesia Parochiali nullus adest Rector, sed solùm plures beneficiati adsunt, & Episcopus solet alicui ex illis committere exercitium curæ animarum, tunc solus Episcopus est Rector talis Parochiæ, & apud eum tantùm manet cura animarum. Sic Barbosa.

QVÆSTIO XXII.

An Episcopus possit Parochialem Ecclesiam habenti, conferre alteram Parochialem?

Respondeo, posse quidem, sed in eo euentu, post pacificam possessionem secundæ parochialis Ecclesiæ statim vacat prima. Sic declarauit Sacra Congreg. Concilij penes Armendar. *in addit. ad recopilat. legum Nauarra, lib.*4. *tit.*7. *de benefic. incompat. num.*71. & 85. quem citat, & sequitur Barbosa *in sum. Apostolic. decis. verb. Parochialis Ecclesia, collect.*552. *num.*54.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem in aliquo casu Parochiæ duæ ab vno possideri possint?

RESPONDEO posse, si per consuetudinem, quæ per quadraginta annos viguerit, tanquam vnitæ vni semper sine dispensatione collatæ fuerint. Sic censuit Sac. Congregatio, vt refert Zerola his verbis: Sacra Congregatio *declarat.* 170. ita censuit: *Duæ Parochiæ, quæ per consuetudinem, quæ per quadraginta annos viguerit, tanquam vnitæ, cùm semper sine dispensatione collatæ fuerint, earum sic possessor non est molestandus, & tempus quadraginta annorum currit à publicatione Concilij, prout censuit Sacra Congregatio declaratione* 50. quæ fuit anno 1564. septimo Kalend. Maij. Hæc Zerola *in praxi Episcop. 1. p. verb. vnio, §. ad sextum.* Necnon Nicol. Garcia *de benefic. part. 2. cap. 2. num.* 143. quos sequitur Barbosa vbi suprà, *num. 12. & 21.*

QVÆSTIO XXIV.

An vacet Parochialis Ecclesia per promotionem sui Parochi ad Episcopatum in terris infidelium?

RESPONDEO vt certum, quod non: sic enim censuit Sac. Congregatio Concilij sub die 14. Decembris 1601. vt refert ex Sellio, Barbosa his verbis: *Parochialis obtenta ab eo, qui à Sede Apostolica ad Episcopatum in partibus infidelium existentem, promotus est, ac eodem tempore alicui Episcopo in Suffraganeum deputatus fuerit, non intelligitur vacare.* Sacra Congregatio, &c. Sic ille *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 552. *cit. num.* 16.

DISPVTATIO II.

De electione canonica Parochorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An ad Parochialem Ecclesiam persona idonea eligi debeat?

RESPONDEO vt certum, quod sic: Ita enim colligitur *ex cap. in parochia* 16. *q. 1. cap. cùm in cunctis, de elect. cap. graue gerimus, de præbend.* Et expressiùs id habetur in Concil. Trident. *sess. 7. de reform. cap. 3.* his verbis: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit. Quia nonnulli: & aliam Gregorij X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit. Licèt canon, editam, conferantur: aliter autem facta collatio, siue prouisio, omninò irritetur, & Ordinarius collator pœnas constitutionis Concilij Generalis, quæ incipit; Graue nimis, se nouerit incursurum.* Hæc Concilium. Legantur circa hoc decretum Nauarr. *ad cap. si quando, de rescrip. excep. 17. & Miscell. 34. de oratione.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. à num. 174. & lib. 32. tract. 2. num.* 62. Rodrig. *tom. 2. qq. Regul. q. 52. art. 5.* Barbosa *in remiss. ad hunc locum, & de offic. Parochi part. 1. cap. 2. à num. 1.* vbi *num. 2.* ait, quod idonea persona, in hac materia dicetur illa, quæ prædita est morum grauitate, ætatis maturitate, & literarum scientia. De quibus nos in sequentibus.

QVÆSTIO II.

An in eo, qui ad Parochialem eligi desiderat, debeant resplendere morum grauitas, & probitas vitæ?

RESPONDEO quod sic: nam in eo debet resplendere morum grauitas, quæ ex animi virtute nascitur, & ab inculpata vita proficiscitur. Sic enim habetur *in cap. cùm in cunctis, cit.* ibi: *Grauitas morum.* Et meritò hæc qualitas in Parocho desideratur; nam vt ait D. Gregor. *lib. 34. moral. cap. 30.* non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines benè viuendo præire, ne qui ad hoc eligitur, vt aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat. Sic Sanctus Pontifex. Legantur de hac re Nauar. *in cap si quando, de rescript. excep. 11. num. 2. & except. 15. vers. octauum est.* Gutierrez *canon. lib. 1. cap. 26. num.* 34. Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 5. n. 4.* Machado *tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 2. docum. 3. num. 3.* Barbosa *de offic. Parochi art. 1. cap. 2. n. 3.*

QVÆSTIO III.

An qui Ecclesiam Parochialem obtinere desiderat, debeat esse ætatis vigintiquinque annorum inceptorum?

RESPONDEO quod sic. Tum quia ex iure antiquo sufficit, & requiritur attingere vigesimumquintum annum ad obtinendum quodlibet beneficium curatum, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect. cap. licèt canon, eod. tit. in 6.* Tum etiam, quia etiam iure nouo Concilij Tridentini idem adstruitur *sess. 24. de reformat. cap. 13.* his verbis: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem vigesimumquintum suæ ætatis annum attigerit.* Sic Concilium, & sic communis. Nauarrus *in Manuali cap. 25. num. 115.* ita scribens: Septimò peccat mortaliter, qui beneficium curatum capit sine dispensatione Papæ, ante vigesimumquintum annum cœptum; & collatio est nulla, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.* & tenetur relinquere illud cum fructibus, nisi remedium à Papa quærat. Sic ille. Lessius *lib. 2. cap. 34. dubit. 20. num. 107.* Vasquez *tract. de benefic. cap. 3. §. 1. dub. 2. num. 19.* Garcia *de benefic. part. 7. cap. 4. n. 41.* Barbosa *de potest. Episcopi part. 3. alleg. 60. num. 65. & lib. 1. iuris Ecclesiast. cap. 21. n. 47. & tract. de Canonicis cap. 3. num. 18. & de officio Parochi part. 1. cap. 2. num. 6.* Machado *loco cit. n. 1.* Narbona *de ætate ad omnes humanos actus requisita, anno 25. q. 56. num. 1.* & omnes.

QVÆSTIO IV.

An qui recipit beneficium curatum ante vigesimumquintum annum, saltem inceptum, teneatur beneficio renunciare, & fructus restituere?

RESpondeo tanquam certum, teneri; quia collatio fuit nulla. Sic clarè Nauarrus verbis nuper relatis. Mexia *in tract. taxa panis, concl.6.* Sà *verb. beneficium, num.9.* ita scribens: Collatio beneficij curati ante annum vigesimumquintum, saltem inceptum eius, cui confertur, nulla est. Sic ille, Hojeda, Gutierrez, Garcia, Filliuc. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *loco cit. de offic. Parochi*, vnde malè Quintanad. oppositum sentit *in repetit. cap. de multa, de prabend. numero 66. & seq.*

QVÆSTIO V.

An Episcopus dispensare possit, vt quis ante vigesimumquintum annum inceptum, Parochialem Ecclesiam valeat obtinere?

AFfirmarunt olim aliqui Doctores, moti *ex cap. præterea, de ætate, & qualitate in 6.* vbi dicitur, *Clericos minoribus Ordinibus initiatos, Episcopi concessu posse ad Ecclesiam Parochialem promoueri.* Ita sensere Archidiaconus, Ioan. Monachus, Innocent. & Hostiens. vt refert Ioan. Andreas *in cap. 1. de ætate, & qualitate in 6.*

Sed vt certum iam respondeo, non posse Episcopum id facere. Ratio est, quia ex generali Concilij Lateranensis constitutione, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora*, & Lugdunensis *cap. licèt canon*, supra adducta, constat, in huiusmodi beneficiariis vigesimumquintum annum, inceptum saltem, requiri: at sic est, quod contra generalis Concilij decreta Episcopus non valet dispensare: ergo. Sic tenent cum communi Geminianus, Francus, Anchar. & Abbas, quos citat, & sequitur Azor *part. 2. lib. 6. cap. 5. q. 9. vers. cæterum quæstionis est dubia.* Quibus addi possunt Imola, Corras. Selua, Petr. Gregor. quos adducit, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 2. n. 8.* Nauar. vbi suprà *num. 116.* Narbona *in suis Annalib. q. 56. num. 17.*

Nec obstat textus *in cap. præterea*, citatus; quia post illa verba supra adducta, statim hæc subiunguntur: *Dummodo tales sint, vt ad breue tempus Presbyteri fieri queant*: hoc est, intra annum, vt infrà dicemus.

QVÆSTIO VI.

An saltem Pontifex possit dispensare, vt quis ante vigesimumquintum annum ad Ecclesiam Parochialem eligatur?

RESpondeo tanquam quid certum, quod sic; quia Pontifex rectè potest dispensare decreta Concilij, etiam Generalis, vt constat. Sic omnes. Legantur Rebuff. *in praxi tit. de dispensat. ratione ætatis, num. 10.* & Narbona *loco citato, num. 12.* qui limitant, dummodo dispensatio cum derogatione Regulæ Cancellariæ Innocentij expediatur; alioqui dispensatio non suffragabitur, nisi habenti tertium, & vigesimum annum. Nam virtute dictæ Regulæ, cùm dispensatio conceditur super defectu ætatis, de duobus tantùm annis datis intelligitur.

QVÆSTIO VII.

An dispensatus in ætate ad Ordinem Presbyteratus recipiendum, censeatur & dispensatus ad beneficium parochiale obtinendum?

RESpondeo quod non, quia dispensatio non extenditur ad consecutiua separabilia, vt est beneficium curatum respectu Presbyterij; cùm rectè dispensatio ad Presbyteratum, debitum sortiri possit effectum absque beneficio. Sic Rebuffus *loco cit.* quem citat, & sequitur Narbona *vbi suprà, num. 14. & 15.*

QVÆSTIO VIII.

An ætas requisita ad Canonicatum, sufficiat, casu, quo Parochialis alicui Canonicatui vnita sit?

RESpondeo dicendum, quod tunc sufficiat ad obtinendam Parochialem ætas Canonicatui requisita, nempe ætas viginti duorum annorum. Sic Barbosa *in Apostolic. decisionib. collect. 552. numero 32.* vbi sic ait: Parochialis si sit vnita *alicui* Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis accessoriè, sufficit ætas requisita ad Canonicatum, scilicet XXII. annorum. Sacra Congregatio Concilij, vt per Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. glossa 9. num. 4.* Hæc Barbosa.

QVÆSTIO

QVÆSTIO. IX.

An qui ad Parochialem Ecclesiam promouetur, debeat intra annum à die sibi commissæ curæ, ad Sacerdotium ascendere?

Respondeo vt certum, debere intra annum ad Sacerdotium ascendere: quod si secus fecerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione priuatus existet; sic enim decretum est *in cap. licèt Canon, de elect. in 6.* ex Gregor. X. *in Concil. Lugdunensi.* Sic ex illo omnes, lege Azorium *part.2. lib.6. cap.8. quæst.2.* & Barbosam *de offic. Parochi 1.p. cap.5.* & meipsum infrà *q.20. & sequent.*

QVÆSTIO X.

An dentur aliquæ legitimæ causæ, ob quas ad Parochialem electus non teneatur promoueri ad Sacerdotium infrà annum?

Respondeo dicendum, dari aliquas, vt docet Azorius *q.2. citata*, his verbis: Annus hîc porrò incipit à tempore, quo pacatam quis Parochialis Ecclesiæ possessionem adeptus est; vel ab eo tempore, quo per ipsum steterit, quominus eam nancisceretur, vt declaratur *in cap. commissa, de elect. in 6.* & ibidem subiungitur, nisi legitimo impedimento detentus ad Sacerdotium peruenire nequiuerit. Legitimum autem impedimentum iudicaretur, vt Glossa notauit, si toto illo anni tempore ægrotasset, vel abfuisset Antistes, aut dimissorias literas dare non potuisset, vel cum ad Sacerdotium promouere recusasset. Et sic de aliis similibus. Hæc Azor.

Addo ego ex Barbosa, quod nec ille, qui Parochialem obtinuit insufficientem ad victum, tenetur promoueri ad Sacerdotium infra annum; sed tantùm expedit, vt dimittat. Sac. Congreg. Concilij apud Nicol. Garcia *de benef. part.2. cap.5. num.121.* Sic ille *in sum. Apostolicar. decis. collect. 552. num.22.*

QVÆSTIO XI.

An item Vicarius perpetuus in Ecclesia Parochiali, intra annum à die possessionis Sacerdos fieri debeat?

Respondeo vt certum, etiam fieri debere; quia sic est statutum *in Clement. vnica, de offic. Vicarij*, eo quod ad hoc idem velit in Vicariis perpetuis, ac in Curatis. Sic tenet ibi Glossa *in summa*, vbi sic loquitur: Secundum dubium oritur *ex cap. licet canon, de elect. lib.6.* vbi dicitur, quod promotus ad Ecclesiam Parochialem, debet facere se promoueri ad Ordinem Presbyteratus infrà annum numerandum à tempore habitæ possessionis. Sed ponamus, quod quidam fuit promotus ad Vicariam perpetuam, & sic non erat Rector, sed Vicarius perpetuus; quæritur vtrum promotus sic ad Vicariam, debeat promoueri ad Sacerdotium infra annum, numerandum à tempore pacificæ possessionis; & si non fuerit promotus, vtrum vacet illa Vicaria perpetua? Respondet quod sic. Hæc Glossa, & Azor *part.2. lib.6. cap.8. quæst.5.* vbi id amplius explicat, sic dicendo. Cùm aliqua Ecclesia Parochialis Monasterio, siue Cœnobio, vel Seminario Clericorum, aut alicui beneficio dignitate prædito coniungitur, solet ex fructibus Ecclesiæ Parochialis certa quædam portio seorsim assignari Vicario, cui in perpetuum Ecclesia regenda confertur: ac proinde in ipsum transit tota cura Parochiæ. Ac ideò meritò constitutum est, vt huiusmodi Vicarius perpetuus intra annum ad Sacerdotium ascendere debeat. Hæc Azor ibi, & antea, *cap.5. quæst.4.* Vnde Glossa *in Clement. cit. verb. Sacerdotium*, meritò corrigit Archidiaconum docentem *in cap. licèt canon, cit. vers. is etiam*, in Vicariis perpetuis illud capitulum locum non habere. Nam oppositum clarè ex Clementina hac constat. Tenet etiam nostram sententiam Filliuc. *p.3. tract.41. cap.5. num.23. vers. tertiò*, Narbona *sup. q. 56. n.5.* & alij.

QVÆSTIO XII.

An rursus promouendus ad Vicariam perpetuam, debeat attingere ætatem viginti quinque annorum?

Respondeo ex dictis, quod sic; quia ita habetur *in d. Clementina de Vicariis*, & tenet ibi Glossa *in summa*, per hæc verba: tertium dubium sumitur *ex cap. cùm in cunctis, de elect. in antiq.* vbi dicitur, quod promotus ad Ecclesiam Parochialem, debet habere ætatem XXV. annorum. Quæritur, vtrùm sit idem in promouendo ad Vicariam perpetuam? Respondet Romanus Pontifex, quod sic. Ita Glossa.

QVÆSTIO XIII.

An Ecclesia Parochialis commendari possit ei, qui nondum est Presbyter actu?

Respondeo vt certum, non posse; quia sic est constitutum *in cap. nemo, de elect. in 6.* per hæc verba: *Nemo deinceps Parochialem Ecclesiam alicui non constituto in ætate legitima, & Sacerdotio commendare præsumat. Sic Gregor. X. in Concil. Lugdunensi. Vnde licèt Ecclesia Parochialis iure, & ratione tituli possit conferri ei, qui nondum est Sacerdos, iuxta cap. licèt canon, vt nuper est habitum; tamen commendari nequit, nisi ei, qui est ad Sacerdotium euectus, quia sic est constitutum in cap. nemo deinceps, cit.* Sic Glossa *in d. cap.* Azor *part.2. lib.6. cap.8. q.7.* Filliuc. *tom.3. tract.41. cap.5. num.23. versu quintò idem.* Narbona *loco cit. num.6.* Barbosa *de officio Parochi p.1. cap.5. num.4.*

QVÆSTIO XIV.

An qui promotus est ad Ecclesiam Parochialem, quæ actu non habet Parochianos, sed potest habere, teneatur intra annum ad Sacerdotium ascendere?

AFfirmat Archidiacon. *in cap. licèt canon, de elect. in 6.* eo quod sicut Episcopus esse potest sine ouibus sibi subiectis, ita vt Episcopus esse non desinat: sic etiam Parochus non desinit esse Parochus, etiamsi Parochiani, ob pestem, vel soli sterilitatem, aut cœli intemperiem, aliò profecti fuerint.

Sed multò longè probabilius respondeo, non teneri tunc intra annum ad Sacerdotium ascendere eum, qui Ecclesiæ Parochiali habitu tantùm, & non actu Parochianos habenti præficitur; quia non tenetur lege, quæ lata est *in cap. licèt canon, cit.* eo quod in eo nullum locum habeat ratio & causa legis; quoniam qui ad Ecclesiam Parochialem assumitur, ideò debet intra anni spatium Presbyter fieri, quia suscipit curam pascendi gregem sibi commissum: at cùm Ecclesia Parochianos non habet, non suscipitur cura gregem pascendi: ergo. Sic Glossa *in d. cap. licèt canon*, Ioan. Monachus, Geminian. & Anchar. quos citat, & sequitur Azor *vbi suprà quæst.* 9. & Filliuc. *loco proximè citato, vers. septimò*; qui addunt, quod casu, quo parochiani redierint, tunc Parochialis Ecclesia quasi iure postliminij ad sua iura, & bona reuertitur, ac proinde is qui ipsi præest, debet intra annum computandum ab eo tempore, quo Ecclesia cœpit parochianos habere, ascendere ad Sacerdotium.

QVÆSTIO XV.

An Clerico non Sacerdoti, habenti rescriptum à Papa, vt quodlibet beneficium, etiam curatum ei detur, possit dari beneficium requirens actu Sacerdotem?

REspondeo dicendum cum Filliucio, quod si beneficium est fundatum à laico, tunc non possit tali Clerico dari; quia Pontifex non solet derogare eius institutioni, ne cæteri retrahantur. Si verò est fundatum ab Ecclesiastico per statutum Episcopi, facto decreto de Ordine Sacerdotali, ad id beneficium requisito, sic potest dari, ob clausulam; *non obstantibus quibuscumque statutis*, &c. Sic Filliucius *tomo tertio, tract.* 41. *capite quinto, num.* 25.

QVÆSTIO XVI.

An totidem anni requirantur in Adiutore, qui datur Parocho, ac requiruntur in ipsomet Parocho?

REspondeo dicendum, quod quamvis de hoc nil sit in iure expressum, ex ipso tamen colligitur, totidem annos requiri, nempe vigesimum quintum annum inchoatum. Ratio est, quia Parocho datur adiutor, vt ipsum in Parochia regenda, & administranda iuuet: ergo debet, sicut & ipse Parochus, esse Sacerdos, vt sicut ipse, curam animarum exerceat. Sic communis, Azor *tom. 2. lib. 6. cap. 5. quæst.* 4. Gonzalez *in Regul.* 8. *Cancellar. glossa* 5. §. 9. *num.* 6. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 5. *num.* 29. Narbona *in suis annalib. anno* 25. *quæst.* 56. *num.* 7.

QVÆSTIO XVII.

An ad concursum, seu oppositionem Parochialis possit admitti, qui quintum, & vicesimum annum non attigit?

REspondeo quod non, quia talem ætatem debet attingere, qui ad beneficium curatum præsentatur, aut opponitur. Sic docent Nauar. *consil.* 2. *num.* 1. *de ætate & qualit.* Gutierrez *consil.* 44. *n.* 7. Zeuallos *quæst.* 693. *ex num.* 7. Perez de Lara *de anniuers. & capellan. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 55. *&* 58. quos citat, & sequitur Garcia *de benefic. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 86. Narbona *loco cit. num.* 10. Qui exinde bene colligit, quod prædicta ætas viginti quinque annorum, præcisè tempore nominationis, aut oppositionis adesse debeat, nec sufficiat vel intra annum, vel ante adeptam beneficij possessionem adimplere. Vnde fit, vt si minor vigintiquinque annis obtinuit nominationem ad beneficia curata, & antequam beneficium vacaret reperitur in legitima ætate, non poterit vigore dictæ nominationis in beneficio prouideri; quia tunc temporis, cùm nominatus fuit, legitimam ætatem habere debuit. Legantur Rebuff. *tract. nominationis, quæst.* 9. *num.* 15. Basil. Legionens. *de matrim. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. Garcia *loco cit. num.* 41. Azor *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 9. Thom. Sanchez *lib.* 7. *consilior. cap.* 1. *dub.* 48. *num.* 6.

QVÆSTIO XVIII.

An ad obtinendum beneficium curatum debeat quis esse Diaconus, aut Subdiaconus?

REspondeo tanquam certum, non debere necessariò, quia nullum ius id requirit. Vnde Sacra Congregatio Concilij, teste Nicolao Garcia *de beneficiis part.* 7. *cap.* 4. vbi *num.* 47. *&* 48. sic ait: Et sic est accipienda declaratio S. Congregationis Concilij, quæ sic ait: *Licèt ex decretis huius Concilij, post minores Ordines expectandus esset annus antequam quis ad Sacros Ordines promoueatur, vt cap.* 11. *sess.* 23. *potest tamen quis parochialem acquirere, etiamsi non habeat aliquem Ordinem sacrum, & infrà annum promoueri ad Sacerdotium debet. Et alia,* quæ

quæ sic ait: *An obtinentem beneficium curatum, oporteat esse Diaconum, vel saltem Subdiaconum, cùm intra annum debeat promoueri ad Sacerdotium? Congregatio censuit, non oportere.* Azor *d.q.9. ad finem, vers.quæras aliquis*, post Nauarrum *d.cap.25. num.*116. Hæc Garcia, quem citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi, part.1. cap.5. num.2.*

QVÆSTIO XIX.

An saltem obtinens beneficium curatum, debeat esse in quatuor minoribus Ordinibus constitutus?

AFfirmat Lambertinus *1.p. 2.lib. q.7. art.29. num.4. & art.30. num.25.* allegans Francum *cap.2. de Instit. lib.6.* qui *num.11.* notat, præsentatum ad Ecclesiam Parochialem, dici idoneum, licèt non sit in sacris; debere tamen ad minùs esse in minoribus.

Sed vt ferè certum respondeo, non debere necessariò esse constitutum in quatuor minoribus Ordinibus, sed sufficere esse prima tonsura initiatum, dummodo sit in ea ætate, vt intra annum Presbyter fieri queat, quia id apertè colligitur *ex cap. ex litteris, de transaction.* ibi: *Nondum fuisse tonsuratum.* Et tenent Rebuff. *in praxi, tit.requisita ad collationem bonam, num.33. & 34. & de congrua num.19.* Parisius *lib.4. de resignatione, q.9. num.34.* Quintanaduen. *lib.4. Ecclesiasticon, num.66.* Henriquez *in sum. lib.13. cap.57. §.4.* quos omnes sic citat, & sequitur Garcia *de benefic. part.7. cap.4. num.44. 45. & 88.* Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.5. num 2.* & apud illum Abbas *in d.cap. ex litteris.* Lege circa hanc materiam quæst. 21. sequentem

QVÆSTIO XX.

An annus, intra quem prouisus de Parochiali, tenetur ad Sacerdotium ascendere, incipiat à tempore suscepti regiminis, & pacificæ possessionis?

REspondeo tanquam certum, ab illo tempore incipere, vt constat *ex cap. commissa, vers. annus autem, de elect. in 6.* quod retulimus *suprà quæst.10.* & docent Azor *loco ibi citato, & lib.7. cap.16. q.11.* Tiraquel. & Pereyra, quos adducit, & sequitur Barbosa *suprà, num.6.* vbi notat, quod ille dicitur habere pacificam possessionem, qui nedum illam tenet beneficij titulo, seu exercitij, & curæ, sed etiam bonorum, & fructuum beneficij, seu maioris partis eorum. Sic ille, ex Glossa *in d. cap. commissa, verb. pacificam*, Rebuffo *tract. de pacif. possessione, num.168.* Menochio *remedio 3.retin. num.682.* & Garcia *de benefic.part.11. cap.5. num.123.*

QVÆSTIO XXI.

An laïcus possit se opponere ad beneficium Presbyterale in Ecclesia, vbi est statutum, quod obtinens beneficium, intra annum fiat Presbyter?

AFfirmat Rodriguez *in sum. 1.p. cap.30. conclusione, & n.1.* his verbis: *Lo tercero se deue notar, que vn lego puede oponerse à vn beneficio en la Iglesia, donde ay statuto, que el que tubiere beneficio en ella, se ordene dentro de vn año de todas las Ordenes, caso que este lego no tenga los veinticinco años para se ordener, porque el Concilio no quiere, que este tenga los veinticinco años cumplidos, solamente quiere que entre en ellos.* Ita Rodriguez, quem citat, & sequitur Vega *in sum. 1.p. cap.36. casu 16.* & vterque citat pro hac parte Nauarrum *in Man.cap.25. n.102.* non *n.116.* vt ait Garcia mox citandus.

Sed ex dictis suprà *quæst.19.* longè multò probabiliùs respondeo, non posse, quia ad minùs opponens se ad tale beneficium, debet esse initiatus prima tonsura. Nec Nauarrus oppositum docet *n.102.* vbi à dictis Authoribus pro se citatur. Quia ibi nec verbum de hac materia habet; benè tamen *n.116.* vt citat Garcia: sed neque in hoc loco loquitur Nauarrus de laïco, sed de Clerico primæ tonsuræ, vt indicant illa eiusdem verba: Quia non obstat dicta constitutio synodalis, quia etiam hodie potest quis intra annum à susceptis minoribus fieri Presbyter, si Episcopo videatur sic conuenire, *sess.23. cap.11. de reformat.* Hæc Nauar. qui vt vides, præsupponit talem se opponentem, initiatum esse prima tonsura, quod bene vidit Garcia *de benef. part.7. cap.4. num.87.* vbi opinionem Roderici, & Vegæ falsam vocat. Lege ipsum Garciam *part.7. cit. cap.1. num.24. & sequent.* vbi multis probat, quod laïcus, qui non habet primam tonsuram, sit incapax beneficiorum, & ideò non possit ad beneficium præsentari, aliàs præsentatio erit nulla.

QVÆSTIO XXII.

An saltem valeat præsentatio de eo, qui non habens primam tonsuram, præsentatur, si habeat intentionem se proximè tonsurandi?

AFfirmat Flaminius Parisius *de resignatione benefic. lib 4. q.2. num.6.* vbi ait, quod Rota *in vna Imolens. iurispatronatus, 19. Nouemb. 1584. coram Orano*, limitauit hanc conclusionem, nempe; *Laïcus qui non habet primam tonsuram, est incapax beneficiorum, & non potest ad beneficium præsentari, aliàs præsentatio erit nulla* (vt nuper docuimus:) limitauit, inquam, vt non procedat, quoties fuit præsentatus proximè clericandus: nam in hoc casu præsentatus non est penitus indignus, cùm ante institutionem sit tonsuratus. Sic ille, vt refert Garcia *de benefic part.7. cap.1. num.26.*

Sed longè multò probabiliùs respondeo talem præsentationem non valere, casu, quo præsentatus absolutè præsentaretur, nondum habens primam tonsuram, quantumuis de proximo clericaretur; quia talis præsentatio facta est de indigno, & incapaci; cùm clericatio subsequens, etiamsi

de proximo, non possit retrotrahi ad tempus præsentationis, in quo requiritur capacitas, & habilitas præsentati, cùm ex præsentatione ius ei quæratur ad beneficium. Sic Lambert. 1. *p.* 2. *lib. quæst.*7. *art.*2. *ad finem, & art.*7. *&* 29. Hoieda *de incompatibilitate benefic.* 1. *p. cap. fin. num.* 72. Ioan. Gutierrez *consil.*2. *num.*21. Rophiniac. *de benefic. cap.*1. *num.*39. *&* 40. quos omnes citat, & sequitur Garcia *de benefic. part.*7. *cap.*1. *num.*31. *iuncto num.*27. vbi *num.*28. addit dictam limitationem Parisij procedere, quando proximè clericandus expressè, vel tacitè præsentaretur in tempus, quo esset Clericus, & sic in tempus habile, quo (inquit) casu, præsentato facto Clerico intra tempus datum ad præsentandum, præsentatio valeret ex tunc, *ad legem in tempus, ff. de heredib. instituend.* Addit rursus *num.*29. quod tacitè diceretur præsentari in dictum tempus, quando patronus eum præsentaret, non absolutè, sed dicendo, *Præsento talem de proximo clericandum*: vel dicendo, *Præsento talem, & peto eum ordinari prima tonsura, &c.* Quia tunc videtur eum præsentari, vt cùm erit Clericus, instituatur. Sic ille.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem valeat præsentatio facta per literas de eo, qui tempore factæ scripturæ, & nominationis non erat Clericus; fuit tamen tempore factæ præsentationis coram Ordinario?

REspondeo tunc valere præsentationem. Ratio est, quia tunc verè fit præsentatio, cùm nominatio, seu scriptura præsentationis præsentatur Ordinario. Nam præsentatio intelligitur tantùm quando fit Superiori: vnde licèt patronus præsentandum nominet, & tradat nominato instrumentum præsentationis; tamen antequam fit præsentatus Superiori, non habet ius in re, nec ad rem, nec vllum ius acquirit ex nominatione ante actualem præsentationem: ergo si tempore factæ præsentationis coram Ordinario, iam quis est Clericus, licèt tempore factæ nominationis, seu scripturæ præsentationis non esset Clericus, tunc eius præsentatio valebit. Sic docet Garcia *loco cit. à num.*32. vbi adducit multas decisiones Rotæ pro se, necnon Sarmientum *in Regul. de non tollendo iure quæsito, q.*1. Crescent. *decis.* 6. *num.*9. *&* 10. *de iurepatronatus*, Francum, Rochum, & Lambert.

QVÆSTIO XXIV.

An necessum sit, Parochialem Ecclesiam per concursum prouideri?

RESpondeo vt certum, omninò esse necessum. Quia apertè colligitur ex Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*18. & ex Bulla Pij V. & ex declaratione Concilij, quam adducit Garcia *de benefic. part.*9. *cap.*2. *num.*99. *&* 100. his verbis: *An satis sit eum, quem Episcopus idoneum iudicat, proponere examinandum, absque alio concursu? Et respondet Congregatio, non esse satis; imò decreto Concilij teneri Episcopum plures nominare examinatores* (sic lege, non *examinatoribus*) *& alios etiam ab aliis nominatos* (sic lege, non *nominatores*) *admittere, sicque examen per concursum omninò facere, prout in Bulla Pij V. statuitur; exceptis illis casibus, in quibus præsenti decreto* (Tridentini) *vers. si tamen adeò, permittitur, posse omitti examen per concursum, si Episcopus pro sua conscientia cum consilio Deputatorum ita expedire arbitrabitur.* Sic Congregatio, cuius declarationem etiam refert Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.*552. *num.* 43.

QVÆSTIO XXV.

An etiam semel examinatus, & approbatus in vno concursu ad Parochialem, debeat iterum examinari, si contigerit alia vacatio?

NEgat ex parte Zerola *in praxi Episcop.* 2. *p. verb. Parochia*, §.1. dicens, quod approbatus ad Parochialem, non debet examinari quoad literaturam; intellige, si concurrat solus, secus verò si alij concurrant, quia posset esse minùs idoneus aliis; & tunc sufficit solùm indagare circa mores, *cap. de Petro*, & ibi Glossa *in verb. ignota* 47. *dist.* Caualc. *decis.*19. Caputaq. *decis.*367. *part* 2. Ratio est, quia mores variantur in dies, & non ita literatura. Hæc Zerola.

Sed ex dictis quæst. antecedenti respondeo semper debere in alio concursu examinari, tam quoad literaturam, quàm quoad mores; quia sic colligitur ex decreto Concilij Tridentini, & ex Bulla Pij V. necnon ex declaratione Congregationis. Quod intellige, nisi aliàs ex legitima consuetudine contrarium sit in aliqua Ecclesia introductum, in quo solo casu sustineri potest sententia Zerolæ. Sic Garcia *de benefic. part.*9. *cap.*2. *num.* 100. ibi: Vnde apparet, Parochiales vacantes per assecutionem aliarum, & resultantes ex alio concursu, non posse absque nouo concursu, & examine prouideri approbatis in præcedenti concursu, quamuis in Archiepiscopatu Toletano secus fiat, vt mihi relatum est. Sic Garcia.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem possit Episcopus Parochialem conferre personæ notoriè doctæ, idoneæ, & benemeritæ, sine examine, & approbatione in concursu?

REspondeo dicendum ex dictis, adhuc in hoc casu non posse; quia prædicta forma conferendi Parochiales omninò debet obseruari: vnde, vt refert Garcia, Congregatio Concilij censuit, quod Episcopus vacante Ecclesia Parochiali, debet seruare formam examinis per concursum, licèt velit eam Vicario conferre. Et alia declaratio hæc habet: *Doctor, siue Licentiatus in Theologia, siue in iure Canonico, etiam in publica Vniuersitate graduatus, non excusatur ab examine, quando petit sibi prouideri de aliqua Ecclesia Parochiali.* Sic refert, & tenet Garcia *p.*9. *de benefic. cap.*2. *num.*102. *&* 103. sequutus Fuscum *de visitat. lib.*2. *cap.*5. *n.*10. Genedum *in collectan.*15. *ad Decret n.*5. Flam. Parisium *de resignat. lib* 8. *q.*9. *num* 83. *&* 91. Zerolam *in praxi Episcop.* 2. *p. verb. Doctor*, §.1. & alios. Sic etiam Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess.*24. *cap.*18. Lessius, Gonzalez, Rebuffus, & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVII.

An item casu, quo vnus solus ad concursum appareat, debeat examinari, & ei, si reperitur idoneus, de Parochiali prouideri?

RE spondeo vt certum, quod sic; quia sic censet Sacra Congreg. Concilij apud Nicol. Garciam *cap. 2. cit. num.* 214. & 215. his verbis: *Congregatio censuit, si vnus tantùm ad concursum comparuerit intra terminum, posse solum examinari, & approbari.* Sic Sacra Congreg. & tenet Prosper de Augustino *ad Summam Bullarij, verb. Parochialium beneficiorum collatio.*

Quòd si hîc dubites, an vno solo comparente, possit prorogari terminus, & proponi aliud edictum? Respondet Sacra Congregatio, non esse proponendum aliud edictum, sed illum, qui comparuerit, examini subiiciendum, & si idoneus repertus fuerit, eidem beneficium esse conferendum; nisi qui descripti sunt, excusent se legitimo impedimento detineri, quo minùs valeant ad concursum accedere: tunc enim poterit Episcopus legitimè terminum prorogare. Sic Sacra Congregatio. Ex qua declaratione apparet, quod si ex oppositoribus descriptis aliqui non compareant ad examen in die pro examine, & concursu deputato, nec se excusent, legitimè poterit sine eis examen, & concursus fieri. Sic Garcia *loco cit. num.* 217. vbi adducit aliam declarationem.

QVÆSTIO XXVIII.

An si semel edicto ad concursum proposito, nullus compareat, vel ex oppositoribus nullus reperiatur idoneus, debeat ab Episcopo aliud edictum proponi?

RE spondeo, debere aliud edictum proponi; & si adhuc nullus comparuerit idoneus, tunc alicui præuio examine, sine concursu beneficium conferetur. Sic Sacra Congregatio Concilij, apud Nicol. Garciam *loco proximè citato, num.* 219. & apud Prosper. de Augustino, vbi suprà, *quæst.* 5.

QVÆSTIO XXIX.

An collatio beneficij Parochialis possit fieri sine concursu, casu quo sit tenue?

NEgat Gallet. apud Barbosam infra citandum, docens Parochialem, etiam exigui valoris, concursu esse conferendam. Et ait ita esse decisum.

Sed absolutè respondeo, quod sic; quia ita censuit Sacra Congregatio Concilij, per hæc verba: *Episcopo Vercellens. S. Dominus Noster Greg. XIII. audita relatione Congregationis, censuit, vt in collatione Parochialium, quæ sunt tenues, quarum fructus viginti quatuor ducatos auri de Camera non excedunt, si proposito primo edicto examinis per concursum nemo comparuerit, fiat secundum edictum examinis sed sine concursu si Episcopus Vercellens. pro sua conscientia, cum Deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, seruatis tamen temporibus præscriptis à Pio V. in sua Bulla, super collatione Parochialium.* Sic refert Garcia *loco cit. num.* 220. & ex illo (licet non ita plenè) Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 552. *num.* 49.

Lege alias duas declarationes apud eumdem Garciam *eod. num. cit.* quarum prima sic se habet. *Beneficia curata, quorum* (sic lege) *redditus adeò exigui sunt, vt ea aut nullus idoneus requirat, vel compareant in concursu Presbyteri ita rudes, vt neque vulgarem linguam calleant; an melius sit non idoneis conferre, vel ea diu vacare permitti? Sanctiss. Dominus noster ex sententia Congregationis dixit, esse conferenda illis, quos inter omnes maioris literaturæ esse cognouerit Episcopus, eosdemque ampliùs erudire curabit, &c. Quod si nullus sit idoneus, Sanctissimus mandauit Parochialem conferri vni ex comparentibus minùs insufficienti, quem postea instrui curare debeat Episcopus, vt idoneus euadat.* Sic secunda declaratio. Sic tenet iterum Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 2. *num.* 16. qui & citat Gonzalez, & Riccium, Campan. & Stephan. Gratian.

QVÆSTIO XXX.

An sit ponendum edictum, & debeat fieri concursus ad Parochialem resignatam in manibus Papæ?

AFfirmandum videtur, eo quod Concilium non distinguat: & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Sed multò veriùs respondeo, non debere ita fieri; quia sic censuit Sacra Congregatio Concilij, *declarat.* 89. vbi dicit: *Verba Concilij, quod vacantia omnes, etiam per resignationem, examine per concursum facto, ab Ordinario debent conferri ei quem iudicauerit aptiorem, non habent locum in resignationibus factis in manibus Papæ, in fauorem.* Ratio decisionis est, quam affert Clement. vnica *de rerum permut.* Intellige tamen id, modo adsit idoneitas, & sufficientia personæ in cuius fauorem facta est resignatio; secus verò non. Sic Zerola 1. *p. Praxis Episcop. verb. Parochia*, §. 2. *dub.* 5. & Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. glossa* 6. *num.* 21. vbi ait, quod prædictus resignatarius dumtaxat examinari debet absque concursu, & approbari, si idoneus repertus fuerit ad curam animarum, siue resignatarius sit præsens in Curia, siue absens in partibus. Sic etiam ex illo Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess.* 24. *de reformat. cap.* 18. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 84. Gutier. *lib.* 2. *Canon. cap.* 11. *n.* 11. Legantur item Barbosa *in sum. Apostolic. decision. collect.* 552. *num.* 44. & Garcia *p.* 9. *de benef. cap.* 2. *num.* 159.

QVÆSTIO XXXI.

An in permutationibus, quæ fiunt de beneficio simplici, & curato, aut de beneficiis Parochialibus, requiratur concursus, & examen?

REspondeo dicendum, quod in permutationibus beneficij simplicis, & curati, licèt non sit necessarius concursus, est tamen necessarium examen: in permutationibus autem Ecclesiarum Parochialium, nec concursus, nec examen requi-

titur, nisi casu, quo adsit magna inæqualitas numeri Parochianorum, vel permutantes non fuissent examinati, tempore, quo Parochiales adepti sunt; nam tunc eos examinandos esse, quamvis absque concursu, refert Garcia *part. 9. de benefic. cap. 2. num. 165.* vbi ad propositum quinque declarationes adducit. Sic etiam tenet ex illo Barbosa *loco cit. num. 3.* Flamin. Læl. Zechi, Genuens. & Prosper de Augustino, apud ipsum: tenet etiam idem *de offic. Parochi p. 1. cap. 2. num. 23.* Vgolin. Lessius, Filliuc. Riccius, quos ipse citat.

QVÆSTIO XXXII.

An in prouisione dignitatum habentium vnitam Parochialem, sit faciendum examen per concursum?

Respondeo dicendum, quod non, casu, quo Parochialis perpetuò, & accessoriè vnita sit dignitati; secus si Parochialis esset vnita dignitati æquè principaliter: nam tunc faciendum est concursus examen ratione Parochialis. Sic sensit Congregatio Concilij, vt refert Garcia *cap. 2. cit. n. 193.* vbi affert has duas declarationes. Primam his verbis: *Examen concursus non est necessarium in dignitate, quæ Parochialem perpetuò, & accessoriè vnitam habet.* Secundam sic; *Episcopo Conchensi, & Nuntio Hispaniæ sic respondit 22. Iunij 1575. S. D. N. ex sententia Congregationis Concilij declarauit, examen, quod ex decreto Concilij sess. 24. cap. 18. faciendum est per concursum in collatione Parochialium, non debere fieri in prouisione Dignitatis Abbatiæ; tametsi vnita sit ei Parochialis Ecclesia, dummodo hæc vnio authoritate Sedis Apostolicæ, ac perpetuò, & accessoriè facta sit.* Sic Sacra Congreg. ex quibus declarationibus apertè manet probata prima pars nostræ responsionis, & ex eisdem colligitur secunda, nempe quod si Parochialis sit vnita Dignitati æquè principaliter, faciendum sit examen per concursum, vt docet idem Garcia *num. 194.* & apud ipsum Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. glossa 5. §. 7. num. 13. & glossa 6. n. 162.* Prosper de Augustino *sup. quæst. 3.* & Lessius *d. cap. 34. num. 82.* Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *ad cap. 18. Concilij, sess 24. num. 4. & 5.* vbi citat Anastas. Germon. *de indultis Cardinal. §. quibusuis, n. 7.* & Stephan. Gratian. *discept. forens. cap. 273. num. 48.* Et rursus hoc ipsum docet ipse *de offic. Parochi 1. p. cap. 2. num. 18.* citans etiam vltra proximè citatos, Rotam, Salgad. Nouar. Riccium, & Læl. Zechi.

QVÆSTIO XXXIII.

An Parochiales litigiosæ debeant per concursum conferri?

Negat Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 2. n. 15.* his verbis: Primo igitur concursu non conferuntur Parochiales litigiosæ; solet enim à Sede Apostolica in Ecclesiis litigiosis subrogari alius gratiosè, absque concursu, & vtplurimùm collitigans. Ita Gonzalez *glossa 6. num. 150.* Nicol. Garcia *d. part. 9. cap. 2. §. 1. num. 170.* Aloys. Riccius *in d. praxi fori Eccles. resol. 358. vers. tertiò.* Massobr. *in d. praxi præiud. 3. dub. 3. à num. 18.* Nouar. *in singul. iuris Canon. concl. 65. num. 5.* Ego ipse *de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 60. num. 3.* Hucvsque Barbosa.

Sed certè ipsemet Barbosa oppositum docet *in sum. Apostolic. decis. collect. 552. num. 26.* verbis huiusmodi: Parochiales litigiosæ concursu conferuntur, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, sed ius demortui in alium transferre, nisi constet Sanctitatem suam voluisse dicto decreto concilij derogare. Sacra Congreg. Concilij, referente Nicol. Garcia *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 170.* Hæc Barbosa, qui vt vides, pro vtraque parte citat Garciam, sed meliùs pro ista. Nam hic Author ibi, *num. 169.* Hanc quæstionem his verbis proponit, & resoluit, nempe: Sextò principaliter dubitatur, an in Parochialibus litigiosis vacantibus habeat locum concursus, non obstante lite? In quo videbatur dicendum, quod non, *ex cap. 1. & 2. vt lite pendente, in 6. & Clement. 1. eod. tit.* & tenet Gonzalez *d. glos. 6. à num. 142.*

Nihilominus tamen (pergit *num. 170.*) contrarium censuit Sancta Congregatio, Iunij 23. 1594 his verbis: *Congregatio Concilij censuit, decretum Concilij Tridentini, cap. 18. sess. 24. de reformat. vbi de concursu faciendo super Parochialibus agitur, habere locum, etiam quoad Parochiales, si litigiosæ sint, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, verùm ius demortui in alium transferre, nisi constet Sanctitatem suam voluisse dicto decreto Concilij derogare.* Hieronym. Cardin. Matthæus. Quæ declaratio potest fundari *d. cap. 18.* ibi: *Non obstantibus huic decreto, &c.* Pondero illa verba: *Et aliis impedimentis quibuscumque.* Hæc omnia Garcia, qui & clariùs, & meliùs quàm Barbosa, locis pro prima sententia negatiua adductis. Sic etiam Filliuc. *tract. 41. cap. 4. num. 142.*

QVÆSTIO XXXIV.

An Vicaria perpetua Parochiæ vnita, debeat etiam conferri per concursum?

Respondeo quod non, nisi casu, quo non solùm exercitium, verùm etiam cura totalis, & habitualis in Vicarium transferatur, quia tunc eius Vicaria concursu est conferenda. Tunc autem præsumitur totalis cura in Vicarium translata, quando certa portio assignatur Rectori Ecclesiæ, cæteris fructibus remanentibus penes Vicarium. Prima pars huius responsionis habetur in Constitut. Pij V. quæ incipit: *Ad exequendum*, sub dat. Kalend. Nouembris 1567. in illis verbis: *Volumus insuper, & ita mandamus, quod isti Vicarij perpetui, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis vnitis ponuntur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum præuio examine, & approbatione deputentur.* Hæc Pontifex. Cuius verbis probata manet prima pars nostræ sententiæ, quam tenent, & docent Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. glossa 5. §. 3. num. 53. & 54.* Garcia *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 292.* Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. resol. 358. n. 1.* Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 147.* Vgolin. Lotter. Cauaier. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de Offic. Parochi part. 1. cap. 2. num. 19.* vbi etiam docet secundam partem nostræ sententiæ, citans pro ea Rebuffum, Caputaq. Cauaier. & Rotam.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXV.

An in Regularibus curatis, seu in Parochialibus beneficiis, quæ Regularibus conferuntur, sit faciendus concursus?

RESpondeo vt quid certum, quod non; quia de his curatis non loquitur Concilium Trident. *cap.* 18. *cit.* & ita censuit S. Congregatio, his verbis: *Hoc decretum de concursu, non habet locum in beneficiis Regularibus, quæ Regularibus conferri consueuerunt.* Hæc Congregatio, quæ approbatur, & confirmatur per Breue Sixti V. quod adducit Rodriguez *in Collectan. priuilegior. Regular. Bulla* 25. *Sixti V.* Sic Garcia *cap.* 2. *cit. num.* 197. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 18. Gonzalez *glossa* 6. *num.* 162. Filliuc. *vbi sup. num.* 145. Vgolin. Riccius, & Rota, quos citat, & sequitur Barbosa *part.* 3. *de potest. Episcopi, alleg.* 60. *n.* 33. & de offic. *Parochi part.* 1. *cap.* 2. *num.* 21.

QVÆSTIO XXXVI.

An saltem dicti Regulares curati, seu Prioratus, debeant prouideri per concursum, si soliti sint commendari sæcularibus?

RESpondeo tanquam certum, quod neque isti debeant prouideri per concursum; quia etiam id constat ex quadam declaratione Sac. Congreg. facta 26. Iulij 1590. his verbis: *Congregatio censuit in Prioratibus Regularibus habentibus curam animarum, solitis commendari sæcularibus, non requiri concursum.* Sic Sacra Congregatio apud Garciam *loco cit. num.* 199. Filliuc. *loco cit.* & Barbosa *dicta alleg.* 60. *num.* 34. & *de offic. Parochi cap.* 2. *cit. num.* 22. vbi legendus est cum aduertentia, eo quod dicat, non esse prouidendos per concursum Prioratus Regulares, habentes curam animarum, soliti commendari Regularibus. Legendum enim est, *soliti commendari sæcularibus*, vt constat ex verbis declarationis S. Congregationis.

QVÆSTIO XXXVII.

An cura animarum, quæ in Ecclesia Collegiata exercetur per Canonicos, vel Hebdomadarios, conferatur concursu?

RESpondeo tanquam certum, quod non; quia certum est, non loqui de his Curatis Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. Et ideò sic docent Prosper. de Augustino *in sum. Bullarij, verb. benef. parochial. collatio, quæst.* 3. *vers. quorum primus est.* Parisius *lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 42. Vgolin. Gonzalez, & Riccius, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 60. *num.* 30. & *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 2. *num.* 26.

QVÆSTIO XXXVIII.

An in Parochialibus iurispatronatus Ecclesiastici, requiratur examen per concursum?

RESpondeo tanquam certum, quod sic; quia sic est constitutum in Concilio Trident. *cap.* 18. *cit.* illis verbis: *Porrò Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra duodecim dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquos Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet.* Hæc Concilium. Et infrà hæc: *Si verò iurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur.* Hæc Concilium. Sic Garcia *de benef. p.* 9. *cap* 2. *num.* 261. vbi *num.* 262. tres adducit declarationes S. Congregationis. Sic etiam ex illo Filliuc. *tom.* 3 *tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 146.

QVÆSTIO XXXIX.

An item in Parochialibus iurispatronatus Laicorum, requiratur examen per concursum?

RESpondeo vt certum, quod in his prouidendis non requiratur examen per concursum, sed solùm præsentatus examinandus est ab Ordinario, cum tribus saltem Examinatoribus synodalibus, & in idoneo reperto facienda est institutio. Sic habetur in Concilio *cap.* 18. *citato*, his verbis: *Quod si iuspatronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt suprà, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Sic Concilium, & sic omnes, Garcia *lib.* 9. *de benef. cap.* 2. *num.* 255. vbi affert duas Congreg. Concilij declarationes, & citat Parisium *lib.* 8. *q.* 9. *num.* 111. Zerolam 1. *p. praxis Episcop. verb. Parochia*, §. 2. *dub.* 7. Lessium *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 58. & 81. Zechi, & Genuens. Sic etiam Filliuc. vbi suprà, *num.* 246. Quod si plures fuerint præsentati, iam dicam.

QVÆSTIO XL.

An saltem casu, quo plures fuerint præsentati à patronis laicis, tunc requiratur examen per concursum?

RESpondeo vt certum, quod tunc verè requiratur examen per concursum inter ipsos præsentatos: quia ita censuit S. Congregatio Concilij, iis verbis: *Veniente vacatione Parochialium de iurepatronatus laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantùm: ex his, qui facto examine idonei ab Examinatoribus renuntiati fuerint, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alterum, instituat.* Sic S. Congregatio apud Garciam *de benefic. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 256. vbi etiam affert decisionem Rotæ 30. Iunij, 1587. & citat Parisium *lib.* 7. *quæst.* 5. *num.* 21. & Gonzalez *d. glossa* 6. *num.* 138. Sic etiam Filliuc. *loco citato*, Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 18. quem

quem citat, & sequitur Barbosa *in Summa Apostolicar. decis. collect. 552. num. 37.*

QVÆSTIO XLI.

An item Parochiales iurispatronatus mixti, idest, Clericorum, & laicorum, subiaceant formæ examinis per concursum?

NEgandum videtur, eo quod tale beneficium parochiale censendum sit laicale, non Ecclesiasticum, vt tradunt Felinus *in tract. quando litera Apostolica, ampliat. 6. & limitat. 3.* Roch. *de iurepatronat. verb. ius, num. 15.* Lambert. *3. p. 2. lib. q. 9. art. 9.* & Couarru. *practicar. cap. 36. num. 5. vers. tertiò opportunè.* Atqui Parochialis iurispatronatus laicalis non subiacet formæ examinis per concursum, vt suprà *quæst. 38.* est habitum: ergo nec Parochialis iurispatronatus mixti: & sic vltra citatos tenet Barbosa *in summa Apostolicar. decision. collect. 552. num. 59.* vbi adducit pro se quandam declarationem Sacræ Congreg. Concilij, habitam 5. Februarij 1628. quam priùs adduxerat *1. p. de offic. Parochi, cap. 2. num. 126.* his verbis: Verum nouissimè Sacra Congreg. Concilij Trident. sub die 5. Februarij 1628. censuit, in collatione Ecclesiæ Parochialis iurispatronatus mixti, idest, partim Ecclesiastici, & partim laicalis, non requiri formam examinis per concursum. Quam declarationem authenticam, & originalem mihi aliàs dubitanti Romæ ostendit Reuerendiss. D. Viuianus, Episcopus Salonens. & illius meminit *in appendice sua praxis iurispatronatus, ad lib. 10. cap. 1. num. 34. pag. 760. in nouiss. impress.* & hanc partem multis tuentur Melchior Phœbos Lusitan. *decis. 114. tom. 2.* Gabriel Pereyra *de manu Regia part. 1. cap. 7. num. 32. cum seqq.* Sic Barbosa, qui latè id probat.

Sed alij contrà communiter sentiunt, dictas Parochiales iurispatronatus mixti, idest, partim Ecclesiæ, partim laici, si pro duabus partibus pertinent ad laicum, & pro vna tantùm pertineant ad Ecclesiam, verè subiacere formæ examinis per concursum habitæ *in d. cap. 18.* Concilij Tridentini; quam Concilium ibi præscribit in conferenda Parochiali, quæ sit iurispatronatus merè Ecclesiastici. Ratio eorum est, tum quia tale beneficium potiùs est censendum Ecclesiasticum, quàm laicale: atqui beneficium Parochiale merè Ecclesiasticum, confertur per concursum: ergo.

Tum etiam, quia sic sæpius fuisse declaratum à Sacra Congreg. Concilij, fatetur Garcia his verbis: Nihilominus tamen in proposito, contrarium, nempe censendum esse Ecclesiasticum, censuit Sacra Congregatio, vt apparet ex declarationibus sequentib. super *d. vers. Si verò.* Prima; *Idem in collatione, & institutione iurispatronatus mixti, scilicet, partim laici, partim Ecclesiastici.* Secunda; *Si iuspatronatus mixtum sit, laicale scilicet, & Ecclesiasticum, quoad examen per concursum, Ecclesiasticum censendum est.* Tertia: *In collatione Ecclesiæ Parochialis, quæ sit iurispatronatus partim Ecclesiæ, partim laici, seruanda est forma examinis per concursum hic posita, quam Concilium præstitit in conferenda Parochiali, quæ iurispatronatus sit merè Ecclesiastici. Idem dicendum est, quando patronatus pro duabus partibus pertinet ad laicos, pro vna tantùm ad Ecclesiasticum.* Sic Sacra Congregatio.

Cuius ratio (addit Garcia) esse potest fauor Ecclesiarum, vt illis meliùs prouideatur; & quod qualitas Clericalis attenditur, cùm Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ prodest. Felin. *in tract. quando litera Apostolica, concl. 6.* Rochus Lambertus *1. p. lib. 1. quæst. 1. art. 6.* & alij. Hucvsque Garcia *part. 9. de benefic. cap. 2. num. 278. & sequent.* Cuius sententiam tenent (apud Barbosam *de offic. Parochi loco cit. num. 125.*) Gambac. *de offic. Legati lib. 3. n. 369.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glossa 6. num. 135.* Gallet. *in Margarita casuum consc. verb. iuspatronatus, pag. 145. col. 2.* Riccius *in praxi rerum fori Eccles. decis. 420.* aliàs *resol. 357.* Marescot. *variar. resol. lib. 1. cap. 52. num. 7.* Addent. *ad decis. 498. Gregorij XV.* Viuian. *in praxi iurispatron. lib. 1. c. 1. num. 33. & 34.* Massobr. *in praxi habendi concursum, præl. 7. dub. 25. num. 2.* & Salgad. *cap. 9. ex n. 108.* quos omnes sequutus fuerat ipsemet Barbosa (vt ipsemet fatetur) *de potest. Episcopi 3. p. alleg. 60. n. 17.* & tenent alij communiter.

Ex his duabus sententiis, hæc secunda probabilior est mihi, casu, quo declarationes, quas pro ea adducit Garcia, non sint expressè correctæ per nouissimam, quam pro se refert Barbosa; quod certè non credo, cùm de illis nulla mentio fiat. Et certè ratio id suadet; & ideò hanc sententiam tenet Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 146.*

QVÆSTIO XLII.

An Parochiales huiusmodi, nempe iurispatronatus mixti, cadant sub reseruationibus, ita vt, si vacauerint in mensibus reseruatis, Ordinarius, nulla habita ratione patronorum, debeat facere concursum, & eligere magis idoneum à Summo Pontifice instituendum?

AFfirmat Concilium Prouinciale Bononiens. factum ab Eminentiss. Cardin. Paleoto Archiepiscopo Bononiens. anno Domini 1586. his verbis: *Collatio Ecclesiæ, & institutio erit facienda ab eo, ad quem spectat: & si fuerit beneficium iurispatronatus Ecclesiastici, quod vacauerit in mense reseruato, institutio spectabit ad Papam, facta ei attestatione examinis per concursum, & dignioris ab Episcopo electi.* Hæc Prouinciale Concilium, vt refert Garcia *de benef. part. 9. cap. 2. fine.*

Sed probabiliùs respondeo negatiuè. Sic tenet Filliuc. *loco cit. num. 146.* ex Garcia *loco citato, cap. 2. num. 284.* sic dicente: In hac difficultate dico, quod quamvis ad effectum concursus, istud iuspatronatus censeatur Ecclesiasticum, vt meliùs prouideatur, vt dixi (loco à nobis quæst. antecedenti relato) tamen ad effectum reseruationis ipsarum Parochialium censendum est laicale, ex traditis *d. cap. 1. 5. part. à num. 558.* ne laicus ex societate Clerici nimium præiudicium patiatur, quamvis dictum Concil. Mediolanense (lege, *Bononiense*) suprà contrarium videatur sancire. Hæc Garcia.

DISPVTATIO III.

De professione fidei à Parochis facienda.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochi teneantur post adeptam possessionem, fidei professionem emittere?

RESPONDEO tanquam quid certum, quod sic; quia sic præcipit Tridentina Synodus *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. his verbis: *Prouisi enim de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minùs intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent.* Sic Concilium. Ex quo constat, Parochos teneri post adeptam possessionem, saltem intra duos menses, publicam fidei professionem facere. Sic tenent omnes Doctores. Legantur de professione fidei emittenda, Nicol. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *per totum.* Sayrus *decis.* 1. *& seqq. sub titulo de constitut.* Riccius *in collectan. decis. part.* 3. *collect.* 579. Thom. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 5. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *&* 2. *verbo fidei professio.* Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. Ascan. Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 8. *q.* 3. Man. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 19. Petrus Ledesma *part.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *concl.* 10. Barbosa *in remission. ad loca Concilij Trident. sess.* 24. *cap.* 12. *n.* 7. *& de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. Machado *lib.* 4. *sum. part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. & egomet *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1.

QVÆSTIO II.

Qua ratione, aut forma debeat fieri à Parochis dicta fidei publica professio?

RESpondeo dicendum, quod debeat fieri iuxta formam traditam à Pio V. in Constitut. quæ incipit, *iniunctum nobis*, sub dat. idibus Nouemb. 1564. quam referunt Archiepiscop. Bononiens. *part.* 2. *in princip.* Quaranta *in summa Bullarij, verb. fidei professio*, Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. Lauorius *var. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 41. Et ideò sic docent Garcia, & Barbosa *locis cit.* & omnes.

QVÆSTIO III.

An dicta professio fidei possit fieri à Parocho coram Vicario Episcopi, etiam Episcopo non impedito?

NEgandum videtur, ex illis verbis Concilij *quæst.* 1. adductis, nempe; *in manibus sui Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario.*

Sed probabiliùs respondeo, dicendum est, quod possit, & sufficiat fieri coram Vicario Episcopi, etiam Episcopo non impedito, licèt conuenientius sit coram ipsomet Episcopo fieri. Vtramque huius responsionis partem docet Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 23. vbi difficultati propositæ his verbis respondet: Nihilominus tamen dicendum est, posse, & satisfieri dicto decreto, faciendo professionem coram Vicario, etiam Episcopo non impedito: nam illa verba (nempe *in manibus ipsius Episcopi, &c.*) solùm ponuntur ad admonitionem, & denotandum, conuenientius esse eam facere coram ipso Episcopo, cessante impedimento; & ita etiam accipiuntur similia verba *in cap.* 18. *versu, transacto, sess.* 24. *de reformat.* vt dicetur infrà *part.* 9. *cap.* 2. 1. *dubio, num.* 119. Hæc Garcia, quem sequuntur Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 6. *num.* 8. Squillante *de obligat. Cleric. part.* 1. *num.* 92. & Barbosa *de potestate Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 16. *& de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 2.

QVÆSTIO IV.

An huiusmodi iuramentum, & professio fidei, debeat fieri à Parocho tactis Euangeliis?

REspondeo dicendum, quod sic; quia sic constat ex verbis formæ traditæ in Constitut. cit. Pij IV. ibi: *Sic Deus me adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.* Debet igitur tale iuramentum fieri tactis Sacris Euangeliis, aliàs non valebit. Sic Rota *in casu Carthagin. fructuum, coram Platto,* 19. *Februar. &* 1. *Iulij, &* 22. *Nouemb.* 1588. vt refert Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 73. *& sequent.* Qui bene aduertit, sufficere, si Scriptura Sacra, quæ tangitur, sit, vel contineat Euangelia, seu Euangelium aliquod de quatuor Euangelistis. Vide de hac re me ipsum *part.* 7. *tract. de iuramento.*

QVÆSTIO V.

An hæc fidei professio emitti possit per procuratorem, speciale mandatum ad id habentem?

NEgant plures Doctores, existimantes, talem fidei professionem debere fieri à Parocho personaliter per semetipsum, & ideò non sufficere, si per procuratorem, etiam speciale mandatum ad id habentem, fiat. Ita sentiunt Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *num.* 169. *vers. similiter.* Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 166. *num.* 22. Vgolin. *de potest. Episcopi cap.* 50. §. 16. *num.* 1. Additionator Nauarri *ad consil.* 11. *de iureiurando*, dicentes ita respondisse Sac. Concilij Congregationem. Fr. Sigismundus

Sigismundus à Bononia, *de electione dub.* 50. *n.* 3. Garcia *de benef. loco nuper cit. num.* 75. dicens, non solùm id sensisse Sac. Concilij Congregationem, sed etiam Rotam, in casu Carthagin. *quæst. anteced.* adducto, Sic etiam tenet Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 611. vbi *num.* 5. Sic ait: Professionem fidei per se ipsos, & non per procuratorem tenentur emittere prouisi de Parochialibus, & Canonicatibus in Cathedralibus. Sacra Congregatio Concilij *in Seguntina* 18. *Aprilis* 1590. & iterum *in alia causa, die* 12. *Septemb.* 1620. Quarum meminere Garcia *de benefic. cap.* 3. *num.* 51. *declarat.* 1. Scortia *in select. as Sum. Pontificum constitut. epitom.* 84. *theorem.* 207. *vers. quid si beneficiarius*: & citato Farinacio, & Bellarm. D. Ioan. de Solorzano *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 13. Hæc Barbosa ibi; quamvis alibi contrarium omninò teneat, vt mox videbimus. Tenet etiam Filliuc. *tom.* 3. *tr.* 41. *cap.* 6. *num.* 9. & alij plures apud Dianam *p.* 5 *tr.* 14. *resol.* 23.

Alij igitur contrà affirmant, hanc fidei professionem posse emittere Parochos (& alios ad hanc faciendam obligatos) non solùm per seipsos, sed etiam per procuratorem speciale mandatum ad id habentem. Ratio eorum est, quia neque Concilium Tridentin. neque Constitutio Pij IV. vtuntur verbis significantibus personalitatem, & propterea succedit regula iuris: *Quicumque potest aliquid facere per semetipsum, potest illud facere per procuratorem, l.* 1. *ff. de procuratorib. cap. qui per alium, & cap. potest quis, de regul. iuris in* 6. Deinde id probant ex *cap. optatum* 100. *dist. in fine*, illis verbis: *Nec aliquem, qui hanc iureiurando firmaret, miseris.* Vbi Præpositus id expresè notat. Nam figurando casum ait, quod qui desiderat pallium suscipere, per se, vel procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, debet profiteri fidem Catholicam, & iurare, se seruaturum canones Conciliorum, & decreta Romanorum Pontificum. Et ideò sic sentiunt Nauarr. *consil.* 11. *de iureiurando, in nouis.* aliàs *consil.* 4. *sub tit. de sum. Trinit.* Petrus de Ledesma *part.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 6. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 6. Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. fidei professio.* Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. *num.* 7. Campan. *in Diuersorio Iuris Canon. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 19. Ricciul. *de iure personarum extra gremium Ecclesiæ existent. lib.* 1. *cap.* 13. *à num* 21. Viuian. *in praxi iurispatronat. lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 27. Nouar. *in singul. canonic. singul.* 114. *n.* 8. Machado *in summa lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. *n.* 2. Massobrius *in tract. de Synodo diœcesana, cap.* 40. *dub.* 40. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *n.* 11. & 12. Lauor. *var. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 22. *n.* 2. Ferentil. *in annot. ad decis.* 522. *Buratti, num.* 16. & Rota *in vna Varmiens. Canonicatus*, 13. *Iunij* 1608. *coram Cardin. Sacrato.* Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi, part.* 3. *allegat.* 61. *n.* 20. & *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 3.

Sed ego distinctiùs respondeo dicendum primò sic. Non satisfaciet Parochus faciendo professionem fidei per procuratorem, casu quo ille, in cuius manibus facienda ab illo est, id non permittat, sed potiùs positiuè recuset: nam tunc ad eam faciendam teneretur Parochus (& alij ad id obligati) personaliter accedere, vt bene docet Tamburinus suprà, *num.* 13. in quo sensu accepta prima sententia, vera est.

Respondeo tamen secundò dicendum, quod casu, quo id permittat ille, in cuius manibus facienda est professio fidei à Parocho, tunc probabilius est, quod eam possit facere per suum procuratorem, speciale mandatum habentem; & sic satisfacere decreto Concilij Tridentini, quia id clarè probat ratio adducta pro secunda sententia.

QVÆSTIO VI.

An ad fidei professionem pro alio emittendam, sufficiat generale mandatum?

RESpondeo vt certum, quod non sufficiat generale mandatum, sed requiratur speciale. Ratio est, quia in dicto casu procurator habet iurare in animam sui principalis: at in hoc casu semper requiritur speciale mandatum, *cap. nullam, de iuram. calumn. lib.* 6. ergo. Sic D. Anton. Ricciull. quem citat, & sequitur Tamburin. *vbi sup. num.* 15. Barbosa *de officio Parochi cap.* 4. *cit. num.* 3. vbi ex Rota citata aduertit, quod speciale mandatum ad hoc censebitur datum, non solùm quando datur expressum ad faciendam fidei professionem, sed etiam ex mandato ad capiendam possessionem.

QVÆSTIO VII.

An hæc fidei professio facienda sit à Parocho prouiso tam per obitum, quàm per resignationem?

RESpondeo vt certum, quod sic; quia in vtroque casu eadem militat ratio, & ideò in vtroque præfata Concilij Tridentini dispositio procedit. Sic Parisius *de resignat. benefic. lib.* 3. *quæst.* 9. & Ricciull. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. quos citat, & sequitur Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.

QVÆSTIO VIII.

An item prouisus de beneficio curato, Sede Episcopali vacante, teneatur emittere professionem fidei?

RESpondeo vt certum, teneri; quia etiam hunc casum comprehendit dispositio Concilij, vt docent Nicol. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. Squillante, & Ricciull. quos sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 61. *num.* 17. & 18. & *de officio Parochi* 1. *p. cap.* 4. *num.* 6. & *in remission. ad loca Concilij sess.* 24. *de reformat. capite vndecimo num.* 18.

Dubium tamen est inter illos, an huiusmodi de Parochiali, Sede vacante, prouisus, debeat facere præfatam fidei professionem coram Capitulo; an verò coram Capituli Vicario? Et respondent, verius esse eam debere facere coram Vicario Capituli, & non coram Capitulo. Quia (inquit Garcia *n.* 27.) cùm iurisdictio Episcopalis administretur per Vicarium, magis per eum repræsentatur Episcopus, quàm per Capitulum. Sic ille, quem sequitur Barbosa *locis suprà citatis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An rursus teneatur denuò professionem fidei facere Parochus, qui semel emisit eam in adeptione alterius Parochialis?

NEgatunt in facti contingentia aliqui viri docti, quos suppressis nominibus refert Garcia mox citandus.

Sed probabiliùs longè respondeo, teneri talem prouisum denuò professionem fidei emittere. Primò, quia id patet ex generalitate verborum Concilij Tridentini, & Constitutionis Pij IV. suprà citatis, vbi vniuersim decernitur, vt ij, quibus prædicta beneficia conferuntur, fidei professionem faciant.

Secundò, quia sic declarauit Sacra Congregatio Concilij declaratione sequenti: *An teneatur fidei professionem denuò facere is, qui secundam Parochialem consequitur, si in adeptione prabendæ, quam amisit, vel aliàs quacumque de causa coram Episcopo, siue aliis, etiam publicè fidei professionem semel emisit? Congregatio respondit, teneri.* Sic refert, & tenet Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. *&* 18. Necnon Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 8. Vgolin. *de officio Episcopi cap.* 50. §. 16. Squillante *de obligat. cleric. part.* 1. *num.* 90. Campan. *in diuers. iuris canon. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. Ricciull. *cap.* 13. *num.* 19. Sigism. à Bononia *de elect. dub.* 50. *num.* 4. Ascan. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 8. Machado *docum.* 4. *cit. num.* 5. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 8. *& de offic. Parochi part.* 1. *num.* 7. *& in remiss. ad loca Concilij, vbi suprà, num.* 12.

QVÆSTIO X.

An deinde prouisus de Parochiali habitu, teneatur emittere fidei professionem?

REspondeo vt certum, quod non; quia tunc tale beneficium iudicatur quasi simplex. Sic Barbosa *de offic. Parochi loco cit. num.* 9. his verbis: Limita in Parochiali habitu, vtpote, quia olim habuit Parochianos, sed nunc habere desiit: de ea enim prouisus non tenetur fidei professionem emittere, cùm de illa iudicetur perinde ac si esset beneficium simplex. Glossa verbo *Parochialis Ecclesia, vers. quod si Ecclesia, in cap. licèt canon, de elect. lib.* 6. Federic. de Senis *consil.* 183. *per totum*, præsertim *num.* 1. *vers. & posito*, Rebuffus *in praxi tit. de promotis intra annum, num.* 34. Ricciull. *in terminis d. lib.* 1. *cap.* 14. *à num.* 2. Quod adeò verum est, vt si contingat huiusmodi Parochialem habitu, ad priorem statum renocari, videlicet, quia Parochiani redeunt ad habitandum, etiam tunc prouisus de illa minimè tenebitur emittere fidei professionem, vt optimè resoluit Ricciul. *d. lib.* 1. *cap.* 15. *per totum*; quia quando Ecclesia reuertitur ad pristinum statum, titularis non dicitur de nouo prouideri, sed continuare, & persistere in antiqua prouisione. Qui casus non videtur comprehensus in Concilio, cuius dispositio, tanquam pœnalis, debet restringi magis, quàm dilatari, *cap. statutum, de elect. lib.* 6. *cap. in pœnis, & cap. odia, de regul. iuris, eod. lib.* Glossa *in Clement.* 2. *vt lite pend.* Natt. *consil.* 606. *num.* 13. *lib.* 3. plenè Lancellot. *de attem. part.* 2. *cap.* 4. *limit.* 1. *num.* 2. Huc vsque Barbosa.

QVÆSTIO XI.

An prouisi de Parochiali, teneantur vltrò se offerre ad fidei professionem emittendam?

REspondeo vt certum, teneri sponte, & absque monitione se offerre ad fidei professionem faciendam. Tum quia Concilium cum ipsis prouisis loquitur, & eos obligat, & adstringit absolutè ad faciendam dictam fidei professionem. Tum quia sic censuit Sacra Congreg. Concilij, vt refert Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 19. *&* 20. Sic igitur ipse, necnon Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 18. Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 7.

QVÆSTIO XII.

An Parochus, qui intra duos menses à die adeptæ possessionis Parochialis, fidei professionem non emisit, teneatur posteà eam emittere?

REspondeo vt certum, adhuc teneri posteà professionem fidei emittere; quia iste terminus duorum mensium à Concilio assignatus, non est præfixus ad remittendam, aut finiendam obligationem, sed ad differendam executionem pœnæ; & sic non finitur per lapsum dicti termini præfixi, ex regula *cap. cùm dilectus, de dolo, & contum & l. Celsus, ff. de recep. arbit.* Sic tenent Natat. *consil.* 11. *de iureiurando, num.* 1. quem citat, & sequitur Garcia *cap.* 3. *cit. num.* 29. *&* 30. Riccius *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis.* 220. *num.* 4. *p.* 1. Anton. Ricciul. *cap.* 13. *num.* 37. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 8. *num.* 9. Squillante *de obligat. Cleric. part.* 1. *num.* 96. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 119. *num.* 7. Petrus Ledesma *part.* 2. *sum. cap.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 3. Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *p. alleg.* 61. *num.* 22. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 10. *& in remiss. ad loca Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. *num.* 17.

QVÆSTIO XIII.

An Parochus omittens facere fidei professionem intra duos menses à die adeptæ possessionis, incurrat pœnam amissionis fructuum?

REspondeo tanquam quid certum, quod sic; quia hanc pœnam expressè statuit Concil. Tridentin. *sess.* 24. *cit. de reformat. cap.* 12. illis verbis: *Alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Hæc Concilium, & omnes.

QVÆSTIO XIV.

An Parochus, qui emisit fidei professionem post duos menses adeptæ possessionis, amittat fructus illorum duorum mensium?

AFfirmat Petr. Ledesma 2. *p. sum. tract.* 1. *c.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 3. per hæc verba: *Lo segundo, que se a de a duertir, es, que la professìon de la fé que se haze despues de los dos meses, no es de prouecho ninguno, para hazer suyos los fructos del beneficio, que corrieron todo el tiempo de los dos meses, sino que está obligado à restituirlos. Porque por fuerza, y virtud del precepto Ecclesiastico, estan obligados à hazer la professìon de la fé dentro de los dos meses, y sino, no hazen los fructos suyos por aquellos dos meses: y tambien, por que no hauiendo echo los fructos suyos en aquellos dos meses, como en realidad de verdad no los hizieron, la professìon, que se sigue despues de los dos meses, no les puede dar derecho ninguno, como se significa en el Derecho Canonico, y Ciuil, cap. quàm periculosum* 7. *quæst.* 1. *l. qui res*, §. *aream*, *ff. de solut. & liberat.* Hæc Petrus Ledesma.

Sed longè multò probabiliùs respondeo, non amittere fructus illorum duorum mensium, sed solùm fructus decursos post lapsum dictorum duorum mensium: quod optimè ex meo Nauarro *consil.* 11. *de iureiurando, num.* 3. docet Garcia vbi suprà, *num.* 30. ita dicens: Et ita rectè Nauarrus ait, quod professio fidei facta post dictos duos menses, non prodest ad quærendos fructus temporis præteriti, sed sic ad quærendos fructus temporis futuri: nam cùm semel ipso iure amiserit, & non fecerit suos fructus temporis præteriti (intellige decursos post lapsum duorum mensium, non verò decursos in ipsis duobus mensibus) licèt posteà faciat professionem fidei debitam, eos non quærit, *ad l. qui res*, §. *aream*, *ff. de solution.* & sequitur Flam. Parisius *quæst.* 9. *lib.* 10. *num.* 12. 13. & 14. Em. Rodrig. *suprà*, & Ledesma *sup.* 3. *difficult.* Qui tamen malè ait, non facere fructus suos dictorum duorum mensium, nec ad id professionem fidei posteà factam prodesse; quod tamen est omninò falsum: nam siue faciat professionem posteà, siue nunquam eam faciat, Concilium non priuat fructibus decursis illis duobus mensibus, sed in posterum decurrendis, maximè cùm odia, & pœnæ sint restringenda. Sic Garcia, & sic etiam Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 23. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. & penes illum Squillante *d. part.* 1. *num.* 79. & Rota *in Onetens. mercedis*, 12. *Decemb.* 1605.

QVÆSTIO XV.

An terminus duorum mensium datus ad faciendam professionem fidei, currat prouiso, qui non accepit possessionem, eo quod noluerit?

REspondeo dicendum, quod non currat; quia licèt aliàs paria sint, prouisum accepisse possessionem, vel per eum stare, quominus illam accipiat, *cap. commissa, de elect. cum aliis, in* 6. tamen Concilium Tridentin. in proposito solùm obligat ad faciendam professionem fidei prouisos habentes possessionem realiter habet enim considerationem ad exercitium, & administrationem beneficij. Sic omninò Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 32. quem sequitur Barbosa *in remiss. Concilij sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 14.

QVÆSTIO XVI.

An prouisi, qui non fecerint professionem fidei intra illos duos menses, teneantur in conscientia fructus restituere ante sententiam condemnatoriam, aut declaratoriam Iudicis?

NEgant aliqui DD. existimantes, non teneri prouisos præfatos in conscientia fructus sic amissos restituere, donec condemnentur, seu sequatur sententia declaratoria. Ratio eorum est, quia decretum Concilij est pœnale, ac proinde etiamsi pœnam ipso iure irroget, non obligat in foro conscientiæ. Ita Nauarr. *consil.* 12. *de iureiurando, num.* 1. aliàs *consil.* 3. *sub tit. de Sum. Trinitate.* Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *num.* 10. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 72. *art.* 3. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 28. *& de officio Parochi* 1. *p. cap.* 4. *num.* 19. *& de Canonicis cap.* 17. *num.* 24. *& in remission. ad Concil. sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 24. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 23. & nouissimè Thom. Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 12. & Bassæus, quos pro hac parte adduximus nos *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. vbi diximus id esse probabile.

Sed certè probabilius est oppositum. Vnde respondeo dicendum, teneri fructus restituere, etiam ante sententiam condemnatoriam, aut declaratoriam Iudicis. Ratio est, tum quia, vt aliqui volunt, hæc Concilij lex non est purè pœnalis, sed conuentionalis: Tum, & melius omninò, quia licèt sit lex pœnalis, obligat tamen in conscientia, eo quod Concilium sanciat, quod qui professionem fidei omittunt, fructus non faciant suos: ergo dicti prouisi non emittentes fidei professionem, fructuum ius, & dominium acquirere non possunt: ergo obligantur in conscientia ad eorum restitutionem, iuxta dicta in omninò simili de Beneficiario non recitante Horas *part.* 6. *tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 17. Vbi cum communi Doctorum, vt ferè certum dixi, teneri beneficiarium omittentem recitare officium restituere fructus ante sententiam iudicis. Vnde hanc nostram responsionem etiam tenent communiter Doctores, Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 1. *versic. quæres an ob professionem fidei.* Petr. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *concl.* 10. *diff.* 1. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 35. Squilante *de obligat. Cleric. part.* 1. *num.* 98. Vgolin. *de offic. Episcopi, cap.* 50. §. 16. *num.* 4. Ricciullus *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 43. Villalob. *in sum. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 6. *num.* 9. Machado (ni fallor) *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. *num.* 4. vbi hanc opinionem communem, & receptam dicit.

QVÆSTIO XVII.

An si Clericus Parochialem adeptus, omitteret facere professionem fidei, ob ignorantiam, incogitantiam, seu inaduertentiam dicti decreti Concilij, excusaretur à mortali, & consequenter à restitutione fructuum?

NEgat excusari à restitutione fructuum in eo casu dictum Parochum, Petr. Ledesma *tom. 2. summa, tract. 1. cap. 4. concl. 10. diff. 2.* etiamsi ob ignorantiam inuincibilem excusetur à mortali. Quia (inquit) illa Concilij lex non est pœnalis, sed conuentionalis, & sic obligat in conscientia, licèt non sit peccatum

Sed clariùs, ac distinctiùs sic respondeo primò. Certum est apud omnes, quod qui ob ignorantiam inuincibilem dicti decreti Concilij omitteret facere professionem fidei, nullo modo peccaret mortaliter. Quia certum est, quod ignorantia inuincibilis alicuius præcepti, à mortali transgressione illius excusat. Sic ipsemet Ledesma vbi supra, *vers. digo lo tercero*, & omnes.

Respondeo secundò, etiam vt certum, quod talis Clericus non excusatetur in foro externo à restitutione fructuum. Ratio est, quia talis ignorantia est iuris clari, quæ non excusat in eo foro, *regul. ignorantia, lib. 6.* Et ideò sic docent Nauar. Zumel, Vazquez, Suarez, Rodrig. & alij apud Garciam mox citandum.

Respondeo tertiò, & tanquam multò longè probabiliùs, & certè vt mihi certum, quod talis Clericus in eo casu verè excusetur à restitutione fructuum. Patet ex dictis à nobis in simili de illo, qui sine culpa mortali omittit recitare officium diuinum, *p. 6. tract. 8. disp. 7. quæst. 8.* Diximus enim ibi, istum non teneri ad restitutionem fructuum, eo quod carentia illorum inducta fuerit à Pontifice in pœnam culpæ commissæ in omissione Officij: ergo vbi non adest culpa, non debetur hæc pœna: at sic est, quod hæc ipsissima ratio militat in nostro casu: ergo. Vnde hanc responsionem communiter tenent Doctores. Præcipuè Nauarrus *consil. 1. sub tit. de Sum. Trinit. in edit. prima, & in secunda, de iureiurando, consil. 3. 4. 7. 11. & 12.* Azor *part. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 2.* Flamin. *de resignat. lib. 10. q. 9. à num. 8.* Læl. Zechius *de Republ. Eccles. tit. de benef. & pension. cap. 9. num. 3. vers. requiritur etiam.* Rodriguez *in sum. tom 1. cap. 119. num. 7. & tom. 2. qq. Regul. quæst. 72. art. 3.* Pat. Thomas Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 13.* Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. à num. 66.* Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess. 24. cap. 12. num. 22.* Villalob. *tom. 2. tract. 1. diff. 6. num. 8.* Machado *vbi suprà, docum. 4. num. 5.* Diana *part. 5. tract. 14. resol 23. fine*, Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 19. num. 17.* vbi refert, & bene, cum Sanchez, & aliis, aliquem non amittere fructus, si procurator, cui mandatum dedit faciendi fidei professionem, non fecit, ipso inscio, absque culpa, quia est eadem ratio; priuatio enim fructuum est pœna, quæ arctare non potest, vbi culpa non adest. Sic ille.

QVÆSTIO XVIII.

An fructus amissi ob non factam professionem fidei, applicandi sint à Parochis fabricæ ipsarum Ecclesiarum Parochialium, aut pauperibus loci?

REspondeo vt quid certum, quod sic; quia licèt Concilium id non determinet *loco cit.* tamen colligitur ex eo, quod id ipsum determinet, loquendo de fructibus non residentium, *cap. 1. vers. si quis autem, sess. 23. de reformat.* Vnde arguendo ab isto decreto eiusdem Concilij, clarè nostra responsio probatur. Et ideò ita tenet communis omnium ferè sententia, Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 4. num. 21. & in remiss. ad loca Concilij, sess. 24. cap. 12. num. 23.* & penes illum Læl. Zechius *de benefic. & pension. cap. 13. num. 4.* Fuscus *de visitat. lib. 2. cap. 13. num. 4.* Flam. Parisius *de resignat. lib. 10. quæst. 9. num. 123.* & Nicol. Garcia *de benefic. part. 3. cap. 3. à num. 36.*

Qui secus dicunt loquendo de Canonicis, & dignitatibus habentibus fructus in mensa Capitulari: nam fructus amissi ob non factam ab illis professionem fidei, ad Capitulum spectant, sicut fructus non residentium. Legatur Garcia.

QVÆSTIO XIX.

An Canonicus (seu Dignitas) qui ob non factam fidei professionem amisit fructus, possit se componere cum Capitulo, soluta aliqua eorum parte?

AFfirmat sapientiss. Nauarr. *lib. 1. consil. sub tit. de ætate, & qualit. & ordine præficiendorum*, vbi *num. 2. & 3.* docet, non teneri ad restitutionem fructuum, pro quibus se composuit cum Capitulo, ad quod fructus amissi pertinebant.

Sed probabiliùs respondeo, non posse se componere cum Capitulo, soluendo aliquam partem fructuum amissorum. Ratio est, quia ante factam distributionem fructuum, Capitulum, seu Capitulares personæ, non sunt domini bonorum, & redditūum mensæ Capitularis, sed solùm sunt administratores, seu Procuratores (sicut tutor, & curator) & Ecclesia est domina: sed sic est quod administrator non potest donare, seu remittere, *cap. 2. de donat. & l. contra iuris, §. fin. l. Imperatores, ff. de pactis*, cum aliis: ergo qui se composuit cum Capitulo, non manet securus in conscientia, & ideò partem sibi remissam debet restituere fabricæ Ecclesiæ. Sic Nicol. Garcia *de benefic. part. 3. cap. 3. num. 46. iuncto numero 428. capitis 2.* quem citat, & sequitur Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, vbi sup. num. 23.* quod ampliùs constabit ex mox dicendis.

QVÆSTIO XX.

An possit Episcopus, seu Ordinarius condonare fructus amissos ob non factam professionem fidei?

RESpondeo vt certum, non posse, quia Episcopus, aut Ordinarius non potest dispensare contra decretum conciliare, nisi in casibus sibi expressè permissis: ergo non poterit remittere pœnam inflictam à Concilio; & consequenter non poterit condonare fructus amissos ob non factam professionem fidei: Solus ergo Romanus Pontifex id poterit. Sic censuit Sacra Congregatio Concilij super dictum caput 12. Concilij, his verbis: *Fructus amissos ob fidei professionem non factam iuxta hoc decretum, remittere non potest Ordinarius, sed recurrendum est ad Papam, qui solet eos condonare.* Sic Sacra Congreg. quam refert, & sequitur Nicol. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 53. Nauar. *lib.* 3. *consil. de Cleric. non resident. consil.* 3. Fuscus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. *in fine.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg.* 61. *num.* 32. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. *& in remiss. ad loca Concilij, vbi supra.*

QVÆSTIO XXI.

An Canonicus prouisus, qui nondum fecit fidei professionem, possit nihilominus haberi pro præsente, & percipere fructus de licentia Capituli?

REspondeo dicendum, nec posse haberi pro præsente, neque percipere fructus, etiamsi id velit Capitulum, nisi aliàs id fiat ex indulto Apostolico, vel explicitè concedente, vt talis Canonicus possit percipere fructus ante factam fidei professionem; vel implicitè, vt si paulò post prouisionem concedatur sibi indultum de percipiendis fructibus in absentia. Sic censuit Sacra Congreg. Concilij, quam refert Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 51. & tenent ipse *ibi num.* 50. Ricciull. *lib.* 1. *cit. cap.* 16. *num.* 8. & Barbosa *de officio Parochi* 1 *p. cap.* 4. *num.* 17.

QVÆSTIO XXII.

An beneficiarij curati, qui fidei professionem non fecerunt, possint sibi fructus beneficij retinere priuilegio regulæ Cancellariæ de triennali possessione?

AFfirmandum videtur, eo quod possessor triennalis beneficij, bona fide illud cum titulo colorato possidens, fit dominus eius, & verum titulum quærit, per regul. de triennali possessore: ergo similiter beneficiarij Curati (aut Canonici, &c.) qui professionem fidei publicè non emiserunt intra duos menses à die possessionis adeptæ, ob ignorantiam præcepti Concilij Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. & posteà possederunt pacificè vltra tres annos, facient fructus suos.

Sed vt certum respondeo, minimè posse, adhuc in dicto casu, fructus beneficij sibi retinere; quia certum est, quod nec longissima, nec triennalis possessio beneficij prodest quidquam ei, qui non emisit professionem fidei, quoad fructus percipiendos, quamdiu dictam professionem non emiserit, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij, quam sequuntur Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib.* 8. *q.* 9. *num.* 122. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 119. *num.* 7. & P. Ledesma *vbi sup. diff.* 4. *&* 7. quos omnes citat, & cum eis tenet Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 33. *&* 34. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 3. Prosper de Augustino *verb. beneficiorum possessio, lit. B.* Riccius *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis.* 220. *num.* 11. *part.* 1. Ricciullus *vbi sup. cap.* 16. *num.* 13. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 26. *& de offic. Parochi, part.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. & Nauar. *consil.* 7. *de iureiurando.* Vbi ad rationem dubitandi respondet, alium esse casum illum, in quo agitur de canonizando titulo; & alium, de quo agitur de quærendo dominio fructuum, canonico titulo perceptorum, vt palam est. Tum quia ratio, quæ mouit ad constituendam illam regulam de triennali, non conuenit huic nostro casui. Nam ratio constituendi illam regulam fuit ad obuiandum innumeris litibus quæ nascebantur, longè, diúque duraturis super iure beneficij parum duraturo, cui non est locus in casu proposito, cùm præceptum prædicti Concilij non fuerit factum ad obuiandum vllis litibus, sed ad obuiandum hæresibus. Hæc meus Nauarrus.

QVÆSTIO XXIII.

An dicti beneficiarij curati, qui professionem fidei non emiserunt, non solum amittant fructus, sed etiam omninò titulum, & possessionem ipsorum beneficiorum?

AFfirmandum videtur ex verbis Concilij, quæ vtrumque velle videntur. Ait namque Concilium sic: *Alioquin prædicti omnes prouisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Ergo non solum fructus beneficiorum, verùm etiam & titulum aut proprietatem vult Concilium vt amittant, qui professionem fidei non emiserunt. Et ideo hanc partem esse probabilem, clarè innuunt Nauarrus, & Azor mox citandi.

Sed nihilominus probabiliùs longè respondeo, non ob non factam professionem fidei amittere prædictos beneficiarios titulum, possessionem, aut proprietatem beneficiorum; sed solùm eorum fructus, vt diximus. Ratio est, quia illa verba Concilij solùm impediunt perceptionem fructuum, & possessionem quoad hunc effectum, nempe quoad fructuum perceptionem, vt constat ex materia de qua agit Concilium. Quod optimè probat Nauarr. *loco cit. consil.* 8. hoc argumento. Nam intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, *cap. intelligentia, de verbor. signific.* & verba secundum materiam subiectam sunt intelligenda, etiam impropriando ea, *l. si,* §. *vno, ff. locati.* At materia in qua proferuntur prædicta verba, est materia acquisitionis, vel amissionis fructuum beneficij, & non tituli eius: ergo intelligenda sunt de suffragio, & adiutorio, quod dat possessio ad quærendum, vel ad non perdendum fructus, & non quod conuenit ad quærendum, vel non perdendum titulum. Sic ille, quem sequuntur Azor q. 3 *citata, vers. nihilominus tamen*, Sanchez *lib.* 2. *sum c.* 5. *n* 10. Parisius, Vgolin. Campan. Ricciull. & Ferentil. quos citat, & sequitur Barbosa

cap.8. cit. num.3. Armendariz, & Nicol. Garcia apud ipsum, Palaus *tom.2. tract.13. disp.5. punct.1. n.6.* Vasq. *de benef. cap.4. §.2. art.2. dub.1. num.179.* Azor *p.2. lib.7. cap.4. q.3.* & communis.

QVÆSTIO VIII.

An item Parochus, qui tenuem habet Parochiam, aut in ea sunt solùm tres, aut quatuor incolæ, teneatur adhuc residere?

AD vtrumque quæsitum respondeo affirmatiuè. Primum constat, quia tenuitas Parochiæ non tollit curam, quam ex officio habet Parochus erga suos Parochianos; & ideò sic sentiunt Reginald. *lib.30. num.294.* Palaus *loco cit. num.5.* & Rebuff. *in tract. nominat. q.8. num.27.* & Barbosa mox citandus, & alij.

Secundum etiam patet ex declaratione 14. Cardinal. quam affert Nicol. Garcia *de benefic. part.3. cap.2. num.179.* his verbis: *Rector, seu Parochus, qui habet Parochiam, intra cuius limites adhuc habitant Parochiani, tenetur in ea residere, etiamsi tantùm essent in illa Parochia tres, vel quatuor incolæ.* Sic S. Congregatio Concilij, quam etiam sequuntur Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ, lib.2. tit.23. l.2. §.2. num.142.* Barbosa *de potest. Episcopi part.3. alleg.53. num.70. & de officio Parochi part.1. cap.8. num.4.* qui secus dicunt, casu quo Parochialis Ecclesia in totum parochianos habere desierit; quia tunc de illa prouisus non tenetur personaliter residere, cùm de ea iudicari debeat, ac si esset beneficium simplex. Quod etiam constat ex à nobis in simili dictis *disp.2. quæst.14.*

QVÆSTIO IX.

An obtinens Monasterium, seu Abbatiam, quæ cura, & conuictu caret, teneatur etiam ibi residere?

REspondeo dicendum, quod non, quia residentia exigitur ob curam animarum. Sic tenet Nicol. Garcia *num.70.* sequendo nouam declarationem Sacræ Congreg. Concilij, sic dicentis: *In Monasterijs, & Abbatijs, quæ cura, & conuictu carent, non est necessaria residentia.* Sic S. Congreg. quam etiam sequuntur Barbosa *loco cit. n.6.* ibi: Sicut nec teneretur residere obtinens Monasterium, seu Abbatiam, quæ cura, & connentu (lege conuictu) caret. Sic ille ex Garcia vbi suprà, & Armendariz *dicto loco, n.159.*

QVÆSTIO X.

An item excusetur à residentia ille, cui incumbit sola cura baptizandi omnes infantes oppidi?

REspondeo, non excusari, sed potiùs teneri ad residentiam in illius oppidi Parochia, ad minus tanquam adiutor Ecclesiæ Parochialis. Sic Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.8. num.7.* & Armendariz vbi suprà, *num.178.*

QVÆSTIO XI.

An teneatur residere obtinens per prouisionem Sedis Apostolicæ Parochialem Ecclesiam, cum liberò curæ exercitio, & omnibus fructibus, casu, quo ei in limine adeptæ possessionis mota lis fuerit per aliquem in petitorio?

REspondeo dicendum, teneri ad residentiam in dicta Ecclesia, quia verè habet curam illius, & gaudet fructibus eius. Sic Aloys. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. resp.395. num.5.* & Barbosa *vbi suprà, num.8.* qui legendus est aduertenter ob defectum Typographiæ.

QVÆSTIO XII.

An deinde Parochi, quibus datus est à Papa coadiutor perpetuus cum futura successione, teneantur ad residentiam?

NEgandum videtur, eo quod ad hoc eis detur coadiutor, vt pro eis curam, & officium exerceat. Quo fundamento quidam Parochus opulentæ Parochialis, habens talem coadiutorem, nunquam in ea resedit, vt narrat Garcia mox citandus.

Sed certè oppositum vt quid verum respondeo, nempe, quod teneantur ad residentiam, & ad curam animarum, quatenus eam exercere valeant. Quia non est credendum, Papam dare Parocho coadiutorem, ad eximendum eum omninò à residentia, & cura animarum ei incumbente de iure diuino; sed vt eum adiuuet. Nam per concessionem coadiutoris non transfertur tota cura animarum in coadiutorem ipsum, ablata Parochi administratione. Sic Garcia *de benefic. part.3. cap.2. num.176.* vbi *num.178.* has duas declarationes S. Congregationis adducit. Primam sic dicentem: *Arguuntur Episcopi, qui causâ infirmitatis constituunt in Parochialibus Ecclesijs Vicarios perpetuos, data etiam facultate Rectori de non residendo.* Secundam, & magis ad propositum casum, sic: *Parochus debet residere in loco, vbi sita est Ecclesia Parochialis, etiamsi esset ei datus coadiutor ratione infirmitatis.* Sic S. Congregatio, & sic etiam Armendariz *in addit. ad recopilat. Legum Nauarræ, lib.2. tit.23. l.2. §.2. sub tit. sed an Parochi debeant residere in suis curatis, numero 129.* & Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.8. num.20.*

titur, nisi casu, quo adsit magna inaequalitas numeri Parochianorum, vel permutantes non fuissent examinati, tempore, quo Parochiales adepti sunt; nam tunc eos examinandos esse, quamvis absque concursu, refert Garcia *part. 9. de benefic. cap. 2. num. 165.* vbi ad propositum quinque declarationes adducit. Sic etiam tenet ex illo Barbosa *loco cit. num. 3.* Flamin. Lael. Zechi, Genuens. & Prosper de Augustino, apud ipsum: tenet etiam idem *de offic. Parochi p. 1. cap. 2. num. 23.* Vgolin. Lessius, Filliuc. Riccius, quos ipse citat.

QVÆSTIO XXXII.

An in prouisione dignitatum habentium vnitam Parochialem, sit faciendum examen per concursum?

RESpondeo dicendum, quod non, casu, quo Parochialis perpetuò, & accessoriè vnita sit dignitati; secus si Parochialis esset vnita dignitati aequè principaliter: nam tunc faciendum est concursus examen ratione Parochialis. Sic sensit Congregatio Concilij, vt refert Garcia *cap. 2. cit. n. 193.* vbi affert has duas declarationes. Primam his verbis: *Examen concursus non est necessarium in dignitate, quae Parochialem perpetuò, & accessoriè vnitam habet.* Secundam sic; *Episcopo Conchensi, & Nuntio Hispaniae sic respondit 22. Iunij 1575. S. D. N. ex sententia Congregationis Concilij declarauit, examen, quod ex decreto Concilij sess. 24. cap. 18. faciendum est per concursum in collatione Parochialium, non debere fieri in prouisione Dignitatis Abbatiae; tametsi vnita sit ei Parochialis Ecclesia, dummodo haec vnio authoritate Sedis Apostolicae, ac perpetuò, & accessoriè facta sit.* Sic Sacra Congreg. ex quibus declarationibus apertè manet probata prima pars nostrae responsionis, & ex eisdem colligitur secunda, nempe quod si Parochialis sit vnita Dignitati aequè principaliter, faciendum sit examen per concursum, vt docet idem Garcia *num. 194.* & apud ipsum Gonzalez *ad Reg. 8 Cancellar. glossa 5. §. 7. num. 13. & glossa 6. n. 161.* Prosper de Augustino *sup. quaest. 3.* & Lessius *d. cap. 34. num. 82.* Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *ad cap. 18. Concilij, sess 24. num. 4. & 5.* vbi citat Anastas. Germon. *de indultis Cardinal. §. quibusuis, n. 7.* & Stephan. Gratian. *discept. forens. cap. 273. num. 48.* Et rursus hoc ipsum docet ipse *de offic. Parochi 1. p. cap. 2. num. 18.* citans etiam vltra proximè citatos, Rotam, Salgad. Nouar. Riccium, & Lael. Zechi.

QVÆSTIO XXXIII.

An Parochiales litigiosae debeant per concursum conferri?

NEgat Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 2. n. 15.* his verbis: Primo igitur concursu non conferuntur Parochiales litigiosae; solet enim à Sede Apostolica in Ecclesiis litigiosis subrogari alius gratiosè, absque concursu, & vtplurimùm collitigans. Ita Gonzalez *glossa 6, num. 150.* Nicol. Garcia *d. part. 9. cap. 2. §. 1. num. 170.* Aloys. Riccius *in d. praxi fori Eccles. resol. 358. vers. tertiò.* Massobr. *in d. praxi praelud. 3. dub. 3. à num. 18.* Nouar. *in singul. iuris Canon. concl. 65. num. 5.* Ego ipse *de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 60. num. 3.* Hucvsque Barbosa.

Sed certè ipsemet Barbosa oppositum docet *in sum. Apostolic. decis. collect. 552. num. 26.* verbis huiusmodi: Parochiales litigiosae concursu conferuntur, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, sed ius demortui in alium transferre, nisi constet Sanctitatem suam voluisse dicto decreto concilij derogare. Sacra Congreg. Concilij, referente Nicol. Garcia *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 170.* Haec Barbosa, qui vt vides, pro vtraque parte citat Garciam, sed meliùs pro ista. Nam hic Author ibi, *num. 169.* Hanc quaestionem his verbis proponit, & resoluit, nempe: Sextò principaliter dubitatur, an in Parochialibus litigiosis vacantibus habeat locum concursus, non obstante lite? In quo videbatur dicendum, quod non, *ex cap. 1. & 2. vt lite pendente, in 6. & Clement. 1. eod. tit.* & tenet Gonzalez *d. glos. 6. à num. 142.*

Nihilominus tamen (pergit *num. 170.*) contrarium censuit Sancta Congregatio, Iunij 23. 1594 his verbis: *Congregatio Concilij censuit, decretum Concilij Tridentini, cap. 18. sess. 24. de reformat. vbi de concursu faciendo super Parochialibus agitur, habere locum, etiam quoad Parochiales, si litigiosa sint, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, verùm ius demortui in alium transferre, nisi constet Sanctitatem suam voluisse dicto decreto Concilij derogare.* Hieronym. Cardin. Matthaeus. Quae declaratio potest fundari *d. cap. 18.* ibi: *Non obstantibus huic decreto, &c.* Pondero illa verba: *Et aliis impedimentis quibuscumque.* Haec omnia Garcia, qui & clariùs, & meliùs quàm Barbosa, locis pro prima sententia negatiua adductis. Sic etiam Filliuc. *tract. 41. cap. 4. num. 142.*

QVÆSTIO XXXIV.

An Vicaria perpetua Parochiae vnitae, debeat etiam conferri per concursum?

RESpondeo quod non, nisi casu, quo non solùm exercitium, verùm etiam cura totalis, & habitualis in Vicarium transferatur, quia tunc eius Vicaria concursu est conferenda. Tunc autem praesumitur totalis cura in Vicarium translata, quando certa portio assignatur Rectori Ecclesiae, caeteris fructibus remanentibus penes Vicarium. Prima pars huius responsionis habetur in Constit. Pij V. quae incipit: *Ad exequendum*, sub dat. Kalend. Nouembris 1567. in illis verbis: *Volumus insuper, & ita mandamus, quod isti Vicarij perpetui, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis vniis ponuntur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum praeuio examine, & approbatione deputentur.* Haec Pontifex. Cuius verbis probata manet prima pars nostrae sententiae, quam tenent, & docent Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. glossa 5. §. 3. num. 53. & 54.* Garcia *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 292.* Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. resol. 358. n. 1.* Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 147.* Vgolin. Lotter. Caualer. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de Offic. Parochi part. 1. cap. 2. num. 19.* vbi etiam docet secundam partem nostrae sententiae, citans pro ea Rebuffum, Caputaq. Caualer. & Rotam.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXV.

An in Regularibus curatis, seu in Parochialibus beneficiis, quæ Regularibus conferuntur, sit faciendus concursus?

RESpondeo vt quid certum, quod non; quia de his curatis non loquitur Concilium Trident. *cap.* 18. *cit.* & ita censuit S. Congregatio, his verbis: *Hoc decretum de concursu, non habet locum in beneficiis Regularibus, quæ Regularibus conferri consueuerunt.* Hæc Congregatio, quæ approbatur, & confirmatur per Breue Sixti V. quod adducit Rodriguez *in Collectan. priuilegior. Regular. Bulla* 25. *Sixti V.* Sic Garcia *cap.* 2. *cit. num.* 197. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 18. Gonzalez *glossa* 6. *num.* 162. Filliuc. *vbi sup. num.* 145. Vgolin. Riccius, & Rota, quos citat, & sequitur Barbosa *part.* 3. *de potest. Episcopi, alleg.* 60. *n.* 33. & de offic. *Parochi part.* 1. *cap.* 2. *num.* 21.

QVÆSTIO XXXVI.

An saltem dicti Regulares curati, seu Prioratus, debeant prouideri per concursum, si soliti sint commendari sæcularibus?

RESpondeo tanquam certum, quod neque isti debeant prouideri per concursum; quia etiam id constat ex quadam declaratione Sac. Congreg. facta 26. Iulij 1590. his verbis: *Congregatio censuit in Prioratibus Regularibus habentibus curam animarum, solitis commendari sæcularibus, non requiri concursum.* Sic Sacra Congregatio apud Garciam *loco cit. num.* 199. Filliuc. *loco cit.* & Barbosa *dicta alleg.* 60. *num.* 34. *&* *de offic. Parochi cap.* 2. *cit. num.* 22. vbi legendus est cum aduertentia, eo quod dicat, non esse prouidendos per concursum Prioratus Regulares, habentes curam animarum, soliti commendari Regularibus. Legendum enim est, *soliti commendari sæcularibus*, vt constat ex verbis declarationis S. Congregationis.

QVÆSTIO XXXVII.

An cura animarum, quæ in Ecclesia Collegiata exercetur per Canonicos, vel Hebdomadarios, conferatur concursu?

RESpondeo tanquam certum, quod non; quia certum est, non loqui de his Curatis Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. Et ideò sic docent Prosper. de Augustino *in sum. Bullarij, verb. benef. parochial. collatio, quæst.* 3. *vers. quorum primus est.* Parisius *lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 42. Vgolin. Gonzalez, & Riccius, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 60. *num.* 30. *&* *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 2. *num.* 26.

QVÆSTIO XXXVIII.

An in Parochialibus iurispatronatus Ecclesiastici, requiratur examen per concursum?

RESpondeo tanquam certum, quod sic; quia sic est constitutum in Concilio Trident. *cap.* 18. *cit.* illis verbis: *Porrò Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra duodecim dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquos Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet.* Hæc Concilium. Et infrà hæc: *Si verò iurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur.* Hæc Concilium. Sic Garcia *de benef. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 261. vbi *num.* 262. tres adducit declarationes S. Congregationis. Sic etiam ex illo Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 146.

QVÆSTIO XXXIX.

An item in Parochialibus iurispatronatus Laicorum, requiratur examen per concursum?

RESpondeo vt certum, quod in his prouidendis non requiratur examen per concursum, sed solùm præsentatus examinandus est ab Ordinario, cum tribus saltem Examinatoribus synodalibus, & in idoneo reperto facienda est institutio. Sic habetur in Concilio *cap.* 18. *citato*, his verbis: *Quod si iuspatronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt suprà, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Sic Concilium, & sic omnes, Garcia *lib.* 9. *de benef. cap.* 2. *num.* 255. vbi affert duas Congreg. Concilij declarationes, & citat Parisium *lib.* 8. *q.* 9. *num.* 111. Zerolam 1. *p. praxis Episcop. verb. Parochia*, §. 2. *dub.* 7. Lessium *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 58. *&* 81. Zechi, & Genuens. Sic etiam Filliuc. vbi suprà, *num.* 146. Quod si plures fuerint præsentati, iam dicam.

QVÆSTIO XL.

An saltem casu, quo plures fuerint præsentati à patronis laicis, tunc requiratur examen per concursum?

RESpondeo vt certum, quod tunc verè requiratur examen per concursum inter ipsos præsentatos: quia ita censuit S. Congregatio Concilij, iis verbis: *Veniente vacatione Parochialium de iurepatronatus laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantum: ex his, qui facto examine idonei ab Examinatoribus renuntiati fuerint, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alterum, instituat.* Sic S. Congregatio apud Garciam *de benefic. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 256. vbi etiam affert decisionem Rotæ 30. Iunij, 1587. & citat Parisium *lib.* 7. *quæst.* 5. *num.* 21. & Gonzalez *d. glossa* 6. *num.* 138. Sic etiam Filliuc. *loco citato*, Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 18. quem

quem citat, & sequitur Barbosa *in Summa Apostolicar. decis. collect. 552. num. 37.*

QVÆSTIO XLI.

An item Parochiales iurispatronatus mixti, idest, Clericorum, & laicorum, subiaceant forma examinis per concursum?

NEgandum videtur, eo quod tale beneficium parochiale censendum sit laicale, non Ecclesiasticum, vt tradunt Felinus *in tract. quando litera Apostolica, ampliat. 6. & limitat. 3.* Roch. *de iurepatronat. verb. ius, num. 15.* Lambert. *3. p. 2. lib. q. 9. art. 9.* & Couarru. *practicar. cap. 36. num. 5. vers. tertiò opportunè.* Atqui Parochialis iurispatronatus laicalis non subiacet formæ examinis per concursum, vt suprà *quæst. 38.* est habitum: ergo nec Parochialis iurispatronatus mixti: & sic vltra citatos tenet Barbosa *in summa Apostolicar. decision. collect. 552. num. 59.* vbi adducit pro se quandam declarationem Sacræ Congreg. Concilij, habitam 5. Februarij 1628. quam priùs adduxerat *1. p. de offic. Parochi, cap. 2. num. 126.* his verbis: Verum nouissimè Sacra Congreg. Concilij Trident. sub die 5. Februarij 1628. censuit, in collatione Ecclesiæ Parochialis iurispatronatus mixti, idest, partim Ecclesiastici, & partim laicalis, non requiri formam examinis per concursum. Quam declarationem authenticam, & originalem mihi aliàs dubitanti Romæ ostendit Reuerendiss. D. Viuianus, Episcopus Salonens. & illius meminit *in appendice suæ praxis iurispatronatus, ad lib. 10. cap. 1. num. 34. pag. 760. in nouiss. impress.* & hanc partem multis tuentur Melchior Phœbos Lusitan. *decis. 214. tom. 2.* Gabriel Pereyra *de manu Regia part. 1. cap. 7. num. 32. cum seqq.* Sic Barbosa, qui latè id probat.

Sed alij contrà communiter sentiunt, dictas Parochiales iurispatronatus mixti, idest, partim Ecclesiæ, partim laici, si pro duabus partibus pertinent ad laicum, & pro vna tantùm pertineant ad Ecclesiam, verè subiacere formæ examinis per concursum habitæ *in d. cap. 18.* Concilij Tridentini; quam Concilium ibi præscribit in conferenda Parochiali, quæ sit iurispatronatus merè Ecclesiastici. Ratio eorum est, tum quia tale beneficium potiùs est censendum Ecclesiasticum, quàm laicale: atqui beneficium Parochiale merè Ecclesiasticum, confertur per concursum: ergo.

Tum etiam, quia sic sæpius fuisse declaratum à Sacra Congreg. Concilij, fatetur Garcia his verbis: Nihilominus tamen in proposito, contrarium, nempe censendum esse Ecclesiasticum, censuit Sacra Congregatio, vt apparet ex declarationibus sequentib. super *d. vers. Si verò.* Prima; *Idem in collatione, & institutione iurispatronatus mixti scilicet, partim laici, partim Ecclesiastici.* Secunda; *Si iuspatronatus mixtum sit, laicale scilicet, & Ecclesiasticum, quoad examen per concursum, Ecclesiasticum censendum est.* Tertia: *In collatione Ecclesiæ Parochialis, quæ sit iurispatronatus partim Ecclesiæ, partim laici, seruanda est forma examinis per concursum hic posita, quam Concilium præstitit in conferenda Parochiali, quæ iurispatronatus sit merè Ecclesiastici. Idem dicendum est, quando patronatus pro duabus partibus pertinet ad laicos, pro vna tantùm ad Ecclesiasticum.* Sic Sacra Congregatio.

Cuius ratio (addit Garcia) esse potest fauor Ecclesiarum, vt illis meliùs prouideatur; & quod qualitas Clericalis attenditur, cùm Ecclesiæ, vel personę Ecclesiasticæ prodest. Felin. *in tract. quando litera Apostolica, concl. 6.* Rochus Lambertus *1. p. lib. 1. quæst. 1. art. 6.* & alij. Hucvsque Garcia *part. 9. de benefic. cap. 2. num. 278. & sequent.* Cuius sententiam tenent (apud Barbosam *de offic. Parochi loco cit. num. 125.*) Gambac. *de offic. Legati lib. 3. n. 369.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glossa 6. num. 135.* Gallet. *in Margarita casuum consc. verb. iuspatronatus, pag. 145. col. 2.* Riccius *in praxi rerum fori Eccles. decis. 420.* aliàs *resol. 357.* Matescot. *variar. resol. lib. 1. cap. 52. num. 7.* Addent. *ad decis. 498. Gregory XV.* Viuian. *in praxi iurispatron. lib. 1. c. 1. num. 33. & 34.* Massobr. *in praxi habendi concursum, præl. 7. dub. 25. num. 2.* & Salgad. *cap. 9. ex n. 108.* quos omnes sequutus fuerat ipsemet Barbosa (vt ipsemet fatetur) *de potest. Episcopi 3. p. alleg. 60. n. 17.* & tenent alij communiter.

Ex his duabus sententiis, hæc secunda probabilior est mihi, casu, quo declarationes, quas pro ea adducit Garcia, non sint expressè correctæ per nouissimam, quam pro se refert Barbosa; quod certè non credo, cùm de illis nulla mentio fiat. Et certè ratio id suadet; & ideò hanc sententiam tenet Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 146.*

QVÆSTIO XLII.

An Parochiales huiusmodi, nempe iurispatronatus mixti, cadant sub reseruationibus, ita vt, si vacauerint in mensibus reseruatis, Ordinarius, nulla habita ratione patronorum, debeat facere concursum, & eligere magis idoneum à Summo Pontifice instituendum?

AFfirmat Concilium Prouinciale Bononiens. factum ab Eminentiss. Cardin. Paleoto Archiepiscopo Bononiens. anno Domini 1586. his verbis: *Collatio Ecclesiæ, & institutio erit facienda ab eo, ad quem spectat: & si fuerit beneficium iurispatronatus Ecclesiastici, quod vacauerit in mense reseruato, institutio spectabit ad Papam, facta ei attestatione examinis per concursum, & dignioris ab Episcopo electi.* Hæc Prouinciale Concilium, vt refert Garcia *de benef. part. 9. cap. 2. fine.*

Sed probabiliùs respondeo negatiuè. Sic tenet Filliuc. *loco cit. num. 146.* ex Garcia *loco citato, cap. 2. num. 284.* sic dicente: In hac difficultate dico, quod quamvis ad effectum concursus, istud iuspatronatus censeatur Ecclesiasticum, vt meliùs prouideatur, vt dixi (loco à nobis quæst. antecedenti relato) tamen ad effectum reseruationis ipsarum Parochialium censendum est laicale, ex traditis *d. cap. 1. 5. part. à num. 558.* ne laicus ex societate Clerici nimium præiudicium patiatur, quamvis dictum Concil. Mediolanense (lege, *Bononiense*) suprà contrarium videatur sancire. Hæc Garcia.

DISPV

DISPVTATIO III.

De professione fidei à Parochis facienda.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochi teneantur post adeptam possessionem, fidei professionem emittere?

RESPONDEO tanquam quid certum, quod sic; quia sic præcipit Tridentina Synodus *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. his verbis: *Prouisi enim de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minùs intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent.* Sic Concilium. Ex quo constat, Parochos teneri post adeptam possessionem, saltem intra duos menses, publicam fidei professionem facere. Sic tenent omnes Doctores. Legantur de professione fidei emittenda, Nicol. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *per totum.* Sayrus *decis.* 1. *& seqq. sub titulo de constitut.* Riccius *in collectan. decis. part.* 3. *collect.* 579. Thom. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 5. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *&* 2. *verbo fidei professio.* Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. Ascan. Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 8. *q.* 3. Man. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 19. Petrus Ledesma *part.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *concl.* 10. Barbosa *in remission. ad loca Concilij Trident. sess.* 24. *cap.* 12. *n.* 7. *& de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. Machado *lib.* 4. *sum. part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. & egomet *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1.

QVÆSTIO II.

Qua ratione, aut forma debeat fieri à Parochis dicta fidei publica professio?

RESpondeo dicendum, quod debeat fieri iuxta formam traditam à Pio V. in Constitut. quæ incipit, *iniunctum nobis*, sub dat. idibus Nouemb. 1564. quam referunt Archiepiscop. Bononiens. *part.* 2. *in princip.* Quaranta *in summa Bullarij, verb. fidei professio*, Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. Lauorius *var. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 41. Et ideò sic docent Garcia, & Barbosa *locis cit.* & omnes.

QVÆSTIO III.

An dicta professio fidei possit fieri à Parocho coram Vicario Episcopi, etiam Episcopo non impedito?

NEgandum videtur, ex illis verbis Concilij *quæst.* 1. adductis, nempe; *in manibus sui Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario.*

Sed probabiliùs respondeo, dicendum est, quod possit, & sufficiat fieri coram Vicario Episcopi, etiam Episcopo non impedito, licèt conuenientius sit coram ipsomet Episcopo fieri. Vtramque huius responsionis partem docet Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 23. vbi difficultati propositæ his verbis respondet: Nihilominus tamen dicendum est, posse, & satisfieri dicto decreto, faciendo professionem coram Vicario, etiam Episcopo non impedito: nam illa verba (nempe *in manibus ipsius Episcopi, &c.*) solùm ponuntur ad admonitionem, & denotandum, conuenientius esse eam facere coram ipso Episcopo, cessante impedimento; & ita etiam accipiuntur similia verba *in cap.* 18. *versu, transacto, sess.* 24. *de reformat.* vt dicetur infrà *part.* 9. *cap.* 2. 1. *dubio, num.* 119. Hæc Garcia, quem sequuntur Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 6. *num.* 8. Squillante *de obligat. Cleric. part.* 1. *num.* 92. & Barbosa *de potestate Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 16. *& de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 2.

QVÆSTIO IV.

An huiusmodi iuramentum, & professio fidei, debeat fieri à Parocho tactis Euangeliis?

REspondeo dicendum, quod sic; quia sic constat ex verbis formæ traditæ in Constitut. cit. Pij IV. ibi: *Sic Deus me adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.* Debet igitur tale iuramentum fieri tactis Sacris Euangeliis, aliàs non valebit. Sic Rota *in casu Carthagin. fructuum, coram Platto,* 19. *Februar. &* 1. *Iulij, &* 22. *Nouemb.* 1588. vt refert Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 73. *& sequent.* Qui bene aduertit, sufficere, si Scriptura Sacra, quæ tangitur, sit, vel contineat Euangelia, seu Euangelium aliquod de quatuor Euangelistis. Vide de hac re me ipsum *part.* 7. *tract. de iuramento.*

QVÆSTIO V.

An hæc fidei professio emitti possit per procuratorem, speciale mandatum ad id habentem?

NEgant plures Doctores, existimantes, talem fidei professionem debere fieri à Parocho personaliter per semetipsum, & ideò non sufficere, si per procuratorem, etiam speciale mandatum ad id habentem, fiat. Ita sentiunt Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *num.* 169. *vers. similiter.* Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 166. *num.* 22. Vgolin. *de potest. Episcopi cap.* 50. §. 16. *num.* 1. Additionator Nauarri *ad consil.* 11. *de iureiurando*, dicentes ita respondisse Sac. Concilij Congregationem. Fr. Sigismundus

Sigismundus à Bononia, *de electione dub.* 50. *n.* 3. Garcia *de benef. loco nuper cit. num.* 75. dicens, non solùm id sensisse Sac. Concilij Congregationem, sed etiam Rotam, in casu Carthagin. *quæst. anteced.* adducto. Sic etiam tenet Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 611. vbi *num.* 5. Sic ait: Professionem fidei per se ipsos, & non per procuratorem tenentur emittere prouisi de Parochialibus, & Canonicatibus in Cathedralibus. Sacra Congregatio Concilij *in Seguntina* 18. *Aprilis* 1590. & iterum *in alia causa, die* 12. *Septemb.* 1610. Quarum meminere Garcia *de benefic. cap.* 3. *num.* 51. *declarat.* 1. Scortia *in select. as Sum. Pontificumconstitut. epitom.* 84. *theorem.* 207. *vers. quid si beneficiarius*: & citato Farinacio, & Bellarm. D. Ioan. de Solorzano *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. Hæc Barbosa ibi; quamvis alibi contrarium omninò teneat, vt mox videbimus. Tenet etiam Filliuc. *tom.* 3. *tr.* 41. *cap.* 6. *num.* 9. & alij plures apud Dianam *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 23.

Alij igitur contrà affirmant, hanc fidei professionem posse emittere Parochos (& alios ad hanc faciendam obligatos) non solùm per seipsos, sed etiam per procuratorem speciale mandatum ad id habentem. Ratio eorum est, quia neque Concilium Tridentin. neque Constitutio Pij IV. vtuntur verbis significantibus personalitatem, & propterea succedit regula iuris: *Quicumque potest aliquid facere per semetipsum, potest illud facere per procuratorem, l.* 1. *ff. de procuratorib. cap. qui per alium, & cap. potest quis, de regul. iuris in* 6. Deinde id probant ex *cap. optatum* 100. *dist. in fine*, illis verbis: *Nec aliquem, qui hanc iureiurando firmaret, miseris.* Vbi Præpositus id expressè notat. Nam figurando casum ait, quod qui desiderat pallium suscipere, per se, vel procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, debet profiteri fidem Catholicam, & iurare, se seruaturum canones Conciliorum, & decreta Romanorum Pontificum. Et ideò sic sentiunt Nauarr. *consil.* 11. *de iureiurando, in nouis* aliàs *consil.* 4. *sub tit. de sum. Trinit.* Petrus de Ledesma *part.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 6. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 6. Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. fidei professio.* Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. *num.* 7. Campan. *in Diuersorio Iuris Canon. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 19. Ricciul. *de iure personarum extra gremium Ecclesiæ existent. lib.* 1. *cap.* 13. *à num.* 21. Viuian. *in praxi iurispatronat. lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 27. Nonat. *in singul. canonic. singul.* 114. *n.* 8. Machado *in summa lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. *n.* 2. Massobrius *in tract. de Synodo diœcesana, cap.* 40. *dub.* 40. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *n.* 11. & 12. Lauor. *var. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 22. *n.* 2. Ferentil. *in annot. ad decis.* 522. *Buratti, num.* 16. & Rota *in vna Varmiens. Canonicatus*, 13. *Iunij* 1608. *coram Cardin. Sacrato.* Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi, part.* 3. *allegat.* 61. *n.* 20. & *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 3.

Sed ego distinctiùs respondeo dicendum primò sic. Non satisfaciet Parochus faciendo professionem fidei per procuratorem, casu quo ille, in cuius manibus facienda ab illo est, id non permittat, sed potiùs positiuè recuset: nam tunc ad eam faciendam teneretur Parochus (& alij ad id obligati) personaliter accedere, vt bene docet Tamburinus suprà, *num.* 13. in quo sensu accepta prima sententia, vera est.

Respondeo tamen secundò dicendum, quod casu, quo id permittat ille, in cuius manibus facienda est professio fidei à Parocho, tunc probabilius est, quod eam possit facere per suum procuratorem, speciale mandatum habentem; & sic satisfacere decreto Concilij Tridentini, quia id clarè probat ratio adducta pro secunda sententia.

QVÆSTIO VI.

An ad fidei professionem pro alio emittendam, sufficiat generale mandatum?

RESpondeo vt certum, quod non sufficiat generale mandatum, sed requiratur speciale. Ratio est, quia in dicto casu procurator habet iurare in animam sui principalis: at in hoc casu semper requiritur speciale mandatum, *cap. nullam, de iuram. calumn. lib.* 6. ergo. Sic D. Anton. Ricciull. quem citat, & sequitur Tamburin. *vbi sup. num.* 15. Barbosa *de officio Parochi cap.* 4. *cit. num.* 3. vbi ex Rota citata aduertit, quod speciale mandatum ad hoc censebitur datum, non solùm quando datur expressum ad faciendam fidei professionem, sed etiam ex mandato ad capiendam possessionem.

QVÆSTIO VII.

An hæc fidei professio facienda sit à Parocho prouiso tam per obitum, quàm per resignationem?

RESpondeo vt certum, quod sic; quia in vtroque casu eadem militat ratio, & ideò in vtroque præfata Concilij Tridentini dispositio procedit. Sic Parisius *de resignat. benefic. lib.* 3. *quæst.* 9. & Ricciull. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. quos citat, & sequitur Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.

QVÆSTIO VIII.

An item prouisus de beneficio curato, Sede Episcopali vacante, teneatur emittere professionem fidei?

RESpondeo vt certum, teneri; quia etiam hunc casum comprehendit dispositio Concilij, vt docent Nicol. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. Squillante, & Ricciull. quos sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 61. *num.* 17. & 18. & *de officio Parochi* 1. *p. cap.* 4. *num.* 6. & *in remissionib. ad loca Concilij sess.* 24. *de reformat. capite vndecimo, num.* 18.

Dubium tamen est inter illos, an huiusmodi de Parochiali, Sede vacante, prouisus, debeat facere præfatam fidei professionem coram Capitulo; an verò coram Capituli Vicario? Et respondent, verius esse eam debere facere coram Vicario Capituli, & non coram Capitulo. Quia (inquit Garcia *n.* 27.) cùm iurisdictio Episcopalis administretur per Vicarium, magis per eum repræsentatur Episcopus, quàm per Capitulum. Sic ille, quem sequitur Barbosa *locis suprà citatis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An rursus teneatur denuò professionem fidei facere Parochus, qui semel emisit eam in adeptione alterius Parochialis?

NEgarunt in facti contingentia aliqui viri docti, quos suppressis nominibus refert Garcia mox citandus.

Sed probabiliùs longè respondeo, teneri talem prouisum denuò professionem fidei emittere. Primò, quia id patet ex generalitate verborum Concilij Tridentini, & Constitutionis Pij IV. suprà citatis, vbi vniuersim decernitur, vt ij, quibus prædicta beneficia conferuntur, fidei professionem faciant.

Secundò, quia sic declarauit Sacra Congregatio Concilij declaratione sequenti: *An teneatur fidei professionem denuò facere is, qui secundam Parochialem consequitur, si in adeptione præbendæ, quam amisit, vel aliàs quacumque de causa coram Episcopo, sine aliis, etiam publicè fidei professionem semel emisit? Congregatio respondit, teneri.* Sic refert, & tenet Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. *&* 18. Necnon Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 8. Vgolin. *de officio Episcopi cap.* 50. §. 16. Squillante *de obligat. cleric. part.* 1. *num.* 90. Campan. *in diuers. iuris canon. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. Ricciull. *cap.* 13. *num.* 19. Sigism. à Bononia *de elect. dub.* 50. *num.* 4. Ascan. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 8. Machado *docum.* 4. *cit. num.* 5. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 8. *& de offic. Parochi part.* 1. *num.* 7. *& in remiss. ad loca Concilij, vbi suprà, num.* 12.

QVÆSTIO X.

An deinde prouisus de Parochiali habitu, teneatur emittere fidei professionem?

REspondeo vt certum, quod non; quia tunc tale beneficium iudicatur quasi simplex. Sic Barbosa *de offic. Parochi loco cit. num.* 9. his verbis: Limita in Parochiali habitu, vtpote, quia olim habuit Parochianos, sed nunc habere desiit: de ea enim prouisus non tenetur fidei professionem emittere, cùm de illa iudicetur perinde ac si esset beneficium simplex. Glossa verbo *Parochialis Ecclesia, vers. quod si Ecclesia, in cap. licèt canon, de elect. lib.* 6. Federic. de Senis *consil.* 183. *per totum*, præsertim *num.* 1. *vers. & posito*, Rebuffus *in praxi tit. de promotis intra annum, num.* 34. Ricciull. *in terminis d. lib.* 1. *cap.* 14. *à num.* 2. Quod adeò verum est, vt si contingat huiusmodi Parochialem habitu, ad priorem statum reuocari, videlicet, quia Parochiani redeunt ad habitandum, etiam tunc prouisus de illa minimè tenebitur emittere fidei professionem, vt optimè resoluit Ricciul. *d. lib.* 1. *cap.* 15. *per totum*; quia quando Ecclesia reuertitur ad pristinum statum, titularis non dicitur de nouo prouideri, sed continuare, & persistere in antiqua prouisione. Qui casus non videtur comprehensus in Concilio, cuius dispositio, tanquam pœnalis, debet restringi magis, quàm dilatari, *cap. statutum, de elect. lib.* 6. *cap. in pœnis, & cap. odia, de regul. iuris, eod. lib.* Glossa *in Clement.* 2. *vt lite pend.* Natt. *consil.* 606. *num.* 13. *lib.* 3. plenè Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 4. *limit.* 1. *num.* 2. Huc vsque Barbosa.

QVÆSTIO XI.

An prouisi de Parochiali, teneantur vltrò se offerre ad fidei professionem emittendam?

REspondeo vt certum, teneri sponte, & absque monitione se offerre ad fidei professionem faciendam. Tum quia Concilium cum ipsis prouisis loquitur, & eos obligat, & adstringit absolutè ad faciendam dictam fidei professionem. Tum quia sic censuit Sacra Congreg. Concilij, vt refert Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 19. *&* 20. Sic igitur ipse, necnon Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 18. Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 7.

QVÆSTIO XII.

An Parochus, qui intra duos menses à die adeptæ possessionis Parochialis, fidei professionem non emisit, teneatur posteà eam emittere?

REspondeo vt certum, adhuc teneri posteà professionem fidei emittere; quia iste terminus duorum mensium à Concilio assignatus, non est præfixus ad remittendam, aut finiendam obligationem, sed ad differendam executionem pœnæ; & sic non finitur per lapsum dicti termini præfixi, ex regula *cap. cùm dilectus, de dolo, & contum. & l. Celsus, ff. de recep. arbit.* Sic tenent Nauar. *consil.* 11. *de iureiurando, num.* 1. quem citat, & sequitur Garcia *cap.* 3. *cit. num.* 29. *&* 30. Riccius *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis.* 220. *num.* 4. *p.* 1. Anton. Ricciul. *cap.* 13. *num.* 37. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 8. *num.* 9. Squillante *de obligat. Cleric. part.* 1. *num.* 96. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 119. *num.* 7. Petrus Ledesma *part.* 2. *sum. cap.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 3. Quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *p. alleg.* 61. *num.* 22. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 10. & *in remiss. ad loca Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. *num.* 17.

QVÆSTIO XIII.

An Parochus omittens facere fidei professionem intra duos menses à die adeptæ possessionis, incurrat pœnam amissionis fructuum?

REspondeo tanquam quid certum, quod sic; quia hanc pœnam expressè statuit Concil. Tridentin. *sess.* 24. *cit. de reformat. cap.* 12. illis verbis: *Alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Hæc Concilium, & omnes.

QVÆSTIO XIV.

An Parochus, qui emisit fidei professionem post duos menses adeptæ possessionis, amittat fructus illorum duorum mensium?

AFfirmat Petr. Ledesma 2. *p. sum. tract.* 1. *c.* 4. *post* 10. *concl. diff.* 3. per hæc verba: *Lo segundo, que se a de aduertir, es, que la professiõn de la fé que se haze despues de los dos meses, no es de prouecho ninguno, para hazer suyos los fructos del beneficio, que corrieron todo el tiempo de los dos meses, sino que está obligado à restituirlos. Porque por fuerza, y virtud del precepto Ecclesiastico, estan obligados à hazer la professiõn de la fé dentro de los dos meses, y sino, no hazen los fructos suyos por aquellos dos meses: y tambien, por que no hauiendo echo los fructos suyos en aquellos dos meses, como en realidad de verdad no los hizieron, la professiõn, que se sigue despues de los dos meses, no les puede dar derecho ninguno, como se significa en el Derecho Canonico, y Ciuil, cap. quàm periculosum* 7. *quæst.* 1. *l. qui res*, §. *aream*, *ff. de solut. & liberat.* Hæc Petrus Ledesma.

Sed longè multò probabiliùs respondeo, non amittere fructus illorum duorum mensium, sed solùm fructus decursos post lapsum dictorum duorum mensium: quod optimè ex meo Nauarro *consil.* 11. *de iureiurando, num.* 3. docet Garcia vbi suprà, *num.* 30. ita dicens: Et ita rectè Nauarrus ait, quod professio fidei facta post dictos duos menses, non prodest ad quærendos fructus temporis præteriti, sed sic ad quærendos fructus temporis futuri: nam cùm semel ipso iure amiserit, & non fecerit suos fructus temporis præteriti (intellige decursos post lapsum duorum mensium, non verò decursos in ipsis duobus mensibus) licèt posteà faciat professionem fidei debitam, eos non quærit, *ad l. qui res*, §. *aream*, *ff. de solution.* & sequitur Flam. Parisius *quæst.* 9. *lib.* 10. *num.* 12. 13. & 14. Em. Rodrig. *suprà*, & Ledesma *sup.* 3. *difficult.* Qui tamen malè ait, non facere fructus suos dictorum duorum mensium, nec ad id professionem fidei posteà factam prodesse; quod tamen est omninò falsum: nam siue faciat professionem posteà, siue nunquam eam faciat, Concilium non priuat fructibus decursis illis duobus mensibus, sed in posterum decurrendis, maximè cùm odia, & pœnæ sint restringenda. Sic Garcia, & sic etiam Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61 *num.* 23. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. & penes illum Squillante *d. part.* 1. *num.* 79. & Rota *in Onetens. mercedis*, 12. *Decemb.* 1605.

QVÆSTIO XV.

An terminus duorum mensium datus ad faciendam professionem fidei, currat prouiso, qui non accepit possessionem, eo quod noluerit?

REspondeo dicendum, quod non currat; quia licèt aliàs paria sint, prouisum accepisse possessionem, vel per eum stare, quominus illam accipiat, *cap. commissa, de elect. cum aliis, in* 6. tamen Concilium Tridentin. in proposito solùm obligat ad faciendam professionem fidei prouisos habentes possessionem realiter habet enim considerationem ad exercitium, & administrationem beneficij. Sic omninò Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 32. quem sequitur Barbosa *in remiss. Concilij sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 14.

QVÆSTIO XVI.

An prouisi, qui non fecerint professionem fidei intra illos duos menses, teneantur in conscientia fructus restituere ante sententiam condemnatoriam, aut declaratoriam Iudicis?

NEgant aliqui DD. existimantes, non teneri prouisos præfatos in conscientia fructus sic amissos restituere, donec condemnentur, seu sequatur sententia declaratoria. Ratio eorum est, quia decretum Concilij est pœnale, ac proinde etiamsi pœnam ipso iure irroget, non obligat in foro conscientiæ. Ita Nauarr. *consil.* 12. *de iureiurando, num.* 1. aliàs *consil.* 3. *sub tit. de Sum. Trinitate.* Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *num.* 10. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 72. *art.* 3. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 28. *& de officio Parochi* 1. *p. cap.* 4. *num.* 19. *& de Canonicis cap.* 17. *num.* 24. *& in remission. ad Concil. sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 24. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 23. & nouissimè Thom. Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 12. & Bassæus, quos pro hac parte adduximus nos *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. vbi diximus id esse probabile.

Sed certè probabilius est oppositum. Vnde respondeo dicendum, teneri fructus restituere, etiam ante sententiam condemnatoriam, aut declaratoriam Iudicis. Ratio est, tum quia, vt aliqui volunt, hæc Concilij lex non est purè pœnalis, sed conuentionalis: Tum, & melius omninò, quia licèt sit lex pœnalis, obligat tamen in conscientia, eo quod Concilium sanciat, quod qui professionem fidei omittunt, fructus non faciant suos: ergo dicti prouisi non emittentes fidei professionem, fructuum ius, & dominium acquirere non possunt: ergo obligantur in conscientia ad eorum restitutionem, iuxta dicta in omninò simili de Beneficiario non recitante Horas *part.* 6. *tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 17. Vbi cum communi Doctorum, vt ferè certum dixi, teneri beneficiarium omittentem recitare officium restituere fructus ante sententiam iudicis. Vnde hanc nostram responsionem etiam tenent communiter Doctores, Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 1. *versic. quæres an ob professionem fidei.* Petr. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *concl.* 10. *diff.* 1. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 35. Squilante *de obligat. Cleric. part.* 1 *num.* 98. Vgolin. *de offic. Episcopi, cap.* 50. §. 16. *num.* 4. Ricciullus *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 43. Villalob. *in sum. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 6. *num.* 9. Machado (ni fallor) *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. *num.* 4. vbi hanc opinionem communem, & receptam dicit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An si Clericus Parochialem adeptus, omitteret facere professionem fidei, ob ignorantiam, incogitantiam, seu inaduertentiam dicti decreti Concilij, excusaretur à mortali, & consequenter à restitutione fructuum?

NEgat excusari à restitutione fructuum in eo casu dictum Parochum, Petr. Ledesma *tom. 2. summa, tract. 1. cap. 4. concl. 10. diff. 2.* etiamsi ob ignorantiam inuincibilem excusetur à mortali. Quia (inquit) illa Concilij lex non est pœnalis, sed conuentionalis, & sic obligat in conscientia, licèt non sit peccatum

Sed clariùs, ac distinctiùs sic respondeo primò. Certum est apud omnes, quod qui ob ignorantiam inuincibilem dicti decreti Concilij omitteret facere professionem fidei, nullo modo peccaret mortaliter. Quia certum est, quod ignorantia inuincibilis alicuius præcepti, à mortali transgressione illius excusat. Sic ipsemet Ledesma vbi supra, *vers. digo lo tercero*, & omnes.

Respondeo secundò, etiam vt certum, quod talis Clericus non excusaretur in foro externo à restitutione fructuum. Ratio est, quia talis ignorantia est iuris clari, quæ non excusat in eo foro, *regul. ignorantia, lib. 6.* Et ideò sic docent Nauar. Zumel, Vazquez, Suarez, Rodrig. & alij apud Garciam mox citandum.

Respondeo tertiò, & tanquam multò longè probabiliùs, & certè vt mihi certum, quod talis Clericus in eo casu verè excusetur à restitutione fructuum. Patet ex dictis à nobis in simili de illo, qui sine culpa mortali omittit recitare officium diuinum, *p. 6. tract. 8. disp. 7. quæst. 8.* Diximus enim ibi, istum non teneri ad restitutionem fructuum, eo quod carentia illorum inducta fuerit à Pontifice in pœnam culpæ commissæ in omissione Officij: ergo vbi non adest culpa, non debetur hæc pœna: at sic est, quod hæc ipsissima ratio militat in nostro casu: ergo. Vnde hanc responsionem communiter tenent Doctores. Præcipuè Nauarrus *consil. 1. sub tit. de Sum. Trinit. in edit. prima, & in secunda, de iureiurando, consil. 3. 4. 7. 11. & 12.* Azor *part. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 2.* Flamin. *de resignat. lib. 10. q. 9. à num. 8.* Læl. Zechius *de Republ. Eccles. tit. de benef. & pension. cap. 9. num. 3. vers. requiritur etiam.* Rodriguez *in sum. tom. 1. cap. 119. num. 7. & tom. 2. in Regul. quæst. 72. art. 3.* Pat. Thomas Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 13.* Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. à num. 66.* Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, sess. 24. cap. 12. num. 22.* Villalob. *tom. 2. tract. 1. diff. 6. num. 8.* Machado *vbi suprà, docum. 4. num. 5.* Diana *part. 5. tract. 14. resol 23. fine*, Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 19. num. 17.* vbi refert, & bene, cum Sanchez, & aliis, aliquem non amittere fructus, si procurator, cui mandatum dedit faciendi fidei professionem, non fecit, ipso inscio, absque culpa, quia est eadem ratio; priuatio enim fructuum est pœna, quæ arctare non potest, vbi culpa non adest. Sic ille.

QVÆSTIO XVIII.

An fructus amissi ob non factam professionem fidei, applicandi sint à Parochis fabricæ ipsarum Ecclesiarum Parochialium, aut pauperibus loci?

REspondeo vt quid certum, quod sic; quia licèt Concilium id non determinet *loco cit.* tamen colligitur ex eo, quod id ipsum determinet, loquendo de fructibus non residentium, *cap. 1. vers. si quis autem, sess. 23. de reformat.* Vnde arguendo ab isto decreto eiusdem Concilij, clarè nostra responsio probatur. Et ideò ita tenet communis omnium ferè sententia, Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 4. num. 21. & in remiss. ad loca Concilij, sess. 24. cap. 12. num. 23.* & penes illum Læl. Zechius *de benefic. & pension. cap. 13. num. 4.* Fuscus *de visitat. lib. 2. cap. 13. num. 4.* Flam. Parisius *de resignat. lib. 10. quæst. 9. num. 123.* & Nicol. Garcia *de benefic. part. 3. cap. 3. à num. 36.*

Qui secus dicunt loquendo de Canonicis, & dignitatibus habentibus fructus in mensa Capitulari: nam fructus amissi ob non factam ab illis professionem fidei, ad Capitulum spectant, sicut fructus non residentium. Legatur Garcia.

QVÆSTIO XIX.

An Canonicus (seu Dignitas) qui ob non factam fidei professionem amisit fructus, possit se componere cum Capitulo, soluta aliqua eorum parte?

AFfirmat sapientiss. Nauarr. *lib. 1. consil. sub tit. de ætate, & qualit. & ordine præficiendorum*, vbi *num. 2. & 3.* docet, non teneri ad restitutionem fructuum, pro quibus se composuit cum Capitulo, ad quod fructus amissi pertinebant.

Sed probabiliùs respondeo, non posse se componere cum Capitulo, soluendo aliquam partem fructuum amissorum. Ratio est, quia ante factam distributionem fructuum, Capitulum, seu Capitulares personæ, non sunt domini bonorum, & redditutum mensæ Capitularis, sed solùm sunt administratores, seu Procuratores (sicut tutor, & curator) & Ecclesia est domina: sed sic est quod administrator non potest donare, seu remittere, *cap. 2. de donat. & l. contra iuris, §. fin. l. Imperatores, ff. de pactis*, cum aliis: ergo qui se composuit cum Capitulo, non manet securus in conscientia, & ideò partem sibi remissam debet restituere fabricæ Ecclesiæ. Sic Nicol. Garcia *de benefic. part. 3. cap. 3. num. 46. iuncto numero 428. capitis 2.* quem citat, & sequitur Barbosa *in remiss. ad loca Concilij, vbi sup. num. 23.* quod ampliùs constabit ex mox dicendis.

cap.8. cit. num.3. Armendariz, & Nicol. Garcia apud ipsum, Palaus *tom.2. tract.13. disp.5. punct.1. n.6.* Vasq. *de benef. cap.4. §.2. art.2. dub.1. num.179.* Azor *p.2. lib.7. cap.4. q.3.* & communis.

QVÆSTIO VIII.

An item Parochus, qui tenuem habet Parochiam, aut in ea sunt solùm tres, aut quatuor incolæ, teneatur adhuc residere?

AD vtrumque quæsitum respondeo affirmatiuè. Primum constat, quia tenuitas Parochiæ non tollit curam, quam ex officio habet Parochus erga suos Parochianos; & ideò sic sentiunt Reginald. *lib.30. num.294.* Palaus *loco cit. num.5.* & Rebuff. *in tract. nominat. q.8. num.27.* & Barbosa mox citandus, & alij.

Secundum etiam patet ex declaratione 14. Cardinal. quam affert Nicol. Garcia *de benefic. part.3. cap.2. num.179.* his verbis: *Rector, seu Parochus, qui habet Parochiam, intra cuius limites adhuc habitant Parochiani, tenetur in ea residere, etiamsi tantum essent in illa Parochia tres, vel quatuor incolæ.* Sic S. Congregatio Concilij, quam etiam sequuntur Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ, lib.2. tit.23. l.2. §.2. num.142.* Barbosa *de potest. Episcopi part.3. alleg.53. num.70. & de officio Parochi part.1. cap.8. num.4.* qui secus dicunt, casu quo Parochialis Ecclesia in totum parochianos habere desierit; quia tunc de illa prouisus non tenetur personaliter residere, cùm de ea iudicari debeat, ac si esset beneficium simplex. Quod etiam constat ex à nobis in simili dictis *disp.2. quæst.14.*

QVÆSTIO IX.

An obtinens Monasterium, seu Abbatiam, quæ cura, & conuictu caret, teneatur etiam ibi residere?

REspondeo dicendum, quod non, quia residentia exigitur ob curam animarum. Sic tenet Nicol. Garcia *num.70.* sequendo nouam declarationem Sacræ Congreg. Concilij, sic dicentis: *In Monasteriis, & Abbatiis, quæ cura, & conuictu carent, non est necessaria residentia.* Sic S. Congreg. quam etiam sequuntur Barbosa *loco cit. n.6.* ibi: Sicut nec teneretur residere obtinens Monasterium, seu Abbatiam, quæ cura, & conuentu (lege conuictu) caret. Sic ille ex Garcia vbi suprà, & Armendariz *dicto loco, n.139.*

QVÆSTIO X.

An item excusetur à residentia ille, cui incumbit sola cura baptizandi omnes infantes oppidi?

REspondeo, non excusari, sed potiùs teneri ad residentiam in illius oppidi Parochia, ad minus tanquam adiutor Ecclesiæ Parochialis. Sic Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.8. num.7.* & Armendariz vbi suprà, *num.178.*

QVÆSTIO XI.

An teneatur residere obtinens per prouisionem Sedis Apostolicæ Parochialem Ecclesiam, cum liberò curæ exercitio, & omnibus fructibus, casu, quo ei in limine adeptæ possessionis mota lis fuerit per aliquem in petitorio?

REspondeo dicendum, teneri ad residentiam in dicta Ecclesia, quia verè habet curam illius, & gaudet fructibus eius. Sic Aloys. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. resp.395. num.5.* & Barbosa *vbi suprà, num.8.* qui legendus est aduertenter ob defectum Typographiæ.

QVÆSTIO XII.

An deinde Parochi, quibus datus est à Papa coadiutor perpetuus cum futura successione, teneantur ad residentiam?

NEgandum videtur, eo quod ad hoc eis detur coadiutor, vt pro eis curam, & officium exerceat. Quo fundamento quidam Parochus opulentæ Parochialis, habens talem coadiutorem, nunquam in ea resedit; vt narrat Garcia mox citandus.

Sed certè oppositum vt quid verum respondeo, nempe, quod teneantur ad residentiam, & ad curam animarum, quatenus eam exercere valeant. Quia non est credendum, Papam dare Parocho coadiutorem, ad eximendum eum omninò à residentia, & cura animarum ei incumbente de iure diuino; sed vt eum adiuuet. Nam per concessionem coadiutoris non transfertur tota cura animarum in coadiutorem ipsum, ablata Parochi administratione. Sic Garcia *de benefic. part.3. cap.2. num.176.* vbi *num.178.* has duas declarationes S. Congregationis adducit. Primam sic dicentem: *Arguuntur Episcopi, qui causâ infirmitatis constituunt in Parochialibus Ecclesiis Vicarios perpetuos, data etiam facultate Rectori de non residendo.* Secundam, & magis ad propositum casum, sic: *Parochus debet residere in loco, vbi sita est Ecclesia Parochialis, etiamsi esset ei datus coadiutor ratione infirmitatis.* Sic S. Congregatio, & sic etiam Armendariz *in addit. ad recopilat. Legum Nauarræ, lib.2. tit.23. l.2. §.2. sub tit. sed an Parochi debeant residere in suis curatis, numero 129.* & Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.8. num.20.*

Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 61. num. 26. & de offic. Parochi part. 1. cap. 4. num. 11.* Nicol. Garcia *de benef. part. 3. cap. 3. num.* 33. & communis.

QVÆSTIO XXIV.

An Parochi (aut alij obligati) qui non faciunt professionem fidei intra tempus constitutum à Concilio, peccent mortaliter?

NEgare videtur Thomas Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 12. num. 4.* vbi loquendo de præfato decreto Tridentini, ita ait: Nota tertiò: cùm hoc decretum contineat pœnam restituendi fructus, atque adeò sit lex pœnalis, non est impossibile obligare solùm ad illam, & non (vt putat Sanc.) ad peccatum mortale. Ratio est, quia alibi docuimus, legem pœnalem ad nil amplius, nisi ad pœnam obstringere transgressorem. Hæc ille. Cuius sententia licèt non careat aliquali probabilitate, vt innuimus *part. 6. tract. 2. disp. 5. quæst. 1.*

Nihilominus tamen longè multò probabilius, imò vt mihi ferè certum respondeo, peccare mortaliter. Primò, quia ex sæpe nuper dictis id clarè apparet. Secundò, quia Concilium Tridentinum vtitur in suo decreto verbo *teneantur*, quod est necessitatis, & præcepti, quod regulariter loquendo induceit mortale, vt cum multis tenet Garcia mox citandus, & Barbosa, qui id colligit *ex cap. nam concupiscentiam, de constitut.* Et ideò sic in nostro casu tenent Garcia *cap. 3. cit. num. 65.* & penes ipsum Nauar. *de iureiurand. consil. 7. & 11.* Patisius, Petrus Ledesma, & Rodriguez *vbi suprà*, Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 4. num. 14.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 5. num. 2.* Squillante *1. p. n. 95.* & communis. Qui tamen liberant à mortali Parochum, casu, quo dictam fidei professionem ob ignorantiam inuincibilem, incogitantiam, aut inaduertentiam illam non fecerit, vt cum communi diximus & nos suprà. Nec adhuc peccabit mortaliter, si leuiter, non notabiliter, negligens in illa emittenda fuerit. Nam tunc à mortali excusabitur ob leuitatem materiæ, hoc est, ob breue tempus, quod præteriit.

DISPVTATIO IV.

De Parochorum residentia in suis Ecclesiis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochi, & alij animarum Rectores teneantur Iure Canonico residere in suis Ecclesiis?

RESPONDEO tanquam quid certum, teneri; quia sic constat ex toto titulo Iur. Canon. *de Clericis non resident.* Vnde certum est apud omnes, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Præpositos, Parochos, & cæteros, quibus est animarum cura commissa, in suis Ecclesiis commorari, & præsentes esse debere. Constat id *ex cap. ad hæc, de prebend. cap. extirpandæ, §. si quis verò, eod. tit. cap. quia nonnulli, de Cleric. non resid. cap. licèt, de elect. in 6.* & nouissimè Concil. Trident. *sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. de reformat.* Et sic docent omnes DD. de hac materia tractantes, de qua iuris Pontificij Interpretes agunt *in cap. vltim. & cap. quia nonnulli, cit. & cap. conquerente, de Cleric. non resident.* Innocent. Hostiens. Ioan. Andr. Panormit., & alij infrà citandi.

QVÆSTIO II.

An non solùm beneficiarij curati, sed etiam beneficiarij simplices, ad assiduam residentiam in suis Ecclesiis iure canonico teneantur.

REspondeo tanquam certum, etiam beneficiarios simplices ad dictam in suis Ecclesiis residentiam iure canonico teneri; quia sic colligitur *ex cap. quia nonnulli, & cap. conquerente*, suprà adductis, *ex cap. Sanctorum, dist. 70. cap. Clericos dist. 71. cap. Eleutherius dist. 91. cap. 1. 21. quæst. 1.* sed apertiùs id habetur *in cap. quia nonnulli, cit.* in quo ex Concil. Lateran. hæc habentur verba: *Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius valeat per se ipsam exercere.* Sic Concilium; & sic tenent Innocent. Hostiens. Ioan. Andr. Panormitan. Selua, Rebuffus, Angel. Rosella, Siluest. Tabiena, & Nauarr. quos affert, & sequitur Azor *p. 2. lib. 7. cap. 3. quæst. 1. vers. sed dubitatur.* Zerola, Lælius Zechius, Hoieda, & alij, quos sectatur Garcia *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 1.* Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 1.*

QVÆSTIO III.

An saltem ex generali consuetudine iam beneficiarij simplices à residentia personali deobligentur?

REspondeo tanquam quid certum, iam consuetudine generaliter recepta, à personali residentia deobligari, dummodo alios substituant, qui eorum Ecclesiis inseruiant. Sic sæpe censuit Sacra Congregatio Concilij, vt ait Garcia *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 8. & 9.* vbi inter alias declarationes, has duas sic refert. In vna Mediolanens. Sacra Congregatio Concilij ita censuit: *Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia aliquod personale seruitium suis beneficiis impendere, cùm ex antiquissima totius Ecclesiæ consuetudine non nisi ad officium recitandum teneantur.* Et Cardin. Burgens. sic respondit. *Eadem S. Congregatio. Obtinens beneficium, quod sit simplex, & sine cura animarum, & extra Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inseruiendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario.* Sic S. Congreg. & si Azor *loco citato, vers. quæras aliquis, & vers. quæres itidem:* vbi probat, hanc consuetudinem ius canonicum abrogantem, rectè introduci potuisse. Garcia *loco cit. à num. 3.* & apud illum Albert. Sbrotius, Rebuff. Hoieda, Mandosius, Zerola, Zechius, Rota, & alij.

QVÆSTIO XIX.

An saltem Parochus habens duas Parochias aquè principaliter vnitas, nec vna sit dignior, nec principalior altera, possit in earum vna sibi benè visa residere?

RESpondeo vt certum, posse in qua maluerit residere; quia sic Sac. Congreg. rescripsit Episcopo Abulens. 15. Martij 1575. vt refert Garcia *vbi suprà, declarat.* 16. & etiam Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarra, lib.* 2. *tit.* 25. §. 2. *sub rubr. sed an Parochi debeant residere, num.* 144. & Barbosa *in summa Apostolicar. decis. collect.* 649. *n.* 6. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 11. Palaus *punct.* 2. *cit. n.* 2.

QVÆSTIO XX.

An residens in Parochiali, quæ non longè est à Collegiata, in qua habet Canonicatum, possit diebus ferialibus ad Ecclesiam Collegiatam accedere, & in ea Diuinis inseruire?

RESpondeo dicendum, posse certè, dummodo omnibus diebus, & horis suis debitis, & congruis Parochiali inseruiat, & nihil prorsus relinquat ex debito seruitio ipsius Parochialis. Sic tenet Garcia *loco cit. in declaratione* 8. *Congreg.* Armendariz *loco cit. num.* 136. & Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 8. *numero* 16.

QVÆSTIO XXI.

An qui habet Canonicatum, & Parochialem in duabus Diœcesibus, & non residet ex permissu Episcopi in Parochiali, vt tenetur, cogendus sit ad residendum in Canonicatu?

RESpondeo vt certum, quod sit cogendus; quia sic fuisse decisum à S. Congregatione Concilij, referunt Nicol. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 184. Armendar. *in addit. ad recopil. legum Nauarra lib.* 2. *tit.* 23. *l.* 2. §. 21 *de residentia Canonic. num.* 14. quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 113. *& de officio Parochi p.* 1. *cap.* 8. *num.* 17.

QVÆSTIO XXII.

An Parochus debeat residere in domo propria ipsiusmet Ecclesiæ Parochialis?

RESpondeo vt certum, quod debet in ea domo habitare. Quod si Ecclesia Parochialis nullam habeat domum, tunc debeat habitare in alia domo, quæ sit intra limites Parochiæ, aut saltem ita vicina Parochiali Ecclesiæ, vt inde commodè possit per seipsum ei inseruire. Sic omninò S. Congreg. Concilij, vt referunt Garcia *vbi suprà, num.* 179. *declarat.* 21. Armendar. *d. tit.* §. *sed an Parochi debeant residere in suis Curatis, n.* 179. Ludou. de S. Ioanne *tit. de residentia, num.* 11. Aloys. Riccius *in decis. Curia Archiepisc. Neapolit. part.* 4. *decis.* 41. Sanctarell. *variar. resol. q.* 4. *n.* 46. quos omnes sequitur Barbosa *in summa decis. Apostolic. collect.* 559. *verb. Parochus quoad residentiam*, & *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 53. *n.* 71. *& de offic. Parochi p.* 1. *cap.* 8. *num.* 34. & ante hos omnes Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Parochus*, §. 4. Adde cum Barbosa *num.* 35. quod si Parochus non habeat ibi domum propriam, debet aliquam conducere; quod etiam ex sententia Sac. Congregat. docet Garcia *cit. declar.* 24. (non 21. vt citat Barbosa) Palaus *loco cit. punct.* 2. *n.* 1.

QVÆSTIO XXIII.

An Parochus, qui non habitat in domo Ecclesiæ Parochialis, vel si Ecclesia eam non habeat, in alia propinquiori, intra limites Parochiæ, teneatur ad restitutionem fructuum, de quibus in decreto Tridentini sess. 23. cap. 1. de reformat.

AFfirmat Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 559. *citata, num.* 4. vbi citat pro se Sacram Congreg. Concilij, quam refert, & citat Nicol. Garcia *d. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 179.

Sed certè Nicol. Garcia oppositum omninò docet eodem loco à Barbosa citato, *declarat.* 22. his verbis: *Congregatio censuit, Parochum cogendum esse habitare in domo Ecclesiæ, vel si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites Parochiæ: quod si non habitauerit, non teneri ad restitutionem fructuum, de quibus in hoc decreto.* Hæc Sacra Congregationis verba relata à Nicolao Garcia, cui facilè crederem, nisi aliam declarationem Congreg. inuenissem apud Pasqualigum *var. decis.* 465. *num.* 2. decidentem, quod Parochus cogatur habitare in domo Ecclesiæ, quam si non habet, saltem in viciniori loco intra Parochiam; secus perdat fructus. Sic S. Congreg.

QVÆSTIO XXIV.

An licitè possit Parochus, domo propriâ Parochiali relicta, habitare in paterna, vel cognatorum domo?

Respondeo, posse, si ex prædicta domo paterna possit residentiæ muneri satisfacere. Sic Barbosa *de officio Parochi part.1. cap.8. citato, num.37.* ita scribens: Sed si habeat domum propriam Ecclesia, & Parochus, ea relicta, habitet in paterna, vel cognatorum domo, intra fines Parochiæ existente, propter honesta seruitia, & sui maius commodum, sciente, & tacente Episcopo, credo residentiæ muneri satisfacere; quia licèt ex vicinitate Ecclesiæ posset faciliùs Sacramenta ministrare, tamen necessitati populi sufficienter ex propria sua habitatione prouidere poterit: & sic non est quod in hac parte scrupulis angatur, vt bene aduertit Posseuin. *dicto tract. de officio Curati, cap.1. num.7.* Hucvsque Barbosa.

QVÆSTIO XXV.

An Parochus non habens commodam habitationem intra Parochiam, possit degere in loco vicino ipsius?

Affirmandum videtur ex declaratione 25. Congreg. Concilij, quam affert Garcia *loco cit. num.179.* his verbis: *Parochus non habens commodam habitationem in Parochiali, fuit dispensatus, vt degere posset in loco vicino, dummodo propè Ecclesiam substitutus eius habitet. Aliquando hæc facultas eadem de causa concessa fuit sine illa conditione, quod substitutus propè Ecclesiam habitet.* Hæc Sacra Congregatio, teste præfato Garcia.

Negandum verò è contrà ait Barbosa, quia oppositum decreuit Sac. Congregatio in vna Sarzanens. 13. Nouemb. 1627. his verbis: *Censuit Sac. Congregatio Concilij, Parochum non excusari, quin intra Parochiam residere debeat, quamuis non adsit commoda domus parochialis, & sit magna aëris intemperies, & retineat Capellanum in Parochia, & ipse accedat singulis diebus festis.* Hæc decisio Sacræ Congregationis. Vnde constat (ait Barbosa contra Garciam) nunc iam nequaquam id esse concedendum Parocho.

Sed ego certè existimo, etiam nunc sequi decisionem primam Sacræ Congregationis, & dispensationem ab ea datam amplecti à quocumque Parocho posse, dummodo seruitio debito Parochiali incumbat, & suo muneri satisfaciat; quia hæc vltima Sacræ Congregationis decisio minimè coarctat priorem. Vnde ipsemet Barbosa *in summa Apostolicar. decis. collect. 559. num.10.* primam decisionem Congregationis amplectitur.

QVÆSTIO XXVI.

An casu, quo Ecclesia Parochialis sit in loco, vbi minor pars parochianorum inhabitat, & maior longè in oppidu, debeat Parochus tunc habitare, prope Ecclesiam in ciuitate?

Respondeo vt certum, debere habitare prope Ecclesiam in ciuitate, succurrendo tamen eis, qui longè habitant, secundum antiquam loci consuetudinem, per dispositionem *cap.4. sess.21. de reformat.* sic esse decisum à Sac. Congreg. Concilij refert Garcia *vbi sup. declarat.* 20. cui consonat apud ipsum, Concil. Mediolan. 5. *tit. de resident. vers. Ecclesia Parochialis*, necnon cum Armendar. & Sanctarello, quos refert, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi part.1. cap.8. num.38.* Palaus p.2. *tract.13. disp.5. punct.2. n.2. fine.*

QVÆSTIO XXVII.

An Parochus habeatur pro residente, si inhabitet in ciuitate, à qua distat sua Parochialis tribus, aut quatuor milliaribus?

Respondeo vt certum, minimè haberi posse pro residente, etiam casu quo etiam Dominicis, & Festis diebus ad Parochialem accedat; quia verè residet in ciuitate longè distante à sua Parochia. Sic fuit decisum à Sacra Concilij Congreg. vt refert Garcia *num. 179. citato, declarat.* 17. his verbis: *An si Parochialis, tribus, aut quatuor milliaribus tantùm distet à ciuitate, possit in hac Rector inhabitare, Dominicis tantùm ad suam Ecclesiam accedens, & habeatur pro residente? Congregatio censuit, non posse.* Sic Sacra Congregatio. Imò addo ex eademmet Congregatione, quod nec adhuc excusetur à residentia in sua Parochia, ex eo quod doceat Grammaticam in ciuitate per duo milliaria distante à sua Parochia, quamvis singulis diebus Festis vellet ad eam accedere: sic etenim esse decisum à Sacra Congreg. refert idem Garcia *declarat.* 19. his verbis: *Presbyter obtinens Parochiales, etiam à ciuitate vltra duo milliaria non distantes, non potest deputari Magister Grammaticæ, & ob id à residentia excusari, etiamsi velit singulis diebus festiuis Parochiali interesse. Ita Episcopo Tridentino responsum est.* Hæc Congregationis decisio. Quæ habere verum, etiam in casu, quo non inueniatur alius idoneus in ciuitate ad docendum, & fuisset relictus idoneus Vicarius, & approbatus cum congrua mercede, tuentur simul cum doctrina in tota hac responsione tradita, Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap.8. num.39.* & penes ipsum Armendariz *loco sup citato, num.147.* & Sanctarell. *var. resolut. quæst. 3. num. 33.* Legatur item ipse Barbosa *de potest. Episcopi part.3. alleg.53. num.75.* & Pasqualig. *var. decis. 464. num. 1.* Beia 4. *p. casu* 21. & alij apud ipsum. Lege *quæst.* 29.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVIII.

An Monachus exercens curam animarum in Parochiali vnita Monasterio, teneatur habitare in domo Parochiali?

RESpondeo tanquam certum, teneri habitare in domo Parochiali, casu, quo Parochia distet valdè à Monasterio; secus verò, si parum distet, quia tunc habitare in Monasterio potest, ac debet. Sic declarauit Sac. Congreg. Concilij in vna Curiens. 5. Aprilis, 1631. vt refert Barbosa *de officio Parochi part.1. cap.8. sub num.39.* quod in praxi inuenies obseruatum Matriti, in Parochiali Sancti Martini, vnita Monasterio Ordinis S. Benedicti; & in Parochialibus Sancti Marci, & Sancti Ildephonsi, illi annexis, sed distantibus ab ipso Monasterio.

QVÆSTIO XXIX.

An satisfaciat obligationi residendi Parochus, qui à confinio suæ Parochiæ solùm per vnum milliare distat?

AFfirmant aliqui DD. Ratio eorum est; tum, quia qui parū distat, nihil distare videtur, & parum pro nihilò reputatur. Tum quia huiusmodi à Parochia distantia non vergit in notabile damnum, seu incommodum subditorum: ergo Parochus, quia per vnum solum milliare à confinio suæ Parochiæ distat, verè dicetur residere in illa, & consequenter sic ibi residendo satisfaciet suæ obligationi. Ita tenet Beia 4 *p. casuum conscient. casu 21. vers. & si dubites*; quem citat, & sequitur Bonac. *disput.5. de onere, & obligat. beneficiorum ad residendum, punct.1. num.2. & 4.* licèt hic Author non assignet pro distantia vnum milliare ita clarè sicut Beia, quem sequitur. Horum sententiam vt probabilem sequitur Vidal *loco cit. inquisitione vnica, num.28.*

Sed oppositum omninò respondeo dicendum, quod minimè satisfaciat suæ obligationi residendi. Ratio est; tum quia Parochus debet residere intra Parochiam, vt constat ex declaratione Sac. Congregationis, adducta suprà q. 23. at qui residet in loco, vno milliari distante ab illa, minimè potest dici, nec moraliter intra illam habitare, vt constat: ergo. Tum etiam, quia morari extra Parochiam, præsertim per vnum milliare, notabiliter impedit Parocho, ne possit accurrere ad repentinos casus, neque ad ipsos vocari: vnde si ita longè abesset, contingeret pluries plures mori sine sacramentis, in damnum grauissimum suarum ouium. Sic docet Pasqualig. *var. decis.465.* vbi ait, se non videre quomodo habeat locum contraria opinio, stante relata declaratione Concilij.

Nec ratio (inquit) oppositæ sententiæ vrget, quia licèt distantia per vnum milliare videatur paruitas materiæ, in præsenti tamen casu non habet locum, quia quando decernuntur termini à iure, non datur paruitas materiæ respectu talium terminorum. Vnde licèt dies respectu vnius anni sit paruitas materiæ, si tamen desit decimo sexto anno, non potest quis emittere professionem. Et in simili banniri non possunt ingredi loci, à quibus eiecti sunt, etiam per vnum milliare, alioquin incurrunt pœnas: Parochis autem sunt præscripti termini residentiæ, nempe intra Parochiam. Sic etiam Episcopus non censeretur residere, etiamsi parum à confinio Diœcesis abesset, quia non posset in illo loco exercere suum munus iurisdictionale. Hæc doctus vir. Lege Marcum Vidal *tract. de resident. inquisit. vnica, num.3. & 36.*

QVÆSTIO XXX.

An satisfaciat Parochus debito residentiæ Parochialis, si, quamuis parum distans à confinio suæ Parochiæ viuat, crebrò accedat ad suam Parochiam?

AFfirmandum videtur, eo quod hic ad suam Parochiam accessus sufficiens est, vt dicatur residere in sua Parochia.

Sed ex nuper dictis respondeo dicendum, quod nec sic ad suam Ecclesiam crebrò accedendo, satisfaciat debito residentiæ, quæ à Parochis petitur. Ratio est clara, quia residentia ideò præcipitur iure diuino, & humano Parocho, vt hic assistentia pastorali assistat propriis ouibus: ergo debet manere in loco suæ iurisdictionis, vt possit hanc exercere: ergo intra confines suæ Parochiæ. Hinc est, quod licèt Parochus crebrò ad Ecclesiam suam accedat, si sedem habeat extra illam, minimè dici possit in illa residere, sed solùm crebrò visitare illam. Sic Pasqualig. *var. decis.464. per totam,* & Vidal *loco nuper citato.*

QVÆSTIO XXXI.

An Parochus teneatur residere personaliter in sua Ecclesia, casu etiam, quo æquè bene populo per alium seruiatur?

RESpondeo tanquam certum, teneri, etiam casu, quod non solùm æquè bene, sed meliùs per alium populo seruiatur; quia Concil. Trident. *sess.23. de reformat. cap.1.* industriam personæ quærit, quæ per alium non potest suppleri. Clariùs id quærit, & postulat *sess.7. cap.3.* his verbis: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit; Quia nonnulli: & aliam Gregorij X. in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit; Licet canon, editam, conferantur.* Hæc Concilium, & sic docent omnes. Legantur Barbosa *de officio Parochi part.1. cap.8. num.40.* Ioan. Sancius *in selectis disp.47.* & alij apud Palaum *tom.2. tract.13. disp.5. punct.1. num.2.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXII.

An Parochus, qui in Ecclesia sua residet, non tamen exercet officium suum, satisfaciat præcepto residentiæ?

RESpondeo vt certum, quod non satisfaciat; quia, vt ex nuper dictis constat, non dicitur Parochus ad mentem Concilij residere in sua Parochia ob solam habitationem, sed vt per seipsum etiam Sacramenta administret. Nihil enim prodest Parochi præsentia, ministerio destituta, cùm potiùs offendat. Vnde benè Posseuin. *de offic. Curati cap.*1. *num.*11. ait, Parochum residentem, sed non exercentem officium suum, minimè satisfacere præcepto residentiæ, neque in foro exteriori, neque interiori; cùm vtrobique punibilis sit, ac proinde peccare mortaliter, vel venialiter pro qualitate culpæ: & ratio est, quia idem in iure est, *inutiliter adesse*, quod *abesse*. Sic Ioan. Sancius cum communi *loco cit. n.*3. Barbosa *loco cit.* Graff. *lib.*2. *decis. cap.*96. *n.*46. & alij.

QVÆSTIO XXXIII.

An non solùm peccet Parochus residens, & non administrans, verùm etiam fructus amittat?

NEgat Nicol. Garcia *de benefic.* 2. *p. cap.* 2. *num.*53. docens, minimè amittere fructus talem Parochum, si administret Sacramenta per substitutum; quia, inquit, quamuis ille non resideat, vt debet, debet enim non per Vicarium, sed per seipsum illi deseruire, & iniuncto sibi officio defungi, *cap. extirpanda*, §. *qui verò*, *de prebend.* & Concil. Trident. *d. cap.*1. nam residere intelligitur cum effectu, &c. nihilominus non videtur teneri ad restitutionem fructuum. Nam Concilium ibi solùm ponit hanc pœnam amissionis fructuum contra absentes, & non residentes: iste verò non potest dici abesse, & non residere, quamuis officium suum non exerceat, & pœnæ non sunt extendendæ, vt est vulgare, maximè impositæ ipso iure. Hæc Garcia, cuius sententiam sequitur Petr. Ledesma *tract. de statu Relig. cap.*3. *fol.*28. *col.*2. necnon Bonac. *disp.*5. *de onere beneficior. punct.*2. *num.*6. & penes illum Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.*6. *n.*6. Corduba 1. *p. quæstionarij*, *q.*20. & alij.

Sed probabiliùs respondeo, non solùm peccare talem Parochum, sed etiam fructus amittere, nisi operam det suis subditis administrandi Sacramenta, quæ ex æquitate ministrari ab ipso possunt. Ratio est, tum quia, vt nuper diximus, talis Parochus, ad mentem Concilij, propriè non dicitur adesse, sed potiùs abesse. Atqui pœna est posita à Concilio Parocho absenti: ergo. Tum etiam quia, dato Garciæ, quod ex præcepto Concilij solùm teneatur Parochus corporaliter absens à sua Parochia, restituere fructus: at ex alio titulo ad id tenebitur, si non administret, licèt in loco residentiæ maneat; quia cùm beneficium, & eius fructus dentur propter officium ex pacto, & conuentione, qui officium non adimplet, fructibus, & mercede indignus est. Cùm enim ibi reperiatur contractus, *do, vt facias*, inter Parochianos & Parochum, seu inter Episcopum conferentem beneficium curatum, & beneficiatum, idest, *do fructus, vt facias ministeria officij*, iure ipso contractus fructus neutiquam Parochus efficiet suos, si munia non adimpleat, & ideò ex hoc titulo etiam tenebitur ad illos restituendos. Sic latè, & doctè Ioan. Sancius *disp.*47. *cit. à num.*4. & penes ipsum Graffis, Corduba, Hostiens. Astens. Siluest. Couarru. Aragon. & Ludou. de S. Ioan. quos sequitur etiam Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.*40. Vasquez etiam *opusc. de benef. cap.*4. §.2. *art.*1. *dub.*4. *sub num.*153. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.*5. *punct.*2. *sub num.*4. & alij.

QVÆSTIO XXXIV.

An Parochus suo officio, quoad Deum, satisfaciat, si resideat quidem, sed totam curam relinquat coadiutori suo Capellano?

REspondeo ex dictis suprà *q.*12. nec quoad Deum officio suo satisfacere, si totam curam Capellano, quem adiutorem habet, relinquat. Eo namque debet vti vt socio laboris, non vt homine, qui portet pondus diei, & æstus. Potest tamen licitè ei omnia ardua relinquere, veluti ire de nocte ad ministranda aliqua Sacramenta, audire multas confessiones, & similia; nisi aliàs nominatim vocetur, & expectetur ab aliquo subdito; quia tenebitur adire. Igitur vt Parochus quoad Deum suo officio satisfaciat, debet ad minus se præsentem in Ecclesia constituere, vt Parochiani, si velint, ipsum eligant administratorem, præsertim confessionis. Sic Ioan. Sancius *loco citato*, *num* 4. & Barbosa *num.*41. ex Caiet. 2.2. *q.*185. *art.* 5. Soto *de iust. lib.*10. *q.* 3. *art.* 5. & aliis. An autem teneatur Parochus audire per seipsum confessiones in omni graui euentu, dicemus infrà *disp.*9. *q.*15.

QVÆSTIO XXXV.

An vt Parochus satisfaciat præcepto residentiæ, ita debeat in Ecclesia sua residere, vt nunquam ab ea discedat?

REspondeo vt certum, quod non ita residere debeat: nam vt ait Iacob. de Graffis *lib.* 2. *cap.*96. (non 97. vt leges apud Barbosam) *n.*46. non ita amarè verbum *residere*, est accipiendum, sed ciuili modo, *ff. de seruit. l. si cui*, *de edil. edict. l. si cui venditor.* Vnde etiamsi fiat aliqua intermissio, residere quis continuè dicitur: & ratio est, quia medius actus non impedit, quin dicatur sine intermissione quid fieri, *ff. de verb. obligat. l. continuus*, §. *si quis*, *de duobus reis*, *c. duos*, 50. *dist. si quis voluntate.* Sic Graffius, quem citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi part.*1. *cap.*8. *num.*42. vbi *num.*44. ait, quod si Parochus rationabiliter iudicauerit, se non fore necessarium, putà, quia nullus infirmatur, potest abesse per aliquas horas, etiamsi nullum substituat; quia consuetudo optima legum interpres, ità declarat, etiam apud timoratos. Abesse verò tota die, quando nullus infirmatur, raro in anno, nec laudo, nec vitupero. Abesse autem per duos, aut tres

tres dies, nullo infirmante, & nulla alia causa iustificante, habet valde de rationabili esse mortale, propter multa quæ possunt eo tempore euenire, maximè in villis, vbi non est alius Sacerdos à Parocho. In ciuitatibus verò, vel in oppidis, vbi sunt alij Sacerdotes, erit maius, minusve peccatum, ratione periculi, & damni possibiliter eueniuri, cui tamen faciliùs, quàm in villis potest obuiari. Sic Barbosa ex Ludou. de S. Ioan. *de administrat. Sacrament. art.* 1. *tit. de resident. num.* 9. & Posseuin. *cap.* 1. *num.* 4.

Vide Ludouicum Beiam *part.* 4. *casu* 21. vbi agit de Parocho rurali, qui singulis quibuscumque hebdomadis ad vrbem accedebat causa inuisendi parentes.

QVÆSTIO XXXVI.

An Episcopus possit prohibere Parochis, ne vltra biduum à sua Parochia, absque sua licentia absint?

RESpondeo vt certum, posse, & validè, & licitè; quia residentia Parochorum, materia est præcepti: ergo potest Episcopus præceptum circa illam imponere, cùm Tridentinum non auferat illi facultatem prohibendi absentiam Parochi à sua Ecclesia. Sic Garcia, Barbosa, Bonacina, & alij mox citandi.

QVÆSTIO XXXVII.

An rursus possit Episcopus prohibere Parochis, ne vltra biduum à sua Parochia absint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ?

RESpondeo vt certum, non posse id eis prohibere, aut præcipere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed solùm sub pœna pecuniaria. Sic fuit decisum à Sacra Congreg. Concilij, vt testatur Nicol. Garcia *part.* 3. *de benefic. cap.* 2. *num.* 23. *declarat.* 2. his verbis: *Episcopus potest prohibere Parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne vltra biduum à sua Ecclesia possint abesse: non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.* Hæc Sacra Congregatio. Aliasque duas adducit Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 45. *&* *de potest. Episcopi* 3. *p. alleg.* 43. *num.* 97. Armendar. *loco cit. sub tit. sed an Parochi debeant residere in suis Curatis, num.* 156. Bonac. *disp.* 5. *cit. punct.* 3. *n.* 8. Vbi adducit rationem dictæ decisionis; quia videlicet absentia duorum, vel trium dierum, est res leuis, ac consequenter non videtur materia grauis censuræ. Sic etiam sentit Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *punct.* 3. *num.* 12.

DISPVTATIO V.

De causis excusantibus Parochos à residentia in suis Ecclesiis.

QVÆSTIO PRIMA.

An ob omnes causas, ob quas Episcopi possunt (etiam per longum tempus) à suis Ecclesiis abesse, possint à suis & Parochi?

RESPONDEO tanquam certum, posse; si enim colligitur ex Concil. Trident. vt bene docet Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 46. iis verbis: Ex quatuor tamen causis, in scripto ab Episcopo approbandis, potest Parochus pro tempore necessario abesse, vt disponitur in Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. vbi obligatio de approbandis causis restringitur, quando illæ sunt notoriæ, vel repentinæ; dummodo tamen discessurus ita ouibus suis prouidendum curet, vt quantum fieri poterit, ex ipsius absentia nullum damnum accipiant. Quod quidem Concilij decretum, licèt in principio loquatur de Episcopo; tamen paulò infrà eadem Sancta Synodus declarat, & decernit, omnia ibi statuta, quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas in Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, possident, locum habere. Sic Barbosa, & omnes communiter.

QVÆSTIO II.

An Parochum à residentia excusent istæ quatuor causæ, nempe, christiana charitas, necessitas vrgens, obedientia debita, vtilitas euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ?

RESpondeo vt certum ex dictis, quod sic; quia omnes istæ quatuor causæ excusant Episcopum à residentia in suis Ecclesiis, vt diximus *tract.* 7. *de Episcopis, disp.* 6. *quæst.* 5. ergo & Parochos.

Igitur ob primam causam, quæ est Christiana charitas, potest abesse Parochus à sua Ecclesia, ad iuuandam aliquam priuatam Ecclesiam, ad dirimendas lites, controuersias, & odia inter aliquos, dummodo ex tali absentia non sequatur in sua Parochia notabile detrimentum; quia tunc ab illa abesse, esset contra ordinem charitatis. Ratio est, quia ob has easdem causas potest abesse Episcopus à sua Diœcesi, vt diximus *vbi suprà, q.* 6. ergo & Parochus à sua Ecclesia. Sic Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *q.* 4. Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *n.* 46. & alij communiter.

Secunda causa est vrgens necessitas. Ob hanc igitur causam potest abesse Parochus à sua Parochia, ob morbum grauem curandum, ob fugiendum

giendum hostium incursum, pestem seuientem, vel ob inimicitias, odium aut offensionem Principis, vel populi declinandam, dummodo non immineat in spiritualibus detrimentum ouium; quia ob hæc omnia potest abesse Episcopus à sua Diœcesi, vt diximus vbi suprà *quæst.* 7. *& seqq. vsque ad* 14. Legantur vltra ibi citatos, Vazquez *in opusc. de benefic. cap.* 4. §. 2. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 135. Molfes. *in sum. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 31. & Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 47. Vidal *in opere morali tract. de residentia, inquisit. vnica, num.* 6. *& sequentib.*

Tertia causa est debita obedientia. Ob hanc causam potest etiam Parochus abesse à sua Ecclesia; vt si quid ei præcipiat Pontifex, aut eius Legatus, aut Episcopus, obsequium, & officium iustum, & debitum ei imperans; quia ob hanc causam potest etiam Episcopus abesse à sua Diœcesi, vt diximus suprà *quæst.* 15. *& seqq.* Legantur Barbosa, & Azor *locis cit.*

Quarta causa est euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas. Ob hanc item causam potest Parochus abesse à sua Ecclesia, quando ille ritè vocatur ad Synodum Generalem, vel Prouincialem, aut Diœcesanum; quando abest ob defendendam suam Ecclesiam, aut Rempublicam, aut ob obtinendam à suo Superiore reformationem in variis emergentibus, &c. quia ob hæc, etiam Episcopus potest abesse. Legantur Azor, & Barbosa citati, & etiam quæ infrà circa hanc materiam excutiemus. Sit ergo.

QVÆSTIO III.

An item Parochi possint extra prædictas causas abesse à suis Ecclesiis per duos menses, animi relaxandi causâ?

RESpondeo vt quid certum, posse, ad minùs per duos menses, quia id eis indulsit Concil. Tridentin. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. iis verbis: *Quoniam autem, qui aliquamisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, siue continuum, siue interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur.* Sic Concilium loquendo de Episcopis, & vt ait Tamburinus, etiam loquendo de Abbatibus, & aliis Prælatis Episcopis inferioribus, ab eorum tamen iurisdictione exemptis. Lege Tamburinum ipsum *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 14. *quæsito* 5.

QVÆSTIO IV.

An non solùm Episcopi, sed etiam Parochi possint abesse animi relaxandi causâ, à sua Ecclesia, non solùm per duos, sed etiam per tres menses?

AFfirmare videtur Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *num.* 50. cùm dicat, extra prædictas quatuor causas concedere Concilium Tridentinum *d. cap.* 1. Episcopis, proindeque Parochis, iuxta suprà dicta, vt singulis annis, causâ animi relaxandi possint abesse per duos menses, &c. sed sic est, quod Concilium Episcopis etiam concedit tres ad summum, vt nuper quæst. antecedenti vidimus: ergo iuxta suam sententiam & Parochis id concedit.

Sed omninò respondeo, Parochos non posse abesse à sua Ecclesia animi relaxandi causa, nisi ad summum per duos menses; & si vrgeat causa, per tres, aut plures; quia hoc solùm tempus indulget Parochis Concilium *cap.* 1. *cit.* his verbis: *Eadem omninò etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, vt quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant.* Hæc Concilium. Igitur iuxta illud, Parochi minimè possunt abesse à suis Ecclesiis, absque graui causa, nisi per bimestre, sic certè in hac re sentit Barbosa *loco cit. num.* 50. Tamburinus *quæst.* 5. *cit. num.* 2. & omnes.

QVÆSTIO V.

An Parochus possit ex iusta causa abesse à sua Ecclesia per duos menses, sine licentia Episcopi?

AFfirmant quamplures DD. Primò, quia ante Concilium hoc ipsum Parochis licebat, *cap. præsentiam* 7. *quæst.* 1. ergo & nunc licebit. Nec Concilium exigit licentiam Episcopi, nisi ad absentiam vltra prædictos duos menses.

Secundò, quia idem Concilium hoc concedit Episcopis, qui magis tenentur residere: ergo & à fortiori Parochis; vnde hanc sententiam tenent Nauar. *cap.* 26. *num.* 121. Lopez *tom.* 1. *instruct. consc. cap.* 148. Conradus *in Respons. casuum conscientiæ, quæst.* 137. Lælius Zech. *de casib. reseruat. casu* 3. *& de Repub. tit. de beneficiatis, n.* 6. Salzedo *ad Bernard. in pract. cap.* 52. *lit. C. vers. illud verò.* Cenedo *ad Sextum, collect.* 30. *num.* 3. Sà *verbo residentia, num.* 7. Quintanad. *Eccles. lib.* 4. *num.* 76. Comitol. *lib.* 1. *respons. moral. quæst.* 59. *num.* 3. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verbo priuatio*, §. 4. *dub.* 3. *& verb. Parochus*, §. 2. Franc. Leo *in Thesauro fori Eccles. part.* 3. *c.* 1. *n.* 19. *&* 21. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 10. Rodrig. *tom.* 2. *cap.* 36. *in fine*, Ceuall. *commun. contra communes, quæst.* 185. *num.* 6. vbi tamen dicit, in praxi fieri contrarium,

Sánchez *de matrim. lib. 3. disp. 31. num. 11.* Ioan. Valerus *de different. inter vtrumque forum, verb. Parochus, differ. 5. num. 1.* Bonac. *var. tract. disp. 5. num. 9.* Ioan. Sancius *disp. 47. num. 5.* quos omnes pro hac parte sic citatos inuenies apud Barbosam *de offic. Parochi part. 1. cap. 8. num. 54.* imò & ipsos videtur sequi *in remiss. ad loca Tridem. sess. 23. cap. 1. num. 9.* & id esse satis probabile multis probat Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 5. num. 3.* licet dicat oppositam, vt omninò securam esse tenendam.

Vnde licèt hæc sententia probabilissima sit, nihilominus probabiliùs respondeo, nequaquam posse Parochum abesse à sua Parochia, adhuc per duos menses, sine licentia, & facultate Episcopi. Quia id clariùs, & veriùs colligitur ex verbis Concilij *quæst. antecedenti* adductis: & ideò sic sentiunt Ioan. Ocon. *in repet. cap. 1. de Cleric. non resident. in 6. num. 51.* Anton. Gomez *in explicat. Bulla Cruc. cap. 7. in 4. claus. num. 22.* Vgolin. *de offic. Episcopi cap. 15. §. 5. num. 2.* Possevin. *cap. 1. n. 11.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dubit. 29. num. 159.* vbi tamen dicit, se credere hoc non esse vsu receptum. Vazquez *in opusc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 3. num. 149. & art. 2. dub. 3. num. 188.* Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap. 6. num. 26.* Squillante *de obligation. Clericor. part. 1. num. 116.* Ludou. à S. Ioan. *de administrat. sacram. art. 1. tit. de residentia, num. 17.* vbi vtramque opinionem dicit securam, & probabilem. Sanctarell. *var. resolut. quæst. 4. num. 12.* Nicol. Garcia *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 23 in 1. declarat. & part. 9. cap. 2. num. 295. in 2. dub.* quos omnes sic citatos sequitur Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 8. num. 55. & de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 53. num. 96.* quibus adhuc addi possunt Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbat. disp. 14. quæsito 5. num. 2.* Toletus *lib. 5. sum. cap. 5.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. num. 55.* & decisio Cardin. S. Congreg. Concilij, quam refert his verbis Garcia *loco cit.* *Vltra bimestre tempus, imò nec per bimestre tempus possunt abesse Parochi sine licentia Episcopi: & valet constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse vltra duos dies sine licentia.* Sic Sacra Congregatio. Aliam quoque affert idem Garcia *part. 9. cap. 2. dub. 19. num. 295. ad secundum.*

QVÆSTIO VI.

An Parochus, qui abfuit per duos, vel vnum mensem, absque facultate Episcopi, vel Ordinarij in scriptis, vel absque alia legitima causa, faciat fructus suos pro tempore absentiæ?

AFfirmabunt omnes Doctores, qui tenent, non esse necessariam facultatem, vel licentiam Episcopi, ad hoc vt Parochi possint abesse à sua Ecclesia continuè, vel diuisim per duos menses. Et probari potest hæc pars ex quadam declaratione, quam adducit Garcia *de benef. p. 3. cap. 2. num. 27.* ibi: *Congregatio respondit, Curatum inferiorem, qui vltra duos menses abfuit à sua residentia, posse, & debere cogi per Episcopum ad restitutionem fructuum pro rata temporis absentia, iuxta cap. 1 sess. 23.* Sic S. Congregationis declaratio, in qua solùm dicitur, teneri ad restitutionem fructuum, qui vltra duos menses abfuit: ergo.

Sed probabiliùs respondeo, non solùm teneri ad restitutionem fructuum illum Parochum, qui absque facultate Episcopi in scriptis, vel absque vrgente necessitate vltra duos menses abfuit (vt notum est) sed etiam illum, qui absque dicta facultate per duos, vel vnum mensem abfuit: quia probabilius est, talem Parochum non facere fructus suos, ex quo à sua Ecclesia sine licentia Ordinarij abest: sic enim videtur clarè colligi ex verbis Tridentini, pro quo facit declaratio, quam affert Garcia *loco cit. num. 26.* his verbis: *Fructus amittuntur dumtaxat pro rata illius temporis, quo quis abest sine licentia: nec potest componi restitutio debita fructuum malè perceptorum, cum obtinentibus Bullam Cruciatæ; vel vigore aliorum priuilegiorum, & facultatum obtentarum per Concilium.* Sic Sac. Congreg.

Nec obstat (ait Garcia *num. 28.*) declaratio adducta pro prima sententia, quia illa non negat, quin teneatur etiam ad restitutionem fructuum Parochus, qui intra bimestre abfuit per aliquod tempus considerabile absque licentia Ordinarij, vel absque aliqua vrgente causa; sed loquitur de eo, qui vltra duos menses abfuit, quia ad illos regulariter adest licentia, & causa. Nam etiam Episcopus, qui per duos, aut tres menses abesset à sua Diœcesi absque æqua causa, aut cum vllo gregis detrimento, non faceret fructus suos pro rata temporis absentiæ, *ex d. cap. 1. vers. si quis autem.* Sic ille, quem sequuntur Filliuc. *tom. 3. tract. 41. c. 6. n. 26.* Barbosa *de offic. Parochi part. 1. c. 8. n. 55. fine.*

QVÆSTIO VII.

An licitè possit Parochus abesse à sua Ecclesia per hebdomadam, non petita ab Ordinario licentia?

AFfirmat Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 5. num. 2.* dicens id constare ex vniuersali consuetudine.

Sed absolutè respondeo dicendum, quod non possit, etiam relicto Vicario idoneo: Sic enim resolutum fuisse à Sacra Congreg. Concilij, testatur Garcia *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 23.* his verbis. *Tertia declaratio: Nec potest per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, ab ipso Ordinario approbato.* Sic Sacra Congregatio, quam sequitur ipse, & post illum Armendar. quem citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 8. num. 56.* lege infra dicenda *quæst. 20.* vbi agimus etiam de hac materia.

QVÆSTIO VIII.

An saltem per duos, aut tres dies possit Parochus absque licentia Ordinarij à sua Parochia abesse?

NEgandum videtur adhuc. Quia (vt vidimus suprà *disp. 4. q. 5. 36. & 37.* ex Sacra Congregatione) Constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse vltra duos dies sine licentia, omnino valet: ergo absque illa nequibit Parochus per tres dies abesse.

Sed omninò respondeo, posse absque illa per duos dies, aut etiam (ad summum) tres à sua Parochia abesse; quia potiùs ex ratione facta pro opposito hæc pars nostra conuincitur. Præterquam quod id denotat Concilium Prouinciale Bononiens.

Bononienſ. *part. 4. tit. 6. de reſidentia, §. de cauſis excuſantib. verſ. item modicum*, vbi dicitur, *quod ad breue abſentiæ ſpatium, veluti ad duos, vel tres dies licentiam in ſcriptis obtinere non oportet.* Sic Garcia vbi ſuprà *num. 24.* & Palaus *tom. 2. tract. 13. diſp. 6. punct. 5. num. 2.* ibi: Pro vno autem, vel altero die feriali abſentiæ, ſi nullus eſt in Parochia infirmus, poterit abeſſe, nullo conſtituto Vicario: quia non adeſt mortale periculum neceſſitatis eius præſentiæ; Barboſa *3. p. de pot. Epiſc. alleg. 53. n. 106.* Hæc Palaus.

QVÆSTIO IX.

An Parochus habens iuſtam cauſam, & notoriam neceſſitatem diſcedendi, poſſit diſcedere, & abeſſe à ſua Eccleſia, non petita licentiâ?

RESpondeo dicendum, non poſſe, niſi caſu, quo talis neceſſitas ſe offerat, quæ non patiatur dilationem, ſed ſit periculum in mora petendi licentiam; quia tunc poſſet Parochus abeſſe, & diſcedere non petita licentia. Debet tamen tunc quamprimùm facere certiorem Epiſcopum, ſeu Ordinarium de diſceſſu, & neceſſitate occurrente, vt de cauſa cognoſcat, & det licentiam, niſi in breui ſit reuerſurus. Sic cenſuit Sac. Concilij Congregatio apud Garciam *ſup. num. 33.* his verbis: *Congregatio cenſuit, ſolam diſtantiam loci etiam cum neceſſitate eò diſcedendi, non excuſare Parochum, vt poſſit abeſſe à ſua Eccleſia, ſine licentia in ſcriptis obtenta, niſi talis neceſſitas repentè ſe offerat, quæ non patiatur dilationem licentiam petendi; quo caſu quamprimùm de diſceſſu, & neceſſitate Ordinarium faciendum certiorem eſſe, vt de cauſa cognoſcere poſſit.* Sic Sacra Congregatio; Cuius ſententiam tenuere Abbas, Selua, & Angelus, quos citat, & ſequitur Garcia *num. 34.* Sic etiam Filliuc. *vbi ſuprà, num. 26. verſ. notandum ſecundum.* Barboſa *de officio Parochi part. 1. cap. 8. num. 66.* & penes ipſum Armendariz; & nos ſuprà *tract. de Epiſcop. diſp. 4. q. 22.*

QVÆSTIO X.

An Parochus quotieſcumque à ſua Eccleſia diſcedit, teneatur relinquere ſubſtitutum idoneum, qui pro ſe populo ſeruiat?

RESpondeo ex ſæpe dictis dicendum, teneri ſemper; ſiue cum licentia Ordinarij, ſiue ſine illa diſcedat. Niſi alias, vt nuper diximus, abſentia, vel diſceſſus ſit per aliquot dies, cùm cauſa eſt vrgens, & non patitur dilationem pro obtinenda licentia, putà quia hoſtiliter petitur, & non habet quem ſubſtituat, nec recurrere poteſt ad Epiſcopum pro licentia, & Vicario ſubſtituendo. Sic ſentiunt Azor, Ludou. de S. Ioanne, & Poſſeuin. quos citat, & ſequitur Barboſa *loco cit. n. 51.* qui ex Poſſeuino *cap. 1. num. 14.* ſubdit, ob repentinum incommodum, vel periculum, poſſe Parochum legitimè diſcedere, etiamſi in loco non habeat quem ſubſtituat, & non adſint infirmi; vel ſi adſint, adeſt alius, qui poteſt conferre Sacramenta neceſſaria, ſaltem pœnitentiæ; vel ſi non adſit alius Sacerdos, infirmus tamen commodè poſſit expectare alium Sacerdotem, aliunde accerſendum. Rurſuſque addit, quod ſi iſta omnia deeſſent, & periculum inſtaret diſcedente Parocho aliquem moriturum ſine pœnitentia, vel Parochum ipſum occiſum iri, ſi non fugeret, teneatur Parochus ſubire quodvis periculum, potius quàm deſerere talem infirmum. Nam Parochus, cùm populus ex illius abſentia notabiliter læditur, non ſolùm ſuo periculo probabili, ſed nec certo excuſatur, ſi deſerat populum, iuxta doctrinam S. Thomæ *2. 2. quæſt. 185. art. 5.* Hæc omnia Barboſa ex Poſſeuino.

QVÆSTIO XI.

An Epiſcopi, vel Parochi, qui per decem, aut quindecim dies abſunt à ſuis Eccleſiis vltra tempus eis à Tridentino conceſſum, peccent mortaliter?

NEgat Vincent. Vinyals *in Apologia pro neceſſaria Parochor. reſidentia, n. 47.* quia (inquit) hoc tempus non videtur per ſe ſufficiens ad conſtituendum mortale, cùm ita modicum ſit, vt non videatur moraliter conſiderabile; ſecus addit, eſſet dicendum, ſi excederet per viginti, aut triginta dies. Ita ille, necnon Vidal *in Arca Theol. moral. tract. de reſid. num. 37.* & alij Neoterici.

Sed probabiliùs longè reſpondeo, peccare mortaliter; quia licèt abſolutè loquendo, quindecim dies in comparatione totius anni reputari poſſint tempus modicum, & ita ſecundum ſe conſideratum non ſufficiens ad conſtituendum mortale; attamen non in noſtro caſu ſic, quia in illo Concilium taxat tempus, in quo concedit Epiſcopis, & Parochis non reſidere, & hoc per modum indulgentiæ: ergo videtur in dicto tempore includi totum id, quod rationabiliter indulgeri poteſt: ergo extra ipſum nequit habere locum paruitas materiæ; nam Concilium iam videtur habuiſſe rationem illius, ſicut & aliorum motiuorum, ex quibus indulgeri poſſet aliqua abſentia à reſidentia, & omnibus ſupputatis, conceſſit Epiſcopis tres menſes, & duos Parochis: paruitas autem materiæ non poteſt pluries in eadem re commutari: ergo ex hoc capite non poſſunt prædicti excuſari à mortali, ſi vltra tempus conceſſum per quindecim, aut decem dies à reſidentia abeſſent. Sic Paſqualig. *in var. deciſ. 473. num. 3. & 4.* & Paulus Squillante *tract. de obligation. & priuileg. Epiſcop. part. 1. cap. 2. num. 5.* Lege Dianam *part. 10. tract. 14. reſol. 67.* vbi has duas ſententias refert, & nulli adhæret.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An tempus concessum Episcopis, & Parochis à Tridentino, pro absentia à residentia, debeat accipi mathematicè?

NEgat Pasqualig. *loco nuperrimè citato, num.* 5. dicens, tale tempus non debere sumi mathematicè, sed moraliter; quia cùm simus (inquit) in ordine ad effectum moralem residentiæ, debet tantum illud computari, quod est secundùm humanam æstimationem alicuius considerationis: vnde excessum vnius, vel duorum, vel etiam trium dierum supra tempus concessum, non putarem excessum, cuius esset habenda ratio; censeri enim posset non excedi terminos temporis concessi moraliter computati. Ita ille, cui satisfacit Vidal *inquisit. vnica, cit. num.* 37. quatenus docet, quod tempus permissum à Tridentino pro absentia licita à loco residentiæ, non debeat accipi mathematicè, sed moraliter.

Sed ego multò verius, ac probabilius respondeo, debere tale tempus accipi mathematicè, non moraliter. Tum quia aliàs vera reputari posset sententia Vincentij *quæst. antecedenti* relata, cùm excedendo tempus concessum à Tridentino, per dies decem, non videretur excedi terminus temporis moraliter computati: nam iuxta sententiam ipsiusmet Pasqualigi, tempus decem, aut quindecim dierum, est quid modicum, & pro materia parua reputatum. Tum etiam, quia regulariter loquendo, quotiescumque Concilium Tridentinum assignat, aut præfinit aliquod tempus, intelligitur id mathematicè computare, aut præfinire, vt constat in assignatione temporis decimisexti anni pro professione nouitij; in assignatione temporis vigintiquinque annorum pro obtinenda Parochiali, de quo *sup. disp.* 2. *à quæst.* 3. & de assignatione temporis duorum mensium, intra quod Parochus debeat emittere professionem fidei, de quo suprà *disp.* 3. *quæst.* 1. *&* 12. & alibi sæpè: ergo & in præsenti, tempus assignatum Episcopis, & Parochis pro absentia, non moraliter, sed mathematicè accipi debet. Cum hoc tamen stat, quod si Episcopus, aut Parochus absint à suis Ecclesiis per duos, aut tres solùm dies, vltra tempus eis à Concilio concessum, non peccent mortaliter, non occurrente noua aliqua causa, sed solùm venialiter; quia licèt verè excedant tempus assignatum à Concilio, est excessus reputandus paruus, & pro parua materia: & sic quamvis incurrant in veniale, non verò in mortale, vt constat, & colligitur ex habitis suprà *quæst.* 8. lege Vidal *loco cit.* vbi *num.* 38. dicit, quod Parochus, qui vltra duos menses abest à sua Parochia, absque necessitate, & sine licentia per octo, aut decem dies, mortalem culpam non committit; innuit ergo venialem culpam incurrere.

QVÆSTIO XIII.

Quot sint necessaria requisita, vt legitimè vltra bimestre possit Parochus à sua Ecclesia abesse?

REspondeo dicendum, quod quatuor. Primum est, quod causa sit debita, & iusta. Secundum, quod talis causa priùs per Episcopum cognoscatur, & approbetur. Tertium, quod cùm impetratur facultas vltra bimestre ab Ecclesia recedendi, Parochus relinquat Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione. Quartum, vt huiusmodi facultas scripto, & gratis concedatur. Sic omninò Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *num.* 58. & colligitur ex Concil. Tridentino *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. cuius verba habes suprà *quæst.* 4. Sed circa primum requisitum sit.

QVÆSTIO XIV.

An Parocho habenti re vera iustam causam abeundi extra Parochiam per duos, aut plures menses, satis sit petere licentiam ab Ordinario, licèt eam non concedat?

REspondeo vt quid certum, non esse illi id satis; quia non sufficit ad recedendum, licentia petita, & non obtenta, vt his verbis penes Garciam decreuit Sac. Congreg. Cardinalium: *Nec Parochus habens iustam causam abeundi extra Parochiam, per duos menses, aut tres, satisfaciet sua conscientia, si petat licentiam, iurans se grauem habere causam, quam non expediat manifestare, vt sic petita licentia abesse possit, licèt Episcopus non concedat. Similiter abesse non potest in casu, quo causam rationabilem expresserit, quam vir bonus, & æquus rationabilem indicaret; sed rigidus Prælatus minùs æquam iudicat, & licentiam denegat, vel quia mouetur suspicione, quod ficta sit, cùm tamen sit vera, sed habere potest recursum ad Superiorem.* Hæc Sacra Congregatio Concilij, quam referunt, & sequuntur Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 37. Squillante *de obligat. Clericor. part.* 1. *num.* 117. Armendar. *in addit. ad Recopilat legum Nauarræ, l.* 4. *tit.* 7. *sub rubr. sed an Parochi debeant reside e in suis Curis, num.* 155. Ioan. Valer. *de different. inter vtrumque forum, verb. Parochus, differ.* 5. *num.* 1. quos citat, & sequitur. Barbosa *de offic. Parochi* 1. *part. cap.* 8. *num.* 59. & ante hos omnes Abbas *in cap. relatum, de Cleric. non resident. num.* 5. quem etiam citat, & sequitur Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 58. *punct.* 4. *num.* 6.

QVÆSTIO XV.

An Parochus, qui petit licentiam recedendi à sua Parochia cum causa iusta, & vera, possit recurrere, & appellare ad Superiorem, si recuset illam Episcopus dare?

RESpondeo vt quid certum, posse; quia sic expressè habetur in decisione Sacræ Congregationis nuper adducta, illis verbis: *Sed habere potest recursum ad Superiorem.* Et idem habetur in Concil. Bononiens. *tit. 6. de resident. §. de causis excusantibus à residentia Curatos, ad finem.* Et ratio est, quia cùm in dictis Parochis in suo robore maneat dictum Tridentini priuilegium, ista licentia ab Episcopo, vel Ordinario danda, non est gratiæ, sed iustitiæ, & necessitatis, nisi aliqua causa iusta, & legitima obstet. Igitur si hæc non obstet, & nihilominus neget illam Episcopus, optimè poterit Parochus ad Superiorem appellare. Sic Garcia *part. 3. cap. 2. num. 37. & 86.* & penes illum Abbas, Butrius, Felin. Selua, Zerola, Zechius, & alij, quos etiam sequitur Palaus *sup. num. 6.* Notat tamen Garcia *num. 3.* quod Parochus in dicto casu non possit interim pendente appellatione abesse à sua Ecclesia, etiam constituto Vicario, cùm interim non habeat licentiam, vt requirit Concilium: vnde non benè oppositum sentiunt Ioan. Ocon, & Anton. Gomez apud eundem Garciam.

QVÆSTIO XVI.

An Parochus petens abeundi licentiam, fingendo causam iustam, quam non habet, peccet mortaliter, & teneatur restituere fructus acquisitos in absentia?

RESpondeo, & peccare mortaliter, & teneri ad fructuum restitutionem. Quia reverà abest à sua Ecclesia sine iusta causa, sine qua etiam licentia est nulla, vt constat ex Trident. *cap. 1. sess. 23. cit.* Sic Barbosa *de potest. Episcopi 3. p. alleg. 53. n. 99. & de officio Parochi 1. p. cap. 8. num. 60.* & penes ipsum Sanctarellus *q. 4. num. 15.* & Azor *part. 2. lib. 7. cap. 10. quæst. 3.* & Posseuinus *de offic. Curati cap. 1. num. 24.* sed ex his Azor nil ad rem dicit *citato loco.* Tenet tamen Bonac. *var. disp. 5. de onere, & obligat. beneficiator. punct. 4. num. 11.* his verbis: Qui facultatem inualidam obtinuit, exempli gratia, per dolum, vel mendacia versantia circa causam finalem, non potest fructus suos facere; quia non dicitur abesse causa cognita, & probata ab Episcopo, & habita discedendi licentia; & perinde est non habere licentiam, & illam habere nullam, & inualidam, vt cum Felino, & Rota Romana tradit Garcia *de benef. part. 5. cap. 4. num. 228.* Sic Bonacina.

QVÆSTIO XVII.

An iustam causam absentiæ debeat iudicialiter probare Parochus?

RESpondeo dicendum, quod non; quia id non requirit Concilium Tridentinum. Sic Bonacina *vbi suprà* Legantur Barbosa citatus, Ricius *decis. Curiæ Archiep. Neapolitan. 1. p. decis. 152.* & alij. Sed circa secundum requisitum sit.

QVÆSTIO XVIII.

An Episcopus cognoscere debeat de causis absentiæ, etiam ab Ecclesiis Parochialibus, quarum collatio ad inferiores spectat?

RESpondeo dicendum, quod sic, etiamsi inferiores collationantes sint Abbates Regulares. Sic refert decisum à S. Congregatione Concilij Nicol. Garcia *part. 3. cap. 2. num. 179. declarat. 26. & 27.* (non *declarat. 2.* vt ait Barbosa infra citand.) his verbis: *Vigesima sexta, ibi: Causa prius per Episcopum cognita, omnia hæc committuntur Episcopo, qui executioni demandet, etiam in Ecclesiis Parochialibus, quarum collatio ad inferiores spectat, etiamsi inferiores essent Abbates Regulares. Vigesimaseptima. Episcopus ad residentiam cogere potest Rectorem, licet eius Ecclesia Parochialis pertineat ad inferioris collationem, etiam Abbatis Regularis.* Hæc Sac. Congregatio. Quibus declarationibus consonat Concil. Mediolanense *5. tit. de resident. vers. finali,* vt ait Garcia citatus. Sic etiam tenet Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 8. num. 62.* & penes ipsum etiam Armendar. *suprà, num. 153.*

QVÆSTIO XIX.

An saltem Ordinarij locorum Episcopo inferiores, possint dare licentiam Parochis se absentandi à suis Ecclesiis.

RESpondeo dicendum, quod sic; quia id non est eis à Concilio vetitum. Sic tenent Glossa *in cap. licet canon, §. fin. de elect.* Reginald. *tract. 3. num. 57.* & Barbosa *de potest. Episcopi part. 3. alleg. 53. num. 95. & de offic. Parochi part. 1. cap. 8. num. 63.* quos citat, & sequitur Ascan. Tamburin. *tom. 1. de iure Abbat. disp. 14. quæsito 5. fine,* his verbis: Hanc discedendi licentiam Parochis ad tempus, non solùm Episcopus, sed etiam Abbas, & alius Prælatus Episcopo inferior, qui sit loci Ordinarius, concedere potest. Sic ille. Et hæc circa secundum requisitum. Circa tertium sit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XX.

An Parochus volens abesse à Parochia, possit inconsulto Episcopo assignare Vicarium, seu Substitutum idoneum, & admissum in illo Episcopatu pro administratione Sacramentorum?

RESpondeo vt quid certum, non posse id facere, ad minùs ad longum tempus; quia expresse dicitur in Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. quod Vicarium idoneum relinquat ab Ordinario approbandum. Dixi notanter, *ad longum tempus*, quia si abesse velit solùm per sex, aut septem dies, tunc bene poterit relinquere Substitutum idoneum, absque Episcopi approbatione, ita declarante consuetudine vniuersali, nisi aliàs Episcopus per suas constitutiones id inhibeat. Sic Barbosa *de offic. Parochi* 1. *part. cap.* 8. *num.* 52. & penes ipsum Ludou. de S. Ioanne, & Posseuinus. Aduerte tamen hic, quod nec per hebdomadam tantùm possit Parochus abesse à sua Ecclesia absque facultate Episcopi, vt suprà *quæst.* 7. est habitum: vnde hac supposita dicimus, quod per illam possit inconsulto Episcopo assignare, & relinquere substitutum per hebdomadam.

QVÆSTIO XXI.

An Curatus vicinus possit substitui in absentia Parochi?

RESpondeo dicendum, quod verè possit substitui; quia licèt non habeat ordinariam iurisdictionem, nisi super gregem suum, tamen etiam nunc admittitur, vt ei aliqua iurisdictio delegari possit, sicut de antiquo iure poterat, vt colligitur ex Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. Et certè quod id queat Parochus, supponit vt certum Machado *lib.* 4. *p.* 2. *tract.* 4. *docum.* 4. dicendo, *Que es doctrina llana en ambos Derechos, y general en todos los que gozan iurisdicion ordinaria, que la pueden delegar, y cometer à otro en todo, ò en parte (como gustaren) por ser esta accion propria della. Loqual aun mas especialmente concede el Derecho (cap. omnis, de pœnit. & remiss.) al Cura, como persona mas necessitada desta facultad de cometer su jurisdicion à otros, para que le ayuden à cumplir con sus obligaciones, y à suplir su presencia las vezes, que legitimamente se ausentare, ò estuuiere impedido.* Ita ille, & ex Ludou. de S. Ioan. idem docet Barbosa *de offic. Parochi p.* 1. *cap.* 8. *n.* 53.

QVÆSTIO XXII.

An casu, quo Substitutus, aut Vicarius relictus à Parocho, velit seruire pro eo gratis, maneat deobligatus Parochus ad assignandam ei aliquam partem fructuum pro mercede?

NEgandum videtur, eo quod Concil. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. expressè præcipiat Parocho, quod in sua absentia relinquat Vicarium idoneum, ab Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione. Quod etiam nos diximus ex illo *sup. quæstione decimatertia*, ergo, &c.

Sed his non obstantibus respondeo dicendum, quod in dicto casu maneat deobligatus Parochus, nec teneatur ad assignandam aliquam mercedem; quia causa, propter quam præcipit Concilium assignari mercedem Substituto, seu Vicario, est ne Populus patiatur defectum seruitij, quod faciliùs obtinetur, vbi adest merces: at in hoc casu cessat ratio mercedis adæquatè: ergo & ratio legis. Sic tenet Barbosa ex Ludouico de S. Ioanne *num.* 53. *cit.* & hæc circa tertium requisitum; circa quartum verò sit.

QVÆSTIO XXIII.

An licentia, quam Parochus abesse volens petere debet ab Episcopo, debeat esse expressa?

NEgant aliqui Doctores, docentes sufficere licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione, de futuro nimirum, vt quando attentis circunstantiis personæ, temporis, & loci probabiliter creditur ratum habiturum Episcopum, abesse Parochum. Ita plures DD. tenent in simili apud Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 35. *num.* 15.

Sed in nostro casu omninò respondeo, debere talem licentiam esse expressam, nec vllo modo sufficere tacitam. Ratio est, quia vbi requiritur licentia, & præcipuè in scriptis, necessariò debet esse expressa: at sic est, quod in nostro casu præcipit Tridentin. vt sæpè vidimus, quod talem licentiam obtineant ab Episcopo Parochi in scriptis: ergo non sufficit licentia tacita. Sic censuit Sacra Congreg. Concilij, quam refert, & sequitur Garcia *de benefic. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 35. *& part.* 5. *cap.* 4. *num.* 233. vbi citat pro se Archid, Ioan. Andr. Dominicum, Francum, Lapum, & alios plures. Sic etiam Bonacina *var. disp.* 5. *de onere, & obligat. beneficiar. punct.* 4. *num.* 12. Armendar. & Sanctarell. quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 95. *& de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 65. Excipe casum, qui non patiatur dilationem, de quo diximus supra *quæst.* 9. *&* 10. Legatur pro nostra sententia in simili Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 16. *num.* 29.

QVÆSTIO XXIV.

An prædictam discedendi licentiam debeat Parochus necessariò obtinere in scriptis?

REspondeo vt quid certum, debere; quia sic præscribitur in Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. quoad omnes Prælatos, Parochos, & alios curas animarum, & onus residentiæ habentes: vnde clarè colligitur, quod licentia ore tenus non sufficiat. Sic Bonacina *loco cit. punct.* 5. & alij communiter, præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XXV.

An ita necessaria sit licentia in scriptis, vt licentia ore tenus concessa, sit irrita, & nulla?

AFfirmant aliqui DD. docentes, talem licentiam non excusare Parochos à fructuum amissione. Ita tenet Sanchez *lib. 6. oper. moral. cap. 16. num. 31. ad finem*, his verbis: Tandem, quia his omnibus ductus Nauar. *lib. 3. consil. tit. de Cleric. non resident. consil. 22. à num. 5.* aliàs *consil. 13.* asserit, licentiam concessam ore tenus Prælatis, aut Parochis, vt à suis Diœcesibus, aut Parochiis absint, eos minimè excusare à fructuum amissione decreta in Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* in eos, qui absque licentia in scripris obtenta absunt. Sic Sanchez, & Palaus *tom. 2. tr. 13. disp. 5. punct. 4. fine.*

Alij tamen sustinent, talem licentiam ore solùm concessam in foro conscientiæ, esse omninò ratam, & validam, ideoque Parochum (qui cum tali licentia absuit à sua Parochia) non teneri in conscientia ad restitutionem fructuum. Ita tenet Lessius *lib. 2. de iust. cap. 34. dubit. 29. num. 158.* vbi citat Nauarr. *lib. 3. tit. de præbend. consil. 13. num. 11.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. num. 54.* Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap 6. num. 30.* Qui tamen addunt, quod licet in foro interno id sit satis probabile, attamen in foro externo possit talis Parochus puniri pœna non residentibus imposita (hoc est amissione fructuum, &c.) cùm in foro externo non credatur simplici assertioni rei, sed probationi.

Sed certè ex Authoribus citatis pro hac parte, oppositum tenet Nauarrus, vt meliùs vidit Sanchez: nam *in consil. 22.* ab ipso citato, id expressè probat *num. 5.* quia actus factus sine scriptura, in quo lege, vel conuentione partium illa debet interuenire, est nullus, *per l. contractus, C. de fide instrum. & l. 1. C. de iure emphyt.* & per multa adducta à Glossa magna *in cap. 1. de censib. in 6.* & Concil. Tridentin. *cap. 1. de reformat. sess. 23.* requirit, quod prædicta licentia detur in scriptis: ergo aliter data non valet. Ita ille: quod id ipsum ampliùs *num. 6.* probat: ergo expressè Nauarrus oppositum cum Sanchez tenet.

Sed ego nihilominus respondeo dicendum, quod licèt hæc sententia Nauarri, & Sancij sit omninò vera pro foro externo, vt concedunt etiam Authores secundæ, & pro foro interno sit etiam valde probabilis; tamen mihi etiam est probabilis, & in praxi tuta sententia Lessij, & aliorum, vt sentit Bonacina *var. disp. 5. citata. punct. 3. num. 5. & punct. 4. num. 12. & punct. 5. num. 17.* Qui id probat, tum quia scriptura non est de essentia facultatis, & gratiæ. Tum quia Tridentinum non irritat aliter factum: ergo tenet: ergo in conscientia non tenebitur Parochus restituere fructus pro absentia facta cum licentia data ore tenus.

QVÆSTIO XXVI.

An Parochi excusentur à residentia in sua Parochia, eo quòd Episcopi illos occupent in suo seruitio, nempe vt sint Vicarij, Visitatores, Prouisores, Secretarij, & Fiscales?

AFfirmant apud Garciam Hoieda *de incompatibil. benefic. cap. 17. num. 29. casu 8. & 2. p. cap. 10. num. 15.* & Siluester *verbo residentia, n. 7. vers. secundò.* Et pro hac parte citat Filliucius meum Nauar. *lib. 3. consil. tit. de Cleric. non resident. cons. 15. & de ætate & qualit. cons. 5.*

Sed vt ferè quid certum respondeo, non ob id excusari, etiam casu, quo Episcopus pro eo tempore assignet Ministrum alium idoneum pro seruitio Parochiæ. Sic enim censuit Sac. Congreg. Concilij, vt constat his duabus declarationibus. Prima sic se habet: *Episcopus non potest vti opera Parochi in visitatione, vel in alio seruitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore hic permisso duorum mensium, & tunc pro tempore idoneus Vicarius deputetur.* Sit secunda. *Cùm in eod. cap. 1. Concilij statuatur, vt quandocumque Curatos abesse contingat, causa priùs ab Ordinario cognosci, & probari debeat; quæritur, an curati, qui in seruitiis Episcopi in Diœcesi, vel extra commorantur, & propterea à suis Ecclesiis absunt, pœnas non residentium incurrant, cùm ex eo, quod Episcopus hoc scit, & tacet, huiusmodi causam approbare videatur? Congregatio Concilij respondit, non licere Episcopo, suorum, vel etiam Cathedralis Ecclesiæ negotiorum causâ permittere, vt Curati extra ipsorum curam maneant, etiam constituto Vicario idoneo.* Hæc Sacra Congreg. Concilij, cuius declarationes refert, & sequitur Garcia *de benef. part. 3. num. 42. & seqq.* Sic etiam tenent Sà *verb. residentia, num. 1.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. glossa 6. num. 258.* Riccius, Piasec. Armendar. Posseuin. Valerus, Alzedo, Bonac. & Sanctarell. quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcopi part. 3. alleg. 53. n. 85. & de offic. Parochi 1. p. cap. 8. num. 23. & in remiss. ad loca Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat. num. 4. & in sum. Apostolicar. decis. verb. Parochus quoad resident. collectan. 559. num. 21. 22. & 23.* & alij. Et licèt Nauar. oppositum tenuerit, docendo posse Parochum de licentia sui Ordinarij absentare se ab Ecclesia sua ad exercendum munus Vicarij Generalis, tamen, vt ipsius Nauarri Additionator notat, hoc dixit Nauarrus ante declarationem factam à Sacra Concilij Congregatione. Lege Garciam *p. 3. cap. 2. num. 45.* & Zerol. *verb. Parochus, §. 6.*

QVÆSTIO XXVII.

An saltem possit Episcopus vti opera Parochi pro tempore duorum mensium illi à Concilio permisso?

REspondeo vt certum, posse tunc, & pro eo tempore, vti Episcopum opera Parochi in visitatione, in officio Prouisoris, Fiscalis, & aliorum. Sic Sacra Congregatio Concilij nuper citata, & alia, quam adducit Barbosa *de offic. Parochi n. 23. cit. edita sub die 8. Ianuarij 1628.* Et tenent omnes DD.

DD. nuper adducti, & Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 6. *quæst.* 6. *num.* 26. *vers. notandum secundò*, & omnes.

QVÆSTIO XXVIII.

An item Parochus Ecclesiæ Cathedralis possit generalis Vicariatus officio fungi?

RESpondeo, posse tunc Parochum illum officio Vicarij Generalis fungi. Sic docet Barbosa de officio Parochi *num.* 24. ex Riccio *in decis. Curiæ Neapolit. p.* 4. *decis.* 319. vbi ille notat, quod in tota Prouincia Toletana Presbyteri Parochiales Ecclesias obtinentes, non possint esse Iudices ordinarij, vel delegati illius appellationum, vt statuit Paul. V. in constit. quæ incipit, *Ecclesiæ vniuersæ*, sub die 17. Augusti 1615. quam Greg. XV. in sua constitutione incip. *Aliàs à felicis*, sub die 9. Maij. 1622. extendit ad Ecclesias omnes Parochiales totius Regni Castellæ, & Legionis. Hæc Barbosa.

QVÆSTIO XXIX.

An à residentia Parochialis Ecclesiæ excusetur Parochus exercens officium subcollectoris Apostolici?

RESpondeo vt certum, non excusati; quia sic censuit Sac. Congreg. Conc. quam citatam sequuntur Nicol. Garcia *cap.* 2. *cit. num.* 42. *in* 3. *declarat.* Riccius *loco cit. resol.* 393. *num.* 4. Vgolin. *de offic. Episcopi cap.* 15. §. 3. *num.* 3. *vers. vndecimò.* Gonzalez *d. glossa* 6. *num.* 266. Armendar. *n.* 168. quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *num.* 25. *& in remiss. ad loca Concilij vbi suprà, num.* 5. quibus addo Bonac. *disp.* 5. *cit. punct.* 5. (qui hoc tamen limitat, nisi necessitas aliquando vrgeat, *num.* 11.) Palaum *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 8.

QVÆSTIO XXX.

An saltem Parochus exercens Inquisitoris officium, excusetur à residentia suæ Ecclesiæ?

AFfirmant spino, & Cenedo apud Gonzalez *loco infrà citando.*

Sed quasi certum respondeo, non excusari Parochum à residentia suæ Parochialis propter officium Inquisitoris. Tum quia Episcopus non excusatur ob officium maioris Inquisitoris, vt suprà *tr.* 6. *disp.* 4. *quæst.* 21. diximus: ergo nec Parochus potest excusari ob officium Inquisitoris non maioris. Tum etiam quia sic censuit Sac. Congreg. Concilij, vt refert Sà *verb. residentia, num.* 1. his verbis: *Curatum autem, ne resideat, nulla excusat consuetudo, obligat enim diuino iure. Nec secundùm Congreg. Concilij excusat seruitium Episcopi, aut Cathedralis, aut Inquisitionis, aut paucitas ouium, aut defectus domus propriæ, potest enim conducere.* Sic Sà, & ex illo Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 40. vbi *num.* 41. citat etiam Concilium Prouinciale Mediolan. 5. *part.* 3. *tit. de resident.* sic dicentem: *Neve ad Seminarij quidem curam, vel ad Vicarij munus, vel ad Sanctæ etiam Inquisitionis officium, ne verò ad aliud quicquam opera Sacerdotis curam animarum gerentis Episcopus ita vtatur, vt ab Ecclesia, beneficióve in eius curam tradito diutiùs absit, ac muneri debita residentia personalis desit.* Sic Concil. & sic etiam Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 6. *num.* 266. *& glossa* 43. *num.* 164. Riccius *resol.* 393. *num.* 3. Zeuall. *commun. contra comm. quæst.* 585. *num.* 12. Sanctarell. *var. resol. quæst.* 11. *num.* 4. Alzedo *de præstantia Episcopor. dignit. p.* 2. *cap.* 9. *num.* 37. Bonac. *loco cit. num.* 11. qui id etiam limitat, nisi vrgeat casus necessitatis, Barbosa *de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 52. *num.* 156. *& de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *num.* 26. *& in remiss. ad loca Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *num.* 4. *& in sum. Apostol. decis. collect.* 559. *num.* 24. Tenet etiam expressè Palaus *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 5. *punct.* 4. *fine.*

QVÆSTIO XXXI.

An Parochiales Ecclesias obtinentes, possint de iure communi abesse ab illis studiorum causâ?

RESpondeo vt quid certum, posse, attento iure communi; quia iuxta illud optimè potest Parochus studiorum causâ abesse à sua Ecclesia per quinquennium. Sic habetur *in cap. fin. de Magistris, & in cap. cùm ex eo, de elect. lib.* 6. *cap. licèt de præbend.* & alibi; & ideò attento dicto iure communi sic sentiunt omnes. Legantur Barbosa *locis cit.* Nicol. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 54. & alij plures apud ipsum, & apud me *p.* 6. *tract.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 152.

QVÆSTIO XXXII.

An etiam hodie attento iure nouo Tridentini, possint Parochi abesse à suis Ecclesiis studiorum causâ?

AFfirmant quamplures, adhuc posse post Trident. si id faciant cum licentia Ordinarij. Ita Nauar. Tolet. Valent. & alij plures relati à me *part.* 7. *loco cit.*

Sed vt quid probabiliùs respondeo non posse iam, attento iure nouo, abesse à suis Ecclesiis studiorum causâ, nec Ordinarium concedere illis hanc licentiam. Ratio est, quia dispositioni iuris antiqui clarè derogauit Tridentinum *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. dum decreuit, quod Parochi non possint abesse à suis Ecclesiis, nisi causa priùs per Episcopum cognita, & probata; & hanc Episcopus concedere non possit vltra bimestre, nisi ex graui causa: at sic est, quod declaratum est per Sac. Congregationem Concilij, studium non esse grauem causam, vt obtinentes beneficia curata possint abesse, cùm illa obtineantur per concursum, iuxta eundem Concil. *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. & supponitur illos, quibus conferuntur, esse idoneos, & iam studuisse, & consequenter non esse necesse, vt studiorum causâ absint à suis Ecclesiis, ne ob absentiam debito seruitio defraudentur: eo vel maximè, quia hodie sunt alij, qui Theologiæ, & iuri canonico absque tanto Ecclesiarum, & animarum detrimento studere possint. Quod autem sit à Sac. Congregatione Concilij declaratum, studium non esse grauem causam, vt Parochi possint abesse

abesse, constat ex adductis declarationibus à Garcia *loco cit. num.* 81. inter quas hanc quartam sic affert: *Congregatio die 22. Februarij 1590. censuit Parocho causâ studiorum non esse dandam licentiam, cùm hodie per Concilium non admittantur, nisi per concursum magis idonei fuerint iudicati.* Hæc Sac. Congreg. Vnde iuxta alias declarationes eiusdem Sac. Congreg. dicendum est, quod obtinentes Ecclesias Parochiales, nequeant ab illis studiorum causâ abesse; & si absunt, non possint percipere fructus, nec Ordinarium posse talem licentiam concedere. Sic Riccius *in praxi rerum fori Eccles. resol.* 393. *& resol.* 310. Gonzalez *d. glossa 6. num.* 251. Garcia *vbi suprà*, Sanctarell. Alzedo, Ludouic. de S. Ioan. & Candid. quos omnes citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 8. *num.* 27. & anteà *cap.* 5. *num.* 22. & *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 77. *& alleg.* 56. *num.* 30. & *in sum. Apostolicar. decis. collect.* 559. *num.* 18. *&* 20. qui & citat pro opposita parte Hieronym. Garciam, *in summa tract.* 2. *difficult.* 9. *dub.* 8. *num.* 27. sed non ita benè, quia hic Author ibi solùm loquitur de Parochis publicè legentibus in aliqua Vniuersitate, de quibus iam agimus, lege me ipsum *part.* 6. *loco citato.*

QVÆSTIO XXXIII.

An Parochus, qui in Ciuitate sua Ecclesiam habet, possit inibi in Vniuersitate Sacram Scripturam legere?

RE spondeo vt quid certum, posse; quia sic censuit Sac. Congreg. Concilij, penes Barbosam, iis verbis: *Parochus in ciuitate Ecclesiam suam habens, potest inibi in publica Vniuersitate Sacram Scripturam legere; ita tamen vt cura animarum per seipsum exercenda, nihil detrimenti patiatur.* Sac. Congreg. Concilij, quam refert Sellius *in selectis Canonic. cap.* 18. *num.* 25. Hæc Barbosa *in sum. Apostolic. decis. collect.* 559. *num.* 17.

QVÆSTIO XXXIV.

An item possit Parochus abesse à sua Ecclesia, vt doceat Theologiam, seu ius Canonicum in aliqua celebri Vniuersitate?

NEgant aliqui Doctores, existimantes, nunc post Concil. Tridentin. non posse Episcopum concedere licentiam Parochis, vt ad docendum alios Theologiam adhuc, aut ius Canonicum, à suis Ecclesiis se absentent; quia hodie multi alij inueniuntur, qui tales facultates docere possint. Ita tenet Candidus *tom.* 1. *tract. de benefic. disquis.* 18. *art.* 30. *dubit.* 2. & penes ipsum Sanctarell. 1. *p. var. resolut. q.* 3. *num.* 26. & etiam Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *n.* 28. dum ait: Post Concil. Tridentinum non potest Parochus abesse à sua Ecclesia, vt doceat in ciuitate, quamvis non inueniretur alius idoneus ad legendum, etiam Grammaticam, & fuerit quoque relictus idoneus Vicarius, & approbatus cum congrua mercede, & solemnibus diebus pariter ipse Parochus interesset, provt testantur à Sacra Congreg. resolutum Gonzalez *glossa 6. num.* 254. Riccius *resol.* 393. *num.* 2. Armendar. *num.* 134. *fine*, ego ipse *dicta allegat.* 53. *num.* 76. & me citato Sanctarell. *d. quæst.* 3. *num.* 32. Hæc doctus Barbosa.

Sed iuxta dicta à nobis *part.* 6. *tract.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 143. probabiliùs respondeo dicendum, posse Parochos cum licentia ad minùs sui Episcopi abesse à sua Ecclesia ad docendos alios Theologiam, aut ius Canonicum (non Grammaticam) in aliqua celebri Vniuersitate, quæ videlicet erecta est, & instituta per Papam, Regem, seu Principem, inter quas sunt Vniuersitates Salmantina, & Complutensis, toto orbe celeberrimæ. Quia vltra rationes *loco cit.* à nobis datas, est praxis de hac re in Hispania, vt refert Nicol. Garcia *loco cit. num.* 73. & nouissimè Hieronym. Garcia *in sum. tract.* 2. *difficul.* 9. *dub.* 8. *num.* 28. his verbis: *La duda està en los Parrochos.* Sanctarell. & Candidus (locis nuper cit.) *sienten que no puede oy el Obispo dar licencia al Parrocho, porque el Concilio Tridentino se lo prohibe sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat. Però lo contrario es mas probable, y ay dello costumbre en España: y yo vi en la Vniuersidad de Zaragossa leer al Dotor Alçamora, Parrocho de Longares, muchos años, y entre otros le oya yo siendo secular, y gozaba de las rentas de su Vicaria, y de otros exemplares da fée* Castro vbi supra. *Però esto ha de ser Theologia, y Canones, que para Grammatica, ni letras humanas, no quiere la Congregacion que falte à su Parochia, como lo afirma* Gonzalez *reg.* 8. *Cancellar. glossa* 6. *num.* 254. *Ni tienen necessidad las personas referidas de licencia del Prelado, para leer, y gozar de los priuilegios de Letor, como sea para Theologia, y Canones. Lo qual ha declarado varias vezes la Congregacion, testibus* Garcia *cap.* 2. *num.* 87. *&* 559. Barbosa *alleg.* 56. *n.* 53. Sanctarell. *quæst.* 3. *num.* 24. Candid. *disquis.* 18. *art.* 30. *dub.* 1. *Al Concilio Tridentino respondo lo primero, que en el solo se quitan los priuilegios perpetuos de no residir, y estos que tienen las Vniuersidades son ad tempus. Lo segundo respondo, que no estan reuocados por el Concilio, porque no consta de tal reuocacion expressamente: y en duda si vn priuilegio està reuocado, o no, ha se de presumir, que no lo està, como lo nota* Candid. *vbi sup. dubit.* 7. *in fine.* Hæc Hieronym. Garcia, & antea Nauar. Hoieda, Salzedo, Sà, Palaus, & Pellizzar. quos sequuti sumus cum Nicolao Garcia *part.* 6. *loco cit.* Legantur ibi circa hanc materiam, quæ hîc desiderari possunt.

QVÆSTIO XXXV.

An ob officium Cancellarij, Pœnitentiarij, Auditoris-ve Cameræ, & similium, excusari possit Parochus à residentia?

RE spondeo ex dictis *tract.* 6. *disp.* 6. *quæst.* 16. nequaquam ob exercenda dicta officia excusari à residentia posse Parochum, si alij adsint, qui æquè bene hæc officia præstare possint, secus aliàs. Sic tenet communis, Caiet. Sotus, Vazquez, Azor, Palaus suprà citati; qui idem dicunt loquendo de officio Regij Præsidis, Proregis, Confessarij, & Consiliarij, vt *sup. tract.* 6. *loco cit. q.* 20. vidimus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXVI.

An Parochus possit excusari à residentia propter intemperiem aëris, & habitare alibi, relicto Vicario approbato?

RESpondeo vt quid certum, non posse ob id à residentia excusari. Sic Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap.* 8. *num.* 29. ita dicens: Propter intemperiem aëris Parochus non inde oriundus minimè excusatur à residentia, vt alibi possit habitare, etiam relicto Vicario approbato, vt per Vgolin. *de offic. Episcopi cap.* 15. §. 3. *vers. sextò.* Zerola *in praxi Episcop. p.* 1. *verbo residentia*, §. 7. Armendar. *sub d. tit. sed an Parochi residere debeant in suis Curatis, num.* 132. Sic Barbosa, & bene, licèt Zerola de residentia Episcoporum loquatur ibi, ait enim sic: Septimò, an liceat Episcopo se absentare ab Episcopatu suo, etiam propter perpetuum morbum? Respondetur, quod non. Ita Sacra Congregatio *declarat.* 392. *in meis, & cap.* 1. *sess.* 6. *& cap.* 1. *sess.* 23. *de reformat.* Sac. Concil. Trident. Hæc Zerola.

QVÆSTIO XXXVII.

An senectus nimia possit excusare Parochum à residentia in sua Ecclesia?

RESpondeo vt quid certum, non posse, etiam casu, quo Ordinarius iam prouideret illius insufficientiæ, apponendo idoneum Vicarium, cum assignatione congruæ portionis, ex ipsius Parochialis Ecclesiæ redditibus. Sicut nec est causa sufficiens non residendi infirmitas Parochi, etiamsi ratione illius datus ei fuisset Coadiutor. Vtrumque esse decisum à Sacra Congreg. Concilij, refert Zerola *vbi suprà*, §. 9. his verbis: Quando excusetur à residentia propter infirmitatem, vel propter senectutem, respondetur à Sacra Congreg. *declarat.* 511. *in meis*, in hæc verba: *Si ibi non adest copia medicorum, vel medicinarum, potest per Episcopum dari dilatio trium, vel quatuor mensium, vt ægrotus in locis vicinioribus curetur: senectus autem non excusat à residentia, sed debet poni Vicarius idoneus, cum assignatione congruæ portionis, ex ipsius Parochialis redditibus.* Hæc sunt verba Zerolæ. Cuius sententiam sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 8. *cit. num.* 33. *& in remiss. ad loca Concilij sess.* 23. *c.* 1. *de reformat. num.* 14. Armendar. *in addit. ad recopil. legum Nauarræ lib.* 2. *tit.* 23. *l.* 2. §. 2. *sub titulo, sed an Parochi debeant residere in suis Curatis, n.* 129.

QVÆSTIO XXXVIII.

An qualibet causa excusans Canonicos à residentia, excusare valeat Parochos?

RESpondeo vt quid certum, quod non; quia arctiori vinculo Parochi (sicuti etiam Episcopi) ad residentiam tenentur, quàm Canonici, quia illi tenentur ad illam, non solùm iure humano, sed etiam iure diuino naturali, vt suprà est habitum; ij verò minimè. Sic communis, vt supponit Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *punct.* 4. *n.* 4 *fine.*

DISPVTATIO VI.

De pœnis, quibus Parochi non residentes afficiuntur.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochus, qui absque legitima causa abest à sua Ecclesia, incurrat priuationem fructuum omnium pro rata absentiæ?

NEGANDVM videtur, quia decreto Concilij Tridentini *sess.* 6. *c.* 1. absenti Episcopo vltra sex menses continuos solummodò subtrahitur quarta pars fructuum vnius anni, & si in culpa perseueret, repetitur eadem pœna, contumaciaque crescente potest procedere Pontifex vsque ad Episcopatus priuationem. Atqui idem esse seruandum quoad subtractionem fructuum in Curatis inferioribus, ac in Episcopis, decisum est à Sacra Congreg. teste Garcia 3. *p. de benef. cap.* 2. *num.* 31. ergo, &c.

Sed nihilominus vt quid certum respondeo dicendum, quod Parochus, qui absque legitima causa abest à sua Ecclesia, priuationem fructuum omnium incurrat pro rata absentiæ; quia ita expressè decernitur in eodem Tridentino *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. his verbis: *Si quis (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas contra non residentes sub Paulo III. impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, eos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscumque priuilegiis cuicumque collegio, aut fabricæ concessis.* Hæc Concilium loquendo de Episcopis, addit tamen loquendo de Parochis, & consequenter, hæc verba: *Eadem omninò, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit.* Hæc Concilium (cuius verba fidelius relata sunt à me, quàm à Palao.) Igitur ex Concilio clarè constat, Parochum, qui absque legitima causa à sua Ecclesia abest, præter culpam mortalem incurrere priuationem omnium fructuum pro rata absentiæ.

Et certè hæc Concilij Sancti decisio, vt suprà diximus, verè fundatur in iure naturali hoc dictante: par enim non est, vt fructus Ministrorum Ecclesiæ recipiat, qui ministerium non exercet. Deinde, quia sicut stipendium datum ob aliquam causam, nec recipi, nec retineri potest, causâ non subsequutâ; ita nec fructus beneficij, qui Parocho

causâ residentiæ, & muneris Parochialis conferuntur, retineri possunt ab illo non residente. Sic communiter omnes. Legantur Nicol. Garcia *part. 3. cap. 2. num. 26.* vbi adducit de hac re decisionem Sac. Congreg. Concilij, Barbosa *de offic. Parochi, part. 1. cap. 8. num. 67.* Palao *tom. 2. tr. 13. disp. 5. punct. 3. num. 1.* qui *num. 2.* concordat loca Tridentini, quæ inter se pugnare videntur, dicendo, quod textus relatus *in cap. 1. sess. 6.* loquitur de fructibus tempore residentiæ acquisitis: iis ergo fructibus quoad quartam partem absens Episcopus (seu Parochus) priuari debet: fructibus verò tempori absentiæ correspondentibus, integrè, & in totum. Sic ille.

QVÆSTIO II.

An fructus amissi ob non residentiam Parochi, applicari debeant Ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus?

Respondeo vt certum, quod sic; quia, vt nuper vidimus, id decernit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1.* Addens, nec de hoc obtineri posse compositionem, vel conuentionem, ad remissionem dictorum fructuum. Sic Nauar. *cap. 25. num. 121. & consil. 20. de celebrat. Missar. num. 4.* Henriq. *lib. 7. cap. 36. num. 3.* Nicol. Garcia *p. 3. cap. 2. num. 30.* & Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 3. num. 5.* ita dicens: Tertiò dubitatur, quibus debeas restituere hos fructus, ob non residentiam? Respondeo, si Episcopus es, Ecclesiæ tuæ Diœcesis, vel pauperibus dare teneris: si Parochus, Ecclesiæ beneficij, vel pauperibus illius loci. Sic cauetur in Trident. *sess. 23. cap. 1.* Et addendum est ex Sacra Congreg. quod si pauperes intra limites Parochiæ non adsint, neque Ecclesia Parochialis indigeat, adhuc Ecclesiæ applicandi sunt illi fructus, quia potest in dies indigere. Sic Garcia *3. p. de benefic. cap. 2. num. 31.* Barbosa *alleg. 53. num. 103.* Hæc Palaus. Legantur dicta in simili à nobis *p. 6. tract. 8. disp. 7. à quæst. 25.* Nec contra hæc obstant dicta ibi *quæst. 29.* vbi diximus, beneficiarium, qui eligit restitutionem fructuum pauperibus erogare, posse illam facere pauperibus cuiuscumque Ecclesiæ, vel loci; quia hæc resolutio fundata fuit, & benè in verbis Constitutionis Pij V. præsens autem in verbis Concilij expressè exprimentibus talem eleemosynam erogari debere pauperibus loci.

QVÆSTIO III.

An Parochi teneantur restituere fructus amissos ob non residentiam, etiam ante sententiam Iudicis?

Respondeo ex sæpè dictis, vt quid certum dicendum, teneri illos restituere ante sententiam Iudicis. Nam spectato saltem iure positiuo Tridentini, nemini dubium esse potest, hanc fructuum priuationem nulla sententia declaratoria criminis indigere; & consequenter ante illam teneri Parochum ad illorum restitutionem: id namque satis clarè demonstrat Tridentinum illis verbis suprà relatis; *Eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.* Sic Concilium. Et quidem ipsamet ratio id suadet, quia Parochi absentes absque iusta causa à suis Ecclesiis, non acquirunt ius in illos fructus, cùm Concilium velit, vt illi applicentur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci: ergo tenentur statim illos restituere. Sic loquendo de Episcopis tenent Valentia, Flam. Filliuc. Trullench, Graffis, & Machado citati à nobis *tract. de Episcopis, disp. 4. quæst. vltima.* Et loquendo de Parochis, Toletus *lib. 5. cap. 4. num. 1.* Vgolin. *de officio Episcopi, c. 15. §. 4. num. 2.* & id vt indubitatum tradunt Vazquez *opusc. de beneficiis, cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 4. sub num. 152.* Azor *part. 2. lib. 7. cap. 6. quæst. 4. & 6.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dubit. 29. num 157.* Garcia *de benefic. 3. p. cap. 2. à num. 26.* Barbosa *part. 3. de potest. Episcopi, alleg. 53. num. 101. & de offic. Parochi part. 1. cap. 8. num. 69.* Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 2. num. 3.* & alij, addentes, quod adeò ipsis fructibus absens Episcopus, vel Parochus priuatur, vt neque locum habeat vlla compositio per Bullam Cruciatam, aut cuiusvis alterius priuilegij.

QVÆSTIO IV.

An etiam ante Concilium Tridentinum tales Parochi tenebantur restituere fructus perceptos in absentia ante vllam sententiam?

Negat Palaus *punct. 2. nuper citato, num. 4.* docens partem negatiuam esse probabilem, iis verbis: Nihilominus non videtur probabilitate carere (secluso iure positiuo) nullam ibi esse obligationem restituendi fructus in absentia perceptos. Sic docet Panorm. *in cap. 1. de celebrat. Missar.* Siluest. *verb. Clericus 4. quæst. 23.* Rossella *eod. num. 23.* Azor *2. p. lib. 7. cap. 6. quæst. 6.* Fauetque Trident. *sess. 6. cap. 1. de reformat.* statuens iis absentibus quartam partem fructuum subtrahendam esse. Si igitur ipso iure naturali, omnes fructus tempore absentiæ correspondentes deberent restitui, omnes subtrahendi essent, non quarta pars tantùm. Quod si dicas, loqui Concilium de subtractione fructuum ritè perceptorum, id non constat, neque iure probari potest. Hæc Palaus.

Sed longè multò probabilius respondeo dicendum, quod etiam ante Concilium Tridentinum, siue iure naturali, siue iure contractus, tenebatur Parochus restituere omnes fructus perceptos in absentia, ante vllam sententiam. Hæc responsio apertè manet probata suprà *disp. 4. quæst. 33. & hac disp. 6. quæst. 1.* Et ideò illam sustinent Gabr. *in 4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2.* Angel. *verb. Clericus 7. quæst. 5.* & Couarru. *lib. 3. var. cap. 13. num. 9.* Sotus etiam *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 3 in fine corpor.* & Miranda, quos omnes citat, & sequitur Vazquez *opusc. de benefic. cap. 4. art. 1. §. 2. dub. 4. sub num. 153. vers. sed adhuc.*

Nec argumentum Castri Palai quid vrget: nam ad locum Concilij, cum ipsomet respondeo, loqui in illo *cap. 1.* de subtractione fructuum ritè perceptorum; sic enim respondet ipse, vt vidimus nuper *quæst. 1.* probatque ex iure nouo ipsiusmet Tridentini. Vnde falsò ait id nullo iure probari posse.

QVÆSTIO V.

An fructuum appellatione, qui ob non residentiam debent restitui, veniant non solùm naturales, & artificiales, verùm etiam industriales?

RESpondeo dicendum, solum venire naturales, & artificiales, non verò industriales, quales sunt, qui acquiruntur, & percipiuntur ex mera industria hominis, vel eius labore; veluti prædicando, Sacramenta administrando, & similia agendo. Sic Posseuin. *de offic. Curati cap.* 1. *num.* 31. Ludou. de S. Ioan. *tract. de resident. num.* 22. quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi p.* 1. *cap.* 8. *num.* 70.

QVÆSTIO VI.

An Parochus compelli possit ad residentiam aliquibus iuris remediis, vsque ad priuationem?

RESpondeo vt quid certum, quod sic; quia sic expresse statuit Trident. *d. sess.* 23. *cap.* 1. his verbis. *Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum vult esse Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem, compellere: nec executionem hanc, quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscumque beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Constitutionis, suspendi posse.* Hæc Concilium, & omnes DD. Legatur Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 70.

QVÆSTIO VII.

An Parochus, seu Curatus non residens in sua Ecclesia, sit ipso iure, antiquo attento, priuatus?

RESpondeo breuiter, quod sic; quia sic habetur *in capite extirpandæ, §. qui verò, in fine, de præbend.* vbi Innocent. III. decernit, quod qui Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deseruiat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit; alioquin ille se sciat authoritate huius decreti ea priuatum, & liberè alij conferendam, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Hæc summarim Innocentius; ex cuius verbis clarè videtur colligi, Parochum absentem, priuatum esse ipso iure beneficio, cùm liberè aliis conferri possit: & ideò sic cum aliis sentiunt Garcia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 133. Barbosa *loco cit.* Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5 *punct.* 3. *num.* 8.

QVÆSTIO VIII.

An etiam nunc, post Concilium Tridentinum, Parochus non residens sit ipso iure priuatus Parochiali?

AFfirmandum videtur, eo quod Tridentinum Concilium *sess.* 6. *cap.* 1. non tollit pœnas non residentibus impositas, sed potiùs illas renouat, vt constat ex illis verbis: *Statuit Sancta Synodus antiquos Canones, qui temporum, atque hominum iniuria penè in desuetudinem abierunt, aduersus non residentes promulgatos innouare, quemadmodum virtute præsentis decreti innouat.* Hæc Concilium. Propter quod probabilem putat Palaus affirmatiuam partem, dum in summario *num.* 9. probabilius esse oppositum tantùm dicit.

Sed vt quid longè probabilius respondeo, post Concilium Tridentinum minimè esse ipso iure priuatum Parochiali Parochum non residentem. Sic optimè Garcia *de benefic. part.* 3 *cap.* 21. *n.* 139. his verbis: At dicta pœna priuationis ipso iure ob non residentiam in Parochialibus, quæ fortè per desuetudinem erat abrogata, videtur hodie cessare, stante S. Concilio Trident. *d. cap.* 1. *sess.* 23. *de reform. vers. quod si per edictum*, vbi Concilium liberum esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem, compellere Parochos non residentes, & contumaces. Ex quibus satis apparet hodie, Parochum non residentem, etiam monitum, non esse ipso iure priuatum Parochiali; aliàs enim statim procedendum esset ad declarandum illum priuatum; & non esset in arbitrio Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis vti vellet, vt in sequenti declaratione S. Congregationis super *d. cap.* 1. ibi: *Compellere arbitrij est Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis vti velit contra non residentes.* Et facit alia declaratio, quæ sic ait: *Parochus, qui non vult in sua Parochiali residere, debet, seruato iuris ordine, priuari:* non dicit, *declarari priuatus.* Requiritur ergo priuatio. Sic Garcia, & sic Flam. Parisius *de resignat. benefic. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 61. Barbosa *de potest. Episcopi* 3 *p. alleg.* 53. *n.* 105. *& de offic. Parochi* 1. *p. c.* 8. *n.* 72. Palaus *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 5. *punct.* 3. *n.* 9.

QVÆSTIO IX.

An ad priuationem Parochi, ob non residentiam, sit necessarium, quod priùs procedatur per alias pœnas, nempe per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, &c.

AFfirmant apud Palaum, August. Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. alleg.* 53. *n.* 105. & Vgolinus *de offic. Episcopi cap.* 15. *§.* 4. *num.* 4. & sic à Rota fuisse decisum, refert praxis Episcopalis 2. *p. cap.* 4. *num.* 96. Fundamentum eorum est, quia hic ordo appositus est à Concilio, vt vidimus *quæst.* 6. ergo Ordinarius non potest illum inuertere.

Sed longè multò probabilius respondeo, non esse necessarium, vt Ordinarius ad priuationem Parochi ob non residentiam priùs procedat per omnes illas pœnas, quas recenset Concilium; quia *in suprà d. cap.* 1. *Concilij*, non cauetur illum ordinem esse seruandum: ergo non est hæc obli-

gatio Episcopo imponenda. Vnde licèt id de iure communi requiri videretur, *cap. ex tua*, §. 1. *de Cleric. non resident.* tamen Concilium *dicto cap.* 1. id relinquit arbitrio Ordinarij, ibi: *Liberum esse vult Ordinariis.* Sic tenent Nicol. Garcia *n.* 139. *citato, & in addit. ad dictum cap.* 2. *sub num.* 139. quem citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi, part.* 1. *cap.* 8. *num.* 73. Palaus etiam *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *punct.* 3. *n.* 10. Rota apud Mantic. *decis.* 67.

QVÆSTIO X.

An vt Parochus legitimè priuetur ob non residentiam, debeat priùs personaliter citari, si potest?

RESpondeo vt quid certum, debere priùs personaliter citari, siue absens sit cum licentia Episcopi, siue absque ea, si sciatur vbi commoretur, & commodè citari possit, vt sic eius contumacia conuincatur. Sic habetur *in cap. ex parte, el* 1. *de Cleric. non resident. & cap. Clericos, eod. tit.* & tenent Glossa *ibid.* Caputaq. *decis.* 375. *num.* 3. *& decis.* 378. *p.* 2. Seraph. *decis.* 1346. *num.* 5. *& decis.* 1548. *num.* 5. Rota *in Oriolens. Decanatus* 14. *Martij* 1622. Barbosa *vbi supra, num.* 75. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 5. Zeuall. *com. contra comm. quæst.* 809. *num.* 17. Nicol. Garcia *de benefic.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 155. Palaus *punct.* 3. *cit. num.* 11.

QVÆSTIO XI.

An casu, quo Parochus personaliter citari nequeat, sufficiat per edictum eum vocare?

RESpondeo dicendum, sufficere. Sic enim docent communiter Doctores, & præcipuè citati, inter quos Barbosa loco adducto sic scribit: Si personaliter citati non possit, quia ignoratur vbi sit; vel longè absit, ita vt commodè non valeat citatio ad eum peruenire, debet in eius Ecclesia trinæ citationis edictum publicari (non sufficit enim vna citatio pro tribus) & post vltimum edictum, per sex menses expectati, vt colligitur *ex d. cap. tua*: nam aliter factam priuationem, esse nullam docent Læl. Zech. *de Repub. Eccles. tit. de benefic. num.* 6. *vers. quod attinet verò ad praxim*, Zerola *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. priuatio*, §. 3. *&* 4. Piasec. *in simili praxi part.* 2. *cap.* 3. *num.* 10. *vers. necessariò autem.* Rota *in d. Oriolens. Decanatus, coram R. P. D. Nauarro.* Mantic. *decis.* 12. Nicol. Garcia *d. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 154. qui subdit, in personaliter citato non requiri trinam monitionem, sed sufficere vnam, etiam extraiudicialem; nec deberè expectari per sex menses, sed tempus esse arbitrarium. Et *num.* 157. refert decisionem in causa Terdonens. Præposituræ, 17. Martij 1600. coram Cardin. Seraphino, quæ extat inter eius impressas *decis.* 1346. Hucvsque Barbosa. Sic etiam tenet Palaus *loco cit. num.* 11. vbi referens additum Garciæ, ita ait: Existimat tamen Garcia in citatione personali non esse opus expectare semestre post terminum citationis, ad executionem pœnæ, sed statim exequi posse, sed nullum adducit fundamentum. Illud autem videtur esse posse, quia semestre solum est datum, cùm per edictum vocantur, qui se fraudulenter absentant, *cap. ex tua, de Cleric. non resident.* at cùm personaliter citantur, *cap. Clericos, cap. inter quatuor*, semestre non datur, sed solùm dicitur, beneficiatos absentes, si moniti, vel expectati non redierint, & iustè impediti non sint, suis Ecclesiis priuari debere. Consentit Glossa *cap. quoniam, vt lite non contestata, verb. Canonibus.* Nihilominus Barbosa *alleg.* 53. *num.* 105. censet, post quamlibet monitionem terminum expectandum esse semestri: quod videntur indicare illa verba, *vel expectati*: & placet mihi hæc sententia, quia benignior. Sic Palaus. Sed certè Barbosa, cuius sententiam vt benigniorem Palaus sequitur, omninò amplectitur Garciæ additum, *de officio Parochi loco à nobis citato.*

QVÆSTIO XII.

An ad procedendum contra Parochum ratione non residentiæ, sit necessaria solemnis citatio, & priuatio?

AFfirmauit D. Sahagun, *in cap.* 2. *de sequestr. possess. num.* 54. apud Garciam mox citandum. Sed vt ferè certum respondeo, nec requiri solemnem citationem, nec priuationem solemnem; sed sufficere simplicem, & extraiudicialem, hoc est, monitionem, seu citationem præcedentem, & spoliationem, seu priuationem expressam, vel tacitam subsequentem. Id enim constat *ex cap. ex parte, cap. qualiter, cap. ex tua, & cap. fin. de Clericis non resident.* & tradunt Abbas *in d. cap. ex parte, num.* 4. & alibi sæpe. Felin. *cap.* 2. *sub num.* 3. *de rescrip.* Oldrad. Selua, Greg. Lopez, Azeuedo, & Hoieda, quos citat, & sequitur Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 130. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 11. *vers. neque est necessarium.*

QVÆSTIO XIII.

An executio pœnarum contra Parochos (seu Episcopos) suspendi possit aliquo priuilegio, seu exemptione, aliave causa?

RESpondeo vt quid certum, nec vllo priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, statuto, consuetudine, etiam immemorabili, siue appellatione, aut inhibitione suspendi posse; quia sic habetur in Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. quod si per edictum*: cuius verba inuenies suprà *quæst.* 6. Sic sentiunt D. Ioan. Ocon, Anton. Gomez, Sahagun, quos refert, & sequitur Nicol. Garcia *vbi sup. num.* 161. vbi addit duo. Primum est, quod dum Concilium disponit, executionem sententiæ per appellationem, seu inhibitionem non impediri; generaliter accipiendum sit contra absentes, siue obedientes, siue contumaces (quidquid alij dicant, solùm esse accipiendum contra contumaces.) Secundum est, quod Concilium ibi solum tollat appellationem suspensiuam, non verò deuolutiuam. Sic ille, quem citat, & sequitur Barbosa *de officio Parochi part.* 1. *cap.* 8. *in fine*, vbi cautè legendus est propter errorem Typographi. Palaus etiam suprà *cit. punct.* 3. *num.* 12. *vers. tandem aduerte.*

DISPV

DISPVTATIO VII.

De præcedentia Parochorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochus in cura animarum exercitio gerat vices Episcopi?

RESPONDEO dicendum, quod sic. Colligitur *ex cap. bonæ rei 12. quæst. 2.* Vnde tanquam subrogatus in eius locum, videtur aliis præferendus, iuxta regul. *l. si eum. §. qui iniuriarum, ff. si quis caut. & l. vnica, §. 1. C. de rei vxoriæ act.* Sic Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 9. num. 1. & tract. de axiom. iuris, axiomat. 213. num. 1.* vbi quamplurimos adducit Authores. Legantur Germon. *de indultis Cardin. §. ac beneficia, num. 45.* & Riccius *in praxi rerum fori Eccles. part. 4. resol. 304.*

QVÆSTIO II.

An Parochus in propria Ecclesia habeat tantam potestatem, quantam habet Episcopus in propria Diœcesi?

AFfirmat Barbosa *de officio Parochi 1. part. cap. 9. num. 3.* ibi: Quamvis suprà dicta vera crederem, vbi Parochus est in propria Ecclesia, in quatantam habere potestatem, quantam habet Episcopus in sua Diœcesi, putauit Abbas *in cap. 1. num. 28. de dolo, & contumacia,* & loco Imperatoris, & Regis haberi, *per cap. duo 23. quæst. 4.* dixit idem Abbas *in cap. venerabilis, num. 19. de elect.* ac vices Apostolorum obtinere existimauit Roman, quem refert Theod. de Rubeis *d. cap. 298. num. 88. versu denique, &c.* Hæc Barbosa.

Sed tanquam quid certum respondeo absolutè, & simpliciter loquendo, minimè habere Parochum in sua Ecclesia tantam potestatem, quantam habet Episcopus in sua Diœcesi. Nam in primis certum est, quod Parochus, adhuc in sua Ecclesia non habet potestatem iurisdictionis fori externi erga suos Parochianos, quam habet Episcopus erga suos subditos in sua Diœcesi, vt euidenter constat, & docet Machado *in sua sum. lib. 4. part. 2. tract. 2. docum. 6. num. 1.* iis verbis: *Dotrina es llana y dispuesta por Derecho in cap. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. que el Cura en su Parroquia, y en orden à sus feligreses, goza de jurisdicion ordinaria, tan propria suya, que segun graues Autores proviene de Derecho diuino en el fuero interior. Fundados en el qual algunos Dotores afirman que en su Iglesia el Cura, y en su Parroquia goza de tanta jurisdicion, y potestad espiritual, como el Obispo. He dicho* espiritual; *porque verdaderamente es dotrina llana, que la jurisdicion que el Cura goza acerca de sus feligreses, se deue entender en el fuero interior, y no en el exterior. De donde se sigue que aunque algunos Dotores antiguos, fundados en vn texto del Derecho, cap. cum inhibitio, §. sanè, de clandest. sponsal. fueron de parecer, que el Cura podria descomulgar à sus feligreses, principalmente en algunos delitos notorios, y atroces. Con todo esso la comun dellos repruebа esta opinion por improbable, sino es en algunas partes que la costumbre vbiesse introducido essa exterior jurisdicion; que siendo legitima no ay duda, sino que es poderosa para introducirla en el vno, y otro fuero.* Hæc Machado. Circa hanc materiam lege meipsum *part. 4. tract. 1. de censur. disp. 2. quæst. 17.* vbi cum Henriquez, & aliis Authoribus dixi, quod Parochus nullo modo habet à iure potestatem excommunicandi; & consuetudo, qua alicubi excommunicabat pro rebus subtractis, aut deperditis, reuocata fuerit per Concilium Trident.

Deinde nec habet eamdem potestatem spiritualem erga suos Parochianos, quam habet Episcopus in sua Diœcesi erga omnes suos subditos, vt ex dicendis infrà constabit: ergo. Vnde limitanda est doctrina tradita ab Authoribus, quos citat, & videtur sequi Barbosa *vbi suprà*, iuxta doctrinam à nobis infrà tradendam.

QVÆSTIO III.

An Parochi debeant præcedere quorumcumque Ordinum Regularibus in processionibus, &c.

REspondeo vt certum, debere præcedere. Sic Barbosa *in sum. Apostolic. decis. collect. 557.* vbi ita ait: Parochi, Rectores, & Clerici sæculares præcedunt Regularibus, tam Monachis, quàm Fratribus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, in funerum associatione, processionibus, & aliis huiusmodi publicis actibus. Nec debent ipsi Monachi, seu Fratres cum Parochis, vel Clericis mixtim incedere, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Clem. VIII. in sua Constitutione quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, 20. Februarij 1601. & alia, quæ incipit: *Quæ ad remouendum*, 5. Nouemb. 1603. Greg. XV. in constit. quæ incipit: *Aliàs à felici*, 3. Augusti 1622. quarum memini *de Parocho 1. p. cap. 9. in fine.* Hæc Barbosa.

Aduerte cum eodem, quod Clemens VIII. *in d. Constit. Quæ ad remouendum,* ex voto DD. Cardinalium Congreg. Sacrorum Rituum declarauit, Clerum sæcularem in omnibus locis, etiam in propriis Ecclesiis, & Conuentibus Fratrum, Monachorum, & Religiosorum quorumcumque in vniuerso Regno Castellæ, & Legionis præferendum esse, ac præcedere debere. Quas Clementis VIII. Constitutiones obseruari mandauit Greg. XV. Constit. cit. commissa earum executione quibusvis locorum Ordinariis in Regnis Hispaniarum existentibus, quoties pro parte alicuius ex Clero sæculari fuerint requisiti.

QVÆSTIO IV.

An Parochus superpelliceo indutus, debeat in processionibus præcedere omnibus Rectoribus, & Presbyteris?

REspondeo vt quid certum, quod sic; quia sic decreuit S. Congreg. Rituum *in Firmana terra Sanctæ Victoriæ, 31. Martij 1618.* testibus Sellio *in selectis Canonic. cap. 59. num. 40.* & Barbosa *in sum. Apostolicar. decis. collect. 557. num. 2.*

QVÆSTIO V.

An Parochi secundum prærogatiuam suarum Ecclesiarum debeant præcedere?

RÈspondeo vt certum, quod sic, sic enim censuit Sac. Congreg. Rituum *in vna Astensi, 21. Martij* 1609. vt refert Barbosa iis verbis: Parochi plures, siue sint sæculares, siue Regulares, inter se præcedunt, secundum prærogatiuam suarum Ecclesiarum, & non secundum prærogatiuam Regulæ. Sic ille *in sum. Apostolic. decis. collect. 557. num. 5. & de offic. Parochi 1. p. cap. 9. num. 12.* vbi aduertenter est legendus, eo quod ob defectum Typographi desunt aliqua verba.

QVÆSTIO VI.

An Parochus, in cuius Ecclesia quis est mortuus, debeat præcedere Parocho Ecclesiæ, ad quam defunctus sepeliendus effertur?

RÈspondeo, quod non, sed potiùs contrà. Parochus namque illius Ecclesiæ, ad quam defunctus defertur, præcedere debet alteri. Sic tenet Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 9. num. 13.* his verbis: Quoad verò præcedentiam vnius Parochi, in cuius Ecclesia quis est mortuus, respectu alterius Parochi Ecclesiæ, ad quam defunctus sepeliendus effertur, extat optima dispositio inter acta Ecclesiæ Mediolan. *part. 2. tit. de funere ducendo, vers. cùm ex Parochia, pag.* 286. vbi sic legitur. *Cum ex Parochia, cui sæcularis Sacerdos præest, mortuus effertur, vt in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit Præfectus, vel è contra; tunc vtrique Parochi superpelliceo, & stola induti pares progrediantur; reliqui verò Regulares eum locum teneant, quem in generalibus Processionibus tenere consueuerunt, non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerant.* Idem vidi Romæ seruari, vbi quoque præcedentia datur Parocho illius Ecclesiæ, ad quam defunctus defertur. Huc vsque Barbosa, quem libenter amplector ob praxim Romanam, non quia id indicent verba actorum Mediolanens. ab ipso relata, vt vides facilè.

QVÆSTIO VII.

An Parochus in associandis funeribus defunctorum propriæ Parochiæ, debeat præcedere Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ?

AFfirmandum videtur, quia sic censuit Sac. Congreg. Rituum *in vna Prænestina Canarum, 13. Iulij 1619. & in alia Sancti Angeli, terra Saxiferrati, 24. Octob. 1609. & in alia Eugubina, 15. Iulij* 1619. vt refert Barbosa *de officio Parochi*, infrà, *& in summa Apostolic. decis. collect. 557. n. 3.* vbi se citat *verb. Canonicus, collect. 91. n. 38.* Sed certè hoc in loco, ad quem nos remittit, oppositum tenet, etiam ex sententia S. Congreg. Audi eius verba: *Canonici Collegiatarum Ecclesiarum in funeralibus præcedunt Parochos.* Sac. Congreg. Rituum *in Sutrina, 30. Augusti 1602. & 2. Augusti 1603. & in Melitens. 18. Nouemb. 1606. & in Hostiens. terra Cori, 9. Maij 1617. & in Prænestina Canarum. 14. Augusti* 1618. vbi in causa præcedentiæ inter Archipresbyterum, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ, & Parochum S. Stephani, declaratum fuit, præcedentiam semper, & vbique competere Archipresbytero, & Canonicis supra Parochum prædictum, etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius Parochiæ; ius tamen faciendi officium circa corpus defuncti, ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia spectare. Et quod præcedere debeant Canonici huiusmodi omnibus Rectoribus, Curatis, Plebanis, ac Presbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis processionibus, functionibus etiam Synodalibus, censuit eadem Sac. Congregatio *in Verulens. 11. Decemb. 1613. & in Senogalliens. 23. Martij 1619. & 4. Aprilis* 1620. Etiamsi ante erectionem in Collegiatam mixtim incederent cum dictis Rectoribus, vt *in Syracusana, 20. Decemb.* 1601. vel inferiores Ecclesiæ essent antiquiores, & fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem, ead. Sac. Congreg. *in Illerdens. præeminentiarum, 26. Iunij* 1602. vbi dicitur hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula, *sine præiudicio alicuius.* Refert *in d. tract. de Canonicis, c. 18. n. 67.* Hæc omnia Barbosa ibi. Quas declarationes pro Canonicis repetit *de officio Parochi part. 1. c. 9. n. 9.* & *n. 10.* dicit, eas esse iuri consonas. Nam Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, semper, & vbique præcedere debent Ecclesiis inferioribus, etiamsi vltimo loco sint erectæ ipsæ Cathedrales, & Collegiatæ; & inferiores essent in quasi possessione præcedendi ante erectionem, &c. Et denique *num.* 11. respondet ad decisiones, quæ Parochis respectu Canonicorum Collegiatarum Ecclesiarum præcedentiam dare videntur.

Quibus non obstantibus primam sententiam sustinet adhuc Stephan. Gratian. *discept. forens. tom. 2. cap. 298. n. 83. & tomo 3. cap.* 492. cui fauet Rituale Romanum *tit. de exequiis, pag.* 150. vbi Parochus in omnibus funeribus pręcedit incedendo ante feretrum. Et certè adhuc eius sententia est probabilis valde, cùm pro illa etiam extent declarationes Sac. Congreg. & faueat Rituale.

Quid autem mihi probabilius sit, ex mox dicendis patebit.

QVÆSTIO VIII.

An saltem sit certum, quod Parochus in funeralibus non debeat præcedere Canonicos Cathedralis Ecclesiæ?

RÈspondeo id esse certum (quidquid adhuc de iis Canonicis loquendo, senserit Molina *de Canon. lib. 2. cap. 14.*) Ratio est, tum quia de Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ loquendo, sæpe id decreuit Sacra Congreg. vt nuper vidimus: ergo à fortiori eius decisiones extant pro Canonicis Cathedralis Ecclesiæ. Tum quia sic expresè decreuit in casu contingenti *in vna Viterbiens. 25. Iunij* 1611. his verbis: *In Sacra Rituum Congreg. expositum fuit, oriri differentias inter Canonicos, & Clerum Cathedralis Viterbiens. ex vna, & eiusdem Ciuitatis Parochos, ex alia partibus, dum semel ad funus alicuius defuncti associandum accedunt, prætendentibus Parochis, stola, & cotta indutis præcedentiam in casu proposito, super vniuersum Cathedralis Clerum, & Capitulum, Archidiacono, & Archipresbytero dumtaxat exceptis, & è contra non conuenire existimantibus Dignitatibus, &*

Canonicis

Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vt simplex Parochus supra Clerum, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, qui simul cum Archidiacono, & Archipresbytero vnum corpus constituunt, locum obtineat. Quibus auditis eadem Sac. Rit. Congreg. à decretis factis similibus non esse recedendum censuit; nempe, vt locus dignior in funeralibus semper relinquatur Capitulo, & Clero Ecclesiæ Cathedralis; Parochum verò defuncti, vel Parochum Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur, digniorem locum obtinere debere, & præcedere quoscumque alios Presbyteros, non autem Ecclesiæ Cathedralis. In Ecclesia verò, vbi corpus defuncti sepelietur, ad Parochum ipsius Ecclesiæ pertinere officium facere. Et expressè declaratum fuit in vna Pisauriens. sub die 20. Decemb. 1603. Et sic etiam in Ciuitate Viterbij seruandum esse censuit, nisi aliàs immemorabilis consuetudo Parochorum legitimè probetur. Sic Sacra Congreg. quam referunt Sellius *in select. Canon. cap. 59. num. 41.* & Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 9. num. 7.* vbi hanc sequentem declarationem addit. *Sac. Congreg. Rituum in Turritana 14. Februarij 1632. censuit, in Ecclesia Parochiali digniorem locum deberi Canonicis Cathedralis immediatè post Episcopum, & post Canonicos sedere debere Rectorem.* Sic ibi, *& in sum. Apostol. decis. collect. 557. num. 4.* vbi *num. 7.* hanc tertiam declarationem refert: *Parochus, seu Curatus, aut Sacrista Cathedralis, etiam quod sint amouibiles, quando interueniunt Capitulum dictæ Cathedralis, debent præcedere proprio Parocho defuncti.* Sic Barbosa *ibi, & de officio Parochi part. 2. cap. 26. num. 78.*

Ex quibus declarationibus constat, probabiliorem esse sententiam negatiuam, allatam *quæst. præcedenti*, quia rationes, in quibus huiusmodi declarationes fundantur, pro illa omninò extant.

QVÆSTIO IX.

An Parochus in sua Ecclesia possit sedere in Sede?

Respondeo, non posse sedere in Sede, sed in scamno; quia sic decreuit Sac. Congreg. Rituum *in Turritana 7. Augusti 1610.* penes Sellium *d. cap. 59. num. 42.* & apud Barbosam *collect. 557. cit. num. 6. & de offic. Parochi cap. 9. cit. sub num. 5.* vbi aliam declarationem die 14. Februarij 1632. habitam refert.

QVÆSTIO X.

An Parochus, seu Curatus Ecclesiæ Parochialis, thurificandus sit ante Dominum loci?

Respondeo quod sic, quia est caput suæ Parochialis Ecclesiæ. Sic censuit Sac. Congreg. Rituum *in Turritana 7. Augusti 1610.* vt refert Barbosa *de offic. Parochi part. 1 cap. 9. sub num. 5. & in collect. Bullarij, verb. curatus, collect. 238. num. 12.* quamvis *ibid. collect. 557. verb. Parochus, num. 8.* dicat illam declarationem factam fuisse 14. Februarij 1632.

QVÆSTIO XI.

An Parochus intra propriam Parochiam debeat præcedere omnes alios maiores in dicendis Missis solemnibus?

Respondeo dicendum, debere præcedere omnes alios maiores in dicendis Missis solemnibus, & aliis quibuscumque præeminentiis concernentibus ipsius Parochi officium. Sic Chassan. *in Catal. part. 4. constit.* 81. & Theodos. de Rubeis apud Stephan. Gratian. *discep. forens. tom. 1. c. 198. num.* 88. quos sequitur Barbosa *de offic. Parochi d. cap. 9. sub num. 5.* Basseus *tom. 2. verb. Parochus, fine*, & alij apud ipsum.

QVÆSTIO XII.

An sint aliquæ functiones, quæ à solo Parocho fieri debeant?

Respondeo dicendum, quod sic; quia ad solum Parochum proprium spectant huiusmodi functiones. Primò benedicere fontem Baptismalem; secundò deferre Sanctissimum Sacramentum, & celebrare Missam Feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati Sancti; tertiò benedicere Candelas in die Purificationis B. Mariæ Virginis, & eas in Ecclesia dispensare; quartò benedicere cineres primo die Quadragesimæ; quintò benedicere etiam Palmas in die Dominica proxima Paschati. Sic censuit Sacra Congreg. Rit. *in Alatrina, 5. Martij 1633.* quam declarationem recenset Barbosa *de officio Parochi part. 1. cap. 12. per totum.* Legantur Quaranta *in sum. Bullarij, verbo Missa.* Riccius *in praxi rerum fori Eccles. part. 4. resol.* 304. & alij.

DISPVTATIO VIII.

De obligatione, quam habent Parochi docendi, & prædicandi populo verbum Dei.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochi teneantur docere suas Oues rudimenta fidei, & doctrinam christianam, saltem Dominicis, & aliis festiuis diebus?

Affirmant plures DD. eo quod existiment sic præcepisse Tridentinum Concil. *sess. 24. de reformat. cap. 4.* & ideò sic sentiunt Barbosa *de officio Parochi 1. p. cap. 15. num. 1.* Remigius, & Possevinus citati à nobis *part. 6. tract. 1. de fide, disp. 2. q. 72.*

Sed clariùs iterum respondeo, teneri quidem Parochos docere prædictis diebus suas Oues rudimenta fidei, & doctrinam christianam, non præcisè ex vi Concilij Trid. quia Concilium *loc. cit.* non declarat, munus docendi doctrinam Christianam ad Parochos pertinere, vt constat ex dictis à nobis

d. quæst. 72. sed ex vi praxis vniuersalis Ecclesiæ, & aliquarum Synodorum Diœcesan. Sic Sà, Victorellus, Trullench, Petrus Ledesma, Sotus, & Filliuc. vbi suprà citati, & communis.

QVÆSTIO II.

An Parochus teneatur docere suos Parochianos rudimenta fidei, & doctrinam christianam, sub peccato mortali?

AFfirmant absolutè plures DD. docentes, peccare mortaliter Parochum, qui nimium negligens fuerit in huiusmodi Doctrina Christiana edocenda. Ita Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 15. *num.* 2. & alij plures.

Sed clariùs respondeo, peccare certè mortaliter Parochos non docentes suos Parochianos doctrinam christianam, & rudimenta fidei, casu quo deficiat, qui eam doceat: secus verò si adsit, vt communiter contingit in populis, in quibus hoc munus Magistris puerorum commissum est. Sic Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 7. & cum aliis nos *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 72.

QVÆSTIO III.

An Parochus teneatur publicè docere doctrinam christianam, & ad eam edocendam campanæ sono vocare?

REspondeo dicendum, quod teneatur ad docendam publicè doctrinam christianam, & quod sit optimus modus sono campanæ ad illam exponendam pueros conuocare. Illum namque instituit S. Carolus in Concil. I. Prouinc. *tit. de fidei initiis*, vbi decernitur, quod Parochus Campanæ sono curet à prandio diebus Festis pueros conuocare ad audiendam doctrinam christianam. Sic Trullench *loco citato*, *num.* 9. & ex illo Barbosa *cap.* 15. *cit. sub numero primo.*

QVÆSTIO IV.

An Parochus non solùm publicè, & in communi, verùm etiam in particulari teneatur quemlibet subditum suum doctrinam christianam docere?

REspondeo, non teneri, sed sufficere in communi, & in propria Ecclesia, per seipsum, vel per alium doctrinam dictam docere, & exhortari parentes, vt filios suos, & filias eam doceant, cum cæteris, quæ ad vitam piè instituendam necessaria sunt. Sic cum Petro Ledesma, Trullench, & aliis diximus *part.* 6. *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 73. & docet Barbosa *d. num.* 1.

QVÆSTIO V.

An possit Episcopus, constito sibi de negligentia Parochi in docenda doctrina suos subditos, assignare ex fructibus Parochialibus partem congruam alteri, qui loco illius eam doceat?

REspondeo dicendum, quod optimè id possit facere Episcopus, constito sibi de negligentia, vel insufficientia Parochi in huiusmodi doctrina Christiana edocenda; quia sic colligitur ex Concilio Trident. *sess.* 5. *de reformat. cap.* 2. ibi: *Itaque vbi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita vt etiamsi ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.* Sic Concilium, & sic Piasec. *part.* 2. *cap.* 3 *n.* 16. & ex illo Barbosa *de offic. Parochi p.* 1. *cap.* 15. *num.* 2.

QVÆSTIO VI.

An possit Episcopus obligare Parochos sub pœna excommunicationis, aut suspensionis, vt sibi subditos doctrinam christianam doceant?

REspondeo dicendum, quod possit. Tum quia obligat ad id, ad quod iure diuino, & humano sunt obligati, & noua hac pœna incitat, vt diligentes sint in sui muneris executione. Tum etiam, quia id colligitur facilè ex citatis nuper verbis Concilij. Sic tenent Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 88. *n.* 3. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 3. *num.* 15. Palaus *de fide tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 11. *num.* 3. Barbosa *part.* 3. *de potest. Episcopi, alleg.* 76. *num.* 8. *& de iure vniuerso lib.* 1. *cap.* 9 *num.* 7. Aloys. Riccius *in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapol. part.* 1. *decis.* 22. vbi ait, fuisse suspensum ab officio suæ curæ quemdam Parochum per sex menses, eo quod rudimenta fidei suos Parochianos non docebat. Legatur item Barbosa *de officio Parochi* 1. *p. cap.* 15. *num.* 6. vbi alios plures refert Authores.

QVÆSTIO VII.

An sicuti Episcopus seu, Ordinarius, potest compellere Parochum censuris, & aliis pœnis, vt doctrinam christianam pueros doceant, ita possit compellere eosdem pueros vt eam addiscant?

NEgat Zerola 1. *p. praxis Episcop. verb. doctrina christiana*, §. 3. vbi inquirens, an Ordinarius possit compellere pueros, vt eant ad doctrinam christianam discendam, mulctis, & pœnis Ecclesiasticis? Sic respondet: Ad tertium, Sacta Congregatio *declarat.* 6. in hæc verba censuit: *Ordinarius non potest mulctis & pœnis, etiam in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere pueros ad discendam doctrinam christianam, etiamsi hoc fieri noluerint*

noluerint in oppidis, villis, & aliis locis extra ciuitatem. Nec valet, quia Concil. *loco cit.* dicit, *posse compelli per censuras Ecclesiasticas*: quia ibi loquitur de compulsione illorum, quorum interest eam docere, & non de compulsione puerorum, siue parentum ipsorum. Hæc omnia Zerola.

Sed iterum respondeo vt ferè certum, posse Episcopum, seu Ordinarium compellere pueros sub mulctis, & Ecclesiasticis censuris, vt addiscant doctrinam christianam. Tum quia id in Hispania vsu receptum est. Tum quia in casu contingenti sic fuit decisum, vt diximus *part. 6. tract. 2. disp. 2. q. 59.* vbi adduximus pro hac parte Fagundez, Sanchez, Perez, Rodrig. Palao, & Trullench, & Barbosam *de potest. Episcop. 3 p. alleg. 76. num.* 8. qui postea idem docuit *de officio Parochi part. 1. cap. 15. n. 6.* vbi alios adducit Doctores. Sed inaduertenter inquirit, an id possit facere Parochus, cùm de Ordinatio solùm dubitetur: nam de Parocho loquendo, certum est apud omnes, non posse id efficere.

QVÆSTIO VIII.

An iniuncta sit Parochis prædicatio verbi Dei?

RESpondeo vt quid certum, quod sit: nam Trident. Concilium animaduertens, quàm necessaria sit ad animarum salutem prædicatio verbi Dei, Parochis sub aliquibus pœnis iniunxit, vt in Ecclesia sua singulis Dominicis, & Festis diebus, & temporibus ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus, si non quotidie, saltem tribus in hebdomada diebus prædicationem faciant, in quibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate docere debent, quæ scire omnibus necessaria sunt ad salutem. Sic Concilium *sess. 5. de reformat. cap. 1. & sess. 22. de sacrif. Missæ, cap. 8. & sess. 23. de reform. cap. 1. & sess. 24. cap.* 4. Lege Barbosam *de offic. Parochi 1. p. cap.* 14. & alios mox citandos.

QVÆSTIO IX.

An ex vi Concilij Tridentini teneantur Parochi sub mortali prædicare verbum Dei diebus ab illo assignatis?

RESpondeo dicendum, teneri quidem ex vi Concilij, ad prædicandum Dei verbum, diebus ab illo assignatis, sub mortali culpa; non tamen spectata consuetudine generali iam recepta, nam hæc verè illos à culpa graui excusat. Sic communiter Doctores, præcipuè Bonac. *in 3. Decalogi præcep. disp. 5. quæst. vnica punct. 2. sub num.* 28. & Machado *lib. 4. part. 2. tract. 3. docum. 2. num. 1. & 2.* vbi sic ait: *Y aunque es assi, que comunmente los Doctores fundados en los lugares citados del Concilio, enseñan, que de ellos se induce precepto que obligua. Afirma Soto* (*lib. 10. de iust. quæst. 1. art. 3.* quem refert Posseuin. *de offic. Curati cap. 3. num. 1.*) *que en el Concilio Tridentino se disputo, si el oficio de predicar se hauia de encargar à los Curas, y que al fin se quedo sin determinar*, &c. Et addit *num. 3. suponiendo pues con la comun, que en esta parte tienen los curas precepto, lo es tambien, que no se deue entender con tanto rigor, que obligue à los Curas à predicar todos los dias que el Santo Concilio dispone, sino solamente aquellos que ellos juzgassen que conuiene para el aprobechamiento de sus feligreses.* Sic ille, & ex illo Barbosa *de offic. Paroc. 1. p. cap. 14. sub num.* 1. & antea Bonac. *loco cit.* ex Suario, quod ampliùs statim declarabimus.

QVÆSTIO X.

An Parochi teneantur per seipsos concionem ad populum habere?

RESpondeo, non teneri per se ipsos, sed posse per alios huic muneri satisfacere, casu ad minùs, quo ipsi impediti sint; quia sic colligitur ex Trident. *sess. 24. de reform. cap.* 4. sic dicente: *In aliis autem Ecclesiis* (supple prædicationis munus exercetur) *per Parochos, siue iis impeditis, per alios ab Episcopo, impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, deputandos, vt in ciuitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire, &c.* Sic Concilium; & sic docet communis. Toletus *lib. 5. sum. cap. 5. num. mihi* 11. (Barbosæ 9.) ibi: Tenetur populo prædicare, vt habetur *sess. allegata* 24. & docere populum doctrinam Christianam, & credenda necessaria, & peccata communia, & generales virtutes; quamvis non sit necessarium prædicare per se, si alium constituat, qui prædicet, &c. Sic Toletus, Trullench etiam ex illo *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 8. num.* 12. & Barbosa *de officio Parochi cap. 14. num. 6.* & omnes communiter, loquendo præcipuè casu, quo Parochus sit impeditus. An autem etiam possit, casu quo impeditus non sit, iam dicimus.

QVÆSTIO XI.

An etiamsi Parochus non sit impeditus, excusetur à prædicando, casu quo alium constituat, qui pro ipso prædicet?

NEgant aliqui excusari talem Parochum, dum legitimo impedimento non detinetur. Tum quia iure diuino tenetur Parochus concionari. Tum quia Concilium (vt nuper vidimus) determinat tempus, quo Parochi tenentur concionari per se, vel per alios, si legitimè impediti sint: ergo si non sunt legitimè impediti, non videntur suo oneri satisfacere, si per seipsos non concionentur. Ita aliqui, quos suppressis nominibus refert Bonacina mox citandus.

Negant è contrà alij docentes, excusari omninò Parochum ab obligatione per seipsum concionandi, etiamsi impeditus non sit, dummodo alium constituat, qui prædicet. Primò, quia qui aliquid per alium facit, per seipsum facere censetur, *l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi arm. l. ita, §. quod si quis, ff. de adm. tutor. & cap. qui per alium 72. de regul. iur. lib. 6.* vnde, vt bene dixit Vincent. Caroc. *singul.* 402. propriè, & verè, & non per fictionem iuris per se facere dicitur, qui per alium facit, in iis, quæ sunt iuris, & facti simul, vel facti tantùm, ergo.

Secundò, quia populus nullum patitur detrimentum, & illius necessitati sufficienter occurritur, alio à Parocho concionem habente: ergo: Sic sentiunt Authores infrà citandi.

Bonacina verò, media via incedens ait, quod Parochus, qui non impeditus, per alium, & non per seipsum prædicat, verè satisfaciat obligationi

iuris diuini, vt conuincunt rationes pro secunda sententia allatæ; non verò satisfaciat obligationi iuris humani, quo decernitur, vt Parochi per alios concionentur, si legitimo detineantur impedimento. Ita ille *tom. 2. in 3. Decalogi prac. disp. 5. quæst. vnica, punct. 2. num. 29. & circa 4. prac. disp. 6. quæst. vnica, punct. 8. num. 4. vers. quartum est.*

Sed ego certè probabilissimè respondeo dicendum, quod Parochus verè excusetur ab obligatione prædicandi per se ipsum (etiamsi nullo impedimento detentus id faciat) constituendo alium aptum concionatorem, qui doceat suos Parochianos ea, quæ scire tenentur; quia hoc modo non solùm satisfacit obligationi ortæ ex iure diuino, vt fatetur Bonacina, sed etiam obligationi ortæ ex iure humano, quia sic praxis, & consuetudo communis illam Concilij legem interpretatur. Sic docent Toletus, Trullench, Barbosa *locis citatis.*

QVÆSTIO XII.

An rursus satisfaciat suæ obligationi Parochus, qui raro, aut nunquam per se, aut per alium à se constitutum concionatur, eo quod in eadem vrbe, vel Parochia non desint Concionatores docentes ea, quæ populus scire tenetur?

Affirmat adhuc Posseuinus *de offic. Curati lib. 1. cap. 3. num. 2.* cuius placitum vt probabile sequitur Trullench *lib. 4. in Decal. cap. 1. dub. 8. num. 12.* dum hæc scribit: Imò Posseuinus non improbaliter, non solùm excusat Parochum legitimè impeditum, dum nec per alium concionari potest, verùm etiam dum concionari potest; & tamen non concionatur, Episcopo sciente, & non contradicente, in ciuitate, in qua Episcopi solent communiter concionatores aliquos instituere, aut in qua Regulares de licentia Episcopi concionari consueuerunt; quia tunc non defraudatur populus, & agitur vtiliter eius negotium. Hoc autem non approbat Bonacina *tom. 2. disp. 6. quæst. vnica, punct. 8. num. 4. vers. quartum est*; quia Episcopus non potest in iure diuino dispensare. Teneri tamen potest securè sententia Posseuini, quia vt dictum est, tunc iuri diuino per alium fit satis, præsertim si Curatus sit inhabilis. Vide Barbos. *de officio, & potest. Parochi cap.* 14. Hucvsque Trullench.

Sed probabiliùs respondeo, tunc non satisfacere suę obligationi Parochum, si nec per se, nec per alium à se constitutum concionetur: etiamsi adsint alij in vrbe Prædicatores, qui crebrò concionentur; quia tunc nec per se, nec per alios à se constitutos satisfacit præcepto illi à Concilio Tridentino imposito: ergo nec suæ obligationi. Per accidens autem euenit, quod alij concionentur, aut ab Episcopo constituti, aut ab Prælatis Regularium, iam ab Episcopo expositi. Sic tenet Bonacina *loco citato*, imò & Barbosa, quem pro se videtur afferre Trullench. Nam *cap.* 14. ab ipso citato, *num. 9.* hæc habet verba: Et puto Parochum officio suo non satisfacere, quoad Deum, prædicationes totius anni aliis committentem, quamvis non desint Prædicatores docentes ea quæ populus scire tenetur; sicut nec satisfaceret, si totam Curam Vicario committeret, nisi ex consuetudine immemorabili excusaretur, &c. Sic Barbosa ibi; licèt in summario Capitis, *num. 9.* oppositum errore Typographi affirmet, dicendo, *Parochus officio suo satisfacit quoad Deum prædicationes totius anni aliis committens.* Sic ille; sed legendum est, *non satisfacit*, vt patet ex contextu corporis.

QVÆSTIO XIII.

An quoties populus grauiter prædicatione indiget, teneatur sub mortali Parochus per se, aut per alium concionari?

Respondeo vt certum, teneri, & sub mortali; quia ex Dei mandato tenetur Parochus oues suas verbi Dei prædicatione pascere, vt suprà sæpe ex Concilio Trident. *sess. 23. cap. 1. diximus*: ergo maximè dum populus grauiter tali prædicatione indiget. Sic Bonac. *tom. 2. circa 3. Decal. præcep. disp. 5. quæst. vnica, punct. 2. num. 30.* Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 1. num. 14.* Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 14. sub num. 8.*

QVÆSTIO XIV.

An deinde, adhuc exclusa graui populi necessitate, peccet mortaliter Parochus, quoties singulis Dominicis diebus, & aliis solemnibus Festis non concionatur?

Affirmandum videtur, eo quod Concilium Tridentin. *sess. 5. & 24.* id rigorosè præcipiat.

Sed vt quid iam certum respondeo ex dictis suprà *quæst. 9.* dicendum, quod non peccet mortaliter, eo quod interdum, aut sæpius omittat concionari dictis diebus. Tum quia, vt suprà diximus, consuetudo iam recepta illum à mortali excusat. Tum etiam, quia Tridentinum non vtitur verbis ita rigorosam obligationem indicantibus, vt Parochi, & alij Pastores animarum, culpam grauem incurrant, quoties concionem prætermittunt. Sic communis, Suarez *tom. 1. lib. 2. de Religione. cap. 16. num. 7.* Bonac. Trullench, & Barbosa *vbi suprà*, sed dubium remanet, quandonam grauiter peccabunt? Pro quo sit.

QVÆSTIO XV.

An Parochus peccet mortaliter, si vno integro mense continuo, aut duobus mensibus totius anni discontinuis non concionetur?

Affirmat Bonac. *disp. 5. cit. quæst. vnica, punct. 2. sub num. 31.* & probat, tum quia hæc videtur materia grauis, non solùm secundùm se, verùm etiam respectiuè. Tum quia Concilium Trident. *sess. 5. cit. cap. 2.* decernit, Parochos, aliosque curam animarum habentes, si ab Episcopis moniti, trium mensium spatio muneri suo non satisfecerint, cogendos esse per censuras, & alias pœnas ad hoc munus persoluendum. Supponit ergo Tridentinum, saltem spatium trium mensium esse notabile, & grauem culpam indicare, cùm Ecclesiasticæ censuræ

furæ non nisi mortaliter peccantibus iniungi soleant. Qui verò per mensem circiter non continuum toto anno non concionatur, probabiliter excusari posse videtur à mortali, quia Tridentinum non adeò grauem obligationem imponit, teste consuetudine. Ita Bonacina, cuius sententiam refert (licèt non ita bene) & sequitur Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 14. *sub num.* 8.

Sed mitiùs respondet Trullench *lib.* 3. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 14. qui post relatam sententiam Bonacinæ (quamvis non ita fideliter sicut nos) ita ait: Nihilominus tamen benigniùs censeo cum Suarez, solùm peccare mortaliter, si toto integro anno nunquam prædicaverit, modò tamen per se, aut per alios prouideat necessaria saluti animarum; nam vt consuetudo interpretatur, non videtur Tridentinum obligare cum tanto rigore, ante Episcopi monitionem, post quam admitto sententiam Bonacinæ: nam tunc ratione noui præcepti, & monitionis datur noua inobedientia in re graui. Hæc omnia Trullench. Sed non benè omnia: vnde pro veritatis resolutione.

Respondeo tanquam quid certum primò. Parochus, qui per decem, aut etiam octo menses continuos, sine legitima causa omittit prædicare verbum Dei suis ouibus, peccat mortaliter, etiam ante monitionem Episcopi; quia ante hanc verè frangit in re graui præceptum Concilij Tridentini, vt constat ex suprà dictis, & docet Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 7. vnde malè illum pro se adducit Trullench.

Respondeo secundò, etiam vt certum. Parochus, qui post monitionem Episcopi omittit prædicare suis ouibus per vnum mensem continuum, aut per duos, aut tres discontinuos totius anni, verè peccat mortaliter, vt in hoc casu conuenit cum Bonacina Trullench.

Respondeo tertiò, vt multò longè probabilius, quod etiam peccet mortaliter Parochus, qui adhuc ante monitionem Episcopi omittit prædicare suis ouibus verbum Dei per vnum mensem continuum, & aut per duos, aut tres discontinuos totius anni; quia verè ante monitionem Episcopi, & eius nouum præceptum, datur præceptum à Concilio Tridentino, & illis imponitur de prædicatione: ergo si illud Parochus infringat in re graui, quale est tempus assignatum, verè peccabit mortaliter. Verum tamen est, quod erit maius, si post monitionem, prædicationem omittat, vt constat. Nota tamen quod sententia Ægidij Trullench sustineri possit, si consuetudo legitimè introducta talem excuset Parochum, vt colligitur ex dictis. Lege Bonacinam suprà citatum.

QVÆSTIO XVI.

An Præfecti ciuitatum possint facere, vt etiam renitente Vicario Generali, omnibus Dominicis, & solemnibus Festis populo prædicetur?

Respondeo dicendum, posse; quia solùm ad obseruantiam cogunt præcepti Tridentini de hac re iniuncti: ergo licitum est illis id efficere, etiam renitente Vicario generali. Sic Bobadilla *in sua Politica lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 194. *lit. R.* Barbosa *in remiss. ad loca Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 4. *n.* 2. Rodriguez *tom.* 2 *qq. Regular. quæst.* 62. *art.* 19.

QVÆSTIO XVII.

An Parochi possint per seipsos sermonem habere in suis Ecclesiis, eo die, & hora, qua Episcopus alibi prædicat?

Negandum videtur, quia Vrbanus VIII. facta sibi relatione per Sac. Congreg. Concilij, sub die 2. Maij 1629. mandauit, vt cùm Episcopus prædicat, sileant alij Concionatores, illisque possit inhibere, vt eo tempore à prædicatione desistant: ergo, &c.

Sed hoc non obstante, respondeo dicendum, quod verè possint Parochi, per seipsos tantum, inter Missarum solemnia in suis Ecclesiis sermonem habere, eodem die, & hora, qua Episcopus alibi prædicat; quia sic censuit ead. Sac. Congregatio Concilij in causa Terulens. 11. Iunij 1631. vbi ait, id non intelligi respectu Parochorum in Ecclesia Parochiali. Sic tenet Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 14. *num.* 2. *&* 3. *& in sum. Bullarij collect.* 293. *num.* 3. *& collect.* 556. *num.* 1. & Sellius apud ipsum. Lege infrà *quæst.* 21.

QVÆSTIO XVIII.

An item prædicante Episcopo, possint etiam Religiosi prædicare eadem hora, & tempore?

Negandum videtur; quia *in Clement. dudum*, *& in Extrauag. inter cunctas*, conceditur Religiosis licentia prædicandi, *horâ illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicare*: ergo.

Nihilominus Lezana *tom... Regul. qq.* 1. *p. cap.* 20. *num.* 6. *pag.* 162. respondet sic; Quod cùm in aliis priuilegiis Religionum, quale est illud Pauli III. Patribus Iesuitis concessum, quo etiam gaudent, qui cum ipsis communicant in priuilegiis, non ponatur talis limitatio, & licentia Episcoporum ad prædicandum supponatur, nec contradicant illa hora prædicare, poterit id fieri, nisi consuetudine oppositum sit receptum, aut aliunde constet Episcopo displicere talem concionem. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 9. *de Societ. cap.* 1. *num.* 30. vide tamen circa hoc Sac. Congregationis Concilij sub S. D. N. Vrbano, præceptum apud Barbosam *de offic. Parochi cap.* 14. *num.* 2. & aliam declarationem eiusdem Sacræ Congreg. apud Gauantum *in Manuali Episcop. verb. concio sacra, num.* 52. Huc vsque Lezana, & bene: sed certè in praxi obseruandum est id quod est dispositum à Sacra Congregatione.

QVÆSTIO XIX.

An Parochi, si per se velint prædicare in suis Ecclesiis, possint ab Episcopo impediri?

Respondeo quod non; quia Concilium Tridentinum ita munus prædicationis Verbi Dei Parochis iniunxit, & quasi proprium munus illorum fecit, quod nec ab Episcopis in hoc exercendo impediri possint. Sic declarauit Sacra Congregatio Concilij

Concilij *in cap.* 2. *sess.* 5. *his verbis*: *Si Curatores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri.* Sic Sac. Congreg. quam refert Barbosa *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 14. *num.* 5.

QVÆSTIO XX.

An Parochus per seipsum concionans, possit prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari aliis Prædicatoribus ab vniersitate electis?

Respondeo dicendum, non posse id prætendere, etiam prætextu cuiuscumque paupertatis; quia sic censuit Sac. Congreg. Concilij *in vna Vestana*, 20. *Martij* 1621. apud Sellium *in select. Canonic. cap.* 23. *n.* 18. Gauantum *in Enchirid. Episcop. verb. concio sacra, n.* 2. & Barbos. *de offic. Parochi, cap.* 14. *cit. n.* 7. & *in sum. Apostolic. decis. collect.* 556. *num.* 3.

QVÆSTIO XXI.

An non solùm Parochi, verùm etiam Presbyteri Parochialis, possint prædicare prædicante Episcopo?

Respondeo vt quid certum, non posse tunc prædicare Presbyteros Parochialis, sed solùm Parochos: sic enim expressè tenet Barbosa *in sum. Bullary, collect.* 556. *cit. num.* 1. his verbis: Parochus per se ipsum inter Missarum solemnia, non autem Presbyteri Parochialis, potest sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse prædicat. Sac. Congreg. Concilij *in Trullens.* 11. *Iuniy* 1631. Sic ille. Idem docet *de offic. Parochi part.* 1. *cap.* 14. *n.* 3.

QVÆSTIO XXII.

An possint Parochi admittere ad prædicandum in suis Ecclesiis Concionatores ab Ordinario non approbatos?

Respondeo dicendum, quod licèt olim attento iure communi, possent, vt constat ex textu *in Clement. dudum, de sepultur. vers. in Ecclesiis autem*; hodie tamen minimè, quia expressis verbis Concilij Tridentini *sess.* 5. *de reformat. cap.* 2. (non 5. vt leges apud Barbosam) & *sess.* 24. *itidem de reformat. cap.* 4. prohibentur Parochi admittere in suis Ecclesiis Concionatores ab Ordinario non approbatos: vnde iam hodie nullus, etiam à Parocho inuitatus, poterit prædicare sine licentia Episcopi, vt ex declaratione Clement. VIII. resoluunt Zypæ. & Bert. Lucens. quos refert, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi* 1. *p. cap.* 14. *num.* 8.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem possint Parochi dare alicui Prædicatori sibi noto licentiam ad hoc, vt semel, bisve in sua Parochia, absque habita ab Ordinario licentia prædicet?

Affirmat Barbosa *loco nuper citato*, docens id posse facere Parochum semel, aut bis, citatque Nauarrum *in Man. cap.* 25. *num.* 141. & Vgolinum *de officio Episcopi cap.* 42. §. 1. *num.* 3. sed certè Nauarrus nô limitatam facultatem, sed absolutam concedit Parocho, dicens id posse quotiescumque velit. Audi illum: Peccat mortaliter concionator, qui publicè concionatur absque facultate legitima, *cap. excommunicamus*, §. *quia verò, de hæret.* qualem habet Episcopus per totum orbem, & Parochus in sua Parochia, qui potest dare illam alteri noto, & aliàs probato quoad suam Parochiam, sicut Episcopus quoad suam Diœcesim, & Papa quoad omnes, vt colligitur ex Panorm. & communi *in cap. inter cætera, de offic. Ordinar. & d.* §. *quia verò, de hæret.* & ex Cardin. *in Clem. dudum, de sepult.* quia sunt Ordinarij, & Ordinarius potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, delegare iure Canonico, iuxta glos. receptam *cap. peruenit,* 95. *dist.* Hæc meus Nauarrus.

Sententiam tamen Barbosæ tenet cum aliis Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 22. non tamen ita absolutè de omni Prædicatore loquendo, sed de Regulari; huic enim posse Parochum dare licentiam, vt bis, aut ter in sua Parochia prædicet, his verbis docet: Notandum est hic obiter, posse Parochum bis, vel ter dare licentiam Regulari valde docto, & graui, & noto, aliàs ibi non approbato, vt prædicet in sua Ecclesia. Quod maximè verum erit, si Prædicator sit in itinere; ita Portel. *in dubiis Regular. verb. Prædicatores, n.* 2. vterque Rodriguez, Hieronym. & Emanuel, ille *in compend qq. Regular. resol.* 112. *n.*4 hic *in qq. Regul. tom.* 3. *q.* 32. *art.* 1. quibus adde Barbosam *vbi sup. n.* 26. & alios penes ipsum. Hæc Diana, quem citat, & videtur sequi Bassæus *tom.* 1. *verb. prædicatio, n.* 3.

Sed ego ebriùs respondeo primò vt mihi certum, quod casu, quo Parochus possit dare licentiam alicui Regulari, vt in sua Parochia bis, aut ter absque Episcopi approbatione prædicet; etiam id poterit dare alteri Sacerdoti sæculari docto, graui, & noto; quia vt statim videbimus, pro vtroque est eadem ratio.

Respondeo secundò, casu, quo Parochus possit dare licentiam alicui Sacerdoti, ad bis, aut ter in sua Ecclesia prædicandum, etiam poterit illam ei concedere toties, quoties sibi placuerit. Patet, quia si potest hanc licentiam concedere alicui, est quia potest delegare suam iurisdictionem, cùm illam habeat ordinariam, vt bene meus Nauarrus: ergo non solùm iterum, atque iterum, sed semper quod sibi expedire videbitur, poterit talem licentiam concedere.

Respondeo tertiò: Probabilius est, quod post Concilium Tridentinum minimè possit Parochus concedere licentiam alicui Sacerdoti, maximè sæculari, quamtumvis docto, graui, & noto, ad hoc vt adhuc bis, aut semel prædicet in sua Ecclesia, absque habita priùs ab Episcopo licentia; quia id cauetur in

in Trident. *sess. 5. cit. cap. 2.* iis verbis: *Regulares verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus, de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Hæc Concilium; quod, vt vides, grauibus verbis prohibet, ne quis vllo modo prædicet sine Episcopi licentia: ergo post Concilium Tridentinum, iam ad illum solum spectat eam concedere: non ergo, nec semel, ad Parochum. Hæc est communis sententia, vt fatetur Machado *lib. 4. sum. tract. 1. part. 2. docum. vltimo, num. 2.* his verbis: *Si esta licentia la puede dar el Parrocho, para que vna, ò otra vez predique en su Iglesia vn Religioso docto, sin licencia del Obispo, es dudoso entre los Dotores. Lo mas comun es, que no: però lo contrario defienden no poco graues Autores, porque siendo proprio, y peculiar derecho del Cura predicar, lo puede delegar aquien quisiere.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXIV.

An Parochus; qui nec doctus, nec eloquens est, debeat per se concionari, aliquando saltem?

RESpondeo dicendum, debere; quia oues libentiùs audiunt vocem sui proprij pastoris, quàm illorum, qui non sunt. Et certè Parochus, licèt non ita doctus, vtiliter plebem sibi commissam erudiet, si prædicet obseruando vtilissima monita concionatoribus præstita à Sancto Francisco Xauerio, teste Torsellino *lib. 6.* per hæc verba: *Non se ipsum, sed Christum crucifixum Concionator prædicet. Concionatoris præcipuum munus est, auditori delictorum suorum quàm maximum incutere dolorem, & certissimis, sempiternisque infernorum suppliciis ante oculos propositis, eum à flagitiis deterrere; sathanæ quoque artes, atque insidias aperire; ea demùm pro concione serere, quæ vulgi quoque imperiti intelligentia potiùs quàm admiratio excipiat.* Hæc sanctissimus Pater, Indiarum Apostolus, & egregius Indiorum Prædicator, honor, lumen, & gloria nostri Nauarræ Regni, necnon & suæ illustrissimæ, ac sapientissimæ Religionis. Cùm igitur omnis, quicumque sit, Parochus, obseruando hæc monita facilè concionari possit, ad id per se, saltem aliquando tenebitur. Sic Barbosa *de offic. Parochi 1. p. cap. 14. num. 4.*

DISPVTATIO IX.

Compendiosa de authoritate, & iurisdictione, quam habent Parochi.

§. I.

De facultate, quam habent Parochi in diebus festis dispensandis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Parochi aliquam habeant facultatem dispensandi in diebus festis?

RESPONDEO dicendum, quod Parochi possunt licentiam laborandi in festis suis Parochianis concedere, ad tempus tantùm, & pro ratione occasionis actualis occurrentis, & casu quo Episcopum, vel Ordinarium facilè adire nequeant. Sic sentiunt communiter DD. præcipuè Suarez, Azor, Fagundez, Villalob. Palaus, & Machado, quos citauimus *part. 3. tract. 1. de obseruatione festor. disp. 6. q. 69.* quibus nunc addo Barbosam *de offic. Parochi part. 1. cap. 16. n. 6.* ita dicentem: Ex causa verò legitima, veluti damni euitandi, vel vitæ sustentandæ, potest Parochus concedere licentiam laborandi diebus festis, in quibus ad Episcopum, vel Vicarium non potest haberi recursus. Sic ille, qui *num. 7.* addit, posse Parochum aliquid exigere à laborantibus in die festo, quando causa laborandi in eo die est dubia, mutando hoc opus seruile in aliquam largitionem, quæ cedat in opus pium. Quod nos loquendo de facultate, quam circa hoc habent Episcopi, iam notauimus *part. 3. cit. tract. 1. disp. 6. q. 71.* legantur ibi dicta.

§. II.

De facultate, quam habent Parochi in lege ieiunij dispensanda.

QVÆSTIO II.

An Parochi possint dispensare aliquando cum suis Parochianis in lege ieiunij?

RESpondeo ex aliàs dictis, dicendum primò tanquam quid certum, quod Parochi optimè possunt, iusta interueniente causa, & absente Episcopo, aut eius vicegerente, dispensare in lege ieiunij; sic docent communiter DD. contra Angel. Tabienam, Hostiens. & Butrium, vt diximus *part. 3. tract. 5. de obseruat. ieiun. disp. 10. q. 10.*

Respondeo secundò, tanquam quid probabilius, dicendum, quod adhuc præsente Episcopo possit Parochus cum aliquibus, iusta de causa, in ieiunio dispensare; sic contra non paucos diximus cum D. Thoma, Durando, Ricardo, Caiet. & aliis quampluribus, *3. p. loco cit. q. 11.*

Respon

Respondeo tertiò, non solùm Parochi, verùm etiam eorum Vicarij, seu Vicegerentes, possunt cum iusta causa in ieiunio dispensare, nisi aliàs id ipsis à Parochis prohibeatur. Sic cum Sanchez, Sancio, Pasqualigo, & aliis diximus *loco citato, quæst.* 12.

---

§. III.

De administratione Sacramentorum in genere.

QVÆSTIO III.

De iis, quæ obseruari debent à Parochis circa administrationem Sacramentorum in genere.

RESpondeo primò: Parochi administrare debent Sacramenta iis ritibus, & cæremoniis, quæ in Rituali Romano, iussu Pauli V. edito, continentur: quia sic mandauit idem Pontifex in constitutione eidem Rituali præfixa. Sic notat Barbosa *de offic. Parochi part.* 2. *cap. in ordine* 17. *num.* 2. qui *num.* 3. addit, tales ritus, & cæremonias, iam in administrandis Sacramentis præscriptas, omitti sine peccato non posse, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat, vt affirmauit Pius V. in Catechesi Romana *part.* 2. *de Sacram. in genere*, §. 18.

Respondeo secundò: Parochi tenentur administrare Sacramenta sine conscientia peccati mortalis, aliàs si conscij illius ea administrauerint, mortaliter peccabunt. Sic cum communi ferè omnium Doctorum tradidimus 1. *p. tract. de Sacram. in genere, disp.* 4. *q.* 8. *&* 9. vbi *q.* 10. addidimus, non teneri Parochum, qui est in mortali, præmittere confessionem ad conficiendum quodlibet Sacramentum, præter Eucharistiam; sed sufficere illi, si eliciat contritionem in re, vel saltem putatam. Legantur Authores ibi citati, & Barbosa *de offic. Parochi cap.* 17. *num.* 4.

Respondeo tertiò: Ad valorem Sacramentorum necessaria omninò est intentio, seu voluntas faciendi Sacramentum; itaque Parochus debet intendere conferre homini Sacramentum, vel (administrando illud) intendere facere quod instituit Christus, vel quod intendit Ecclesia, vel quod faciunt Christiani. Sic tanquam quid de fide, diximus 1 *p. disp.* 4. *cit. q.* 11. *& sequentibus.*

Respondeo quartò: Quamuis decens sit, vt Parochus, dum Sacramenta ministrat, habeat intentionem actualem; tamen vt validè conficiat, sufficit vt habeat intentionem virtualem. Sic vt quid certissimum diximus vbi suprà *quæst.* 15. & non sufficere habere intentionem habitualem, habes *quæst. sequentibus*, 16. *&* 17. lege ibi, quæ circa hanc materiam desiderare potes. De qua etiam agit, licèt breuiùs, Barbosa *de offic. Parochi cap.* 17. *num.* 7. *& sequentibus.*

Respondeo quintò: Ad Sacramenti validitatem requiritur intentio absoluta, quamuis sufficiat intentio conditionata de præsenti, vel de præterito; quia hæc statim transit in absolutam, conditione in re posita; non tamen sufficit intentio conditionata de futuro, quia huiusmodi conditio semper est contraria substantiæ Sacramenti. Sic cum communi docuimus 1. *p. tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 20. *&* 21. vbi *q.* 22. habes, quod apponere conditionem de futuro in conficiendis Sacramentis, semper sit mortale; apponere verò conditionem de præterito, vel præsenti, si adsit causa rationabilis, nullum sit. Lege etiam de hac re Barbosam *de officio Parochi cap.* 17. *à num.* 9. sed cautè, ob errorem Typographi: nam *num.* 9. *cit. in summario* ita habet: *Intentio ad Sacramenti vtilitatem semper debet esse absoluta.* Legendus est namque, *intentio ad Sacramenti validitatem*, vt ipsemet in corpore capitis habet.

---

§. IV.

De administratione Baptismi.

QVÆSTIO IV.

De iis, quæ obseruare debent Parochi in Baptismi Sacramento administrando.

RESpondeo ex dictis primò, quod circa administrationem huius Sacramenti debent obseruare omnes ritus, & cæremonias, quæ in Rituali Pauli V. continentur.

Respondeo secundò, quod licèt omnis Sacerdos sit Minister Baptismi ex officio; sed inter hos primus numeratur Episcopus, secundus Parochus, & tertius Sacerdos simplex. Sic ex Concilio Florent. diximus 1. *p. tract.* 2. *disp.* 4. *q.* 17. & tractat nouissimè Barbosa *de officio Parochi cap.* 18. *à n.* 1. vbi bene notat, quod ex his officium baptizandi pro se primò conueniat Episcopis respectu suæ Diœcesis, secundò Parochis in suis Parochiis, & tertiò aliis Sacerdotibus, ex commissione illorum.

Respondeo tertiò: Parochus, qui scienter prolem alterius Parochiæ absque licentia proprij baptizat, peccat mortaliter: sicuti etiam peccarent mortaliter parentes, offerentes baptizandam suam prolem Parocho alieno absque licentia proprij. Sic Barbosa *loco citato*, ex Paulo Laymanio *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. & nos anteà 1 *p. loco cit. q.* 23. vbi docuimus, quod licèt Parochus, aut alius Sacerdos, qui sine licentia Episcopi, vel Parochi puerum alterius Parochiæ extra necessitatem solemniter baptizaret, peccaret mortaliter, eo quod vsurparet actum iurisdictionis alterius, non tamen ob id fieret irregularis, aut excommunicatus.

Respondeo quartò: Parochus non debet vllo modo permittere, vt deferentes paruulum baptizandum, nomen infidelium, aut Gentilium illi imponere audeant; sed nomen alicuius Sancti, vel Sanctæ, cuius vitam proles pro viribus imitari, & cuius intercessione in cælis apud Deum vti possit. Ratio est, quia malum nomen habet sinistram suspicionem, bonum verò è contrà bonam. Vnde exhortari debent à Parocho Parentes, vt pulchra nomina, & honesta liberis imponant; quia præmium est non modicum, bonum, & honestum nomen habere, eo quod à nomine, & cognomine multoties sumitur, & permissa est argumentatio. Sic latè Barbosa *de offic. Parochi cap.* 18. *num.* 17. *& seqq.*

Respondeo quintò: Parochus, ad hoc Sacramentum ministrandum debet habere aliqua parata: nam primò debet habere fontem ex lapide marmoreo, aut alia apta materia, vbi faciliùs aqua conseruetur: qui fons debet esse constitutus in commodo

modo loco Ecclesiæ, & reclusus clauibus, ne homines aquam sumant ad superstitiones faciendas: secundò debet habere vasculum, quo super caput baptizandi aqua fundatur: tertiò alia duo vasa, saltem ex stanno, in quorum altero Chrisma, in altero Oleum cathecumenorum contineatur. Hæc, & alia Barbosa *vbi suprà*, *cap.* 18. *num.* 28.

Deinde debet habere librum, in quo describat omnes, qui in Ecclesia sua baptizantur, cum nominibus parentum (si de legitimo matrimonio nati sunt) & patrinorum, qui eos de Baptismo susceperunt, ac die, mense, & anno. Sic Barbosa *de offic. Parochi cap.* 7. *num.* 2. & 3. vbi hanc formam describendi Baptizatos ponit: videlicet; *Die... Mense... Anno... Ego N. Parochus, seu Curatus Ecclesiæ S. N. baptizaui filium Ioannis (v. g.) de N. & Mariæ de N. eius vxoris, secundum ritum, & præscriptum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Patrinus, & Matrina fuerunt N. de N. & N. de N.* Quod si infans spurius, & illegitimus fuerit, & parentes cognosci nolint, sic scribatur: *Ego N. &c.* vt suprà, *baptizaui N. filium parentum non cognitorum, secundum ritum, &c.* vt suprà. Reliqua quæ considerare, & aduertere debet Parochus circa materiam, formam, & alia concernentia ad valorem huius Sacramenti, videas in toto tractatu secundo primæ partis, vbi latè egimus de hoc Sacramento.

---

§. V.

De iurisdictione, quam habent Parochi in foro pœnitentiæ.

QVÆSTIO V.

An Parochus habeat iurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ circa omnes fideles suæ Parochiæ?

Respondeo vt certum, quod habeat illam in omnes suos Parochianos, etiamsi Sacerdotes sint: sic communis omnium. Lege meipsum 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 24. & Nauarrum, Suarium, Vazquium, & Ægidium ibi à me citatos. Barbosam etiam *de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 1. vbi benè aduertit, quod Sacerdos, eo ipso, quod de Parochiali beneficio sit prouisus, censeatur quoad hoc lege approbatus, nec indigeat alia Ordinarij licentia, vt colligitur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* ibi: *Nisi aut Parochiale beneficium, &c.* Sic ille, & ego anteà *disp.* 11. *cit. quæst.* 44.

QVÆSTIO VI.

An nomine Parochialis beneficij veniant omnia beneficia, quibus annexa est cura animarum?

Respondeo quod sic: ita tenet Barbosa *cap.* 19. *cit. num.* 2. his verbis: Nomine autem Parochialis beneficij in præsenti materia veniunt superiora beneficia, qualia obtinent Parochi, aliqui Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, & similes curam animarum, & iurisdictionem in hoc foro habentes. Sic ille, & penes illum Suarez, Filliuc. Fagundez, Diana, & alij.

QVÆSTIO VII.

An Parochi ita sint approbati per prouisionem in Parochos, vt vbique terrarum possint fidelium confessiones audire virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei?

Negarunt Petr. de Leone, Gutierrez, & Nuño, adducti à nobis 1. *p. tract.* 5. *de pœnit. disp.* 11. *quæst.* 60. & etiam Layman, & Garcia, citati à Barbosa infrà.

Sed iterum probabiliùs, & multò, respondeo, posse. Sic Suarez, Viuald. Henriquez, Toledo, Fagundez, Filliuc. Diana, Trullench, Petrus Ledesma, Mendo, & Bardus, quos citauimus *q.* 60. allegata, quibus addi possunt Reginald. Syluius, Homobon. Ioan. Valer. Villalob. Ioan. Sancius, & alij plures, quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 4.

QVÆSTIO VIII.

An Parochi, etiam absque vllo priuilegio, possint in aliena Diœcesi, & vbique audire confessiones suorum subditorum.

Respondeo vt quid certum, posse; quia hæc iurisdictio non est contentiosa, & ideò non terminatur loco, sed personis. Sic Suarez, Lugo, Zerola, Siluest. Armilla, Gomez, Nauar. Molfes. Azor, & Bonac. quos citatos inuenies 1. *p. loco cit. quæst.* 41. quibus addo Victor. Toletum, Couarru. Ioan. Valerum, & alios plures apud Barbosam *de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 5.

QVÆSTIO IX.

An item dicti Parochi possint in vniuersa Ecclesia audire confessiones, etiam extraneorum, absque noua approbatione Episcopi; non solùm virtute Bullæ, vel Iubilei, verùm etiam sine illis?

Negat Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 25. *n.* 8. & *de officio Parochi cap.* 19. *n.* 3. cum aliis Authoribus, his verbis: Approbatus tamen dumtaxat ad audiendas confessiones, censetur Parochus in ea ciuitate, vel oppido, vbi sita est Parochia, non autem passim per totam Diœcesim, prout resoluunt, & à Sacra Congreg. decisum referunt Piasec. *in praxi Episcopali part.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. *pag.* 92. Homobon. de Bonis *in examine Eccles. p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 15. Fagundez *d. cap.* 2. *num.* 35. Squillante *de priuileg. Clericor. cap.* 1. *num.* 73. Ita Barbosa.

Sed iterum probabiliùs respondeo, adhuc posse, quia ex Trident. *loco sup. citato*, vt aliquis censeatur idoneus ad cōfessiones audiendas sufficit, aut quod sit approbatus ab Episcopo, aut habeat Parochiale beneficium: ergo qui beneficium Parochiale habuerit, non indigebit approbatione Episcopi: ergo optimè poterit vbique confessiones fidelium excipere, etiamsi priuilegium eligendi Confessorem

Aa non

non habeant, dummodo Parochus proprius non contradicat. Sic Sancius, Vasquez, Ochagauia, Suarez, Ludou. de S. Ioanne, & Arbuled. Imò (licet non ita clarè) Fagundez, quos omnes pro hac parte citauimus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 61.

QVÆSTIO X.

An Parochi possint sibi eligere in Confessarium quemlibet Sacerdotem, etiam simplicem?

AFfirmant Abbas, Siluest. & Angel. Vega, Pasqualig. & alij, quos pro hac parte citauimus 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 34. quorum sententiam esse probabilem innuit Suarez.

Sed iterum, vt longè multò probabilius respondeo, non posse. Sic Suarez, Lugo, Nuño, Granado, Molfes. & alij, quos *q.* 3. adduximus. Lege nouissimè doctissimum Patrem Amadeum *in Opuscul. tract. de Pœnitentia, propositione* 16. vbi de hac re, vt semper, disertè agit.

QVÆSTIO XI.

An saltem possint Parochi exponere, & approbare ad Confessiones suorum subditorum audiendas, simplicem Sacerdotem?

AFfirmant Ioan. de Orellana, & Ioan. Gallus, Petr. Ledesma, Ludouic. de S. Ioan. Bossius, Thom. Hurtado, & alij citati à nobis 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 56.

Sed iterum, vt multò longè probabilius, respondeo iam, post Concilij Tridentini decretum non posse. Sic Suarez, Fagundez, Sancius, Nuñus, Candid. Sotus, Villalob. Gasp. Hurtado, Lugo, Trullench, Granad. Vasquez, Barbosa, Diana, & alij à nobis citati *q.* 56. *allegata*, vbi *q.* 57. vt quid longè probabilius diximus, id minimè posse adhuc tempore iubilei, vel in alio necessitatis casu, eo quod repugnet dispositioni Concilij Tridentini, decernentis, neminem posse audire confessiones sæcularium, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo approbetur.

QVÆSTIO XII.

An ad minus possit Parochus exponere, & approbare alium quemcumque Parochum ad confessiones suorum subditorum in sua Parochia audiendas?

NEgant adhuc Petr. de Leone, & Gutierrez citati à nobis 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 58.

Sed iterum probabiliter respondeo, posse; quia beneficium Parochiale æquiparatur ad minus approbationi Episcopi: sed approbatus ab Episcopo est eligibilis à Parocho: ergo. Sic Suarez, Fagundez, Filliuc. Toler. Diana, Hurtado, Ægidius, & Candidus citati à nobis *q.* 58. *citata.*

QVÆSTIO XIII.

An deinde possit Parochus exponere ad confessiones in sua Parochia audiendas, quoscumque Sacerdotes, etiam extra Diœcesim à quocumque Episcopo approbatos?

NEgant, & à fortiori, Petr. de Leone, & Gutierrez citati; necnon Ochagauia, Diana, Mendo, Rodriguez, & alij citati à nobis suprà 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 59.

Sed iterum, vt quid probabilius respondeo, posse; quia huiusmodi Sacerdotes habent conditiones requisitas à Tridentino, nempe quod sint à suis Ordinariis approbati: ergo sunt à Parocho eligibiles. Sic Nauar. Henriquez, Ægid. Ioan. de Cruce, Trullench, Candid. & alij citati à nobis *vbi suprà.*

QVÆSTIO XIV.

An qui habuit Parochiale beneficium, sed iam non habet, indigeat noua approbatione Episcopi, ad hoc vt per Bullam adhuc in Confessarium eligatur?

NEgant indigere noua approbatione Episcopi, eo quod approbatio, quæ Parocho simul cum Parochiali beneficio concessa fuit, adhuc perseueret, Rodriguez, Villalob. Basilius Legion. & Mendo, citati à nobis *disp.* 11. *cit. q.* 65.

Alij verò contrà affirmant indigere approbatione noua, eo quod vt quis censeatur approbatus, necessum sit, quod actualiter beneficium curatum habeat, vt constat ex illis verbis Concilij; *Nisi aut Parochiale beneficium obtineat:* ergo. Sic Suarez, Reginald. Bonac. Fagund. Henriq. Viuald. Diana, Barbosa, Ludou. à Cruce, Trullench, Granado, Lugo, Hurtado, Bardus, Quintanadueñas, quos, & alios allegauimus *q.* 65. *citata.*

Sed ego iterum clariùs, & distinctiùs respondeo sic. Qui Parochiale beneficium habuit, sed iam non habet, quia illud reliquit, vel cum alio simplici commutauit, non indiget noua approbatione Episcopi, ad hoc vt per Bullam in Confessarium eligatur; quia nisi alias Episcopus expressè auferat ab illo approbationem, vel eam suspendat, donec iterum examinetur (in quo casu consentio Authoribus affirmantibus non indigere approbatione) in sua approbatione perseuerat, ac proinde capacitatem habet, vt per Bullam eligatur, vt optimè docent Authores primæ sententiæ. Legantur dicta à nobis citata quæstione.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XV.

An Parochus teneatur confessiones suorum subditorum audire, quoties ipsi confiteri voluerint?

NEgant Ricard. Armilla, Ioan. de Medina, & Reginald. eoquod existiment, solùm teneri ad confessiones subditorum audiendas, quando ipsi tenentur confiteri; nempe semel in anno, & in articulo mortis, & etiam (ad summum) quando confessio esset necessarium remedium ad aliquod mortale vitandum.

Sed iterum probabiliùs respondeo, teneri Parochum audire subditos, non solùm in casibus assignatis ab Authoribus citatis, sed etiam quoties id rationabiliter petunt. Sic Sotus, Nauar. Adrian. Suarez, Vasquez, Azor, Granad. Ægidius, Bonac. Nuñus, Hurtado, Lugo, Sancius, Sà, Valentia, & alij plures allegati à nobis 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 119. quamvis *quæst.* 120. sequenti, vt quid probabilius contra Bonacinam diximus, non peccare mortaliter Parochum, qui semel, aut iterum denegat confessionem subdito, rationabiliter illam petenti, nisi aliàs grauis vrgeret causa, veluti, si subditus graui tentatione premeretur, aut longum iter aggrederetur, aut esset tempus Iubilei.

QVÆSTIO XVI.

An Parochus teneatur audire subditum, quando ei prouidet de alio apto Confessore?

AFfirmat Posseuinus, teneri Parochum audire suum subditum in Paschate, & in articulo mortis.

Sed iterum longè probabiliùs respondeo, non teneri adhuc in Paschate, aut articulo mortis audire subditum per seipsum, si ei prouideat de alio apto Confessore, nisi casu, quo aliqua necessitas subditi exigat, vt ab ipso Parocho audiatur. Sic Vazq. Suarez, Lugo, Diana, & Granados citati à nobis 1. *p. tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 121.

QVÆSTIO XVII.

An Parochus teneatur credere suo parochiano dicenti, se confessum fuisse cum Confessore approbato?

REspondeo vt certum, teneri illi credere, & ideò teneri illi petenti administrare Eucharistiam, nisi aliàs haberet signa probabilia mendacij pœnitentis. Sic Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 37. *num.* 1. Bonac. *de Sacram. disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 4. *num.* 26. Gabr. & Angelus, quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 31. qui *num.* 32. addit, quod Parochus non teneatur adhibere fidem dicenti, se impleuisse præceptum Confessionis (adde tu, aut Communionis) nisi illud legitimè probet; quia sic testatur vsus Ecclesiæ: solent enim Parochi petere schedulas Confessionis, & Communionis.

QVÆSTIO XVIII.

An subdelegatus à Parocho ad audiendas confessiones suorum Parochianorum, posit alteri hanc facultatem subdelegare?

REspondeo, non posse, nisi casu, quo dictus subdelegatus suum officium solus explere non possit; quia tunc ex præsumpta voluntate Parochi delegantis concessum est illi, vt certum exercitium iurisdictionis alicui, etiam generatim committat; quamuis non possit integrum officium Vicariæ suæ, ac proinde, nec potestatem subdelegandi, alteri committere, nisi aliàs consuetudo id illis permittat. Primam partem huius responsionis resoluit Valerus *de different. inter vtrumque forum, verbo iurisdictio, differ.* 3. *n.* 6. *ex l. vltim. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, l. more, ff. de iurisdict. omn. iudic. l. à iudice, C. de iudic.* Secundam verò partem Siluest. *verbo Vicarius, quæst.* 5. Nauar. *in cap. placuit, n.* 69. Adrian. *in* 4 *de confess. q.* 5. *dub.* 2. Chapeauill. *in tract. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, c.* 6. *q.* 2. vbi subdit, id vbique obseruari, vt Vicecurati ad tempus absentes, alteri Sacerdoti munus pastorale delegent, idque maximè pestis tempore obseruandum esse. Hos omnes Authores citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 37. & 38. vbi aduertit, quod Sacerdos Parochialis Curatus, quantumcunque simplex, ratione curæ sibi commissæ possit in adiutorium eiusdem curæ assumere sibi socium ad tempus quemcumque Religiosum, seu alium sine cuiusque Superioris licentia, dummodo sibi constet de eius sufficientia. Sic ille.

QVÆSTIO IX.

An Parochus sæcularis teneatur, dum audit confessiones, superpelliceum, & stolam deferre?

AFfirmat Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *numero* 60. loquendo de Parochis: & loquendo de omni alio Clerico sæculari *in sum. Bullarij, verb. Confessio Sacramentalis, collect.* 204. *num.* 2. his verbis: Confessiones dum audiunt Clerici sæculares, tenentur stolam, & cottam portare. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Albinganens. 8. Nouemb. 1588. nisi sint Religiosi Societatis IESV, qui superpelliceum deferre non tenentur. Eadem Sac. Congreg. *sub die* 25. *Aprilis* 1586. Sic Barbosa.

Sed ego respondeo, sanctissimum esse hoc consilium, seu mandatum, & obseruandum esse vbi introductum est. Certè in Hispania minimè id est introductum, & ideò ibi non obligat. Cætera, quæ Parochus circa Sacramenti Pœnitentiæ administrationem scire desiderat, inueniet apud me ipsum, 1. *p. tract.* 5. *per totum.*

§. VI.

De Sacræ Eucharistiæ dispensatione per Parochos facienda.

QVÆSTIO XX.

An possit Parochus concedere licentiam parochiano, vt præceptum annuæ communionis in Paschate adimpleat in aliquo Religiosorum Conuentu?

RESpondeo tanquam quid certum, posse; quia certum est, Parochum habere facultatem concedendi hanc licentiam suis subditis, vt communis concedit sententia. Sic Rodrig. Suarez, Hieron. Rodrig. Bauny, & Hieronym. Garcia, quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 10. *sub n.*6. & nos antea *part.* 2. *tract.* 7. *disp.* 3. *quæst.* 14. & 16. vbi resoluimus, quod si Parochus dicat suis Parochianis, vt communicent in Paschate vbicumque voluerint, possint ipsi hoc facere in Ecclesiis Mendicantium, adde nunc, aut aliorum Religiosorum non Mendicantium.

QVÆSTIO XXI.

An item possit Parochus in alienis Ecclesiis, etiam Regularium, Eucharistiam in Paschate suis parochianis ministrare?

RESpondeo vt quid certum, posse; quia *in cap. omnis vtriusque sexus*, solùm præcipitur, vt in Paschate quis à proprio Parocho Corpus Domini accipiat: ergo. Sic Fagundez citatus à nobis 2. *p. tract.* 7. *disp.* 3. *quæst.* 27. & quidem quod id etiam possit facere Parochus in Regularium Ecclesiis cum licentia Superioris earum, docent Beja, Medina, Corduba, Henriquez, & alij, quos sequuntur Hieronym. Garcia *in sum. tract.* 3. *diff.* 4. *dub.* 4. *num.* 44. & Barbosa *de offic. Parochi*, *cap.* 20 *sub n.*6.

QVÆSTIO XXII.

An Parochus teneatur suis subditis ministrare Eucharistiam, quando illi ex obligatione communicare debent?

RESpondeo, teneri, quando subditi debent ex obligatione communicare, hoc est, in Paschate, ad implendum præceptum annuæ communionis. Sic cum communi Barbosa *de offic. Parochi cap.* 20. *num.* 13. qui *num.* 15. addit, teneri quoque, quoties pij subditi Eucharistiam rationabiliter petunt. Nam Parocho impositum est onus pascendi oues suas, quod maximè fit verbo, & Sacramentis, nec par est, vt paruuli petant panem, & non sit qui frangat eis. Sic ille, ex Nauarro, Reginaldo, Bonac. Fagundez, Machado, Basseo, & Trullench.

QVÆSTIO XXIII.

An Parochus ministrans suis subditis Eucharistiam in mortali existens, peccet mortaliter?

AFfirmant Suarez, Filliuc. Valentia, Ægidius, Fagund. Ochagau. Bonac. Villalob. Philibertus, Granados, & Ortiz, quos omnes citauimus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 4. *quæst.* 25.

Sed iterum æquè probabiliter respondeo, non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm; quia qui ministrat Eucharistiam, non conficit Sacramentum, sed solùm iam factum confert. Sic tenent Vasquez, Nuño, Cabrera, Siluius, Petr. Ledesma, Ioan. de Cruce, Petr. de Reyna, Barbosa (vbi suprà) Hurtado, Lugo, & Diana, quos adduximus q. 25. allegata.

QVÆSTIO XXIV.

An Parochus teneatur scire, quinam sumptionis Sacræ Eucharistiæ sint capaces, & ex vi præcepti ad illam recipiendam obligentur?

RESpondeo vt certum, teneri; quia vt ex dictis nuper *quæst.* 20. constat, habet onus pascendi hoc Sacratissimo cibo oues suas. Sciat ergo Parochus, communem hac in re esse Doctorum sententiam, quod omnes fideles vtriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerint, esse capaces sumptionis Sacræ Eucharistiæ, & obligari ex vi præcepti ad illam recipiendam. Sic relatis, & relictis aliis sententiis, diximus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 3. *quæst.* 5. cum S. Thoma, D. Anton. Tabiena, Henriq. Ledesma, Viualdo, Marcilla, Castro Palao, Ioan. Sancio, & Machado; quibus addo Barbosam *de offic. Parochi cap.* 20. *num.* 18. & apud illum, Perlin. Baldel. Zambranam, Lugum, Baunium, & Hieronym. Garciam.

QVÆSTIO XXV.

An Parochus possit Eucharistiam amentibus à natiuitate ministrare?

RESpondeo vt quid certissimum, non posse, etiamsi sint in articulo mortis constituti; quia ex Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. *& can.* 4. *& ex cap. omnis vtriusque sexus*, id clarè colligitur, vt probauimus contra Glossam 2. *p. tract.* 7. *disp.* 6. *quæst.* 10. vbi *quæst.* 11. diximus, secus esse dicendum loquendo de amentibus, qui aliquando vsi sunt ratione, & posteà in amentiam, seu phrenesin inciderunt, quia his non solùm poterit, sed & tenebitur Parochus, ad minus in articulo mortis, Eucharistiam ministrare, dummodo non timeatur periculum vomitus, spumationis, vel alterius irreuerentiæ. Et *quæst.* 14. diximus, quod semifatuis non solùm possit conferre Eucharistiam in articulo mortis, sed etiam in Paschate, & in aliquo Iubileo magno. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XXVI.

An item Parochus possit licitè energumenis, seu dæmoniacis Eucharistiam ministrare?

Respondeo iterum, tanquam quid probabilius, posse, dummodo periculum irreuerentiæ cesset, & cætera requisita adsint. Id enim constat ex Concil. Elibertino *canone* 37. vbi præcipitur, quod dictis energuminis Eucharistia administretur. Sic S. Thom. Suarez, Vazquez, Palacios, Henriq. Hurtad. Filliuc. Granad. Lugo, & Sancius, quos pro hac parte citauimus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 6. *quæst.* 15. imò & teneri Parochum sub mortali ministrare Eucharistiam dictis energumenis in articulo mortis constitutis, habes ibi *quæst.* 16. dummodo in blasphemias non prorumpant, *quæst.* 17.

QVÆSTIO XXVII.

An Parochus denegare debeat Eucharistiam peccatori publico publicè eam petenti?

Respondeo iterum tanquam quid certum, quod omninò debeat illam denegare; quia sic habetur expresè *in capite pro dilectione, de consecr. dist.* 2. quod verum est, siue publicè, siue occultè illam peccator petat. Sic Ochagau. P. Ledesma, Henriquez, Suarez, Villalob. quos adduximus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 7. *q.* 55. vbi quid debeat facere Parochus cum dictis peccatoribus, antequam illis administret Eucharistiam, habes. Legatur etiam Barbosa *de offic. Parochi c.* 20. *num.* 20. vbi docet, notorium peccatorem dici, qui manifestus est, vel per sententiam Iudicis, vel per confessionem ipsius rei factam in iudicio, aut per euidentiam rei, quæ nulla tergiuersatione celari potest. Huic igitur neganda est à Parocho Eucharistia, nisi aliàs manifestò constet, eum vitam mutasse, quia scilicet honestè viuit; idque notissimum sit omnibus.

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem teneatur Parochus ministrare Eucharistiam peccatori occulto, petenti illam publicè?

Respondeo iterum teneri, casu, quo sine infamia negari non possit; quia plus obligat præceptum non infamandi proximum, quàm non administrandi eam indigno. Sic diximus 2. *p tract.* 7. *disp.* 7. *quæst.* 57. secus diximus, si peccator occultus occultè petat Eucharistiam; quia tunc denegare illam debet ei Parochus, si id sine vllo incommodo famæ facere possit, *ibi quæst.* 56. An autem Parochus possit etiam denegare Eucharistiam occulto peccatori petenti eam occultè, ob peccatum auditum in confessione, diximus 1. *p. tract.* 5 *disp.* 10. *quæst.* 71. quod possit, quamvis ad id non teneatur. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XXIX.

An Parochus, qui Sacrum non dixit, possit sibi ipsi Eucharistiam ministrare?

Respondeo iterum, vt quid probabilius, contra aliquos Doctores, posse non solùm in casu necessitatis, vt ipsi cum communi concedunt, sed etiam deuotionis causâ. Sic tenent Suarez, Vazquez, Hurtado, Fagundez, Siluius, Lugo, Diana, Layman, Ægid. Bonac. & Dicastillo, quos omnes citauimus *part.* 2. *tract.* 7. *disp.* 4. *quæst.* 14. quibus addo Barbosam *de offic. Parochi cap.* 20. *n.* 24.

QVÆSTIO XXX.

An Parochus tempore pestis teneatur ministrare Eucharistiam suis parochianis, etiam cum periculo vitæ?

Respondeo iterum vt quid probabilius, teneri; quia hoc Sacramentum est pro articulo mortis de necessitate præcepti diuini. Sic Nauar. Suar. Sà, Tolet. Siluius, Rodrig. Victorell. Fagundez, Villalob. Diana, & Dicastillo, quos citauimus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 4. *quæst.* 18. Lege Barbosam *loco citato, num.* 47.

QVÆSTIO XXXI.

An tempore pestis possit licitè Parochus ministrare Eucharistiam, non propria manu, sed aliquo instrumento?

Negant Diana, Chapeauill. Marchinus, Barthol. à S. Fausto, vt vidimus 2. *p. disp.* 4. *cit. quæst.* 20. quibus addo Barbosam *num.* 47. *nuper citato*, ita scribentem: Pestis tempore debet Parochus infirmos propria manu, & non aliquo instrumento communicare; quia sic potiùs postulat reuerentia Sacramento debita, quàm Eucharistiam infectis peste denegare, vel eam administrare non seruata præscripta forma, vt innuit Suarez, &c. Ita ille.

Sed iterum probabiliùs respondeo, posse licitè; quia licitum est hoc pestis tempore ministrare Eucharistiam cum Patena, vt inde infirmus proprio ore accipiat, vt concedit Posseuin. ergo etiam poterit cum alio aliquo instrumento, nempe cum cochleari argenteo, aut alio apto. Sic tenent Venetus & Gauantus, quos citauimus *q.* 20. *cit.* vbi *q.* 21. contra Henriq. Catherinum, Fagund. Dianam, Chapeauil. & Faustum, sustinuimus, licere etiam Parocho, aut cuilibet Sacerdoti, tempore pestis, aut alterius infirmitatis contagiosæ, ponere Eucharistiam in loco decenti, vt inde proprio ore, aut manibus infirmorum capiatur.

QVÆSTIO XXXII.

An Parochus possit ministrare hoc Eucharistiæ Sacramentum sub specie vini infirmo, qui illud sub specie panis non possit deglutire?

NEgarunt Suarez, Fagundez, Granad. Petigian. Mercerus, Siluius, & Diana, adducti à nobis *part. 2. tract. 7. disp. 10. quæst. 31.* quia casus, inquiunt, vix potest contingere, ita vt cum aqua, aut vino modicam particulam Hostiæ non possit infirmus traiicere. Ita etiam sentit Barbosa *vbi suprà, num. 44. vers. nec potest.*

Sed iterum probabiliter respondeo, posse; quia probabile est, quod liceat infirmo sumere Eucharistiam sub specie vini, casu quo panem deglutire non possit, vt loco citato diximus: ergo licitum erit Parocho sub dicta specie illam administrare, si detur casus, & absit periculum irreuerentiæ. Quod verò vix possit casus contingere, fatemur; sed sufficit posse aliquando, vt constat contigisse. Lege dicta à nobis *quæst. 31. citata*, vbi inuenies aliquos Authores, quos sequimur.

QVÆSTIO XXXIII.

An Parochus debeat deferre Eucharistiam ad ægrotum adorandam, si eam ob tussim, aut aliàs sumere non potest pro Viatico?

REspondeo dicendum, quod non debeat, nec possit; quia est abusus vitandus: sic enim docet Zerola *in praxi Episcop. verb. Eucharistia, §. 5.* his verbis: Sed quia inoleuit quidam abusus, quod si infirmus, ob tussim, vel aliquod impedimentum non posset communicare, faciunt deferre Sacram Eucharistiam ægroto, vt saltem eam adoret, quod non posse, nec debere fieri, censuit Sac. Congreg. 374. Sic ille, & Zypæ. Machado, & Ludou. de S. Ioan. quos refert, & sequitur Barbosa *de officio Parochi cap. 20. num. 44.* & nos etiam *2. p. tract. 7. disp. 5. quæst. 42.* id vt quid certissimum docuimus contra Sotum, Henriquez, Ortiz, & alios.

---

§. VII.

De Missis per Parochos ex obligatione celebrandis.

QVÆSTIO XXXIV.

An Parochi teneantur per se, aut per alium singulis diebus celebrare?

AFfirmant teneri, saltem casu, quo Parochiani aliqui ex deuotione Missam audire velint, Vazquez, Gaspar, & Thomas Hurtado, & alij, quos adduximus *2. p. tract. 8. disp. 5. quæst. 3.*

Sed iterum probabiliùs respondeo, adhuc in dicto casu non teneri, secluso scandalo; quia nullibi in iure reperitur id præceptum. Sic Fagundez Posseuin. & Philibert. loco citato adducti, quibus addo Barbosam *de offic. Parochi c. 11. n. 6.* aliàs 5.

QVÆSTIO XXXV.

An saltem teneatur Parochus celebrare per se, vel per alium omnibus festis, in quibus sui subditi tenentur audire Missam?

REspondeo iterum tanquam certum, teneri, non solùm omnibus festis, verùm etiam in aliis diebus, in quibus necessarium est populo Missam habere, vt quoties danda est benedictio nuptialis, quoties cum Missa sepeliendus est defunctus, &c. sic Azor, Posseuin. Barbosa, Diana, Thom. Hurtado loco citato adducti.

QVÆSTIO XXXVI.

An Parochus teneatur diebus festis celebrare Missam in sua propria Ecclesia?

REspondeo, teneri celebrare in sua propria Ecclesia, & non in alia. Sic censuit Sac. Congreg. Concilij *in Lucana 15. Septemb. 1629.* his verbis: *Onus iniunctum Parocho Tempagnani, se transferendi diebus festiuis ad Parochiam alterius villæ Antroccoli, ibique Sacrum faciendi, esse abrogandum.* Et rursus *in ead. causa Lucana*, sic ait ead. Sac. Congreg. *Cùm Rector Parochialis Ecclesiæ Tempagnani reperiretur obligatus accedere in octo festis diebus cum toto suo populo ad Ecclesiam Antroccoli, ad celebrandum Missam, remanente Ecclesia Tempagnani iis diebus sine Missa, Sac. Congreg. censuit, onus huiusmodi eundi ad aliam Ecclesiam esse tollendum.* Idem censuit Sac. Congreg. 17. *Nouemb.* 1629. vt refert Barbosa *de offic. Parochi cap. 11. num. 3.*

QVÆSTIO XXXVII.

An Parochus cogi possit aliquo casu ab Episcopo, ad adiungendum sibi aliquos Sacerdotes ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum?

REspondeo quod sic; quia sic cauetur in Trident. *sess. 21. de reformat. cap. 4.* per hæc verba: *Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, vt vnus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui diuino peragendo, cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum.* Hæc Concilium. Cuius decreti vigore, vt notat Barbosa, non poterit Episcopus erigere coadiutoriam, sed solùm cogere Rectorem ad adiungendum sibi tot Sacerdotes, qui sufficiant Ecclesiis in Sacramentis ministrandis, vt refert decisum Armendar. *in addit. ad Recopilat. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcop. n. 43.* & censuit Rota *decis. 484. n. 5. p. 1. recentior.* Sic ille *de offic. Parochi cap. 11. n. 4.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXVIII.

An Parochus teneatur tres Missas dicere in die Natalis Domini?

AFfirmant Henriquez citatus à nobis vbi infrà, & affirmauit postea Trullench *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 4. secundum Barbosam *de offic. Parochi cap.* 11. *n.* 8. Sed certè Trullench non adhæret omninò huic sententiæ, sed potiùs oppositæ, vt denotant hæc eius verba. Sed dices (ait *num.* 5.) Parochus tenetur in die Natalis Domini tres Missas celebrare: ergo & populus audire illas. Respondeo primò, negando antecedens cum Nauarro *de celebrat. Missar. respons. ad* 1. *dubitat. consil.* 8. & Rodriguez *cap.* 249. *num.* 5. Respondeo secundò, concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam etsi concedamus cum Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *n.* 3. Parochum teneri in die Natali tres Missas celebrare, non tamen sequitur fideles teneri eo die tres Missas audire; quia Parochus, iuxta hanc sententiam, tenetur tres Missas in die Natalis celebrare; primò, ne defraudet fideles debitis suffragiis, & deuotione, quia multi vellent tres Missas eo die audire. Secundò, quia facilè incurreret periculum scandali. Ita ille, qui, vt vides, ad minùs vtramque sententiam vt probabilem sectatur.

Sed iterum probabiliùs respondeo, non teneri Parochum, secluso scandalo, & contemptu, dicere tres Missas in die Natalis Domini; quia nec Parochiani tenentur eo die tres Missas audire. Sic tenent Fagundez, Bellet. Diana, & Philibertus citati 2. *p. tract.* 8. *disp.* 5. *q.* 30. Quibus addo Vgolin. quem citat, & sequitur Barbosa *de offic. Parochi cap.* 11. *num.* 8. Nauarrum, & Rodrig. *vbi suprà.*

QVÆSTIO XXXIX.

An Parochus, qui duas habet Parochias, quibus ipse solus præest, possit in ambabus Missam diebus festis celebrare?

REspondeo vt quid certum, posse, quia sic docet praxis, & communis Doctorum, vt testatur Hieronym. Garcia *in sum. tract.* 3. *diff.* 2. *dub.* 5. *num.* 7. vbi ita ait: *Quando vn Cura tiene dos Paroquias, las quales por la pobreza de ambas Iglesias no puede sustentar dos Sacerdotes, en este caso, si no ay Sacerdote que supla, puede el Paroco dezir dos Missas, vna en cada Paroquia. Y aun en opinion de Suarez disp.* 80. *sect.* 3. Fagundez *vbi suprà, Lugo disp.* 20. *sect.* 10. *n.* 47. *Luys de S. Iuan* §. *el quarto caso, tres, si tuuiere el Paroco tres Paroquias, no tomando empero las abluciones en las primeras; porque si las toma, no podra dezir otra por caso alguno. Sic ille, quem citat, & sequitur* Barbosa *de officio Parochi cap.* 11. *sub num.* 9. & nos 2. *p. tract.* 8. *disp.* 5. *q.* 38. vbi etiam id posse facere Parochum in aliis diebus non festis, si in his sit sufficiens numerus fidelium audientium Missam quotidie, cum Suario, Diana, Dicastillo docuimus, quidquid repugnent Villalob. & Garcia *vbi suprà*, & alij à nobis citati. Lege me ipsum ibi, & *quæst. seqq.* præcipuè q. 41.

QVÆSTIO XL.

An Parochi teneantur iure diuino ad applicandum Missæ sacrificium pro suis ouibus?

NEgant multi DD. eo moti, quia obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum sacrificium, sunt diuersæ: non enim debentur prouentus Pastorales præcisè, vt Pastor celebret ad intentionem Populi, sed potiùs debentur ratione officij Pastoralis. Ita tenent Lugo, & Machado citati à nobis 3. *p. tract.* 8. *disp.* 5. *q.* 5. Quibus addit Barbosa Nauarrum, Naldum, Vasquez, Syluium, Suarium, Dianam, Garciam, Becanum, Gauantum, & alios plures.

Sed probabiliùs respondeo, teneri Parochum iure diuino, licet non semper, interdum tamen applicare sacrificium Missæ pro ouibus suis; quia sic habetur in Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. his verbis: *Cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* Sic Concilium, & sic communiter omnes DD. licet inter eos dissensio sit in determinando, quibus diebus ad hoc Parochus obligetur. Pro qua dissensione finienda sit:

QVÆSTIO XLI.

Quibus diebus teneatur Parochus ad sacrum applicandum pro populo?

AFfirmat Sotus teneri quotidiè sacrum pro populo offerre. Ita ille *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *& de iust. lib.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. Sed hæc sententia ex dictis *quæst.* 32. manet refutata, cùm Parochus non teneatur ad singulis diebus celebrandum. Deinde Bonac. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. *in fine*, ait, teneri saltem diebus Dominicis, aut semel in hebdomada. Rursus alij aliter sentiunt, vt retulimus 2. *p. tract.* 8. *disp.* 5. *quæst.* 5.

Sed ex ibidem dictis iterum respondeo dicendum, quod sufficiat illi ad implendum diuinum præceptum à Tridentino intimatum, offerre sacrificium pro populo in solemnioribus festis, nisi aliàs vigeat alia consuetudo. Sic Philibert. Maior, Henriq. Suarez, Vazquez, Naldus, Ægidius, Reginald. & Gauantus, citati à nobis *vbi suprà*; quibus nunc addo Barbosam sic dicentem: Verius tamen puto, Parochum teneri Missæ Sacrum suis ouibus applicare, iuxta boni viri arbitrium, motus authoritate Concilij Tridentini *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. & probaui *de offic. & potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 23. *num.* 23. *in fine.* Ista autem applicatio (seclusa consuetudine, aut synodali aliqua constitutione, siue pacto) sufficit pro populo fieri à Parocho diebus solemnibus, vt post Nauarr. Suarez, Fraxinel. Vazq. Alphons. de Leone, & alios *citatis locis*, tenent Carceres *relect.* 2. *de casuum decis.* §. *non peccat mortaliter*, Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 174. Villalob. *tract.* 8. *difficult.* 4. Marchin. *loco cit.* & Garcia *d. diff.* 3. *dub.* 6. *num.* 7. Hæc Barbosa *de offic. Parochi cap.* 11. *num.* 10.

QVÆSTIO XLII.

An Parochus possit pro Missa, quam pro populo diebus solemnibus, aut solemnioribus celebrare debet, stipendium ab alio accipere?

AFfirmandum videtur ex dictis à nobis 2. *p. tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 12. vbi vt quid longè probabilius defendimus contra multos, posse Sacerdotem qui tenetur ad celebrandum in aliqua Ecclesia, loco, vel die, pro stipendio aliud stipendium pro illa Missa accipere.

Sed vt mihi certum respondeo, non posse Parochum pro illa Missa stipendium ab alio accipere, quia reverà iam à populo, pro quo illam celebrauit, accepit aliquos prouentus, vt insinuauimus nuper *quæst.* 38. vnde ita censuit Sacra Congreg. respondendo nostræ quæstioni, & dubio, his verbis: *An Parochi terræ Vrceani, Fanens. Diœcesis, quibus diebus ex proprio officio, & obligatione tenentur Missam celebrare, possint pro eadem Missa in propria, vel in aliena Ecclesia celebranda manuales eleemosynas recipere? Sacra Congreg. die* 1. *Septemb.* 1629. *respondit, quibus diebus Parochi tenentur Missam celebrare, non posse manualem eleemosynam recipere.* Sic Sacra Congregatio apud Barbosam de offic. *Parochi cap.* 11. *num.* 11. quam ipse sequitur, & credo esse communem sententiam.

Nec contrarium huic responsioni diximus 2. *p. loco cit.* sed potiùs idipsum: nam ibi solùm concessimus, posse Sacerdotem accipere aliud stipendium, &c. in casu, quo dictus Sacerdos ratione beneficij, Capellæ, legati, seu salarij non obligetur ad celebrandum pro alio certis diebus, &c. At sic est, quod Parochus ratione beneficij Parochialis, seu salarij, tenetur dictis diebus celebrare pro populo, vt suprà est habitum: ergo. Sic Suarez, Vazquez, Lugo, & Diana citati à nobis *vbi supra.*

QVÆSTIO XLIII.

An Parochus, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, possit eamdem Missam alteri celebrandam committere, retenta sibi aliqua parte acceptæ eleemosynæ.

AFfirmat nouissimè Barbosa *cap.* 11. *cit. sub num.* 13. iis verbis. In Sacerdote simplici hoc ipsum tanquam damnabile lucrum prohibuit Sac. Congreg. in decretis *de celebrat. Missar. sub die* 21. 1625. & ipsum absolutè debere integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem retinere posse, quamvis eleemosyna maior solita ei fuisset oblata, declarauit eadem Sac. Congregatio *ad dub.* 9. de anno 1616. In Parocho, seu Rectore beneficij id locum non habere censuit ead. Sac. Congreg. *ad dub.* 8. resoluens satis esse, vt ipse Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit. Et nouissimè ipsa Sacra Congreg. Concilij *in Neapolitana* 17. *August.* & *in Fanens.* 7. *Septembris* 1630. censuit, *Capellanos amouibiles, qui sunt nominati, vel electi ab heredibus testatorum ad celebrandas Missas cum assignatione certi redditus, iuxta dispositionem testatorum, posse assigna e certam mercedem, iuxta morem regionis, Sacerdoti pro Missis celebrandis, & pro se aliam partem retinere.* Sic Sacra Congreg. & hucvsque Barbosa.

Sed iuxta à nobis dicta *part.* 2. *tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 6. respondeo dicendum sic. Parochus, qui ab aliquo particulari accepit certam eleemosynam pro Missa illi applicanda, nullo modo potest eamdem Missam alteri celebrandam committere, retenta parte eleemosynæ sibi datæ, etiamsi illi tribuat stipendium iustum, & congruum iuxta regionis, vel patriæ morem; quia si id in hoc casu posset fieri à Parocho, etiam fieri posset à quolibet Sacerdote simplici, cùm pro vtroque eadem sit ratio. Secus dicendum de Parocho, qui ex assignatione redditus beneficij curati tenetur dicere Missam pro populo: nam tunc rectè poterit dare alteri Sacerdoti, cui committit Missam nomine ipsius celebrandam, partem stipendij illius, quod sibi ex assignatione redditùum beneficij pro eadem Missa prouenit. Et hanc esse mentem Sacræ Congreg. non dubito, aliàs sibimet esset contraria, vt constat ex à nobis traditis 2. *p. loc. cit.*

QVÆSTIO XLIV.

An liceat Parocho celebrare sine Ministro, si grauis necessitas celebrandi vrgeat?

NEgant Hurtado, Vasquez, & alij citati à nobis *vbi infrà.*

Sed iterum vt quid longè probabilius respondeo licere illi: vnde ad dandum viaticum infirmo, licitè poterit Parochus celebrare Missam sine ministro respondente. Sic docent Suarez, Sotus, Ledesma, Ludouic. Ioan. de Cruce, Moure, Bonac. Ægidius, Villalob. Fagund. Machado, & Diana, quos omnes citauimus 2. *p. tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 53. vbi *q.* 54. diximus, id etiam posse facere Parochum, ne ipse, aut populus in die festo careat Missa. Legatur etiam pro hac parte Barbosa *de offic. Parochi cap.* 11. *num.* 40. vbi *num.* 41. ex Posseuino notat, quod si Parochus nullum ministrum habeat, qui respondere sciat, dummodo habeat masculum, qui vrceolos ministret, poterit ipse celebrans, etiam absque necessitate, sibi respondere. Sic ille. Cætera quæ hîc desiderare potest Parochus, inueniet *part.* 2. *loc. citatis.*

§. VIII.

§. VIII.

De his quæ circa matrimonij celebrationem adnotare, & scire debet Parochus.

QVÆSTIO XLV.

An aliqua præstanda sint à Parocho, antequam primam denunciationem in Ecclesia faciat?

RESpondeo quod sic: nam primò inquirere debet Parochus, an contrahentes (si filij familiæ sint) id faciant cum parentum consensu: secundò, an sciant doctrinam Christianam, aut saltem Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum: tertiò, an ætatem habeant sufficientem ad matrimonium contrahendum, nempe, an sponsus quatuordecim annos, sponsa verò duodecim: quartò, cuius sint patriæ; nam exteros non poterit denunciare, nisi eorum conditione cognita legitimo in scriptis testimonio, quod alium virum, vel vxorem non habeant, & quod omni impedimento canonico matrimonij careant: quintò, an eo anno in Paschali solemnitate confessi sint, & sacram Eucharistiam sumpserint. Quod si id non constet, à denunciatione abstinere debebit, donec priùs id faciant. Hæc omnia notat Barbosa *de offic. Parochi cap.* 21. *à num.* 1. *vsque ad* 7.

QVÆSTIO XLVI.

An Parocho sit vetitum solemniter celebrare nuptias ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, & à die Cinerum vsque ad Octauam Resurrectionis inclusiuè?

RESpondeo vt quid certum, quod sic; quia sic statuit Concilium Tridentin. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 10. vt nos cum omnibus diximus 2. *p. tract.* 9. *de matrim. disp.* 23. §. 2. *q.* 1. Vbi notauimus, quod prædictis temporibus prohibeantur contrahere, non matrimonium, sed solemnitates, quæ in benedictionibus nuptialibus in traductione sponsæ in domum sponsi cum apparatu consistunt, &c. sic ibi. Legantur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 7. Basil. *lib.* 6. *cap.* 8. & Barbosa *de offic Parochi c.* 21. *num.* 12. qui bene aduertit, graui pœna plectendum esse Parochum aduersus huiusmodi præceptum Tridentini facientem, arbitraria tamen, cùm nulla in iure præscripta sit.

QVÆSTIO XLVII.

An item prohibitum sit Parochis interdicti tempore, aut personarum interdictarum matrimoniis interesse?

NEgant multi, docentes, non solùm esse validum matrimonium contractum tempore interdicti, aut in loco interdicto; verùm etiam, esse licitum illud dictis temporibus celebrare, ac proinde non esse prohibitum, aut illicitum Parochis, illis interesse. Ita Siluest. Nauarr. Henriq. Sanchez, & alij quos citauimus 2. *p. tract.* 9. *disp.* 23. §. 2. *q.* 2. & 3.

Sed iterum æquè probabiliter respondeo dicendum, quod licèt matrimonium contractum tempore interdicti, aut in loco interdicto, sit validum, vt communiter omnes concedunt; non tamen sit licitum dictis temporibus celebrari, ac proinde nec Parocho tali matrimonio interesse. Sic docuimus 2. *p. loco cit. q.* 2. & 3. cum Vgolino, Sayro, & Basilio; quibus nunc addo Barbosam *de offic. & potest. Episcopi alleg.* 32. *num.* 197. & *de officio Parochi cap.* 21. *num.* 15. Suarium, & Bonacinam apud ipsum.

QVÆSTIO XLVIII.

An Parochus possit denunciationes facere absque licentia Vicarij Generalis?

REspondeo vt quid certum, posse; imò quod nec possit Vicarius Generalis impedire, ne Parochus absque eius licentia denunciationes faciat, censuit Sac. Congreg. Concilij 27. *Maij* 1617. vt refert Barbosa *de offic. Parochi cap.* 21. *num.* 16. Lege me ipsum de hac materia latè tractantem 2. *p. tract.* 9. *disp.* 7. *à quæst.* 45. *vsque ad* 70.

QVÆSTIO XLIX.

An ad valorem matrimonij requiratur præsentia Parochi?

REspondeo vt quid certum, requiri iam post Concilium Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 1. sic omnes Doctores. Lege me ipsum de hac materia 2. *p. tract.* 9. *disp.* 7. *à quæst.* 1. *vsque ad* 42. vbi omnes difficultates ad præsentiam Parochi ad matrimonij valorem requisitam, spectantes, solutas inuenies. Lege etiam Barbosam *de officio Parochi part.* 2. *cap.* 21. *à num.* 29.

§. IX.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis per Parochum administrando.

QVÆSTIO L.

An qui non est Parochus, possit licitè administrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis?

RΕspondeo quod licèt quilibet Sacerdos possit validè conferre hoc Sacramentum, vt cum communi diximus 1. *p. tract.* 4. *disp.* 4. *q.* 1. & 2. non tamen potest licitè, nisi sit Parochus, aut de eius licentia, saltem implicita: quia administratio Sacramentorum proprium est Pastoris officium. Sic *loco cit.* & tenent etiam omnes communiter, contra Vasquez, asserentem hoc licere cuilibet Sacerdoti vi Bullæ Cruciatæ. Legantur Lugo *de Euchar. disp.* 18. *sect.* 2. Suarez *tom.* 4. *disp.* 43. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 22. *n.* 1. & 2.

QVÆSTIO LI.

An Parochus teneatur sub peccato mortali hoc Sacramentum suis Parochianis ministrare?

RΕspondeo vt quid certum, teneri per se, vel per alium illud sub peccati mortalis culpa administrare; quia ex officio, atque adeò ex iustitia tenetur saluti suorum subditorum consulere. Sic cum Henriq. Suario Filliucio, Bonac. Ægidio, Posseuino, Laymanio, & Dicastillo diximus 1. *p. tract.* 4. *disp.* 1. *q.* 7. quibus nunc addo Barbosam *de offic. Parochi cap.* 22. *num.* 10. Nauarrum, Basseum, Machadum, & alios apud ipsum.

QVÆSTIO LII.

An item Parochus teneatur tempore pestis hoc Sacramentum suis subditis conferre?

AFfirmant Nuñus, Syluius, Ioan. Echius, & Ludouicus à S. Ioanne, citati à nobis 1. *p. loco cit. q.* 8. contra Nauarrum, Suarium, Filliuc. Victorell. Villalob. Dianam, Molfes. Hurtad. & Palaum; quibus nunc addo Barbosam *de offic. Parochi cap.* 22. *n.* 17.

Sed ego probabiliùs omnibus iterum respondeo non teneri quidem, nisi casu, quo infirmus absque vllo alio Sacramento moreretur, & ob id timeretur eius æterna damnatio; quia tunc iam esset hoc Sacramentum illi ad salutem necessarium. Sic Armilla, Tabiena, Ægidius, Ochagauia, Dicastillo, & alij citati *vbi suprà.*

QVÆSTIO LIII.

An Parochus validè, & licitè possit ministrare hoc Sacramentum infirmo, iam sensu, & ratione destituto?

RΕspondeo vt quid certum, posse validè, & licitè, quia id docet ipsa Ecclesiæ praxis. Sic communiter docent omnes, vt notauimus 1. *p. tract.* 4. *disp.* 3. *q.* 15. & *disp.* 4. *q.* 10. vbi *q.* 11. *sequenti* contra Posseuinum diximus, peccare, & grauissimè, Parochum, qui ad conferendum hoc Sacramentum expectat consultò tempus, quo infirmus sensu, & vsu rationis careat; aut tempus, quo constet non posse naturaliter viuere. Sic namque tenent Catech. Rom. Henriq. Sotus, Filliuc. Ægidius, & alij ibi citati. Legatur de hac re Barbosa *cap.* 22. *cit. num.* 19.

QVÆSTIO LIV.

An Parochus possit dare hoc Sacramentum infantibus ante vsum rationis adeptum?

RΕspondeo tanquam certum, quidquid alij dixerint, non posse, quia non sunt capaces huius Sacramenti. Sic communiter Doctores, S. Thom. Nauar. Sotus, Angel. Siluest. Armilla, Henriquez, & alij plures, quos citauimus 1. *p. tract.* 4. *disp.* 3. *q.* 2. vbi q. 3. diximus, posse Parochum dare hoc Sacramentum sub conditione, *si capax es*, pueris, de quibus est dubium, an habeant vsum rationis. Et *q.* 4. debere illud dare pueris statim ac annos discretionis attingunt. Et *quæst.* 8. non posse illud administrare amentibus à natiuitate, nec illi, qui statim est suspendendus, aut decapitandus; bene tamen mulieri in partu deficienti, & senibus, qui absque alia infirmitate senio ipso consumuntur; necnon lethaliter vulneratis, aut peste percussis, aut morsu viperarum læsis; quia omnes isti reverà sunt infirmi. Sic cum pluribus Doctoribus diximus *disp.* 3. *cit. quæst.* 10. 12. 13. 14. Lege Barbosam *cap.* 22. *cit. num.* 14. & me ipsum *tota illa disp.* 3. *citata.*

QVÆSTIO LV.

An Parochus peccet mortaliter, si oleum alterius anni in Extrema-Vnctione ministranda adhibeat?

AFfirmant aliqui, docentes, peccare mortaliter, nisi casu, quo aliud suadeat necessitas. Ita Posseuin. Bonac. Zambran. Diana, & Trullench, citati à nobis 1. *p. tract.* 4. *disp.* 2. *q.* 11. quibus nunc addo Barbosam *de offic. Parochi c.* 22. *num.* 25. Vgolinum, Ludouic. à S. Ioanne, & Machado apud ipsum.

Sed iterum probabiliùs respondeo, non peccare mortaliter; quia probabilius est adhuc, non esse de necessitate præcepti, quod oleum, quod est materia huius Sacramenti, sit eo anno benedictum. Sic cum Henriquez, Sà, Victorello, Ledesma, Lublino, Palao, & etiam (me citato) Diana, docuimus *quæst.* 11. *cit.* vbi *quæst.* 12. *sequenti*, contra Filliuc. Suarium, Granad. Marchinum, Trullench, & alios, vt quid probabilius diximus, sufficere

sufficere ad valorem Sacramenti, adhibere vnam guttam olei in vnaquaque vnctione. Sic Henriq. Vazquez, Hurtad. Ochag. Tanner. & Dicastillo ibi adducti: & *quæst.* 14. & 15. quod non solùm non sit de necessitate Sacramenti huius, quod vnctiones fiant in formam crucis, verùm neque de necessitate præcepti; quia de hoc non extat præceptum. Vnde solùm peccaret Parochus venialiter, si absque necessitate vngeret infirmum, omisso signo Crucis, vt docent Suarez, Filliuc. Zambrana, Diana, & alij ibi citati: quibus addo Barbosam *de offic Parochi cap.* 22. *num.* 33. & 34. ita dicentem: In casu necessitatis, eo quod periculum sit in mora, sine culpa poterit vna auris, vel vna manus inungi; & tunc causâ celebrandi (lege accelerandi) propter periculum instantis mortis, vnctiones sine cruce fieri nihil obstat. Sic ille. Lege etiam meipsum 1. *p. cit. disp.* 3. vbi alias multas difficultates solutas inuenies.

QVÆSTIO LVI.

An Parochus possit hoc Sacramentum solus administrare in casu necessitatis?

AFfirmant id posse Parochum in casu necessitatis, Sà, Toletus, Graffius, Dicastillo, & Diana citati à nobis 1. *p. tract.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 20.

Sed iterum respondeo, etiam posse id facere extra casum necessitatis, sibimet respondendo, si alius Clericus, vel sæcularis, qui respondeat, non adsit. Sic cum Posseuino, Bonac. Viualdo, Ludou. Archangelo, & aliis docuimus *quæst.* 20. *citata.*

QVÆSTIO LVII.

An peccet mortaliter Parochus, qui administrat Extremæ-Vnctionis Sacramentum, prætermissis precibus, quæ præcipiuntur?

REspondeo vt quid certum, peccare mortaliter, nisi periculum videatur esse in mora, propter mortis accelerationem, aut periculum contagiosæ infirmitatis, pestis videlicet, aut huiusmodi; quia tunc non solùm potest, sed debet, illis precibus prætermissis, Sacramentum conferre, incipiendo ab vnctionibus. Sic Henriq. Bonac. Posseuinus, Suarez, Palaus, Zambran. & Layman citati à nobis 1. *p. tract.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 21. vbi *quæst.* 22. vt quid probabilius contra Granados defendimus, secus dicendum, si etiam absque causa prætermittat septem Psalmos Pœnitentiales, quos post vnctiones recitari à Parocho Ecclesia præscribit, quia non peccabit hos omittendo, vt docent Bonac. & Posseuin. Palaus, & Diana ibi à nobis citati; quibus nunc addo Barbosam *de officio Parochi capite* 22. *numero quadragesimo.*

QVÆSTIO LVIII.

An peccet Parochus administrando hoc Sacramentum in necessitate vrgente, non adhibitis vestibus ab Ecclesia præscriptis?

AFfirmant Naldus, Bonac. Reginald. & Suarez, citati à nobis 1. *part. tr.* 4. *disp.* 4. *q.* 23. Quibus nunc addo Barbosam *vbi suprà, num.* 41. dicentem nunquam licere Parocho, adhuc in necessitate, administrare hoc Sacramentum sine præfatis vestibus.

Sed iterum probabiliùs respondeo, non peccare. Sic Posseuin. Palaus, Diana, Quintanadueñas, citati à nobis *loco cit.* vbi etiam diximus, tantùm peccare venialiter, qui sine aliqua causa hoc Sacramentum ministraret sine lumine; qui verò cum causa, nec venialiter. Lege Barbosam *loco cit. num.* 44. & etiam me ipsum *q.* 24. vbi cum communi diximus, non esse necessarium ad recipiendum hoc Sacramentum, vt infirmus lecto decumbat. Cætera quæ ad Parochum spectant, inuenies apud Barbosam *de offic. Parochi*, necnon & apud me *locis citatis.*

TRACTA

TRACTATVS VIII.

DE OBEDIENTIA, AMORE, ET REVERENTIA RELIGIOSORVM ERGA SVOS PRÆLATOS.

DISPVTATIO PRIMA.

De obedientia, quam exhibere tenentur Religiosi suis Prælatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Religiosi teneantur præstare obedientiam suis Prælatis, vi iuris naturalis, & diuini, nempe, vi huius quarti Decalogi præcepti?

RESPONDEO vt quid certum, quod sic; quia illo Decalogi præcepto, *Honora patrem tuum*; ex communi omnium doctrina, vt diximus suprà *tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. comprehenduntur non solùm patres carnales, sed etiam spirituales, qui sic dicuntur, vel ex potestate dominatiua, vel iurisdictionali, quam habent superiores in inferiores, Prælati in subditos. Sic tenent omnes DD. Legantur infrà adducendi.

QVÆSTIO II.

An non solùm ex vi præcepti Decalogi, verùm etiam ex vi voti, teneantur Religiosi obedire suis Prælatis?

REspondeo tanquam quid certum, teneri Religiosos, etiam ex vi voti obedientiæ, quod in professione sua emittunt, obedire suis Prælatis. Patet, quia votum obedientiæ est promissio, qua Religiosus propriam subiiciens voluntatem Prælato suo Regulari, se obligat ad parendum ei in omnibus, quæ cadere possunt sub obiecto virtutis obedientiæ, &c. Sic omnes, inter quos Ioan. de Cruce *in sua epitome de statu Religionis, lib.* 1. *cap.* 6. *in princip.* sic loquitur: Nota secundò, quod Religiosus per votum obedientiæ, subiicit se plenariè suo Superiori, vt Patri, vt Iudici, & vt Prælato. Sic ille.

QVÆSTIO III.

An votum obedientiæ, non solùm sit essentiale statui Religionis, verùm etiam præcipuum inter tria substantialia vota?

REspondeo tanquam quid certum, & esse essentiale Religionis statui, & præcipuum inter tria vota, quæ illum constituunt. Prima pars constat, quia tria vota, nempe obedientiæ, castitatis, & paupertatis, sunt de substantia, & essentia status Religiosi, & communia omnibus Religiosis ab ineunte Ecclesia, vt docent omnes DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 186. *art.* 6. Scotus *in* 4. *dist.* 38. Nauar. *comment.* 1. *de Regular. num.* 17. §. 23. & 24. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 25. *num.* 8. & 9. & *lib.* 8. *disp.* 8. *num.* 12. & *in sum. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16. Suarez *tom* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap. fin.* Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. q.* 48. *art.* 1. Miranda *tom.* 1. *q.* 1. *art.* 4. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 1. & *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. Bordon. *de profess. religiosa cap.* 18. *num.* 11. Caramuel *in Regul. S. Benedicti lib.* 3. *disp.* 19. *per totam.*

Secunda verò pars, nempe, quòd votum obedientiæ sit præcipuum inter dicta tria vota, etiam constat ex eo, quod per illud offertur Deo propria voluntas, quæ potior est, quàm corpus, quod offertur per castitatem; & exteriora bona, quæ per votum paupertatis Deo offeruntur. Vnde prudentissimè Sanctissimi Patriarchæ nostri Ioannes de Mata, & Felix Valois, in Regula propria, quam confirmauit Innocent. III. anno 1198. & primo sui Pontificatus, huic voto primum locum assignauit, dicens: *Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, sub obedientia Prælati domus suæ, in castitate, & sine proprio viuant.* Vnde hoc votum esse omnium præstantissimum, docent D. Thom. 2. 2. *q.* 166. *art.* 8. & *q.* 104. *art.* 3. & ex illo Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *in principio*, & *num.* 5. & 26. Lezana *tom.* 1. *Regul. cap.* 4. *num.* 1. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 26. *art.* 1.

QVÆSTIO IV.

An votum Religiosæ obedientiæ sit eiusdem rationis in omnibus Religionibus?

Respondeo vt quid certum, esse eiusdem rationis secundum suam intrinsecam, & formalem substantiam: diuersæ verò secundum obiectum, circa quod versatur.

Prima pars probatur, quia votum obedientiæ est virtus, qua Religiosus obligatur ad exequendum Superioris præceptum, vt præceptum est: at id æqualiter requiritur in omnibus Religionibus: ergo votum obedientiæ, quoad hoc, eiusdem omninò rationis est in omnibus Religionibus.

Secunda verò pars etiam probatur; quia obedientia vouetur iuxta cuiusque Ordinis Institutum, Regulas, & Constitutiones, vt patet in professione, quam nos iis verbis facimus: *Ego Frater N. facio meam professionem, & promitto Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem, Sanctissimæ Trinitati, B. Virgini Mariæ, & Sanctis Patribus nostris Ioanni, & Felici, necnon R. Patri Fratri N. Ministro Generali, aliisque meis Superioribus Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, eorumque successoribus, secundùm Regulam primitiuam dicti Ordinis, à felicis recordationis Domino Papa Innocentio III. stabilitam, & à piæ memoriæ Domino Papa Vrbano VIII. ad perfectiorem formam redactam, & secundum Constitutiones eiusdem Ordinis, sine mitigatione vsque ad mortem.* At sic est, quod Institutum, Regulæ, ac Constitutiones in diuersis Religionibus sunt diuersæ, vt constat: ergo & diuersa erit potestas præcipiendi, & necessitas obediendi, ac per consequens ipsum etiam votum obedientiæ, in quo dicta potestas, & necessitas fundatur. Sic, & latè Pellizar. *tom. 1. tr. 4. c. 4. q. 5. n. 10.*

QVÆSTIO V.

Quodnam sit obiectum voti Religiosæ obedientiæ?

Respondeo dicendum, quod obiectum huiusmodi voti sit duplex, remotum scilicet, & proximum. Remotum est omnis res, vel omnis actus, de quo potest Superior præcipere. Proximum verò, seu formale, est præceptum Superioris. Sic ex D. Thoma mox citando docent communiter Doctores. Pellizzar. *cap. 4. cit. sect. 1. q. 11. n. 25.* & Frater Anton. de Spiritu Sancto, Carmelita Discalceatus *in suo Directorio Regul. part. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 1. §. 1. num. 5.*

QVÆSTIO VI.

An vt detur actus formalis virtutis obedientiæ Religiosæ, debeat necessariò interuenire præceptum Superioris?

Respondeo vt quid certum, debere necessariò interuenire præceptum Superioris; quia in omni virtute ad eliciendum proprium, & specificum actum eius, necesse est operari ex proprio motiuo illius, hoc est, ob obiectum eius formale; ergo vt quis operetur actum proprium, & specificum obedientiæ, opus est, vt velit operari ob ipsam, aut propter formale motiuum obedientiæ: ergo cùm tale motiuum, ex hoc motiuo operari debet. Sic ex S. Thoma 2. 2. *q. 104. art. 2. ad* 1. docent Pellizzar. & Anton. ab Spiritu Sancto. Sanch. *lib. 1. c. 1. 2.*

QVÆSTIO VII.

An obligetur Religiosus ex vi voti obedientiæ ad exequenda præcepta Superioris, quatenus præcepta sunt.

Respondeo vt quid certum, quod non, quia non vouit Religiosus obedientiam sub motiuo formali obedientiæ, sed solùm obedientiam materialem, hoc est, executionem rei præceptæ: ergo per illam sufficienter satisfacit Religiosus suo obedientiæ voto. Confirmatur, quia licèt omnes fideles teneantur obedire præceptis diuinis, & humanis; at non tenentur ex vi eorum præceptorum sub ea ratione obedire, quod præcepta sint, sed illis satisfit quacumque ratione exequantur: ergo similiter, &c. Sic Lessius *lib. 2. c. 46. dub. 6. n. 42.* (non 12. vt leges apud Lezanam) Sanchez *lib. 6. sum. c. 1. n. 6.* Suarez *tom. 4 de Relig. lib. 4 c. 14.* Lezana *tom. 1. c. 4. n 6.* Ant. ab Spiritu Sancto *in Direct. Regular. part. 2. disp. 6. sect. 1. §. 1. dicto 4. n. 13.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 4. c. 4. sect. 2. q 5. n. 34.*

QVÆSTIO VIII.

An Prælatus possit præcipere suis subditis, vt adimpleant præcepta, quatenus præcepta sunt?

Affirmatiuam sententiam esse probabilem, clarè innuunt Lessius, & Pellizzar. mox citandi. Sed cum eisdem multò probabilius respondeo, non posse: tum quia iste modus operandi non est necessarius, vt opus sit actus virtutis, cùm possit esse talis ratione bonitatis propriæ, vt nuper est habitum: tum quia actus internus non potest ab homine præcipi, nisi quatenus est necessarius ad constituendum actum externum in aliqua virtutis specie: ergo nec à Prælato potest præcipi Religioso, vt sic velit operari. Sic Lessius *loco cit. n. 44.* Sanchez *lib. 6. c. 1 n. 6.* Pellizzarius *c. 4. cit. sect. 2. n. 36.* Ant. ab Spiritu Sancto *sect. 1. cit. n. 13. & 14.*

QVÆSTIO IX.

An ex vi voti obedientiæ teneatur Religiosus exequi id, quod scit suum Superiorem velle vt faciat, etiamsi hæc voluntas aliquo præcepto illi non manifestetur?

Respondeo vt quid certum, non teneri. Ratio est, quia Religiosus per votum obedientiæ non promittit exequi omnia desideria Superioris, nec sequi eius voluntatem secundum quid, qualis esset, quæ sub his terminis exprimeretur; *Vellem, aut desiderarem, vt id facias.* Sed solùm promittit, se obedire præceptis sui Superioris, verbis intimatis, quia nisi intimata sint, non habent rationem præcepti. Sic Vasquez 1. 2. *disp. 155. in fin.* Lezana *tom. 1. qq. Regular.*

Regular.c.4.n.7. Pellizat. *tom.1.tr.4. sect.2.q.3.n.29.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib.10.cap.4.n.8.* Anton. ab Spiritu Sancto *loco cit. num. 7.* Sanchez *lib. 6. sum. cap. 2. num. 5.* ex D. Thoma *de veritate q. 23. art. vltimo, argum. 3.* iuncta eius solutione. Qui adhuc ex Vasquez *loc. cit.* addit, nec adhuc teneri Religiosum obedire, etiamsi norit actum intellectus Superioris imperantis, nisi esset voce expressus, quia homines solùm ligantur imperio modo humano explicato, & intellecto. Verum tamen est, quod obedire Religiosum voluntati Superiorum, etiam non intimatæ, est perfectissima obedientia, eo quod tunc faciat id, ad quod non tenetur. Legantur D. Gregor. *lib. 35. Moral. cap. 13.* & D. Thom. *in 2. d. 44. q. 2. art. 3.*

QVÆSTIO X.

An saltem teneatur Religiosus ex vi obedientiæ voti, obedire iis, quæ Prælatus illi proponit solùm sub consilio?

Respondeo vt quid certum, non teneri; quia licèt obseruare ea, quæ solùm sub consilio à Prælatis proponuntur, sit magna perfectio obedientiæ, quam aliqui superobedientiam vocant; tamen ad id subditus ex vi voti non adstringitur; quia ea, quæ sub consilio sunt, vt ex ipso nomine patet, ad nihil obligant; & per consequens nec eorum omissio erit inobedientia. Sic D. Thom. 2.2. *quæst. 186. art. 9. & q.104. art. 2. ad 1.* & ibi Caiet. Nauarr. *in sum. cap.23.n.35.* Valentia 2.2. *disp.7. quæst. 3. punct. 1. col. 2. & disp. 10. q. 4. punct. 3. ad fin.* Azor *tom. 1. institut. Moral. lib. 12. cap. 13. quæst. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 46. dubit. 4. n. 23.* Quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib. 6. sum c. 1. num. 2.* Lezzana *tom. 1. qq. Regular. cap.4. num. 8.* Anton. ab Spiritu Sancto *in Director. Regular. part. 2. disp. 6. sect. 1. §. 1. num. 8.*

QVÆSTIO XI.

An item quando regula, vel constitutio non obligant ad aliquam culpam, tunc nec subditus teneatur ex vi voti ad earum executionem?

Respondeo ex dictis nuper, nec tunc ex vi voti subditum ad earum executionem teneri. Ratio est, quia quando regula, aut constitutiones per se ad nullam culpam obligant, vt sunt regulæ Ordinis Prædicatorum, & Societatis Iesu, necnon constitutiones nostri Ordinis (vt pro nunc omittam regulam) tunc illarum transgressio, ob votum emissum obedientiæ nullam culpam inducit; quia huiusmodi obedientiæ votum non est de seruanda illa regula, seu de seruandis illis constitutionibus, sed de seruandis præceptis à iure, aut ab homine latis; atqui regulæ, seu constitutiones, quæ in conscientia obligationem nullam ad sui executionem inducunt, non sunt præcepta, sed consilia: ergo de illis non est votum obedientiæ. Sic tenent Suarez *tom.3. de Religione, lib.10. cap. 7. n. 13.* Sanchez *lib. 6. cap. 4. n. 11. & 12.* Palaus *tom. 3. tract. 6. c. 4. punct. 3. n. 3.* Anton. ab Spiritu Sancto *sect. 1. cit. §. 1. num. 8. & 9.*

QVÆSTIO XII.

An licèt transgressio regulæ, aut constitutionum ad nullam culpam obligantium, nulla sit culpa ea, sola ratione, quòd illarum transgressio sit, possit tamen ex alia causa culpa esse?

Respondeo, & posse ex alia causa esse culpam, nec non & opus virtutis esse. Primum patet, quia quando ex negligentia, otiositate, torpore, libidine, vel contemptu prædicta transgressio contingit, tunc culpabilis est; quia non est humanum, sed rationi dissonum, moueri ad aliquid ex animi torpore, aut otiositate, absque alia causa, vel fine rationabili, vt docent D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 9. ad 1.* Valentia 2. 2. *disp. 10. q. 4. punct. 5.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. n. 12.* Vazquez 1. 2. *q. 96. disp. 158. cap. 3. n. 16.* Sanchez *lib. 6. cap. 4. num. 14. & 15.* Palaus *disp. 4. cit. punct. 3. num. 3.* Anton. ab Spiritu Sancto *disp. 6. cit. sect. 1. §. 1. num. 10.* Qui ob hanc causam dicunt, quod regulariter Religiosus culpam venialem in transgressione cuiusvis regulæ, seu constitutionis committat, tum ob dicta, tum quia occasionem præbet religiosam disciplinam labefactandi.

Secundum verò, nempe, quod talis transgressio possit esse opus virtutis, probatur ex Sanchez *n. 14. cit.* sic dicente: Non peccat Religiosus, qui Regulam sub peccato ex se non obligantem transgreditur aliquo fine, vel causa, quæ tunc videtur illi honesta, quamvis id quod facit, sit minus bonum, quàm seruare regulam; non enim tenetur quis semper facere quod melius est; quod bene docent Valentia, & Vasquez *locis citatis*: qui bene addit, si transgrediens eam regulam, moueatur aliunde à solo virtutis fine, ex causa, sicut fieri potest, fore opus virtutis, licèt materialiter contra talem regulam operetur; tametsi minus perfectum, quàm regulam eam seruare. Hæc Sanchez, & Palaus *loco cit. num. 3.* Suarez, Layman, & D. Thom. apud ipsum: quibus addo Pellizzarium *tom. 1. tract. 4. cap. 4. sect. 2. q. 10. num. 43. & tract. 5. cap. 2. quæst. 18. num. 26.*

QVÆSTIO XIII.

An regulæ, aut constitutiones Ordinis Prædicatorum, Societatis Iesu, & nostræ Discalceatorum Religionis, obligent in conscientia ad persoluendam pœnam in eis taxatam?

Affirmant nonnulli Doctores; quia regularum, aut constitutionum conditor expressè dicit, se obligare transgressores ad pœnam, quamvis non ad culpam, vt patet *ex cap. 1.* nostrarum Constitutionum, §. 1. *n. 2.* at vbi obligatio est, præceptum esse oportet, & præcepti, & obligationis omissio, culpa est: ergo. Ita sentiunt Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 8.* quem citat, & sequitur Azor *1. part. lib. 5. cap. 2. in fine*; qui id probat, eo quod S. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 9. ad 1.* ait, tale statutum (seu regulam, &c.) non obligare ad culpam, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam. Nec obstat

stat (addit Azor) quod Caietanus opponit, speciale statutum cum generali pugnare, si est obligatio ad pœnam subeundam. Nam generale statutum, quo dicitur: *Nolumus nostras constitutiones ad culpam obligare*; intelligitur, ea excepta constitutione, in qua conditor eius exprimit se obligare ad pœnam statuto irrogatam patiendam, quamuis nulla sit in violatione statuti culpa contracta. Ita Azor, quem videtur etiam sequi Pellizzarius *tom. 1. tract. 4. cap. 4. sect. 2. q. 11. num. 45.* vbi pro se affert Suarium *tom 3. de relig. lib. 10. c. 11. n. 16. & tract. 5. cap. 2. n. 15.* & alibi.

Sed probabiliùs respondeo, non obligare ex se dictas regulas, aut constitutiones, ad subeundam pœnam ab illis taxatam: & sic nullam esse culpam, non subire dictam pœnam, nisi casu, quo adsit, peculiare Superioris præceptum ad id obligans, vt *quæst. sequenti* dicemus.

Ratio est, quia institutor, seu conditor illarum regularum, seu constitutionum, generaliter dicit, se ad nullam culpam per illas regulas, seu constitutiones velle obligare: at qui totum dicit, nihil excludit, cùm totum contineat singulas partes, *l. Iulianus, in princip. ff. de legatis 3. l. hoc articulo, ff. de hered. instit.* ergo silentij violator, sicut violando silentium non peccat, ita non peccabit pœnam violati silentij non perferens. Sic optimè Sanchez *lib. 6. cap. 4. num. 13.* & penes illum *Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. in dub. 2. & 3.* Viguer. Armilla, & Valentia, Suarez *tom. 4 de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 2. num. 13.* & Layman *lib. 4. tract. 5. c. 8. num. 8.* quos citat, & sequitur Palaus *tom. 3. disp. 4. de voto obedientia, punct. 3. num. 4.* Peytin. *tom. 1. quæst. 1. cap. 5.* vbi supponit vt quid certum, ad dictam pœnam subeundam per semetipsum Religiosum non teneri.

QVÆSTIO XIV.

An saltem possit Prælatus obligare suum subditum in conscientia ad subeundam pœnam taxatam à regula, seu constitutione?

REspondeo vt certum, posse obligare subditum, & hunc teneri in conscientia tunc ad illam subeundam; quia aliàs inefficax esset gubernatio, si Religiosus ad sustinendam pœnam incursam non posset obligari. Sic Suarez, Sanchez, Layman, Pellizzar. & alij nuper citati.

QVÆSTIO XV.

An vt fractor constitutionis, aut regulæ non obligantis ad culpam, sed ad pœnam, teneatur illam in conscientia subire, sufficiat declarare Prælatum, ipsum violasse illam?

AFfirmat Peytinis *tom. 1. q. 1. cap. 5.* loquendo specialiter de suo Ordine, his verbis: In nostro tamen Ordine Minimorum videtur, quod etiamsi Superior expresè non præcipiat, modò pœnitentiam imponat, teneatur subditus eam subire: ait enim Legislator, *Ad pœnam non obligetur, nisi cùm fuerit à Superiori imposita?* Ergo cùm est imposita, etiamsi non sit specialiter præcepta à Superiore, tenebitur subditus ad eam subeundam, sub culpa saltem veniali. Sic ille in substantia.

Sed ego probabiliùs respondeo, non sufficere declarare Prælatum, subditum fractorem fuisse silentij v. g. ad hoc vt teneatur in conscientia subire pœnitentiam panis, & aquæ, fractori silentij impositam; sed requiri, vt Superior specialiter his verbis, aut similibus præcipiat: *Fregisti silentium, & per regulam, aut constitutiones subire debes pœnam panis, & aquæ* (aut aliam similem) *ideò vt eam subeas præcipio in virtute Spiritus Sancti, aut obedientiæ, &c.* Quia tunc, non ratione regulæ, aut constitutionis, quæ vniuersaliter, vt supponimus, culpam excludit, sed ratione obedientiæ, ad quam per professionis votum obligatur, peccabit venialiter, vel mortaliter, iuxta modum præcipiendi Prælati, & materiam præceptam. Sic vniuersaliter loquendo de omnibus aliis Religionibus (præter suam Minimorum, in qua in quodam Capitulo Generali declaratum est, quod ipse docet) tenet Peytin *loco cit.* dicens, id esse tutissimum; & bene certè, cùm id doceant Caiet. Armilla, Valentia, Sanchez, & alij à nobis suprà citati.

QVÆSTIO XVI.

An peccet mortaliter Religiosus, qui ex contemptu transgreditur Regulas, aut constitutiones, ad nullam culpam adhuc venialem obligantes?

REspondeo vt quid certum, peccare mortaliter. Ratio est, quia peccare ex contemptu, est facere contra votum professionis, quo Religiosus vitam regularem promisit: nam vita regularis promissa consistit in subiectione erga regulam, aut constitutiones. Cùm igitur Religiosus contemnens illas, aduersetur huic subiectioni, consequenter facit directè contra votum suæ professionis, & consequenter mortaliter peccat; quia licèt materia leuis sit, nolle tamen simpliciter, & absolutè illi subijci, leue non est, sed graue, & ideò mortale. Sic docent omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 186. *art. 9.* Legantur Sanchez *lib. 6. summa, c. 4. n. 16.* & ante à *lib. 1. c. 5. à n. 8.* Lessius *lib. 2. c. 7. dubit. 1.* & *cap. 41. dubit. 9.* Laurent. de Peytin. *tom. 1. q. 1. c. 5. §. 1.* Caiet. 2. 2. *loc. cit.* Pellizzar. *tom. 1 tr. 5. c. 1. q. 8. per totam*, & alij.

QVÆSTIO XVII.

An peccet mortaliter Religiosus, qui caret intentione seruandi regulas, aut constitutiones, ad nullam culpam, vel saltem solùm ad venialem obligantes?

AFfirmandū videtur: tum quia qui caret proposito firmo seruandi Regulas, seu constitutiones, deficit à via perfectionis, quam assumptione status religiosi professus est: ergo talis Religiosus in statu peccati mortalis erit: tum etiam, quia qui hac praua consuetudine est affectus, non vult se subiicere Regulæ, aut instituto: ergo illam contemnit. Sed cōtemptus Regulæ est mortalis, vt ait S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9. & ibi Caiet. & constat ex nuper dictis: ergo.

Sed omninò respondeo nō peccare mortaliter per se loquendo

loquendo, Religiosum, qui caret intentione seruandi regulas, seu constitutiones ad nullam culpam, vel solùm ad venialem obligantes, licet illas passim violet. Ratio est, quia, vt statim dicemus, nec Religiosus, qui expressam habet intentionem non seruandi dictas Regulas, per se loquendo, peccat mortaliter: ergo à fortiori non peccabit mortaliter per se loquendo, qui caret intentione seruandi eas. Sic Palaus *tom.* 3. *disp.* 4. *punct.* 3. *num.* 6. & alij mox citandi.

QVÆSTIO XVIII.

An ad minùs peccet mortaliter Religiosus, qui expressam habet intentionem non seruandi regulas, seu constitutiones ad culpam mortalem non obligantes?

Affirmant nonnulli Doctores. Sed probabiliùs respondeo, adhuc non peccare mortaliter, per se loquendo, Religiosum, qui stateret, aut haberet expressam intentionem non seruandi regulas, seu constitutiones ad nullam, vel solùm ad culpam venialem obligantes; benè tamen peccare venialiter. Ratio est, quia talis intentio non est transgressio alicuius obligationis sub mortali, cùm omnes regulæ, vt supponimus, non excedant obligationem ad summum venialis culpæ: ergo nulla est ratio, quæ ad damnandum dictam intentionem de peccato mortali vrgeat; quia (vt bene Palaus ex Suario) in dicta intentione, seu proposito nullum est periculum morale, & proximum transgrediendi aliquam regulam obligantem sub mortali; quia bene compati potest præfata intentio cum firmo proposito seruandi omnia vota, & alia omnia præcepta, tum regulæ, tum Superiorum. Neque item infertur, te hac praua consuetudine Regulas, aut constitutiones propriè contemnere, aliàs quoties velles aliquam regulam violare, censendus esses illius contemptor, & peccati mortalis reus, quod falsissimum est. Requiritur ergo ad contemptum, vt regulam violes, tanquam inutilem, friuolam, & nullius considerationis; vel eam violes animo determinato ob illius transgressionem non te pœnæ subiiciendi, sed Prælato resistendi. Seclusa ergo hac intentione, nec propositum violandi regulas, nec illarum violatio, contemptus formalis est. Nec denique ex hoc proposito, prauaque consuetudine fit Religiosum desistere à via perfectionis incepta in necessariis, qualia sunt obseruatio votorum, & præceptorum Religionis; tametsi deficiat in accidentalibus, & leuem obligationem inducentibus: neque enim sub graui culpa tenetur his mediis perfectionem procurare, dummodo obseruatione votorum, & præceptorum Religionis illam procuret. Hæc omnia Palaus *tom.* 3. *disp.* 4. *punct.* 3. *n.* 6. ex Suario *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 4. *à num.* 10. & Sanchez *lib.* 6. *sum. toto cap.* 5. Sic etiam Azor, quem citat, & sequitur Pellizzar *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *q.* 8. *n* 10. Qui tamen legendus est aduertenter, propter quemdam Typographi errorem.

QVÆSTIO XIX.

An si non per se, saltem per accidens possit committere mortale peccatum Religiosus, passim violando regulas, aut constitutiones non obligantes ad mortale, nec adhuc ad veniale?

Respondeo dicendum, quod licèt per se non possit mortale committere passim dictas regulas, seu constitutiones violando; possit tamen sæpe illud per accidens committere, nisi efficaciter proponat, & procuret illius prauæ consuetudinis correctionem.

Nam primò peccabit mortaliter Religiosus, dum aduertit ex suo licentioso, & irregulari modo operandi, graue detrimentum sibi, & Religioni fieri. Religioni quidem, tum in regulari obseruantia, eo quod inde plures sumant occasionem regulas, aut constitutiones passim violandi: tum etiam in vtilitate, & fructu, quem ex illo Religioso Religio sperabat percipere, qui suis moribus se inutilem reddit. Sibi autem, cùm credit se probabili periculo exponi formalis contemptus regularum & constitutionum, transgressionis votorum, & præceptorum; quia tunc mortale committit, vt apertum est.

Secundò peccabit mortaliter, si probabiliter timeat, ob eam causam à Religione esse expellendum; quia expulsio graue damnum sibi est, seque ad eam euitandum professione obligauit. Promisit enim se ita corrigere, & mores componere, vt dignus esset in cœtu Religiosorum viuere.

Tertiò peccabit mortaliter, si faciat aliquid contra Regulam, ex motiuo malo mortali; non enim sic peccabit ex eo, quod faciat contra Regulam, quia cùm hæc non obliget in conscientia, vt supponimus, sola oppositio ad illam nequit vitiare dictum actum, sed ratione motiui mali influentis malitiam in actum. Sic cum aliis docent Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 4. *n.* 18. *& seqq.* Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 9. *q.* 2. *concl.* 4. *& num.* 13. *quæst. vltima*, Palaus *punct.* 3. *cit. n.* 7. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 8. *n.* 11. *& cap.* 2. *q.* 18. *num.* 26.

QVÆSTIO XX.

An si quis nostri Ordinis Religiosus nolit vnquam silentium seruare, nec modestè incedere, nec orare, nec similia statuta nostræ Regulæ obseruare, peccaret mortaliter?

Negandum videtur ex dictis, quia capitula nostræ Regulæ, in quibus statuitur obseruare silentium in Ecclesia, refectorio, & dormitorio, modestè incedere, orare mentaliter singulis diebus, ad minùs per duas horas interpolatas, non obligant ad mortale, sed ad summum ad veniale, vt declarauit Capitulum nostrum Generale per Const. 2. *cap.* 1. §. 1. *de voto obedientiæ.* Igitur quantumvis nolit Religiosus dicta statuta seruare, non peccabit mortaliter, sed solùm venialiter.

Sed ex nuper habitis respondeo dicendum, quod quamvis talis Religiosus, per se loquendo, non peccaret

peccaret nisi venialiter; per accidens tamen, ob graue damnum, quod sibi, & Religioni inferret, peccaret mortaliter, & dignus esset, vt à Religione expelleretur. Sic clarè colligitur ex dictis quæstionibus præcedentibus, & tenet expressè Sanchez *lib.6. sum. cap.4. num.*18. his verbis: Si Religiosus nollet vnquam seruare silentium, nec orare, nec modestè incedere, & ingrederetur omnium Religiosorum cubicula, & similia Religionis statuta transgrederetur, eo quod singula ad culpam per se non obligant, absque dubio perturbaret grauiter totam Religionem, & se in eo statu constitueret, vt oporteret tanquam incorrigibilem eum expellere: ergo tenetur sub mortali eum animum deponere. Hæc Sanchez, qui, vt vides, id à fortiori affirmaret de nostro Religioso, qui vt diximus, sub culpa veniali tenetur ad obseruantiam nostrarum Regularum, quæ sub veniali præcipiunt obseruare silentium, modestè incedere, & orare, *cap.*13. & 25.

QVÆSTIO XXI.

An si quis Religiosus ieiunia Ordinis ad culpam non obligantia, ex gula, vel delectatione frangat, peccet mortaliter?

RESpondeo quod sic; quia licèt dictus Religiosus non peccet venialiter, eo quod talia ieiunia frangat, peccat tamen ex eo quod illa ex causa inducente veniale, frangat. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. & ibi Caiet. *ad* 4. *dub.* Valentia 2. 2. *disp* 10 *q.* 4. *punct.* 5. *assert.* 2. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.* 4. *num.* 15. Peyrinis *de Subdito tom.*1. *q.* 1. *cap* 5. §. 2. *dicto* 1. Petr. Ledesma *de statu Religioso in communi, cap.* 4. *conclus.* 12. *dicto* 3. ibi: *Tambien si los aynos de la Orden, que en conciencia no obligan à culpa, si los quiebra por gula, ò por deleite, sera pecado.* Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An peccet venialiter Religiosus, qui ex negligentia frangit statutum eundi ad Chorum, refectorium, recreationem, &c.

NEgandum videtur, quia huiusmodi statutum, vt supponimus, non obligat ad culpam: ergo nec eius omissio talis erit.

Sed ex dictis vt certum respondeo, peccare venialiter. Ratio est, quia nulla subest causa legitima subdito, quare ad Chorum, seu refectorium non proficiscatur, sed solùm ex quadam negligentia, & animi torpore non vadit, quæ aliquid dicit, saltem veniale. Nam eo ipso, quod nulla ei subest causa non eundi, cum recta ratione pugnat illuc non ire ex illa negligentia, & ideò peccatum est, saltem veniale. Sic tenent omnes Authores nuper citati, inter quos post D. Thomam, & Caiet. lege Peyrinum §. 2. *cit. dicto* 2. vbi explicat, quid nomine negligentiæ intelligatur, dicendo, quod non intelligatur simplex aliqua voluntas, qua quis velit transgredi Regulam, sed transgressio Regulæ, ex nulla alia causa, quàm ex torpore quodam animi, & negligentia crassa. Negligentia enim non est aliud, quàm animi torpor, quo quis minùs diligens est in exequendo, quod exequi debet. Sic ille.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam peccet venialiter Religiosus, qui regulam, aut constitutiones sub peccato ex se non obligantes, transgreditur, aliquo fine, vel causa, quæ tunc videatur illi honesta?

REspondeo ex suprà *q.*12. dictis, tunc non peccare adhuc venialiter, quamvis id quod facit, sit minus bonum, quàm seruare regulam, seu constitutiones: quia non semper tenetur quis facere quod meliùs est. Sit exemplum. In nostris constitutionibus 1. *p. cap.* 1. est mandatum de non comedẽdo aliquid sine Superioris licentia. In promptu non habeo Superiorem, & sentio me valde debilem; ita vt putem iustam habere causam comedendi; comedendo non pecco, etiamsi meliùs facerem, si quærerem Superiorem, & ab illo licentiam peterem: & sic de aliis. Sic Peyrin. *loco cit.* §. 2. *dicto* 3. ex Valentia 2. 2. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 5 *ad finem*, Vasquio 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *disp.* 158. *cap.* 3. *n.* 16. & Sanchez *lib 6. in Decal. c.* 4. *num.* 14.

QVÆSTIO XXIV.

An Religiosus transgrediens regulam, aut constitutiones, ad nullam culpam obligantes, contra formalem obedientiam, seu præceptum Prælati, peccet mortaliter?

REspondeo, peccare mortaliter, quia tunc verè violat votum obedientiæ, ex quo tenetur Religiosus adimplere quidquid à Superiore præcipitur, quod est regulæ, aut constitutionibus conforme. Sit exemplum. Statutum est in nostris constitutionibus *cap.* 24. §. 2. ad maiorem obseruantiam nostræ Regulæ, in qua strictè iniungitur silentium in dormitorio, vt nullus ingrediatur alienas cellas, sub determinata pœna: præcipit mihi Prælatus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, ne alienas ingrediar cellas; ingredior ex curiositate, vel alia non vrgente causa: pecco mortaliter, ob rationem dictam. Sic communiter Doctores. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *in corpore*, ibi: Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ; quia hoc directè contrariaretur professioni, per quam aliquis vouit regularem vitam, vel propter præceptũ, siue ore tenus à Prælato factum, siue in Regula expressum; quia hoc esset facere contra obedientiæ votum. Sic Sanctus Doctor, & Caiet. ibi. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.* 2. *n.*8. Azor *tom.*1. *instit. moral. lib.*12. *cap.* 13. *q.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.*41. *dubit.*9. *num.* 76. Peyrin. *tom.* 1. *de Subdito, q.* 1. *cap.* 5. §. 3. *dicto* 1. optimè Caramel *in Regul. S. Benedicti disp.* 51. *resol.* 6. *num.* 731. De qua materia ampliùs infra tractabimus.

DISPVTATIO II.

De Prælatis, quibus Religiosi ex vi obedientiæ voti tenentur obedire?

QVÆSTIO PRIMA.

An Religiosi ex vi voti obedientiæ teneantur Deo obedire?

AFFIRMANDVM videtur eo, quod in forma emittendi vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis, in professione religiosa dicatur: *Promitto Deo, Beatæ Virgini Mariæ, &c. & R. P. N. Generali, &c.* ergo sicut ex vi voti obedientiæ tenetur Religiosus obedire suo Generali, & aliis suis Superioribus, ita & tenebitur obedire Deo.

Sed vt certum respondeo, non teneri Religiosum ex vi voti obedientiæ obedire Deo, siue per se, siue per Angelum aliquid illi præcipiat; quia finis huius obedientiæ voti est, vt homo per hominem dirigatur in his, quæ spectant ad perfectionem. Nec obstat, quod in professione promittat Religiosus obedientiam Deo, & Prælatis Regularibus, quia id fit sub diuersa ratione, & respectu. Nam Deus est persona, cui fit votum; Prælatus verò persona, cui vice Dei obediendum est ex voto, vt declarat intentio clara vouentium. Sic omnes. Legantur Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 2. Anton. ab Spiritu Sancto *in Director. Regular. tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 1. §. 2. *num.* 5. Pellizzar *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. *num.* 99.

QVÆSTIO II.

An Religiosi teneantur ex vi voti obedientiæ obedire omnibus suarum Religionum Prælatis?

RESpondeo vt quid certum, teneri obedire immediato Conuentus Prælato, necnon Prouinciali, & Generali; quia hi verè Superiores sunt, quibus Religiosum per votum obedire conuenit. Seruari tamen debet ordo inter illos, ita vt Generalis Prouinciali, & Prouincialis Prælato Conuentuali præferatur. Sic omnes DD. Legantur Sanchez *lib* 6. *in Decal. cap.* 1. *num.* 8. Palaus *tom.* 3. *disp.* 4. *de voto obedientiæ, punct.* 2. *num.* 1. & omnes alij.

QVÆSTIO III.

An Religiosi ex vi voti obedientiæ teneantur obedire solùm Prælatis, quibus pro tempore subiiciuntur?

RESpondeo vt quid certum, quod solùm. Ratio est, quia quamuis omnis Religiosus ex vi voti obedientiæ obedire teneatur; non tamen cuilibet Superiori suæ Religionis, sed tantùm proprio: sicut nec quilibet Superior Religionis, cuilibet subdito eiusdem potest imperare, sed tantùm illi, qui suæ potestati, & iurisdictioni subiicitur. Sic omnes, & præcipuè Bordonus *de profess. religiosa cap.* 23. *num.* 6. *pag. mihi* 445. Pellizzar. *cap.* 4. *cit. sect.* 4. *quæst.* 10. *n.* 115.

QVÆSTIO IV.

An deinde teneantur Religiosi, ex vi voti obedientiæ, obedire Pontifici?

NEgarunt aliqui Theologi apud Durand. *in* 2. *d.* 44. *q.* 5. sentientes Religiosum ex vi Professionis non promittere Papæ specialem obedientiam.

Sed respondeo tanquam Religiosos certum teneri obedire summo Pontifici, non solùm obligatione generali, qua tenentur reliqui fideles, sed speciali voti obedientiæ ratione, circa obseruantias regulares, eo modo, quo tenentur obedire propriis Prælatis Regularibus. Ratio est, quia votum obedientiæ, in sua professione, per se primò, & principaliter emittunt Religiosi Summo Pontifici, tanquam supremo omnium Religionum Generali: ergo ex vi talis voti tenentur illi obedire, sicut tenentur obedire aliis Prælatis Regularibus. Et ideò instar illorum habet dominatiuam voluntatis Regularium potestatem ratione voti: ergo Religiosi ex vi talis voti arctantur ad obediendum Romano Pontifici circa obseruantias regulares, sicut arctantur ad obediendum Prælatis Regularibus. Sic Sanchez *lib.* 6. *in Decal. capite* 1. *numero* 8. Nauar. *in Man. capite* 12. *numero* 76. Sotus *lib.* 7. *de iustitia, quæst.* 3. *articulo primo.* Suarez *tomo tertio de Relig. lib.* 10. *capite* 11. *numero* 13. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 8. *numero tertio.* Castro Palaus *tom.* 3. *disp.* 4. *de voto obedientiæ, punct.* 2. *numero quarto.* Peyrin. *tom.* 1. *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 8. §. 1. *versu secundò.* Lezana *tom.* 1. *capite tertio, numero tertio.* Anton. ab Spiritu Sancto *in suo director. Regularium parte secunda, tract.* 3. *disp.* 6. *sectione prima*, §. 2. *numero* 26. Pellizzar *tomo primo, tractatu quarto capite quarto, sect.* 4. *quæst.* 4. *num.* 102.

QVÆSTIO V.

An Religiosi potiùs debeant obedire Pontifici, quàm suis Prælatis Regularibus?

RESpondeo tanquam quid certum, quod potiùs sit obediendum Pontifici, quàm Prælatis Regularibus, contrarium, & vtrumque licitum præcipientibus. Ratio est (inquit Sanchez) quia, si attendamus potestatem iurisdictionis, qua alij Prælati Regulares in suos Religiosos gaudent, ea à Pontifice dimanat, & in eo principaliùs, tanquam in fonte ipso residet. Si autem attendamus potestatem dominatiuam, ratione voti obedientiæ in subditos, ea quoque principaliùs residet in Pontifice, tanquam in Supremo omnium Religionum Generali, vt diximus. Sic ille *lib. 6. cit. capite primo, numero nono*, Pellizzar. etiam *loco citato*, *num.* 105. quorum doctrina ampliùs roborabitur ex dicendis infrà.

QVÆSTIO VI.

An posito præcepto Prælati superioris, teneatur adhuc Religiosus obedire præcepto contrario Prælati inferioris?

RESpondeo vt quid certum, non teneri obedire præcepto Prælati inferioris, sed præcepto Prælati superioris. Ratio est, quia Religiosus profitens, intendit promittere obedientiam cum debita subordinatione, quam ordo prælationis petit: & sic eam principaliter, & primariò promittit (post Pontificem) Generali, & posteà Prouinciali, & denique Prælato Conuentuali. Igitur posito præcepto Prælati superioris, v. g. Generalis, aut Prouincialis, non tenetur Religiosus obedire præcepto contrario Prælati inferioris, nempe Prælati Conuentualis. Quod intellige, nisi aliàs sit lex, aut constitutio, quod Superior Prælatus non possit in tali re se intromittere, sed quod maneat ad dispositionem Prælati inferioris. Sic omnes. Lege Suarium *tom. 3. de Relig. lib.* 10. *capite vndecimo*, *numero septimo*, & alios Authores nuper citatos, & adductos *quæstione secunda.*

QVÆSTIO VII.

An Regulares, ex vi voti obedientiæ teneantur obedire, non solùm Prælato Monasterij immediato, sed etiam Superiori, Vicarióve eiusdem Monasterij?

RESpondeo dicendum, quod minimè teneantur ex voto illis obedire, attento iure ordinario, & communi; quia votum obedientiæ, quod Regulares emittunt, propriè non respicit dictos Prælatos secundarios, sed solùm primarios, vt rectè docet Suarez *tom. 3. de Relig. lib.* 10. *c.* 11. *num.* 19. & ex illo Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *sect.* 4. *quæst.* 11. *num.* 116. monentes per hoc non tolli quominus Regulares teneantur obedire talibus superioribus subordinatis Prælato locali, seu Conuentuali, etiam sub peccato mortali, si res præcepta, aut prohibita ab illis sit grauis, & hi sufficienter se declarent velle obligare sub mortali: quia quamuis huiusmodi secundarij Prælati (præsente Prælato locali) non habeant potestatem spiritualem in Religiosos subditos, habent tamen potestatem temporalem, & domesticam, seu politicam, qualem habent paterfamilias in totam familiam, magistri in discipulos, & domini in seruos, quæ sine dubio sufficit ad obligandum sub mortali: & hinc patet, quod Doctores communiter concedunt, filios, & discipulos, & seruos posse peccare mortaliter peccato inobedientiæ, si violent in re graui mandata suorum Superiorum respectiuè, cùm tamen concurrat eadem ratio in Religiosis dictis respectu suorum Superiorum. Sic ex Suario, Pellizzar. *loco citato.*

QVÆSTIO VIII.

An Regulares ex vi voti obedientiæ teneantur obedire ei, cui Prælatus proprius delegauit potestatem præcipiendi?

RESpondeo teneri; quia Religiosus vouens in professione obedientiam, non ita intendit se obligare proprio, ac personali præcepto Prælati Regularis, vt nolit se adstringere præcepto alterius, qui loco Prælati substituatur; sed promittit obedientiam Prælato, & cuicumque vices eius tenenti, quod est indifferenter se obligare ad Prælatum, tam ordinarium, quàm delegatum. Sic ex Suario *loco citato num.* 18. tenet Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 4. *quæst.* 12. *num* 119.

QVÆSTIO IX.

An Religiosi teneantur ex voto obedientiæ obedire præceptis à Prælato sibi impositis, casu, quo ipsi Religiosi extra eius territorium, hoc est, extra sua Monasteria, & Prouincias existant?

RESpondeo vt quid certum, teneri: nam ratione voti emissi à suis subditis, acquirunt Prælati potestatem super personas, secundum se, & vbicumque existant. Sic Lezana 1. *p. cap.* 4. *num.* 37. ita dicens: Præcepta Superiorum Regularium, etiamsi iniunctas habeant censuras, ligant inferiores, quamuis existant extra eorum Monasteria, & Prouincias. Ratio est, quia Prælati Religiosorum non habent territoria diuisa sicut Episcopi, sed eorum iurisdictio est in ordine ad personas subditas, secundum se, & vbicumque sint, cùm ratione voti obedientiæ se illis absolutè subiecerint: ergo vbicumque fuerint, possunt illis præcepta imponere: Siluest. *verbo excommunicatio* 2. *num.* 15. vbi refert quosdam dicentes, totum mundum esse territorium Prælatorum Regularium: Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. S. Thomæ, tract.* 5. *de censur. disp.* 6 *dub.* 2. Hucvsque Lezana, quem referunt, & sequuntur Pellizar *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 4. *quæst.* 13. *num.* 121. & Anton. ab Spiritu Sancto *in suo director. Regular. part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 2. §. 2. *num.* 35. Legantur dicta à nobis *part.* 4. *tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 5.

QVÆSTIO X.

An Religiosi teneantur ex voto obedientiæ parêre suo Prælato excommunicato tolerato?

NEgatiuam sententiam videtur amplecti Layman *lib.* 1. *tract.* 5 *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. quatenus docet, licitum esse Regularibus, etiam in præsentia recusare imperium, seu iurisdictionem Abbatis excommunicati. Sed vt ferè certum respondeo, teneri; quia Prælatus excommunicatus toleratus retinet adhuc sine detrimento, & diminutione suam potestatem integram, tam dominatiuam, quàm superioritatis, & iurisdictionis, secundum quas præcipere potest etiam in virtute sanctæ obedientiæ: ergo tenentur Religiosi illi obedire. Sic docet Franciscus Bordonus *de Professione Religiosa cap.* 23. *q.* 13. *num.* 44. & 45. citans pro hac parte Megalam *p.* 3. *de censur. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 50. Pellizarium *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 42. Layman (*loco nuper cit.*) Bonacinam *de excommunic. quæst.* 2. *punct.* 6. §. 2. *n.* 26. & Lezanam *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 38. sed certè Lezana ibi non loquitur de Prælato excommunicato tolerato, sed de non tolerato, cui ait, non teneri subditos obedire. Neque Layman omninò, & absolutè sentit oppositum, vt ait Pellizzarius. Legantur hic *loco cit. quæst.* 14. *n.* 40. & alij apud ipsum.

QVÆSTIO. XI.

An item teneantur Religiosi ex voto obedientiæ obedire suo Prælato excommunicato publico, seu non tolerato?

NEgat absolutè Lezana *num.* 38. *cit.* his verbis: Non tenetur subditus obedire suo Superiori excommunicato publico, seu non tolerato; quia tunc caret iurisdictione circa subditos. Imo neque potest licitè Superiori sic excommunicato obedire; quia hoc esset recognoscere in illo potestatem iurisdictionis, quam non habet, & communicare cum illo, quod non licet. Cornejo 2. *tomo in* 3. *p. disp.* 10. *de excommunic.* §. 5. *dub.* 1. Hæc Lezana, quem citat, & sequitur Pellizzar *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 4. *quæst.* 14. *num.* 122.

Sed distinctiùs respondeo primò. Religiosi tenentur obedire suo Prælato excommunicato publico, seu non tolerato, in iis rebus, quæ pertinent ad potestatem eorum dominatiuam, & superioritatis. Ratio est, quia excommunicatus vitandus, seu non toleratus, non priuatur potestate dominatiua, & superioritatis, quæ spectant ad gubernationem domus, cùm per declarationem excommunicationis non priuetur suo officio; & ideò eamdem retinet potestatem, & eius vsum præcipiendi, & ea exercendi in fauorem, & contra subditos suos. Si ergo Prælatus excommunicatus non toleratus, non priuatur dictis potestatibus, illis vti potest, non solùm in fauorem subditorum, sed etiam contra subditos; & consequenter hi tenebuntur illi obedire in his rebus, quæ ad talem dominatiuam potestatem, & superioritatis spectant. Sic tenet Bordonus *quæst.* 13. *cit.* Megala, & Bonac. apud ipsum, & antea Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 78. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *numero* 13. Castro Palao *de censur. disp.* 2. *punct.* 15. *num.* 4. asserentes excommunicatum vitandum validè recipere professionem nouitij, quia hæc pendet à superioritate, & non à iurisdictione. Vnde & potest etiam præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, quia talis actus pendet à superioritate, & non à iurisdictione. Hæc Bordonus *loco cit.* & antea *cap.* 1. *num.* 189. & *cap.* 16. *num.* 4. & 56. Lege etiam Suarium *de censur. disp.* 13. Peyrinum *de Prælato quæst.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. meipsum cum aliis *part.* 4. *tract.* 2. *de excommunic. disp.* 15. *quæst.* 43.

Respondeo secundò tanquam quid certum, quod Religiosi non teneantur obedire suo Prælato excommunicato vitando, seu non tolerato, in his rebus, quæ pendent à iurisdictione propriè dicta. Ratio est, quia certum est, quod excommunicatus vitandus, aut non toleratus, priuatur iurisdictione propriè accepta, vt latè cum communi diximus *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 11. *à quæst.* 1. ergo in his quæ pendent à iurisdictione non tenentur subditi suo Prælato excommunicato vitando obedire; imò nec possunt, vt diximus *part.* 4. *loco cit. quæst.* 5. eo quod mandatis eius in his rebus obedire, esset communicare cum eo, & recognoscere in illo potestatem iurisdictionis, quam Ecclesia ab eo auferre intendit per excommunicationem. Sic tenet communis Doctorum. Legantur pro nunc omnes nuper citati.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An rursus teneantur Religiosi obedire suo Prælato ab officio suspenso?

Respondeo iuxta doctrinam nuper traditam, teneri Religiosos dicto suo Prælato obedire in illis rebus, quæ spectant ad potestatem superioritatis, non verò in illis, quæ spectant ad iurisdictionem propriè dictam. Ratio est, quia quando Prælatus superior ex causa suspendit alium Prælatum minorem, non priuat illum officio, sed solùm suspendit eum ab officio, quoad exercitium illorum actuum, qui dependent à iurisdictione, iuxta nuper dicta, non autem à superioritatis potestate: & ideò potest præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, & subditi tenentur obedire. Sic Bordonus *de professione religiosa cap. 23. quæst. 13. num. 49.* qui cum communi omnium secus dicit, loquendo de Prælato priuato ab officio, de quo iam aliquid dicemus.

QVÆSTIO XIII.

An deinde teneantur Religiosi obedire Prælato, quem constat publicè incurrisse in aliquam priuationem officij, dum non est declaratus?

Affirmant aliqui Doctores, casu quo ipso facto per legem sit talis Prælatus priuatus. Sic enim in simili sentiunt Sotus, Corduba, Mexia, Medina, Rodrig. Aragon, & Salon, quos refert Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 39. num. 32.*

Sed multò probabiliùs respondeo, teneri; quia lex pœnalis, quæ non potest executioni mandari absque actione hominis, cuiusmodi est priuatio officiorum, etiamsi ipso iure, vel ipso facto feratur, vel etiam dicatur, nulla expectata declaratione, ante iudicis condemnationem non obligat: ergo donec Prælatus declaretur per sententiam iudicis talem pœnam officij priuationis incurrisse, potest in eo manere, & consequenter tenebuntur subditi illi obedire. Sic Vazquez, Couarru. Becan. Molina, Salas, Villalob. Sanchez, & alij plurimi, quos refert, & sequitur Diana *part. 2. tract. 17. resol. 47.* vbi in fine hæc ait: Item sextò, Superiorem alicuius Religionis incidentem in aliquem casum absolutionis, seu priuationis ipso facto Prioratus, etiamsi palàm constet de crimine, dicendum est, non incurrere dictam pœnam, donec per Superiorem declaretur, & consequenter tuta conscientia in eo manere posse, nec licere subditis illum expellere à gubernatione. Sic ille ex Ioan. Valero *in differentiis vtriusque fori, verb. pœna, differ. 20. num. 4.* Sic etiam Anton. ab Spiritu Sancto *in director. Regular. part. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 1. §. 2. num. 42.* ibi: Imò etiamsi publicè constet Prælatum incurrisse priuationem officij, eo quod v. g. non fecit publicè legere decretum de celebratione Missarum, vel ob alium titulum, donec Superior declaret illum incurrisse talem pœnam, tenentur illi obedire, etiamsi illa pœna incurratur ante Iudicis sententiam. Sic ille. Sed ego noto, quod lectio decreti *de celebrat. Missar.* non est in Hispania in vsu, imò in sententia dicti Antonij, nec ipsum decretum, vt sæpè reperit. Tenet etiam hanc nostram sententiam Pellizzar. *tom. 1. tract. 4. cap. 4. sect. 4. q. 18. num. 128. & 130.*

QVÆSTIO XIV.

An rursus teneantur Regulares ex voto obedientiæ obedire Prælato, de cuius electione dubitatur, aut opinatur, an valida fuerit?

Negant Vasquez *1. 2. q. 19. art. 6. disp. 62. cap. 6. fine*, & Salas *1. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnica, sect. 8. num. 78.* docentes, quod casu, quo subditus dubitet, an Prælatus legitimè fuerit electus, confirmatusve, vel essent diuersæ opiniones, tunc posset subditus sequi opinionem probabilem, dicentem eum non esse Superiorem, & ita se non obligari ad obediendum illi. Sic præfati DD. qui, vt notat bene Sanchez, quamuis proposuerint quæstionem, quando est dubium, vel sunt diuersæ opiniones, non satis explicant, quid quando est dubium, sed solùm casum, in quo sunt diuersæ opiniones.

Sed probabiliùs multò respondeo, teneri tunc Regulares obedire suo Prælato, dummodo iam sit in possessione suæ Prælatiæ. Ratio est, inquit Sanchez, quia non est idem dubitare, aut opinari Superiorem non esse legitimè electum, aut confirmatum; ac opinari, non teneri tunc subditum illi obedire: quia cùm in possessione Prælationis sit (vt suppono, si enim in ea possessione non esset, denegari posset possessio, donec de legitima electione, aut confirmatione constaret) non potest ob solum dubium, vel opinionem spoliari legitima possessione, denegando ei obedientiam, donec certus sit defectus. Sic Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 29.* qui *num. 30.* addit, secus dicendum quando quis dubitaret, an alter esset suus Superior, nec ille esset in possessione Superioritatis erga ipsum; quia tunc non teneretur ei obedire, donec certò id constaret, quia cùm alter non possideat, standum est pro libertatis possessione. Sic etiam tenet Bordonus *de profess. religiosa cap. 23. quæst. 12.* qui ad fundamentum primæ opinionis respondet, quod nulla opinio in nostro casu habet vim declarandi illum non esse Superiorem; quia is actus est Superioritatis, ac proinde spectat ad Iudicem declarare, illum non esse verum Superiorem, & ideò ante huiusmodi sententiam talis Superior ab omnibus suis subditis recognoscendus est, & obediendus, quousque iudicialiter priuetur officio quod habet. Sic ille, & bene. Et hæc sententia ampliùs roborabitur ex decisione quæstionis sequentis, vnde sit.

QVÆSTIO XV.

An item teneantur Regulares obedire Prælato, si ipsi certò sciant, illum esse nulliter electum ex impedimento occulto, irritante ipso facto electionem?

NE speres (amice Lector) à tanto viro in hoc sæculo habere huius quæstionis responsionem; nam dum hæc scriberet, vt Deo placuit decessit de hac mortali ad immortalem vitam Reuerendissimus Pater Fr. Leander de Sanctissimo Sacramento, quinto Kalend. Septembr. anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, in suo Complutensi Collegio, anno cum dimidio post Generalatum sui Ordinis tantummodo elapso. Recordentur quæso laudatissimorum, vtilissimorumque eius Operum Lectores Deum Opt. Max. humiliter deprecari, vt eius animæ, quam in hac luce tot præclaris dotibus decorauit, æternam in patria dignatus sit indulsisse beatitudinem.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in his octo Tractatibus in quartum Decalogi præceptum comprehenduntur.

Prior numerus paginam, secundus quæstiones designat.

Alimenta

Idem

F

Famulo

Filij

Parentes

Parentes.

Parochialis, Parochialitas.

Parochia, Parochus.

Parochus

S

Sacerdos.

Vendere

V.

FINIS.